

de la copie au f. 102. n. 10. Ap. 10.
B-7470 B. 2.

❖ COLLECTANEA

IN SACRAM APOCALY-


PSIN D. IOANNIS APOSTOLI

ET EVANGELISTÆ,

*Ex omnibus omnium, quum Veterum, tum etiam Neote-
ricorum, castissimis Commentariis.*

OPVS OMNIBVS Sacrarum literarum stu-
diosis, vtilissimum.

CÆLIO PANNONIO, in diuinis
literis Viro eruditiss. Authore.



PARISIIS,

Apud Michaëlem Iulianum, in monte D. Hilarij,
sub Stellæ Coronatæ signo:

1571.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



de la com^e au fr^e de grad^e M^o. - 10. Apr^e
B-7470 B^o

❖ COLLECTANEA

IN SACRAM APOCALY-


PSIN D. IOANNIS APOSTOLI

ET EVANGELISTÆ,

Ex omnibus omnium, quum Veterum, tum etiam Nesto-
ricorum, castissimis Commentariis.

OPVS OMNIBVS Sacrarum literarum stu-
diosis, vtilissimum.

CÆLIO PANNONIO, in diuinis
literis Viro eruditiss. Authore.



PARISIIS,

Apud Michaëlem Iulianum, in monte D. Hilarij,
sub Stellæ Coronatæ signo:

1571.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

0111
por comision de los señores inquisidores
corregi este libro conforme alasen sara
dela santra y general inquisicion engrandada
a 26. de mayo año de 1632.

Agustin de Quiros
por comision de los señores inquisidores
corregi este libro conforme al indice del
año de 1632. engrand. a A. de Mayo
del mismo año. M.^o Ferreras

Nada tiene que espugaa conforme al Espugaa
torio del año de 1632.



Vltis olim, nec dubiis modis, Deus pater G-
primus, idémque maximus rerum opifex,
pro sua incredibili pietate, homini in-
ter extrema dementia versanti, consule-
re volens, variis eundem monuit oraculis,
beneficiis prouocauit, terruit prodigijs, sæpe etiam
grauibus insolentiam correxit animaduersionibus: si quo
pacto illum ab errore, in quem sua sponte prolapsus erat
reuocaret, vt falsa deorum religione contempta, ipsum
verum Deum & viuum recognosceret, solique sibi (vt
par erat) diuinos deferret honores. Verum quum apud
temulentum, longaque consuetudine vitijs obrutum, pa-
rum talibus proficeret studiis, tam nihil inde laesus est,
neque ab eo acerbius auersus, vt maioribus etiamnum, &
longè splendidioribus eum ornare disponderet honori-
bus, Idémque in suo vnigenito, in quo vt amissam recipe-
ret foelicitatem, iussit eundem hominem fieri, qui dux,
& magister homini futurus esset. Hic igitur, quo pa-
tris iussa magnifice perfecit, viis homini inexcogi-
tabilibus in mundum veniens, elegit virginem ex an-
tiquissima Hebræorum familia, quam & natalium
splendor, & virtutum gloria preclarissimè illustra-
uit, cuius se visceribus insinuans hominem, in eadem
persona, quã ab æterno erat apud patrem, sibi adstri-
ctius copulauit. Nulla quidem diuinitatis iniuria, sed
assumpta humanitatis gloria. Neque enim diuini il-
lius numinis vlla mutatio intercessit, sed noua tantum
assumptio mortalis hominis accessit. Permansit quod e-
rat: assumpsit quod non erat, Deus erat, homo non e-
rat: factus est Deus homo, vt homo fieret Deus. Nam
verbum caro factum est, verbum quod erat in principio
apud Deum, illud caro factum est: & illud erat Deus. Nã
Deus erat verbum, quo pater Deus ab æterno loquitur,
& facit omnia. Omnia enim per ipsum facta sunt. Ope
autem spiritus, non dubium quin sancti, factum est caro
verbum. Delituit diu, quia & in mente diuina diu an-
te delituerat, nec subito vdo materni vteri domicilio e-
rupit, quanquam & id nullo maiore conatu pote-
rat: quo tamen nostræ imbecillitati providentius con-
a ij

fuleret, fidemque tantæ rei solidius mentibus nostris infigeret, ne inane spectrum crederetur, expectatis virili partui præstituta natura mensibus, exultante toto cælo, & confessu angelorum lætum præana canente, tanquam triumphaturo, & qui terribilissimum hostem à cervicibus nostris iamiam depulsurus esset, foelicissimis natalibus in lucem editus, pastores primum proximo loco gregi aduigilantes, ac deinde longius etiam vires proferens, Magos syderum obseruationi addictos, ad sua cunabula venerabundos acciuit. Iam tum certissima dans indicia, quali successu mundus ipsum excepturus esset, qui ecclesiam suam ex utraque gente colligeret. Creuit puer, & per incrementa temporum ex ephēbis excedens, emensis adolescentiæ gradibus, simulatque prima lanugine barbæ virilem consequutus esset ætatem, tinctus à Ioanne in Iordanis amne, & paterna voce è cælis filius declaratus, fortis ut gigas, forma præ filiis hominum speciosus, & cui in labiis gratia lacteo eloquentiæ fonte diffusa esset, oblatam à patre legationis prouinciam capeffens, orbem mox in noua studia conuertere adortus, primam orationis faciem aduersus Archiflamines, & ipsos legis doctores scribas ac pharisæos, vulgique seniores accendit, quorum referebat cæteros legis diuinæ præceptis, ac morum sanctissimorum institutis imbueri, mente adire Deum. Quod quum ab his vulpibus vineam Domini demolientibus non fieret, irascebatur, & ardentiori zelo excandescens totus insurgēbat, fulgurabat oratione, tonabat, ciebat comminationum fulmina. Nec tamen eadem semper orationis flamma utebatur, nec iisdem ardebat ignibus. Mutatis argumentis, mutabat & dicendi vim, placidoque anni persimilem subinde se ad vulgum exhibebat, dicebat quicquid dicendum erat, & quomodo dicendum erat, nec satuta ieiune (ut inquit ille) nec grandia minuite, nec item contra rebus nunquam sermo impar erat, principia verecunda, & parca, non elatis intensa vocibus, sed acuta sententiis: narrationes credibiles, dilucidæ, ornata, accersitis parcemiarum luminibus, ut quod per simplicem orationem, aut dici, aut capi non pos-

set, notissimarum rerum imaginibus describeretur. Confutationes validæ, persuadendi argutissimum filum. Si quonies causa incidisset, in qua vis eloquentiæ expromenda erat, rum se lauius etiam effundebat, ut iam non solum, qui in citiore Iudæa essent, quæ coniuncta est Galilææ prouinciæ, insigni vrbe Hierosolyma, sed etiam qui vltiorem incolerent, quæ Perea autore Plinio in sexto naturalis historiæ volumine dicitur, discreta Iordane amne. Nam & regio, quæ trans Euphraten est Perea vocatur ut placet Straboni, capti dulcedine verbi eius sequi eum incunctanter vellent, qui ipfissimum verbum erat, quo & homines in mundo, qui maximis de rebus copiose ornatè dicere possunt, eloquentes sunt. Neque enim ipsum sine eloquentia mentem hominis vnquam illabitur, neq sine sapientia. Nam hoc est in Deo verbum quod sapientia, in quo solo omnis Idea perfecti consummatique oratoris absolvitur. Qui talis erat, qualem nec Latinus orator in suo oratore inuenit: nec arbitrarur sub oculis auribusve cadere posse, cogitatione autem tantum ac mente complecti, ad cuius excogitatum speciem cætera imitando referretur. De cuius orationis successu iam multo antea Esaias vates insignis prædixerat his verbis. Et fluent ad eum omnes gentes: & tibun populi multi, dicentes. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas. Mons iste domini (ut obiter dixerim) idem est, qui apud Lucam Christus Domini dicitur. Mons coagulatus, mōs pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, apud regium Prophetam. Deus quippe erat in Christo mundum reconcilians sibi, ut Paulus exponit. Ab hoc monte in Ezechiele princeps Tyri vulneratur. Qui in Daniele ex lapide sine manibus præciso creuit in immensum, ut impleret terram. Hunc Micheas montem præparatum domus Domini supra verticem montium extantem contemplatus est. Super quem Ioannes in hac sacra Apocalypsi. cap. 21. vidit ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem è cælo à Deo subsidere, quæ est domus Dei Iacob, quod illi de ea à Deo firma promissio facta esset, sicut liber Genesis exhibet. Hic igitur mons iste

Domini est, qui hanc præclarissimam ciuitatem Dei in se sustinet, montibus torius mundi celebrior, & ipsis Helicone Parnaso, Musis olim, & Apollini factis, è quibus Parnasus Castalio, Hypocreneo Helicon fontibus celebres fuere, quorum potu repente Pœtas euadere stulta credidit antiquitas, nec tamen immortalitatem donari, sitimve ita extingui potuisse, vt non aliquando recurreret, est vnquam arbitrata, quemadmodum fons viuus montis huius quem describinus donat, pleno gurgite ciuitatem Dei letificans, quæ est ecclesia, cuius omnem fortunam in hac sacra Apocalypsi complexus est Ioannes reuelante Angelo, nihil omittens quæcûnque illi essent obuentura, ordine quo fierent, & iuxta successum temporum, verbi etiam Dei cursum, potentiam, robur, perpetuas iustorum cruces, fortitudinem, liberationem, victoriam, pacem, & gloriam. Draconis item, & Antichristorum insana ac reprobata studia, tyrannidem, sæuitiam, deiectionem, & insanabilem contritionem, vt qua ratione, & quam admirabili prouidentia, virtute, ordine, sapientia, gloria, ipse Christus rex & Dominus, princeps omnipotens regnum ecclesiæ suæ administret è caelis, palam queas intueri. Non est quod iucundius, siue etiam maiore utilitate mens hominis res optimas expetentis queat desiderare, quam Dei consilia, consiliorumque opera, aut discere, aut prædicare, quæ cumulatissimè hic continentur, rectè tamen, & non nisi obuelatis significationibus, quatenus hæc te in primis oblectent. Vbi principio omnium Christus ipse suo filo describitur: mox ecclesiæ decursus per septem temporibus variis casibus euoluendus, quorum primum Apostoli, primique illi fidei constantissimi professores obtinent. Secundum Martyres, qui variis excarnificationibus vsque ad Constantinum magnum sanguine proprio ecclesiam ipsam depinxere. Tertium hæretici cum hypocritis grauibus, qui excitante eos cacodæmone, fœdissima oris ac ventris proluuie scripturæ sacræ candidam sinceritatem contaminare voluerunt, ne vitalis foret creditibus. Quartum Mahumetes è proximis hæreti-

eis hypocritisq; proditus, qui armis potentiam legemque mendaciorum suorum latius etiam prolarauit. Quintum Mahumetani Teucris cum nouis hæreticis coniuncti, vt hinc inde acerbius infestiusque ecclesiam Dei viuentis & Christi satanas per eos turbaret, nihil ultra proficiens quam cõstitutum est ab eo, qui habet potestatem in celo & in terra. Sextum magno Antichristo tributum est, in quo recapitulabuntur omnes persecutionum tyrannides, & crudelitates omnium temporum, quas ab initio tulit ecclesia, qui in bestia septem capitum, ac cornuum decem, toridèmq; diadematum: Item in bestia alia cocinea, quam insidet meretrix magna purpurata, ebria de sanguine martyrum Iesu, figuratur. Septimum sabbati est, hoc est, quietis, & communis pacis, in quo velut ex mortuis rediuiua renascetur post Antichristi magni interitum ecclesia, quando omnis Israel saluus erit. Quòd etsi per Gog, & Magog turbandum sit, breuis tamen eaturbatio fiet, priore aurea ætate redente, post quod non erit tempus amplius. Quo in opere, quantum nos dedauerimus, quantum commentarioium cumulum euoluerimus, ipse mihi testis sum locupletissimus, præsertim quòd non admodum probarentur, quicquid Lyranus in eam rem attulisset, aliue, quorum vsus quotidianus erat. Seculum est, quo opus vrge: & nisi Codex verustissimus, incerto autore, scriptus in pergamena charta, ex ætate æui diuturnitate, & obsoleto literis, vt negocium esset in noscendis syllabis ac nominibus, forte fortuna oblatu fuisset, qui primam mihi in Apocalypsin fenestram aperuit, ab audacioris eius tractatione abstinuissim. delectatus tamen antiquissima lectione, nescio quogenio, cœpi tentare mecum, si quo pacto incisam eius, vt erat, breuitatem largiore explanatione diffunderem. Idque aliquoties. verum vbi conatus subinde rediret in spongiam, nec succederet, adiutus interea sum ex quibusdam aliis præclarissimæ eruditionis autoribus, quos in primis ipsa vetustas, & religio integrior commendaret, ex quorum messe quicquid id acceui est collegimus, vt non soli mihi gloria laboris vendiceret, quod & titulus eleuat. Collectanea namque commentaria hæc idcirco nuncupantur, quòd ex multis lecta sint, quem titulum verecun-

diore audacia statim à limine operi præfiximus. In quo illud mihi præcipuum erat, vt non tantum genuinus sensus redderetur, sed rebus abstrusis in lucem datis ipsa eruta veritas laus etiam in ædificationem multis coaptaretur. Videbam enim, quæ hic dicuntur, non vnus tantum gentis esse, aut regionis, aut temporis, sed totius orbis nationis, ac cunctorum sæculorum: quatenus per legitimam eius tractationem multi proficerent, tum ad cognoscendam Dei erga ecclesiam suam prouidentiam, tum ad consiliorum eius opera admiranda, salutis quoque studia, & quæ à nobis deus fieri velit consequenda, optimam illorum rationem sequutus, qui diuinæ literas sic tractarunt, vt nonnunquam per theologica principia, certissimisque sancti iudicij theses, nonnunquam per hypotheses oracula diuina pro circumstantiarum conditione ad formulas virtutum, & vitiorum: ad numinis diuini, aliarumque rerum beatitudinem spectantium notiones accommodarunt. Nisi enim (vt non indocte quidam censuit) presentibus ostendatur hominibus, vt ad illos quoque pertineant prioribus dicta, quatenus vitæ ad regulas diuinæ æquius dirigant, quid in se corrigant, quid emendent, quid reddant absolutius, quid de nouo instituunt, sterilis videbitur, præsertim apud vulgum omnis scripturæ interpretatio. Proinde nemini absurdum videatur, si presentis scripturæ tractatione interdum ad allegorias tropologias quoque & anagogias vsi sumus, planèque in conciones effusi doctrinæ & exhortationes sanctiores adhibuerimus, ne visa essent inania, quæ hic persanctè traduntur. Non sunt hic geminæ somni portæ ab Homero in decimonono Odissæ excogitatæ, quarum altera cornea sit, eburnea altera, nec confictiones aliqua, sed diuinæ reuelationes, ex quibus est Apocalypsis, quam dedit Deus Christo palam facere seruis suis, de his quæ oportet fieri cito, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni, quum pulsu Domitiani exulem in Patmo insula maris Carpathici ageret. Quicquid de me sit iudicij, illud prædico, illud confirmo, tantum mihi laboris in hoc opere exantillarum est, tantum sudoris exhaustum, tanta denique in nouando opere contentione disceptatum, vt vno hoc occupatus, cætera aut negligere, aut nescire, quum alio-

qui mihi certum esset, aut immori negotio semel suscepto, aut illud redderem aliquid dignum legentibus: quando multa in regustratu non probarem, quæ dum stylus ferueret paulo concitator primo cursu sapere videbantur. Ter ab initio aggressus sum, semel à medio ferme cursu reuocatus, bis integrum reddidi. Nisi & hoc ipsum suis careat vitiligatoribus, quos eleganter Cato (vt refert Plinius) vocauit ex vitis, & litigatoribus. Quid enim, inquit, ij agunt aliud quam litigant, aut lites quarunt, veræ laudis expertes, tanquam sit aliquid tam constans, & absolutum, quod non possit aliqua ex parte calumniari? Quorum ego rationem sino præterfluere, dummodo meis hæc profum nugis, præsertim apud illos quorum causa susceptum erat negotium. Sed dices opus esse immensæ difficultatis, plenamque periculi, angustum & feruens, non secus ac Siculum illud fretum, vbi (vt Maroniano vtar carmine) dextrum Scylla laus, læuam implacata Charybdis obsidet. vt quum Charybdis contrariorum fluctuum recursibus abrepta quæque collidat, absorbeat ac reiciat. Scylla illisa contineat, comminuatque. De qua magni quoque vir ingenij Hieronymus obstupescit, & ait: Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba. deinde, Parum dixi: & pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Sed ego cauillum hoc à me reieci aliorum commissione, vt non mihi admodum quippiam tribuerem præter iudicium & commissionem, vt quia nullam apud vnum occurreret, quod obscuritatem voluminis posset excludere, multorum assusis luminibus sua facies rebus certius redderetur. Nisi iniuria sit æstimare, nemo vnus, qui ea omnia in hanc rem inuenerit inuenitur, vt omnibus suam lucem afferret. Nullum non lapidem mouimus, ne euanescentes vmbas pro rebus solidis amplecteremur: aut iuxta Eupolim in Autolico, ne fumos ostentarem & vmbas, quando solidi nihil subesset verique. Sit ergo, vt est, Apocalypsis plena sacramentorum, lateant in singulis eius verbis multiplices intelligentiæ, sed non proinde spes nobis intelligendi prorsus eripitur, alioqui quomodo septem ecclesiis, quæ erant in Asia, & per eas omnibus aliis missa esset, si in vniuersum

PRÆFATIO

intelligendi spem nobis obscuritate excluderet? Non est igitur difficultas in ea penitus ineluctabilis, dummodo significata eius mysteria è scripturarum fontibus petantur, & quod præcipuum est, visionum rectus ordo obseruetur, qui si turbabitur, omnia quæcunque hic traduntur per inane volitantia sybilla: fient carmina, vt inconsultus abeas, remque tibi indignam fateare operam perdens simul & oleum. Id quod à nobis magna religione in toto opere est obseruatum. Et vt finem faciam, ne Prologus sit fabula prolixior, habet Apocalypsis nonnulla cum Ezechiele communia, maior tamen hic troporum varietas redundat, à quibus te non deterrebit vlla perplexitas, quando multorum præfidiis in lucem sunt posita omnia. cuius nos capita, vt erant ab autore distincta inconfusa librorum diuisione liquimus, solis capitum sectionibus, & harum punctis propriè contenti. Habet enim singula quæque capita suas sectiones, & ea suos punctos: ne perpetua lectio nimia prolixitate lectorem offenderet. Iuuat enim crebro oblata requies, &

certe tenacius retinemus quicquid veluti assulacim memoria colligimus.

Laudetur, placeat, vigeat, relegatur: ametur vberè gleba fata

Apocalypsis, cælestibus
compluta nymbis,
solis conforta
teporè.



INDEX RERVM NOTARVM

DIGNARVM.

A

	Agni immolatione litabatur olim.	286
A	Aron ter lotus ingrediebatur in sancta sanctorum.	384
	Abbatis Ruperti questio.	124
	Ablutio conscientia: per confessionem.	1016
	Abraham patet præputij sicut & circumcisionis.	356
	Ablynthium amara hæreticorum doctrina.	407
	Ablynthium vnde dicatur.	407
	Abyssus putei iniquorum corda.	414
	Abyssus impiorum corda.	781
	Accusatio diaboli.	571
	Achab peccauit ex concupiscentia, & vxoris sollicitatione.	143
	Aduetus Christi ad iudicium terribilis.	29
	Aduetus primus domini humilis, secundus terribilis.	132
	Aduetus domini subitus in iudicium.	374
	Aduetus domini particularis.	748
	Aduetus domini ad iudicium cum senibus.	828
	Aduetus domini repetitus.	890
	Aer scriptura sacra.	417
	Æternitas patris & filij.	51
	Agnus Christus.	360
	Agni vocabulum filio competit.	359
	Agni duo cornua duo testamenta.	621
	Agni victoria.	794
	Alæ sex animalium, sex leges.	254
	Alchoranum Mahumetis.	309
	Alexandri magni velocitas in subigendo regna.	598
	Altare ecclesia.	378
	Altare Christus.	432. & 379
	Altaria veteris testamenti.	378
	Amen hebræa vox.	205
	Amen quid sit.	292
	Amethystus purpureus cum violacio.	975
	Anachoretæ quo tempore florere.	411
	Angelus fortis quis sit.	266
	Angelus fortis prædicatores sancti.	267
	Angelus ascendens Christus.	338.
	Angelus Christus.	377
	Angelus sacerdos.	379
	Angelus quarti temporis.	408
	Angelus fortis Christus.	449. 804.
	Angelus iurans Christus.	466.
	Angelus aquarum doctor quibus.	727
	Angelus vnus vnionem designat.	765
	Angelus in sole Christus.	880

T A B V L A.

Angelus recusat sui adoratio- nem. 860.1004	635	Antemos nomen Antichristi.	
Angelus prohibet obſignari prophetiam hanc. 1006		Antichriſtus mixtus. 424	
Angeli cuſtodes eccleſiæ Dei. 283		Antichriſtus unde proditu- rus. 505	
Angeli reconciliati homini- bus per ſanguinem Chriſti. 285		Antichriſtus deſcribitur. 594	
Angeli tenentes ventos. 335		Antichriſtus ſecundum ope- rationem erit ſatana. 600	
Angeli pariter cū hominibus adorant Deum. 360		Antichriſt' tria accipiet à dra- cone. ibid.	
Angeli nō ſunt redempti, ſed reconciliati nobis per Chri- ſti ſanguinem. 360		Antichriſtus ſinget ſe rediui- uum à morte. 602	
Angeli ſeptem typi prædica- torum vniuerſorū. 375.698		Antichriſtus quomodo à deo habebit poteſtatem. 608	
Angeli boni omnes Michaë- lis eſſe dicuntur. 563		Antichriſtus imitabit' Chri- ſtum in colligendo populo ad ſe. 629	
Angeli pugnant pro nobis, ibidem. 571		Antichriſtus homo erit in ſe- nario deſiciens. 636	
Angeli per agni ſanguinem diabolum ſuperarunt. 572		Antichriſtus totus in blaſ- phemia. 771	
Angeli pedes. 860		Antichriſtus ſanguinata be- ſtia. 772	
Angelorum numerus nobis incompertus. 283		Antichriſtus antequam na- ſcatur, reprobus erit. 791	
Angelorum cantici differen- tia ab hominum. 286		Antichriſti miſerabilis exi- tus. 556	
Animal in tropo ſapiens in lege. 295		Antichriſti malignitas expri- mitur. 598	
Animalia cur alata. 253		Antichriſti cum Chriſto pu- gnans collatio. 600	
Animalia plena oculis cur di- cantur. Ibidem.		Antichriſti tempus. 607	
Animalia quatuor quid ſint. 710		Antichriſti fuere ab initio. 620	
Animus terrenarum rerū im- plicitus cœleſtia nō poteſt meditari. 973		Antichriſti aduentus in ſexta ætate eccleſiæ. 731	
Annotum mūdi numerus ab exordio. 576		Antichriſti nominis nume- rus. 633	
		Antichriſti ſpūs à mundi ex- ordio vixit in reprobis. 634	

T A B V L A.

Antichriſti corpus ſunt om- nes pereuntes. 719	Arcus quid ſit. 296
Antichriſti conuerſatio. 794	Argumenta ignauorum ſtu- dere negligentium. 724
Antichriſti & ſuorum dam- natio. 885	Artij hæreſis. 88
Antiochus Epiphaneſ. 547	Artij error de Chriſto. 207
Antipas teſtis. 113	Arimaſpi monachi. 968
Aperire quid ſit aut claudere. 184	Arundo aurea quid ſit. 956
Aperitio libri reuelatio my- ſteriorum eius. 76	Aſer. 349
Apocalypſis quid ſit. 1	Aſcenſus quid ſit. 338
Apocalypſis quare Ieſu Chri- ſti dicatur. ibid.	Aſcenſio Chriſti in cælum.
Apocalypſis digeſta in ſeptē viſiones. 926	557
Apocalypſis à Chriſto per angelum. 1020	Aſia elatio interpretatur. 13
Apocrypha quæ dicantur. 662	Aſſucta difficile relinquun- tur. 736
Apoſtolus miſſus Latinè. 542	Aues quid ſint. 881
Apoſtoli montes. 458	Aues prædicatores. 882
Apoſtoli excellentiores om- nibus ſæculi prædicatores. 461	Aurichalcum multis ignibus ad colorem aureū perducitur. 58
Apoſtoli ſoli integrè loquun- ti. 480	Auris vnde. 177
Apoſtolorum nomina. 542	Aurum ſapientiæ & charitatis. 215
Apoſtolorum & propheta- rum vna vox. 812	Aurum & argentum eſt diui- na ſapientia. 216
Aquæ populi. 400.641	Aurum diuinæ ſapientiæ tri- plici de cauſa emi perſua- deret. Ibid.
Aquæ impetus perſecutionis. 583	
Aquarum nomine populi de- ſcribuntur. 795	
Aquila volās prædicator. 412	
Aquilæ fortis viſus. 251.507	
Arca teſtamenti. 531	
Arca Dei forma. 533	
Arca teſtamenti cur vocaretur. Ibidem.	

B

Abylō veniet in memo- ria apud Deum. 760
Babylon non prius punitur, quàm peccata eius in cælum perueniant. 815
Balaami prophetia. 117
Balaam ſacerdotes adulator ſunt auſici. Ibid.
Baptiſmus quid. 246
Baptiſmus mare vitreum. 700
Baptiſmi ſacramentū in duo- bus conſiſtit. 246

T A B V L A.

Beatitudo duplex, viæ & patriæ.	7	Cælum empyreum.	980
Beatitudo quid sit.	1009	Cæsares sanguinaria morte perempti.	774
Benedictio quid sit.	290	Calamus quo scribitur nomen Dei super electos.	201
Beneficia dei commemorantur.	703	Calamus mensura.	481
Beniamis.	353	Calculus candidus.	128
Beryllus aqueo colore ac splendicanti rutilo quodam.	971	Calcidonius specie lucernæ.	967
Bestia exit Antichristus.	599. 884	Calix iræ punitio æterna.	760
Bestia cur Pardo similis.	598	Calix aureus Babylon.	776
Bestia septem capitum.	770	Candelabra duo.	492
Bestiæ impij sunt.	314	Canes Ethnici increduli.	1018
Binarius infamis numerus qui multiplicat vnitatem.	438	Canticum Moyfi iunctum cum agni cantico.	70
Blasphemia nominis Dei vnde prodeat.	734	Cantus in templo Dei rationabilis.	59
Blasphemia opulentum.	828	Capilli Christi sancti sunt.	51
Boni cum malis mixtim in hac vita degunt.	112	Caput in Christo diuinitas.	Ibidem.
Bonum semper à Deo habemus.	522	Caput electorum Christus.	208
		Calus docet infidelitatē.	329
		Cauda propheta mēdax.	549
		Centenarij numeri perfectio.	638
C Adere in faciem coram summæ reuerentiæ est.	292	Centenarius numerus foelicitatis superne perfectio.	963
Cadere in terram.	415	Chalcolibanum thus masculinum.	56
Cæcitas manebit in Iudæis.	713	Character fides in baptismo suscepta.	632
Cælum ecclesia.	231. 531	Character bestię Antichristi qui habent.	672
Cælum sicut liber inuolutus.	329	Charitas est quantitas animæ.	28
Carnis maceratio disponit.	385	Charitas index veræ probitatis.	80
Cælum vnde dictum.	659	Charitas Dei semper retinenda.	82
Cælum quomodo transibit.	906	Charitas prima.	83
Cælum pro aëre.	907		
Cælum nouum, & terra noua.	917		

T A B V L A.

Charitas necessaria omnibus.	979	num.	111
Charitatis commendatio.	80	Xps nō derelinquit suos.	101
Charitatis certi effectus.	81	Christus potestatem accepit à patre.	150
Charitatis nutrimenta.	82	Christus potestatem communicaturus suis.	151
Charitatis signa.	390	Christus scrutatur omnia.	164
Chenix mensuræ genus.	305	Christus solus redemptionis munus obire debuit, & mysterium implere.	168
Christiana fides de mūdo.	468	Christus in mortem cuique venturus.	197
Christianus & sacerdos spiritualiter idem.	893	Xps testis fidelis & verus.	205
Christiani reges.	743	Christus principium creaturæ Dei.	205
Christiani holocausta sunt.	930	Xps lapis. 236. præciosus. ibid.	
Christus vt homo accepit omnia à patre.	2	Christus solus super quem requiescunt septem spūs.	244
Christus maior etiam iuxta hominem angelis.	6	Christus in quatuor animalibus figuratus, similiter & sancti.	252
Christus primogenitus mortuorum.	19	Christus solus diuinas promissiones impleuit.	267
Christus testis fidelis.	19	Christus leo est & agnus.	271
Xps princeps regum terræ.	21	Christus cunctorum electorum radix.	272
Christus amore nostri omnia pertulit.	22	Christus cur radix David dicatur.	Ibid.
Christus fecit nos reges & sacerdotes.	24	Christus efficit victoriam in electis.	277
Christus cito veniet in iudicium.	28	Xps dignus ad omnia.	284
Christus alpha & omega.	33	Christus arcum habet.	296
Christus in medio ecclesiæ versatur.	47	Christus semper vincit.	297
Christus primus & nouissimus.	68	Christus altare nostrum.	315
Christus habet potestatem mortis & inferni.	69	Christus obscuratur in cordibus hominum.	409
Christus versatur in medio suæ ecclesiæ.	76	Christus libellum dupliciter aperuit.	456
Christus cur primus & nouissimus dicitur.	95	Christus cur per solem figuratur.	453
Christus primum tribulationibus vexatus.	97		
Christus discretor cogitatio-			


T A B V L A.

Christus masculus filius.	553	propter nos.	68
Christus declarauit deum secundum totum suum mysterium.	610	Christi potestas in omnia.	76
Christus coronam habet auream.	687	Christi virtute opera munda Christianorum.	172
Christus dat decreta Dei prædicatoribus.	712	Christi in peccatores dulcedo.	179
Christus habet potestatem iudicium faciendi à patre.	803	Christi oculos nihil effugiet.	206
Christus mortuus pro iniuria.	864	Christi clamoris ratio.	232
Christus diademata multa habet.	866	Christi morte redimendi eramus.	281
Christus rex regum.	877	Christi pax nunquam tollitur à sanctis.	300
Christus solus torcular calcavit.	Ibid.	Christi potestas super omnia regna.	794
Christus regnat inuitis aduersariis.	878	Christus cito veniet.	1012
Christus semper calcat mortem.	876	Christo reuerentiam debemus omnes.	278
Christus sponsus ecclesiæ.	921	Christum in iudicio videbunt impij cum piis.	29
Christus smaragdus.	969	Christum quomodo confidentur Turcæ ex Alchorano eorum.	309
Christus in medio Ecclesiæ.	993	Chrysolitus anreus colore.	971
Christus radix & genus David.	1020	Chrysopterus viridis aurea permixtura.	974
Christus stella matutina.	Ibid.	Cithara crux Christi.	279
Christi resurrectio exemplum & causa futuræ nostræ resurrectionis.	20	Citharæ quid in sacra scriptura designent.	278
Christi sanguine abluti sumus à peccato.	23	Citharedi obseruatores præceptorum Dei.	701
Christi aduentus ad iudicium terribilis.	29	Ciuitas noua.	202
Christi desideria æs & thus sunt.	56	Ciuitas noua descendens.	920
Christi pedes humilitas passionis eius.	65	Ciuitas aurum mundum.	965
Christi mors & resurrectio		Ciuitatis magnæ casus.	757
		Ciuitatis fœlicitas describitur.	990
		Clamor animarum sanctarum.	318

Claritas

T A B V L A.

Claritas corporum qualis futura sit.	64	beati Ioannis.	38
Claritas Christi in nobis doctrina fidei.	804	CrySTALLUM.	246
Clavis David.	182		
Clavis ligandi atque soluendi.	183	D æmones aëreæ potestates dicuntur.	755
Claves habent & cæteri apostoli præter Petrum.	184	Dæmonum quidam in caliginoso aëre, quidam in inferno.	577
Clauis vsus in tria necessarius.	185	Dan de catalogo. 12. tribuum cur eiiciatur.	354
Coccinus color.	774	Decem dies breue tempus.	104
Cæcitas magnum vitium in mente.	218	Decem dies præsens tēpus, quod decalogi est.	105
Cæna spiritus consolatio.	224	Decem persecutiones ecclesiæ.	105
Cæna communis pacis conuiuuii.	881	Definire quid sit.	868
Cognitio peccati duplex.	142	Deiectio draconis.	565
Collyrium Christi nomen.	218	Descensus & casus diuersa.	450
Collyrium verbum fidei.	Ibid.	Desertum quid sit.	581
Collyrium tribulatio.	219	Deus scit opera omnium.	158
Comæ nigre sponsi.	52	Deus latenter operatur in electis peccantibus.	188
Confessio trinitatis.	17.255	Deus quos diligit, castigat.	220
Confessio Christi coram patre suo quid sit.	175	Deus primus sanctus.	257
Conscientia nostra pacata per fidem.	3	Deus pater & mater est.	371
Conscientia pura accedendum ad scripturæ sacræ intelligentiã.	10	Deus scit articulos suorum temporum.	373
Consilia quæ sint.	352	Deus vitur seruitio malorum angelorum in vltionem explendam.	566
Consuetudo hæreticorum in docendo.	418	Deus confringeret Antichristum.	605
Conuersio hominis ad Deum esse debet.	45	Deus cor Pharaonis indurauit.	860
Cordis puritas.	384	Deus est primus & nouissimus.	1013
Coronas ante thronum mittere.	262	Dei æternitas temporum varietate descripta.	17
Coronas suas electi ante thronum mittunt.	263	Dei admirabilis clementia.	140
Corruptionis modus.	87	Dei est remittere culpam.	184
Creaturæ laudant Deum.	289	Dei potentia in omnia.	193
Creditum est non esse volumen		Dei nescire aut scire quid sit.	867
		Deo obedire docent omnes creaturæ.	225



T A B V L A.

Deo quis placens.	245	Diuites sancti permulti erant.	
Deum obliuisci, aut rememorari.	760	Ibidem.	
Dextera auxilium oportunum.	67	Diuitum terrenorum periculum.	
Dextera sancti prædicatores. Ibid.		Ibid.	
Diabolo imputatur quicquid ab aduersariis fit contra pios.	103	Doctor qualis esse debeat.	362
Diabolus tentator est in euersionem.	104	Documenta generalia.	73
Diabolus per chirographum nos accusabat.	572	Dominica dies sacra ab apostolis sic vocata.	39
Diabolo odium inest æternum contra ecclesiam & veritatem.	578	Dominus neminẽ reicit, nisi obstinatẽ malus.	214
Dignitas triumphantis Ecclesiæ qualis.	946	Domitiani mors.	789
Dies prosperitatem significat, nox aduersitatem.	368	Domus Dauid, Ecclesia.	182
Dies quid sit & nox.	410	Donum Dei erogandum.	198
Dies pro anno.	508	Donũ Dei auro comparatur.	215
Dies septimus remuneratio boni operis.	635	Draconis pugna cum angelis.	564
Dies & nox quid significant.	677	Draconis quatuor nomina.	567
Dies magnus Dei, dies iudicij eius.	748	Draconis capita per Deum fracta.	604
Dies electorum, nox reproborum.	905	Draconem in terram proiici.	567
Diei extremi terror.	761		
Dilectio Dei erga nos in castigatione.	220		
Dilectionis modus.	179		
Dilectionis commendatio.	180		
Diligere quid sit.	573		
Dionysius episcopus ecclesiæ Corinthiorum iudicant Apocalypsiu Ioannis esse apostoli.	353		
Discipuli norma.	364		
Discipuli septuaginta duo.	542		
Diuersitas studentium.	363		
Diues Deum habens.	99		

E

E cclesia aureo cadelabro cõparatur.	46
Ecclesia suspirat continuo ad perfectam gloriam.	75
Ecclesia rotanda tribulationibus.	102
Ecclesia congregatio se diligentium mutuo.	178
Ecclesia corpus Christi mysticũ.	200
Ecclesiã tribulationẽ habebit usque in finem.	230
Ecclesia columna veritatis.	304
Ecclesia in ternario & quaternario numero constat.	344
Ecclesia per mulierem configiata.	538

T A B V L A.

Ecclesia parturiens clamat.	543	823	
Ecclesia purpura aurõque ornata.	775	Electorum consolatio cum delectatione.	209
Ecclesia mulier.	579	Electorum ac reproborum differentia.	222
Ecclesia sponsa Christi, vxor & mater.	Ibid.	Electorum numerus certus in omni ordine.	324
Ecclesia quare aquila.	582	Electis sæpe negatur mors.	423
Ecclesia suo flumine pascitur.	585	Elias potens super ignem.	496
Ecclesia potentia terrena communita.	587	Elias in angelo figuratus.	692
Ecclesia quotidie iustificatur, & trãsit ad patriam cœlestem.	847	Elias cum Achab colloquitur.	693
Ecclesia sursum manens.	947	Eliã & Enoch resuscitatio.	514
Ecclesia in quadro.	961	Eliã factum cum sacerdotibus Baal.	694
Ecclesiæ cura erga filios.	539	Enoch & Elias in fine venturi.	488
Ecclesiæ caput Christus.	541	Ephesus quid per interpretationem.	41
Ecclesiæ figura Israheliticus populus.	582	Ephesus interpretatio.	74
Ecclesiæ pax vniuersalis.	843	Episcopi Ecclesiarum in dextera Christi sunt.	60
Ecclesiæ præceptis obediendum.	849	Episcopi lucentes esse debent.	61
Ecclesiæ ornamentum prælati doctorẽsque.	978	Episcopi veri officium.	78
Ecclesiæ liberras.	987	Equus albus apostoli.	296
Ecclesiam in summatibus figurari.	281	Equus niger hæretici.	303
Ecclesiam adiuuat terra in concilio Nicæno.	588	Equus mundus est.	355
Ecclesiastici iuris est non protinus priuari dignitate.	86	Equus superbiæ typus est.	437
Electiois argumenta.	252	Equus albus describitur.	863
Electi signum certissimum.	222	Equus albus qui sunt.	Ibid.
Electi debent esse puri.	171	Equi quid significant.	882
Electi dum peccant stimulantur vt resurgant.	213	Essentialia non multiplicantur in diuinis.	258
Electi amat castigationem, quam non amant reprobi.	222	Esuries verbi Dei.	369
Electi crucem continuo habent.	758	Euangelistæ in animalibus designati.	249
Electi habent Deum & vitam.		Euangelistæ quando euangelia sua conscribere.	662

T A B V L A.		
Euangelium æternum.	660	vita. 397
Euangelium reuelatum Pauli A-		Fidem statuunt opera. 133
postoli.	663	Figura temporis primi. 296
Euangelium tota scriptura sacra.		Figura secundi temporis. 299
Ibidem.		Filius solus iudicabit. 256
Euangeliorum diuersitas & con-		Flumina scripturæ sanctæ. 405
cordia.	662	Fœderis signa Deus apud popu-
Eucharistia res & signum.	534	lum suum relinquebat. 532
Eucharistiæ institutio.	Ibid.	Fœlicitas seculi post Antichristū
Eucharistiæ institutionis modus.		iudicatur. 369
	535	Fœnum, carnalis vita. 396
Eucharistiæ vis & efficacia.	643	Folia ligni vitæ. 993
Euphrates fluuius Babyloniz.	433	Fôs aquæ vitæ sacra scriptura. 991
Eusebius Casariensis.	35	Fontes aquarum. 371
Exercitus credētū multitudo.	871	Forma vitæ Christianæ. 943
Exercitus sancti martyres.	873	Fornicatio duplex. 136
		Fornicationis opprobrium totum
		regibus imputatur. 808
		Fratres angelis sumus. 571
		Frons ipsa mens est. 341
		Frons meretricis. 777
		Frons fides. 999
		Fructus malæ conscientiz. 740
		Fructuum 12. allegoria. 1009
		Fumus doctrina hæreticorum. 416
		Fumus templi, cæcitas Iudæorum
		est. 713
		Fumi nocentia. 416
		Fundamēta ecclesiæ apostoli. 955
		G
		G Ad 348
		Galbæ interitus. 789
		Gemitus cordis. 386
		Gêtiles extra fidem omnes in san-
		guine. 400
		Gentium nomine qui intelligan-
		tur. 874
		Gladius Dei verbum & iudicium

F

Facies lucida Christi, sancti glorificari. 63
 Facies Dei notitia eius. 452
 Falsi propheta non audiendi. 376
 Festa sanctorum rationabiliter celebrantur. 39
 Fex vini, æterna damnatio. 673
 Fidelis quomodo non errat. 200
 Fides sola non sufficit. 83
 Fides cum operibus commendabilis. Ibid.
 Fides opus Christi, & voluntas patris. 150
 Fides & zelus Eliæ. 694
 Fides signum Dei. 421
 Fides in sanctitudine vitæ saluat. 848
 Fides non stat sine operibus. 933
 Fidei & operum contentio. 133
 Fidei laus. 134
 Fidei nihil commune cum carnali

T A B V L A.		
eius.	61	Hæreticorum armatura. 428
Gladius biceps Dei verbum.	62	Hæreticorum vox. Ibid.
Gladius iudicium.	Ibid.	Hæreticorum conuersio periculosa. 446
Gladius duplex spiritualis & materialis.	619	Hebdomades Daniëlis. 509
Gladius verbum Dei.	874	Hiero hæreditatem populo diuini gloriaio stultorum. 822
Gog & magog quid sit.	900	Hierusalem noua spiritualis figurata per terrenam. 202
Goliad exprimit hypocritam.	212	Hierusalem spiritualis qualis. Ibidem.
Gothi ab Arianis fidem recēpere.	586	Hierusalem cruentata figura futuræ status ecclesiæ. 327
Grando & ignis typi persecutionum.	394	Hierusalem ciuitas magna. 506
Gratia Dei legi coniuncta est.	796	Hierusalem noua visio. 919
Gratia gratis emittitur.	1023	Homicidæ. 1018
Gratiarum actio.	384	Homo eget pane. 127
Gryphes volantes fera.	668	Homo dupliciter cōsideratur. 172
		Homines signum Dei nō habentes. 420
		Hominum saluandorum tria genera. 429
		Hostes Christi duplices, occulti & aperti. 553
		Humilitas gradus exultationis. 338
		Hyacinthus coloris carulei radiantis. 974
		Hypocritæ opera mortua. 159
		Hypocritæ neque frigidi neque calidi. 209
		Hypocritæ hostes veritatis difficile conuertuntur. 209
		Hypocritæ proprietates. 212
		Hypocritæ ficus immaturæ. 328
		Hypocritæ non signantur. 341
		Hypocritarum opera Deo odibilia. 208
		Hypocritis datur dona in bonum aliorum. 159

H

Halleluia. 843
 Harmagedon significatio. 752
 Hæresis peccatum habet & mortem. 585
 Hæretici Nicolaitæ. 87
 Hæretici faculæ ardētes sunt. 405
 Hæretici locusta ventricolæ. 425
 Hæretici equi. Ibid.
 Hæretici draconis socij mendacis. 584
 Hæretici ranæ ob loquacitatem. 586
 Hæreticorum fructus. 406
 Hæreticorum mos. 417
 Hæreticorum coronæ auro similes. 426
 Hæreticorum facies blanda. 427
 Hæreticorum dentes vt leonum sunt. Ibid.

T A B V L A.

I	Iacobus quæ opera probet. 84 Iaspis virtus lapis. 949 Iaspis lapis diuina essentia. 964 Iaspidis genera. 966 Iaspide fugantur phantasmata. Ibidem. Idolorum inuentio. 447 Iesus nomen essentialis Dei. 638 Iesus fons vitæ. 991 Iezabel hereticus quisque. 137.145 Iezabelis exitus. 135.143 Iezabelis interpretatio. 136 Ignis exit de ore Eliæ. 496 Ignis corporeus reproborum. 676 Imperatoris belli officium animare suos. 101 Impij dignos vitæ fructus non faciunt. 591 Impij primum sibi obsunt. 723 Impiorum vita breuis. 436 Incensa sanctorum orationes. 380 Innocentes sancti occisi pro domino ab Herode. 647 Institutis Ecclesiæ parendum est. 25 Insulæ & montes quid sint. 761 Insulas moueri de locis. 330 Integer debet vitare corruptos. 812 Intelligentia. 156 Interpretatio nominum filiorum Israël. 346 Inuentio in seculi amatores. 168 Ioannes Apostolus & euangelista & propheta fuit. 11 Ioannes ter se nominat. 36 Ioannes aquila. 251 Ioannes Baptista angeli nomine designatur. 688 Ioannes spiritu videt omnia. 948	Ioannis testimonium de verbo vitæ. 7 Ioannis excellentia. 71 Ioannis fletus fletum antiquorum patrum exhibet. 269 Ioseph. 353 Iosephus historiographus. 332 Ira Dei grauissima. 145 Ira Dei talentum. 762 Iris Latinè arcus. 237.451 Iris fides. 238 Iris Dei factura. Ibid. Iridis formatio. 237 Iridis colores præcipui duo. 451 Isachar. 352 Israëliticus populus ecclesiæ signum. 582 Iudæus confitens. 100 Iudæi nominis amissio. Ibid. Iudæi semen Abrahæ. 193 Iudæi à Iuda proditore modo dicuntur. 194 Iudæi deserunt à magnifico Patriarcha nominari. Ibid. Iudæi ob carnalia Deo seruiunt. 261 Iudæi quibus ex causis irati contra dominum. 528 Iudex siue prælatus quisque qualis esse debet. 215 Iudicis esse facta dignoscere. 76 Iudices in ecclesia pollere debent cognitione. 55 Iudicium aduenire cupiunt sancti. 32 Iudicium omne est Christo datum. 334 Iudicium non cito post Antichristum fiet. 886
---	--	--

T A B V L A

Iudicij magni tempus. 759 Iudicia Dei atque hominum diuersa. 158 Iuramentum quare prohibitum hominibus. 466 Iusti seruantur, peccatores pereunt. 435 Iustus adest tribulatio semper. 422 Iustitia vestis animæ. 117 Iustitia non timore sed amore fit. 141 Iustitiæ veste incidendum in ecclesia. 117	nis. 992 Lingua loquacitate exhibet. 796 Lingua tres celeberrimæ. 356 Lis in hominibus impiis propter terram. 31 Litteræ apud Græcos omnes numeros faciunt. 34 Litterarum vsus cur repertus. 660 Litterarum inuectores. Ibidem Locustæ heretici. 417 Lorica ignita quid sint. 441 Lucas vitulus. 250 Lucernarum cura ad summum pertinebat sacerdotem. 48 Luna sanguis facta. 226 Luna subiecta plebs. 410 Luxuria in viris & in feminis. 767 Luxuriosi & superbi plus puniuntur. 810	
L	Lacus extra ciuitatem calceatus. 696 Lamentatio. 828 Lampades ardentes spiritus Dei. 244 Laodicia vrbs Asiæ. 204 Laodicia in mysterio. Ibidem Lapis molaris in mare missus. 838 Lapis molaris impij. 840 Lapides quinque è torrente sublatti. 213 Laus. 384 Lectus peccandi consuetudo. 145 Leo apertis oculis dormit. 251 Leo primus in ordine est. Ibidem Léui. 352 Lex dei quid sit. 15 Liber vitæ quid sit. 174 Liber scriptus intus & extra. 264 Liber clausus & postea apertus. 456 Liber vitæ præscientia Dei. 615 Libri duo vitæ. 175 Librorum apertio. 909 Liberum arbitrium cum gratia. 1025 Liberi arbitrij assertio. 225 Lignum in vtraque parte flumi-	992 796 356 31 34 660 Ibidem 417 441 250 48 226 410 767 810
	M	Macedonius hereticus. 404 Maculosus non debet accedere ad offerendum sacrificium. 165 Mahumetes in regem eligitur. 308 Mahumetanorum potestas. 311 Mahumetani crudeliores omnibus. 548 Mahumeti hereticis adherent. 309.313 Mahumetica secta quando cepit. 735 Malorum blasphemia toleranda non est. 78 Manasses. 350 Mandatum nouum. 178 Mane gratissima pars temporis. 154 Manichæi hæresis. 88 Manna interna mentis dulcedo. 123

T A B V L A

Manna Eucharistiæ figura.	125	Mons magnus, monarcha orbis.	398
Manna sapientia diuina. ibidem			
Marcus leo est.	249	Montes prælati & doctores.	331
Mare baptisimus.	245	Mors malorum causa omnium.	931
Mare fusile.	ibidem.	Mortes tres.	109
Mare vitreum ignitum baptismus.	699	Mors hæreticorum.	426
Mare mundum significat.	833	Mors momentanea in extremo die.	516
Martyres cur cædi Christus voluit.	722	Mors prima.	896
Martyres vestimenta domini.	869	Mors secunda.	897
Martyres primates in cælis.	895	Mors & infernus quid sunt.	915
Martyrum duo genera.	317	Mulier Ecclesia.	531
Maclusus fortem indicat.	554	Mulier sole amicta beata virgo	
Matthæus homo.	251	Maria.	540
Matthæus quando euangelium scripsit.	660	Mulieres doctrinæ demoniorum.	
Mediator vnus: intercessores plures.	318	Mulier super bestiam sedens.	770
Meditatio debet præcedere orationem.	382	Mulier purpurata.	773
Mendaces.	1019	Mulier radix malorum.	777
Menses 12. omne tempus.	994	Mulier ebria.	778
Mensura hoīs & angeli eadē.	962	Mulier purpurata quando cœpit fornicari.	811
Mercatores vani adulatores.	842	Mundus quomodo relinquendus.	558
Mercatorum vita abominabilis.	809	Myrris arbor.	93
Meretrix magna peregrinatio multitudinis.	766	Ecclesia ibidem.	
Mesquita templum mahumetanorum.	310	Mysterium capitum bestiarum.	545
Michaël adiutorium Dei interpretatur.	563	Mysterium quid sit.	777
Michaël pugna pro ecclesia.	502	Myteria regni Dei reteri sctis.	38
Mille anni quantum tempus designet.	888	Myteria Dei aperienda & claudenda.	463
Miseratio Dei gratiæ collatio.	846		
Miserationes Dei excellunt alia omnia opera.	702	N	
Monachi parochiatij.	834	Aues principes.	401
Monitio salutatis.	766	Neronis miserabilis exitus.	787
Mons diabolus.	398	Nicolaita.	87
		Nomen nouum.	129
		Nomen antichristi ex numero re- pertum.	633
		Nomen Dei scriptum in fronsibus.	999
		Nominis domini sanctitas.	110
		Nomina apostolorum.	542

T A B V L A

Notitia approbationis.	132	Oratio morbum curat.	387
Noua omnia ad Christum pertinentia.	262	Oratio conscientiam pacat.	388
Noua omnia in nouo testamento.	280	Oratio dæmones profligat. ibidem	
Numerus consignandorum ex Israel ostensus.	343	Oratio Deum placat. ibidem	
Numerus annorum mundi ab exordio.	576	Orationis fructuosæ species.	383
Numerus nominis Dei.	632	Orationis circumstantiæ.	384
Numeri signatorum mysterium.	343	Orationis effectus.	387
		Orationem quæ perficiunt.	385
		Orationes sanctorum aromatibus comparantur.	279
		Orationes nostræ in Christo placitæ sunt.	382
		Orationum genera duo. ibidem	
		Origo turicarum quando cœpit.	
			591
O bedientia res bona.	462	Os serpentis quid sit.	584
Obedientiæ cōmedatio.	226	Ossa sanctorum cur in altaribus reponantur.	317
Obsecratio.	383	Ostium aperiri aut claudi in mysteria Deo.	189
Oculus intentionē exprimit.	209	Ostium Christus.	190
Oculus dexter quid sit.	814	Ostium cor hominis ad quod pulsar Christus.	224
Oculi dñi cognitiones eius.	54	Othonis interitus.	789
Oculi domini iudices ecclesiæ.	55		
Oculi domini sunt viri spiruales.	55	P	
Oculi domini flammei.	865	Palma quid significet.	357
Oliua.	493	Palma ponderi renititur.	357
Oliua pinguedinis spiritus typus.	493	Palma in signo victoriæ.	358
Omnis & nemo particularia quædòque signa.	833	Pane eget homo.	127
Opus prælati quale placeat Deo.	164	Papa sanctissimus.	732
		Papæ officia.	731
Opera Christi.	150	Paradisi nomine quid intelligat.	91
Opera mortua posse viuificari.	160	Parricidarum lex apud Ethnicos.	322
Opera delectuosa.	161	Parricida non est sine pena.	323
Opera nostra sequi nos quomodo intelligatur.	684	Pastores qui seipos neglecto grege, pascent, taxantur.	162
Orate quando pro persecutibus debemus & quare.	817	Pater genuit in se filium ab æterno.	207
Oratio ac meditatio scripturarum, sacrarum lectio frequens commendatur.	229		
Oratio in bellis triumphum dat.	387		
Oratio mentē illuminat. ibidem			

T A B V L A

Patris & filij æternitas.	51	Petri Paulique mortis causa.	604
Patientia in quibus rebus probetur.	680	Phiala sancti sunt Dei.	278
Patientia virtus.	78	Phiala decreta Dei.	710
Patientie multiplex distinctio.	679	Phiala secunda: perniciosa.	721
Patientie geminum opus.	680	Philadelphia.	178
Patientie definitio iuxta Lactantium & Tullium.	679	Philosophorum opinio de mundo.	467
Parnos quid interpretatur.	137	Pietas.	157
Pauli cum Iacobo concordia.	84	Plaga septem diuinae ultiones.	698
Paulus primus eremita.	411	Plagarum quatuor mysterium.	955
Paulus pinguedo oliuae.	493	Planctus ultimi temporis.	30
Paupertas que commendabilis.	99	Platea a latitudine.	979
Pax Dei supra sensum carnis.	14	Ploratum causa diuersa.	372
Pax in solo christo inuenienda.	621	Poculum tormenti passionis.	819
Pacis tempus describitur.	887	Poenam magis bonum quam malum dicitur.	665
Peccanti ignoranter Deus succurrit.	1009	Poenam damnatorum interminata.	965
Peccator uiuit, ut a peccatis auertatur.	139	Poenam inferni describitur.	914
Peccatrix anima nuda.	117	Poenam æternitatis unde promanant.	754
Peccatum duo habet mala.	738	Poenam gehenna vinum furoris ire domini.	876
Peccatum causa alterius peccati.	1007	Poenam Deus attemperat iuxta modum poenitentis.	140
Peccatum tribus modis agitur.	1009	Poenam referuari culpa dimissa.	185
Peccatum natura odire non potest.	110	Poenitentem verum quid efficiat.	738
Peccatum poena peccati.	763	Poenitentium differentia.	141, 145
Peccatum quantum, tanta & poena.	819	Poenitentia Achab, qualis fuit.	146
Peccati cognitio origo poenitentia.	141	Poenitentia David qualis.	ibidem
Peccata quae non imputantur.	187	Poenitentia vnicuique remedium.	165
Pedes Christi humanitas eius.	57	Poenitentia extremum refugium.	443
Pelagius haereticus.	88, 404	Poenitentia in quibusdam oritur a timore, aliis ab amore.	736
Perfecti esse possumus fide scilicet, non beatitudine in hac vita.	8	Poenitentia vera per amorem.	737
Pergamus ecclesia.	110	Poenitentiae laus.	119
Persecutionis utilitas.	521	Poenitentiae necessitas.	ibidem
Personarum in diuinis emanatio.	258	Poenitentiae origo.	ibidem
		Poenitentiae tempus datur Deo peccatori.	139

T A B V L A

Poenitentiae tempus datur cuius a Deo.	140	exemplis notantur.	689
Poenitentiae verae forma.	165	Prædicatores primi mæ.	755
Poenitentia dignus fructus.	166	Prædicatorum est alios confirmare.	292
Poenitentiam multi timent aggredi.	941	Prædicatorum sexti temporis typus.	431
Poma desiderij carnalis voluptas.	831	Prædicatorum est misericordiam Dei & iudicium annunciare.	756
Pondus legalium obseruatiua.	148	Prælati bonus.	151
Pontificatus Christi probatur.	49	Prælati peruersus.	ibidem
Populus.	356	Prælati esse debent ut Elias.	138
Porta Christus.	977	Prælatorum exhortatio.	61
Porte multæ ciuitatis Hierosolymorum.	981	Prælatorum vitam quam integerrimam oportere.	161
Porte ciuitatis quid sint.	1017	Prælatorum norma.	165
Postes signabantur sub tribus nominibus.	345	Prælatos sibi metum primum imperare oportet.	151
Postulatio.	383	Prælati bonorum Angelorum malorumque.	561
Prædestinati ad vitam conuertuntur.	193	Prælij magnitudo ex tribus ostenditur.	ibidem
Prædicandi officium minimè usurpandum.	376	Præmia felicitatis inæqualia.	961
Prædicandi ministerium impigre agendum.	413	Præparatio septem angelorum.	393
Prædicationes apostolorum fulgura & tonitrua.	536	Præcatio.	384
Prædicator Christianus non admittitur inter turcas.	315	Præcatio ad Deum.	599
Prædicator imparatus non prædicet.	393	Præfectus in via Domini ascensio est.	233
Prædicator qualis esse debet.	455	Præpheta non est sine intelligentia.	294
Prædicator mitti debet.	659	Præpheta cito implendam prænunciant suam prophetiam.	27
Prædicator ipse primum præceptorum suorum amulator debet existere.	708	Præphetarum mos per præterita loqui de futuris.	434
Prædicatores patientes esse oportere.	196	Præphetae donum interdum & immerentes accipere.	183
Prædicatores sancti oliuae.	496	Prudentia in prosperis consultat agit.	248
Prædicatores quales esse debeant.	659	Prudentiae laus inter omnes virtutes.	247
		Prudentis partes quae sunt.	248
		Pugna cum demonibus continua.	562

T A B V L A		S	
773 301			
Purpura piscis.	773	Sabbatum Christiani orbis.	634
Purpura regum ornamentum.	773	Sabbati mysterium.	916
Purpureus color.	Ibid.	Sabellij hæresis.	88
Pusilli in Ecclesia qui.	850	Sacerdotes ordinarij.	25
Q uadragenarij numeri perfectio.		Sacerdotes omnes sumus in Christo.	Ibid.
Quantitas animæ est charitas.	28	Sacerdotes prolixius orare De-	
R atio ordinis catalogi.		bent exemplo Christi.	230
Rationes cur Christo data sit A-		Sacerdotes in Christo omnes su-	
poc.	3	mus.	281
Reges terræ qui verè dicantur.	21	Sacerdotum quorundam intole-	
Reges pastores.	162	rabilis malicia.	117
Reges mali.	747	Sacerdotium ordinarium.	26
Reges terræ.	768	Sacerdotium spirituale.	Ibid.
Regia potestas semper cruetâ.	774	Sacerdotium Christi.	389
Regnum Christi ecclesia.	151	Sacramentum quid sit.	71
Regnû cælorum vim patitur.	723	Sacramenti poenitentię & baptis-	
Regna septem montes capita &		mi differentia.	186
reges sunt.	786	Sanctitas nominis Dei.	110
Religiosi perpetuis tribulationi-		Sanctus idem quod iustus.	181
bus probantur.	365	Sanctus quis realiter sit.	256
Reprobationis signa.	253	Sanctus idem qui & iustus.	256
Reprobi execrantur Deum.	289	Sancti Dei persequantur.	231
Reprobi pro mométaneis cur eter-		Sancti sunt Dei regnum.	282
na recipiant.	676	Sãcti an semper perditione aduer-	
Reprobi quotidie damnãtur.	847	sariorum gaudeant.	838
Resurrectio futura mortuorû.	515	Sancti credentes omnes.	850
Resurrectio prima.	897	Sancti omnes reges, quorum rex	
Resurrectio secunda.	Ibid.	est Christus.	870
Resurrectionis secundæ potestas.	898	Sancti volucres cæli.	881
Revelationis necessitas.	439	Sanctorum desiderium de cogni-	
Revelationum genera.	293	tione finis vitæ.	167
Romanum regnum in 10. regna		Sanguis peccatum.	137
diuidetur.	792	Sanguis iustorum requisitus à Iu-	
Romphea.	111	dæis.	321
Ruphus equus tyranni sunt.	299.	Sanguinem bibere.	846
		Salus soli Deo competit.	358.845
		Salus Deo est proprium.	845

T A B V L A.			
Salutatio.	* 383	Sensus Dei quærendus.	784
Sapiens apprehedit sensum rei.	783	Sensus literæ.	1008
Sapientia.	156	Septem dona spiritus.	156
Saphirus cælestis coloris.	967	Septem sigillorum mysteria.	265
Sarda gemma.	156	Septem Christi insignia.	286
Sardis vrbis Lydia.	155	Septem sigilla, tempora septem	
Sardis interpretatio.	355	sunt.	295
Sardius sanguineus.	970	Serpentum ingenium.	445
Sardonix rubore candido.	969	Seruitium debemus Christo	4
Sarraceni qui dicantur.	735	Seruitutes duæ.	997
Satanæ altitudo.	147	Sexta ætas ecclesiæ.	325
Satanæ ligatio.	889	Sigilli apertio manifestatio sec-	
Sciëntia Dei hic nuda cognitio.	77	reci est.	302
Scientia.	157	Signum Dei viui.	338
Scientia gratiam includens.	186	Signa piorum cessare tẽpore Anti-	
Scientia communis trium perso-		christi.	505
narum.	866	Signis cur innexa Apocalypsis.	5
Scorpiones hæretici.	418	Silentium dimidiæ horæ.	373
Scorpio vnde dicatur.	418	Silentij futuri felicitas.	373
Scribi in libro vitæ aut deleri		Siluestri papæ tempore terra ad-	
quid sit.	174	iuuit mulierem.	587
Scriptura sacra cur legenda au-		Sion Ecclesia.	637
diendave.	9	Smaragdus lapis præciosus.	239
Scriptura sacra meditatione & o-		Smaragdus viriditate oculis gra-	
ratione prodest.	Ibid.	tissimus.	968
Scriptura sacra in verbis breuis.		Societas mala, fugienda.	812
456		Sodomitæ de stirpe Cham.	397
Scriptura sacra potus & æsus.	473	Sol Christus.	226
Scriptura sacra aqua & fõres.	724	Sol tribulatio.	360
Scriptura sacra quãdo fit sanguis.		Sol prælati ecclesiæ.	409
726		Sol diuinitas.	880
Scripturæ sacræ commédationes.		Sol fides.	880
725		Solis Lunæ ac stellarum sacra-	
Scripturam sacram in se corrumpi		mentum.	409
non posse.	408	Solaria nulla erunt damnatis.	
Scythia ferax auti ac gemmarum.		841	
968		Solitudo gentilitas.	558
Sedes satanæ.	112	Solitudo disponit ad perfectam	
Senior consolatur Ioannem.		orationem.	384
Seniores qui habendi.	522	Solitudo vita spiritualis.	558

T A B V L A.

Solitudo mundana peregrinatio.	carur. *	762
580	Talenti genera.	763
Solitudo corda sanctorum.	Templum Dei ecclesia.	481
581	Templa manufacta non contem-	
Spes vitæ longioris non produ-	nenda.	983
cenda.	Tempus secundum figuratur.	298
27	Tempus antichristi.	325
Spiritus septiformis.	Tempus Antichristi breuiabitur.	
18	334	
Spiritus boni partes.	Tempus hæreticorum.	402
66	Tempus non erit ultra.	468
Spiritus Dei dupliciter hauritur.	Terra, mare, arbores quid sint.	336
229.	Terra & arbores, plebei & princi-	
Spiritus cur specialiter sanctus di-	pes.	396
catur.	Terra caro Christi.	589
257	Terræ motus tempore Apostolo-	
Spiritus Dei cibus, & potus.	rum.	392
1024	Terreni semper pereunt.	626
Sponsa ecclesia.	Testamentum nouum in nube fi-	
1022	guratum.	583
Sponsus ecclesiæ primus & nouif-	Testamentum vetus non minoris	
simus.	præcij quàm vetus.	305
94	Thronus iudiciaria potestas.	227
Stagnans ignis, inferni profundit-	Thronus sedes iudicij.	849
tas.	Thronus Christi.	906
964	Thyatira ecclesia.	132
Stella matutina Christus.	Thyatira ciuitas Asiæ.	ibid.
152	Timidi qui sint.	939
Stella matutina corpus gloriosum	Timor.	157
fideliū.	Timor domini inculcandus om-	
153	nibus.	665
Stella cadens satan lucifer.	Timor Duplex.	850
413	Timoris duo generæ.	157
Stella cadens hæresiarcha.	Timoræ quæ incutere possint.	666
415	Tonitrua.	392
Stellæ septem angeli septem præ-	Tonitrua prædicatores noui testa-	
lari sunt ecclesiæ.	menti.	461
71	Topazius aureus atharæi claritu-	
Stellæ religiosi.	dine.	972
410	Topazius cõtemplatiuæ vitæ for-	
Stellarum casus.		
327		
Stellarum nomine dæmones dest-		
gnari.		
549		
Stola quid sit.		
357		
Stolæ.		
1016		
Stolæ singulæ datæ animabus san-		
ctis.		
322		
Sultorum cogitatio & vox.		
158		
Subditi computantur in suis præ-		
latis.		
228		
Symeon.		
351		

T

TAbernaculum quid proprie sit. 707
 Talenti nomine omne graue iudi-

T A B V L A.

ma.	Ibidem	Vbera duo Christi.	49
Topazius regibus gratus.	972	Venter memoria.	473
Topazius premit iram, lunaticam		Ventus vrens tribulatio.	328
pellit passionem.	973	Ventus in sacra scriptura quid sit.	
Torcular infernus.	875	335	
Tres immundi spiritus, tria peccata,		Venus dei verbum.	337
mundi.	744	Verbum Dei vehiculum gratiæ.	
Tribulatio pietatis comes perpe-		89	
tuus.	36	Verbum Christi crucis & passio-	
Tribulatio socia iustis.	98	nis.	196
Tribulatio vltima occupatura est		Verbum Dei per pauci vere prædi-	
omnes.	331	cant.	270
Tribulatio virginū castorumque.		Verbi Dei effectus.	107
367.		Verbi Dei multa nomina, ob va-	
Tribulatio cur in finem multipli-		rios eius effectus.	306
cabitur.	698	Veritas triplex, & mendacium si-	
Tribulationis venturæ horror.	333	militar.	1019
Tribulationum causæ.	98	Vestimenta baptismatis.	170
Tribulationum vtilitas.	102	Vestimentorum ablutio & deal-	
Tribulationum distinctio.	365	batio.	171
Tribulationum immissarū causæ.		Verus homo exuendus.	170
611		Veteris ac noui testamenti discre-	
Tribulationibus agitari necesse est		pans concordia.	49
sanctos.	70	Victor columna in templo Dei.	
Trinitatis confessio.	17. 255	199	
Trinitatis explicatio realis.	258	Victor quis sit.	939
Triticum noui testamenti typus,		Victori esus ligni vitæ promitti-	
hordeum veteris.	305	tur.	90
Tuba quid in mysterio sit.	375	Victoribus tria promittuntur.	173
Tuba prædicatorum vox.	852	Victoria signum prædestinationis.	
Turca ignis & sulphur.	442	175	
Turca semper contra Christū.	734	Videre pro intelligere.	283
Turcarum origo.	310. 591	Vinum purum præsens tribulatio.	
Turcarum sæuitia.	313	673	
Turcarū primus imperator, & alij		Virga ferrea debet esse in ecclesia.	
numerantur.	591	151	
		Virginitas non à natura, sed à pro-	
		posito commendabilis.	652
V eh.	412	Virginitatis fructus permaximus	
Vah quid significet.	431	& præciosissimus.	654
Valens imperator Arianus.	404		



T A B V L A.		
Virgines vtrum maioris sint me- riti.	649	malum. 564 Vomitus per tepidum liquorem.
Virtus sine mixtura mali proba- tur.	114	211. Vox magna magni desiderij ty- pus. 284
Virtutes quatuor cardinales.	959	Vocem post se audire. 40
Vitæ nouitas quid sit.	70	Vfus clauium tanquam agens in- strumentale. 184
Vitæ libri duo.	175	Vfus clauium in tria necessarius.
Vitæ puritas seruanda.	989	185
Vitelij interitus.	789	Vterus mens. 543
Vmbilicum præcidere.	707	Z
Vnum pro primo poni cõsuetum.	295	
Vocatio duplex.	199	
Voluntas determinat bonum aut		Zabulon. 352

ARGVMENTVM LIBRI TOTIVS.

TOrus hic liber Apocalypsis constat ex Proëmio, & Narratione. Proëmium est quicquid ab initio vsque ad id. Ego Ioannes frater vester &c. ponitur. Narrationem prolixiori lectione exequeris vsque in finem operis. In qua septem principales visiones continentur. Prima incipit cap. 1. Ibi Fui in spiritu. Habet autem hæc septem epistolas, in quibus plenissimè traditur quicquid ad verissimū Christianissimum pertinet. Secunda incipit cap. 4. In qua sunt sigillorum mysteria. Tertia cap. 8. quæ habet septem Angelos tuba canentes. Quarta cap. 12. de muliere amicta sole, Draconeque mulierem insequente, ac de ore flumē aquarum post fugientem in desertum locum mittente, Item de bestiis mari terraque ascendentibus. Quinta cap. 15. de effusione septem phialarum iracundiæ Dei viuentis, & de mari vitreo igni mixto, deque his qui vicerunt bestiam, & eorum laticia cantantium carmen laticię agni. Sexta cap. 17. in qua describitur Babylon, & agitur de illius, ac bestiarum, draconisque condemnatione. Terrore eorum, qui pereunt, consolatione qui salui sunt. Septima cap. 21. quæ est de sabbato, & gloria, quam electi habituri sunt sub illud tempus, & in sæculo futuro.

CAPVT PRIMVM



CAPVT PRIMVM. DE TI-
TVLO LIBRI. SECTIO. I.
punctus. 1.

AP O C A L Y P S I S Iesu Christi. Sanctus apostolus & euangelista Ioannes sicut mandatum acceperat à christo pro ecclesiarum consolatione, scripturus ea, quæ illi à deo fuerant reuelata, rectè ab hoc Titulo auspiciatus est, quo quid primum scriberet indicauit, ita dicens: Apocalypsis Iesu christi, id est, reuelatio Iesu christi. Græca enim vox est Apocalypsis, quam tradunt ex autoritate Diui Hieronymi nouam à septuaginta interpretibus fuisse repertam, quo commodius sermonis hebraici proprietatem exprimerent. Confine enim huic est vocabulum illorum, quo abdita prius rei notant reuelationem. Reuelati itaque mysterij nomen est Apocalypsis, simul augustum ac venerabile, quo nota sunt abscondita: alioqui frustra diceretur Apocalypsis, vbi nihil reuelaretur. Quo etiam verbo præclarissime ostenditur cuius sit hæc Apocalypsis, nempe Iesu christi. Quare Iesu christi? quia de eo, atque ab eo sit. Ipse enim eam per angelū suū manifestauit, ideo ab eo: de eo autè, quia omnium quæ in hac sacra Apocalypsi continètur ipse est scopus & fundamentū certū. Non quidem negamus complura esse & ferme omnia quæ de ecclesia dicuntur, tamen quia ecclesia est corpus illud, cuius ipse est caput, vt per pulchre. Ephe. 5. 2. Col. 1. exprimitur, rectè appellatione capitis etiam totum corpus accipitur: vnum quippe sunt christus & ecclesia. Proinde sic nonnulla in scriptura sacra de christo dicuntur, vt tamen eadem de ecclesia quoque intelligantur: quemadmodum Luc. 2. dicitur. Christus positus est in signum, cui contradicetur. Neque enim soli capiti christo, sed etiam corpori, quod est ecclesia, ab incredulis contradicetur. Et quod Luc. 24. scriptum est, oportuisse Christum pati priusquàm intro-

Apocalypsis quid sit libro 1. commentarior in epist. ad Galat. ad cap 1. Apocalypsis quare Iesu Crispi dicatur. Socrates lib. 1. historie ca. 9. refert Constantinū omnium eorum qui conueniant in Concilio Niceno sententiā Deū vocasse. Et dixisse vocē ecclesie vocē esse Dei per illā loquentis. Quæ dicitur de ecclesia intel- liguntur.

ret in gloriam suam: idem est & de ecclesia sentiendum. Si enim compatimur & conregnabimus. Roma. 8. Iam verò quid causæ sit truncati huius sermonis, quo dicitur Apocalypsis Iesu christi, exquiramus. Eni uero explanatius legeretur, si adiecisset particulam, hæc est. In hunc modum: Apocalypsis Iesu christi hæc est. Sed utiq; mos scripturæ sacræ est in hunc modum capere principium, unde nec Salomon, quum parabolæ suas inciperet, ait, hæc sunt parabolæ Salomonis: Sed tantum, parabolæ Salomonis. Nec dixit, hæc sunt verba ecclesiasticis regis Hierusalem, sed tantum, verba Ecclesiasticis regis Hierusalem. Sic Esaias quoque vates egregius quum volumen suum illud magnum & eximium inchoaret, duntaxat dixit, visio Esaiæ. sic & reliqui, qui omnes subintellectione necessarias docuerunt ad sententiæ complectionem. Quum ergo dicitur, Apocalypsis Iesu christi, subintelligere debemus relictam particulam, hæc est. Summa verborum est. Apocalypsis Græca vox est, significat autem reuelationem: quam septuaginta interpretes repererunt pro expressione Hebraicæ vocis in sua proprietate. *Quæ* Iesu christi idcirco dicitur, quia ab eo est hæc reuelatio, & de eo, etiam si de ecclesia sit, tamen ipse est caput ecclesiæ: & sic pro vno cõputantur Christus & ecclesia, tanquam corpus & caput.

Punc. 2.

Quam dedit illi Deus palam facere seruis suis.

Vt videre est apud Eusebium Pamphilum lib. 1. historie ecclesiasticæ cap. 1.

Christus ut homo accepit omnia à patre.

Christus ut est vnus cum patre Deus, ab eo ante sæcula genitus sine principio, nihil accepit in tempore à patre: sed semper, & in æternitate natus à patre, idẽ prorsus illi, ab eo nunquam diuisus, viuens in patre, & pater in eo, natus absque initio & tempore, simplicissimus, infinitus, immensus, ita ut nihil addi possit, siue virtutis, siue potentia, dignitatis, sapientia, magnitudinisve. *Quid* ergo est, quod dicitur, *Quam* Deus dedit illi, nõ dubiũ, quin Christo. Verũ intellige iuxta hominem Christũ, cui omnia reuelata sunt à deitate. Christus ut Deus nihil accepit in tempore à patre, qui semper idem fuit cum patre. ut verò homo, accepit omnia. Omnia mihi inquit, tradita sunt à patre meo. Matth. 11. Ioan. 10. Pater quod dedit mihi maius est omnibus: maius, id est, potentius. loquens Iudæis de præsidio suo diuino, quo tueri possit

oues suas, id est, electos, aduersus quosuis imperitiores: Ecce habes, unde sit hæc sancta Apocalypsis, quia à deitate. Habes item cui data sit, quia homini Christo. Restat inquirere cur Christo data sit. Ad hoc duæ promittuntur ex sacra scriptura causæ. Prima est, quia ipse est solus mediator. 1. Tim. 2. qui interpellat pro nobis, Hebre. 7. Estque aduocatus noster. 1. Ioan. 2. Qui ad multorum exhaurienda peccata oblatas est semel. Heb. 9. Erupitque nos de potestate tenebrarũ. Col. 1. Oporruit ergo ut per eundem cõsolaretur ecclesia sanctorum relicta in terris, nuper sacro sancto quæstra sanguine. Secunda, quia ipse est rex constitutus à deo, & dominus, ac hæres viuientiorum. restatur. D. psaltes psalm. 2. & .44. & .88. paulus idẽ scribit Heb. 1. Est & caput ecclesiæ, Col. 1. Et quia administratio regni ad illum principaliter pertinet cuius est: recte deitas reuelanda Christo dedit quæ maxime pertinebant ad eiusdem regni administrationem. Nota, serui christi sunt vere fideles, qui eius voluntati parẽt, & voluntarie seruiunt illi: quique illi addicti sunt. Quo sensu Paulus Roma. 1. seruũ se christi nominat. Hi sunt paruuli verèque humiles, mansueti corde, patientes, quibus pater summus secreta sua reuelat, aperit magna: quæ à magnis, ac sapientibus abscondit. Matth. 11. Luc. 10. His paruulis sapiẽtiam præstat, ex legis suæ testimonijs, Psal. 18. eidem tribuit intellectum, Psal. 118. Comuni quippe appellatione serui sunt omnes christi, qui fidem habemus in illo, redempti per illum. Serui autem nõ legis oneri addicti, sed vera libertate donati. Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, vere vos liberi eritis. ut nõ vltra pauentes cõscientijs legis seueritatem exhorreamus, sed libera pacatæque mente illi seruiamus in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Luc. 1. Sublata nanque legis maledictione, qua olim premebamur: subsequuta est gratiæ benedictio, scilicet spiritus fidei, per quem cõscientia nostra pacata est, dicente deo olim per Malachiam, Erunt mihi in die, qua ego faciam, peculium, ut parcam eis, sicut parci quisque filio seruienti sibi. Religionis itaque vocabulũ est hic seruus non micipij: amoris, nõ timoris: honoris, non vilitatis: nobilitatis, non ignobilitatis: decoris, nõ dedecoris. quo quis-

Rationes cur Christo data sit Apoc.

Conscientia nostra pacata per fidem.

*Seruitiū de-
bemus Chri-
sto.*

que fidelium se proprie seruum christi appellabit, Ob-
serua, Nos duplici iure seruitium debemus Christo. Pri-
mo quia per ipsum creati sumus: iure ergo creationis,
quo vniuersus orbis obstrictus est illi: & quæ in eo sunt,
ecclesia quoque. Secundo quia redempti, Col. 1. In quo
habemus redemptionem, & remissionē peccatorum: qui
est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ,
quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cælo & in ter-
ra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes,
siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in
ipso, creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia constāt
in ipso, & seruantur per ipsum. dicente Paulo, In ipso e-
nim viuimus, & mouemur, & sumus. Act. 17. Punc. 3.

Que oportet fieri cito.

De quibus data sit Apocalypsis, his indicauit verbis,
quæ scilicet cito obuentura erant, præter illa quæ iam
cæperant. iam enim tum passim affligebantur martyres
Christi, ergo initia istorum, quæ hic reuelantur, tempore
huius reuelationis iam cæperant, & non desierūt, nec des-
sinent quoad finiatur orbis. Neque enim à Christo passo
aliquid sacrum est in ecclesia, aut sit nunc, fietque postea
in finem sæculi, de quo vel summarim non agatur in hac
sacra Apocalypsi, quæ cito fieri oportere dicuntur. Anti-
quus codex incerto authore habet, cito. id est in præsentī
tēpore, quod torū cita volubilitate decurrit. Omne enim
vitæ præsentis tempus æternitati collatum, quasi vnus
horæ paruissimum est momentum. vnde idem Ioan. in
epistola sua dicit, filioli nouissima hora est, sane totum
tempus à Christo passo vsque in finem indicans. Præte-
rea, quod cito fit, pro natura rei, breui tempore fit: & id

*Esto euenient
certo, non ta-
men necessa-
rio vt Iusti-
nus Martyr
questione 18.
pro Christiani-
s aduersus
gentes opti-
mis rationi-
bus cōfirmat.*

quidem multo rectius coram domino, ante cuius oculos
mille anni sūt velut dies hesternæ quæ præterijt, Psal. 89.
Et. 2. Per. 8. Magna sunt, & multa, quæ hic præsignantur,
quæ singula hac nouissima hora fiant oportet. Quicquid
questione 18. ergo prædicitur, præsignatur, cito implebitur secundū
inuariabilem & æternam dei præfinitionem, in tempore
hoc, quod in arcanis literis temporis plenitudo vocatur,
id quod verbū, oportet, indicat. Quod perinde est atque
diceret, fieri nequit, vt non suo tempore eueniant quæ-
bus in libro reuelantur. Christi enim verba sunt, qui

ait, Cælum & terra transibunt, verba autem mea nō tran-
sibunt. Lu. 21. Duo hic accipe. Primum quia tribulatio-
nes bonorum breui finiantur, breui coorta. Secundum *Signis cur in-
nexa Apoc.* *Et Clemens*
quia tormenta malorum nequaquam terminabuntur, e-
tiam si breui inchoentur. Proinde valde hæc metuenda, *Alexand. lib.*
6. *Stromati-
lla* vnde adeo non metuenda, vt amplectenda sint etiam *ton ait ne
ob copiam gloriæ quæ manet iustos. Consentaneum ita-
que fuerit, vt dum tēporaliter, aut affligitur aduersis mi-
lites christi, aut demulcetur blandis: statim recogitet mo-
ter accipiētes*
mentaneam temporis istius breuitatem, & quam ocyl-
sime cuncta transeant, siue sint læta, siue tristia: denique *ea quæ à spi-
ritu sancto di-
& quam cito appetant, que sunt sine fine post hæc mālū-
ta sunt salu-
ra, vt non prosperitatibus malorum inuideat, non mire-
tur inter aduersa bonorum.* *caruer, quod
Punc. 4. Et confirmat*

Et significauit mittens per angelum suum seruo suo Ioanni. *Basiliius Ma
Quia in hoc data fuit Christo à deo Apocalypsis, vt gnus lib. de
palam faceret seruis suis, è quibus vnus erat Ioannes iste
ss. cap. 27.
& ita vnus, vt specialiter dilectus, cui dignatus est chri-
stinus per angelū reuelare, nō plane, sed in signis, id quod
August. lib.
verbum significare demonstrat. Significare enim est, per
20. de ciuita-
signa demonstrare. Significauit ergo, id est, signis qui-
te Dei cap.
busdam, rerūque imaginibus recta mysteria ostendit. 17. In lib. cu-
Quare: ne videlicet cunctis manifesta vilescerent: Solet ius nomen est
enim minus preciosum haberi æstimatione, quid cuius
Apocalypsis
obuium sit & apertum. Sic natura sagax penitus terræ in obscure mul-
uenis ab didit quæque præciosiora sunt, vt aurum & ar-
ta dicuntur vt
gentum, gemmæque nitentes. Sic dominus quoque præ-
mentē legētis
cepta vtiliora parabolarum inuolucris contexit. Neque
exerceant. Et
veto id præcedenti dictioni repugnat, vbi dictum est, pa-
pauca in eo
lam facere seruis suis. Sunt nanque quibus parabolæ of-
funtur ex quo-
intelligendi materiam multo copiosiorum præsent, ve-
statione in da-
luti dignis, & electis: domino dicente. Vobis datum est
gentur cætera
nosse mysterium regni dei, cæteris autem in parabolis, vt
cum labore
videntes non videant, & audientes non intelligant. Lu. hac etiam ra-
8. Marcus exprefius ponit, qui sint cæteri, quibus para-
tione. d. Ire-
bolarum velamen objicitur dicens, Illis autem qui foris
nus lib. 4.
sunt in parabolis omnia fiunt, vt videntes videāt, & non
cap. 43. no-
videāt: & audiētes audiant, & nō intelligant. Mar. 4. Ser-
cat Christiū
uis suis dixit hoc verbum Christus, Omnia quæcumque thsaurū in*

agro absconditum, i. in scripturis.
*Preiosa ab-
 duntur. Pa-
 rabola regit
 & sensu dis-
 fundunt.*
*Christus ma-
 ior etiam iux-
 ta hominem
 angelis.*

audiui à patre meo, nota feci vobis. Ioan. 15. Hinc habetur ecclesie sue mysteria signis innexerit Christus, ne videlicet reprobi intelligant, velut indigni, quæ pijs pleno spiritu capiunt, qui scrutantur testimonia eius, & in toto corde exquirunt illum, non dubium quin deum, quibus cuncta vult esse aperta. Nam & Ioani huic cap. 22. infra dixit. Ne signaueris verba prophetie huius libri, quod perinde est atque diceret, Ne sigillaueris, signum enim sigillum est. Quo sensu Dani. 12. dicitur vade quia clausi sunt signatique sermones vsque ad tempus presinitur. Porro quod Christus miserit angelum suum paderere hæc Ioani quæ habet Apocalypsis, intellige ipsum etiam iuxta hominem modo maiorem esse angelis, qui habet potestatem super omnia ex patris collatione. Matth. vlti. Minor erat antequam mortem oppeteret, quem in passionis tempore angelus confortabat. Lu. 22. de quo psalmographus ait, Minuisti eum paulominus ab angelis, Psal. 8. Maior tamen posteaquam resurrexit: quando gloria coronatus & honore, constitutusque est super omnia opera dei. Minor quando vermis, & non homo, opprobriumque hominum & abiectio plebis erat. Psal. 21. quando factus est pro nobis redimendis maledictum. Gal. 3. Maior quando deus exaltauit eum: & donauit ei nomen, quod est super omnem nomen. Phil. 2. tamen si semper, iuxta quod deus, maior erat illis. * Punc. 5.

*Passione mi-
 nor angelis
 exitit maior
 autem gratia
 plenitudine
 vt Aug. pla-
 cet Enarra-
 tione in Psal.
 8.*

*Qui testimonium perhibuit verbo dei, & testimonium Iesu
 Christi: quæcumque vidit.*

Ne de persona Ioannis ambigeretur, ipse est, qui testimonium perhibuit verbo dei æterno, & eidem incarnato, prout vidit. Græcum exemplar habet, Qui testificatus est verbum dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcumque vidit, distinctius cerre & clariori sententia. Quia enim apud eos, verbum, & testimonium: eiusdem sunt casus, oportuit ad quoduis coniunctionem, & addere, vt sit, quæcumque, tertius accusatiuus à verbo testificatus est dependens. D. Haymo verborum contextui interponit, pronomen cum præpositione, in his, hoc pacto. In his quæcumque vidit: quod & vetus codex habet: quod in

his quæcumque vidisset, testimonium perhibuisset Ioannes verbo dei, & christo homini assumpto per verbum dei. Ipse siquidem sublimius de diuinitate scripto & verbo prædicauit, quum cæteri circa humanitatem occupati pauca de eius diuinitate attigerunt. Nã & in initio euangelij sui ab alto innotuit, dicēs. In principio erat verbū. Quumque veritatem diuinitatis plane declarasset, descendit ad humanitatem in vnitatem personæ eam ponens. Et verbum (inquit) caro factum est. Ioan. 1. Qui idem epistolam suam ita exorsus. Quod fuit ab initio, quod audiuius, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est: & vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. 1. Ioan. 1. Item Ioan. 19. Et qui vidit, testimonium perhibuit. Et. 20. Hæc autē scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius dei. Et. 21. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his. Sed de testimonijs quæque quæ fecit Iesus coram Iudeis, de se & patre suo, præclarissimè scripsit. Punct. 6.

*Ioannis testi-
 monium de
 verbo vitæ.*

Beatus qui legit: & qui audit verba prophetie huius: & seruat ea, que in ea scripta sunt.

Magnum meritum, magna merces. Beatus qui legit, & qui audit. Ecce tam lectori quam auditori merces beatitudinis ex merito officij promittitur, qua neque dignius: neque magis appetendum quippiam esse potest. Ad id namque nostra cupiditate omnes tendimus, ad id peruenire nitimur vt bene simus. Inserta est enim nobis veri boni cupiditas. Nostra autē beatitudo duplex est, via vna, *Beatitudo du* altera patriæ. Via illa est quæ caret peccato. Patriæ, quæ *plex, via e* expers est omnis miseriæ, vt nulla hic metio fiat de mû- *patriæ.* dana beatitudine, quam vulgus insensatum sequitur: quæ *Eius distin-* vtique nulla est: nec si quando appareat, beatitudo dici *ctonis au-* potest, eo quod nullus sit in mundo status, nulla condi- *hor est* tio, nulla adeo tanta felicitas, quæ contrariorum aliqua *ustimus lib.* amaritudine aspersa nõ sit. In via beati sumus per fidem, 10. *confessionem* in qua est victoria nostra super peccato, morte & infer- *cap. 20.* no. In patria per gloriam futuri sumus beati, in qua sta- *Vt vult Boe-* tus est omnium bonorum aggregatione perfectus: quo *tius lib. 3. de* adepto amplius desyderari nihil potest, in quo omne *consolatione*

philosophia profa. 2. August. lib. 13. de trinitate cap. 5. quod vult quisque habet, & nihil male vult: hanc praua hac beatitudine, in qua modo fide stamus assequuntur sumus, quam promouere atque in nobis rite stabilire poterimus lectione, & auditione scripturae huius, quae vere propheta est: eo quod annunciet ventura, aut praesentium sacramenta manifestet, nonnunquam & praeteritorum recordationem producat ob oculos. Obserua, potest quis in hac vita perfectus esse fide, sed non beatitudine: quia mortale hoc corpus circumferimus, in quo imbecillitas magna circumligata nobis est, qua liberi esse nequimus, quantumuis fide firmi simus. Beatitudo ergo fidei quodammodo imperfecta est in nobis. nam & ipsa euacuabitur perfecto adueniente. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, quum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Denique videmus nunc per speculum & in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc enim cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. 1. Cor. 13. vt verum sit, quia nemo est beatus in hoc mundo, iametsi initia quaedam beatitudinis illius iam acceperimus in nobis per fidem, quali beatitudine praedicat fore beatum legis dei obseruatorem. D. psaltes, quum dicit. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit. Psal. 1. Consilium praua suggestio impiorum est, aduersatrix diuinae legis: via peccatorum operatio mali proueniens ex suggestione. Cathedra pestilentiae est consuetudo in opere malo, quae sua peste alios corrumpit, a quibus rebus quicumque alienus fuerit, beatus est. Sed non adhuc ita perfecte beatus, vt miser esse non possit: Neque enim gloriae, quam bonorum omnium aggregatione perfectam esse diximus, fructu suauiore potitur, id quod nemini in hac mortali vita contingere potest. Beatus tamen est, qui legit & qui audit verba prophetiae huius, & seruat ea quae in ea scripta sunt. Et certe satis superque ille beatus erit, qui his consentit, quae in hoc opere docentur, vt in vniuersum innocens denique fiat, deoque acceptabilis: & consensu omnium vita gloriae dignus. Vbi simul considera auctoritatem illud Tertullianus praeclearam intentionem. Namque in hoc proemio redere conatur auditorem lectoremve commonitum, vt in

Hic obseruandum illud Tertullianus in lib. ad

primis attentus sit in commodi ostensione dicens, Beatus qui legit, & quae sequuntur. Quis enim ad propositam beatitudinis mercedem non erigatur? quis non festinet? quis etiam non pro virili parte eluctetur ad illum, qui ad hunc sequitur summum honorem, summamque gloriam? Sic moyses olim populum dei velut classico quodam excitaturus ad capeendam virtutem, beatitudinis nomine proposito illum in primis ornat dicens, Beatus es tu o Israel: quis similis tui popule qui saluaris: Deut. 33. Erat populus ille durus, & praecipuus ad omnia praecipua dei contemnenda, vt pote carnalis, & qui facile ad idololatriam deflueret: blandimentis idcirco delinendus erat, quibus mulceretur, alioqui durus inflexibilisque. Sic modo nisi proposita mercede vix praecipuus quantumuis salutaribus paremus duricia nostra obsistente, quos non excitat nisi praesentia aut sub certa pollicitatione promissa bona. Graeca exeplosia in modo coniunctiuo haec verba habet, legerit, & audierit, parum tamen refert quomodo sensus idem sit. Lectori namque & auditori eque promittitur beatitudo, illi tamen qui seruat ea quae in hac propheta scripta sunt. Porro maior est auditio quam lectio: neque enim legendi facultas contingit omnibus, tantum qui literas norunt. Audire autem quiuis & potest & debet, nisi surdus sit. Legit itaque literatus, vt doctior euadat: imo vt doctoris aliquando vices obeat, aut ex se praebear exempla virtutis. Illiteratus audit vt sciat quod per se non potest legere, quatenus & ipse quum opportunum fuerit, in causa salutis proximi doctor esse possit. Neque enim alia ratio adhibenda est in lectione siue auditione homini ad beatitudinem festinanti, alias curiosi vitium minime effugerit. Si enim scire quispiam tantum velit, & ideo sagittat aut audire aut legere (quorum seges permaxima est) quid amplius fure dominici talenti facit: Sed enim uero siue lectio siue auditio tum in primis proficiet, sit adsint illi meditatio & oratio quibus veluti duabus alis mens nostra erecta in deum quaerit sensum penitioris spiritus: alioqui frustra fiet conatus omnis: quia veritas id est arcanum illud summi dei, quo beatus quisque futurus est, neque ingenio neque proprijs sensibus valet apprehendi. Quod si consilia & dispositiones illius summae maiestatis co-

martyres & Hieron. ad latam. si tati vitrum quid non margaritam.

Scriptura sacra cur legenda audienda ve.

Scriptura sacra meditatione & oratione prod. st.

Assertore. d. August. lib. 1. de doctrina christiana cap. 39. Cum quisque (ait) cognouerit finem precepti esse charitatē de corde puro & conscientia bona & fide non ficta omnem intellectū diuinarū scripturarum ad ista tria relaturus ad tractationē earum securus accedat: & lib. 1. de moribus ecclesie cap. 7.

Conscientia pura accedendum ad scripturę sacrę intelligentiam.

Vt Hierony. ait in Epistola ad Letā Orationi lectio & meditationi succedat oratio.

gitatio assequeretur humana, quid (oro) inter deū hominēque distaret: quod quia fieri non potest, ut homini per seipsum ratio innotescat diuina, operepretium fuerit lumen sapientię ab eo requirendum, quo sine doctrina omnis mulcipula deceptrix est, ac mera perniciēs. Daniel. c. 2. legis, Deus ē cęlo reuelat mysteria. Sapiens dicit. Sensum tuum domine quis sciet, nisi tu dederis sapientiā, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis. Sap. 9. Psaltes predicat, Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Psal. 93. Ad hęc valde tibi necessaria erunt, candor pectoris, puritas quoque conscientię. Scriptum est enim: quia, In maleuolam animam non introibit spiritus sapientię, nec habitabit in corpore subdito peccatis, peruersę enim cogitationes separant a deo. Sap. 1. Id ergo primum quisque viderit, ut purus sit a crimine, & sanctus, ut sit de regno dei, & de regno cęlorū. Quod tum fiet si habeat in se arationem electorum, Nempe spiritum Christi testatē spiritui nostro, quod sumus filij dei, clamantem plena fiducia, abba pater. Ro. 8. quo factus spiritualis omnia diiudicat. 1. Cor. 2. Tunc certe dulcis & grata erit prophetię huius, & omnium dei eloquiorum & lectio & auditio: experieturque ille, quisquis fuerit, quā suavis sit dominus cordi per verba infusus, & quā verū sit illud euangelij, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod præcedit de ore Dei. Matt. 4. Deuter. 6. Ut protinus exclamet, & dicat, Quā dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel oris meo. Psal. 118. Ergo qui verba dei vel audit vel legit, oret simul ac meditetur: quę coniuncta vtilia sunt. Et sicut oratio fidelem exigit meditationem, ut cum fructu exerceatur, sic meditatio orationem, ut cum sapore sentiat. Et qui orat, id faciat ex directione eorum quę audiuit aut legit: atque ex ipsorum meditatione intensissime oret semper, ut non abscondatur veritas sermonum dei. Et qui meditatut iuxta sermones ipsos lectos auditosve, cō sancta oratione id faciat, ne inutilis fiat labor, aut erroneus. Iunctim itaque debent esse duo hæc, oratio & meditatio, siue ad lectionem, siue ad auditionem, ut cum gustu & fructu spiritus sentiantur. Quod qui facit, beatus erit, quod bene illi erit in omnibus, & videbit magnalia

dei, & delectabitur suauissimo gustu spiritus dei, & exultabit cor illius in deo salutari suo, ob agnitam bonitatē eius, & voluntatem & gratiam, & fidem quę in eo est, & spem liberationis ab omnibus malis: & quod mendaciū contereret, & vincat toties oppressa veritas. Deniq; quod necesse sit omnia poni sub pedibus Christi, & electorū eius, ut cunq; iactent ceruicem inimici: & quod perderit regnum christi in æternum: ipseque regnabit cum Christo in sæcula intermina: videbitque faciem dei, & gloriam eius. Quis hic enumeret singula ad veram beatitudinem pertinentia, quibus cumulatifsimē ille dotabitur quisquis pie ac sinceriter legit, interpretatur, auditque verba prophetię huius, ac omnium scriptorum dei? Etenim per verba prophetię omnem scripturā debemus intelligere, quę diuinitus reuelata est. Nolo hic disputare de prophetia trium temporum, præteriti, præsentis, & futuri, satis sit prophetiam esse scripturam diuinitus reuelatam, cuiuscunq; temporis, hoc est in quocunq; tempora reuelata.

* Punct. 7.

Tempus enim prope est.

Quod tempus, aut quale tempus? Respondeo, prophetię huius implēdę: quod idcirco prope esse dicitur, quia tunc iam aliqua eorum, quę prædicuntur inceperant, aliqua mox futura erant. Hoc enim prophetis prope peculiare est omnibus: ut qui prædicunt, proxime implēda esse asseuerent. Sic Abacuc. Si moram fecerit expecta eū, quia veniens veniet & non tardabit, cap. 2. Sic alibi. Prope est ut veniat, & dies eius non elongabuntur. Sic Ierem. 30. Ecce dies veniunt, dicit dominus, & conuertam conuersionem populi mei. Sic Esa. 30. Ecce dominator dominus exercitum auferet a Hierusalē, & a Iuda validum & fortem. Et alij. Nemo autem est qui ambigat Ioannem prophetam esse in hoc opere, vatēque futurorum: ut quum tempus euentum prope esse dicat: meminerint vniuersi quā iustissime viuere. Quæ verò ratione temporis subita breuitas indicat, hæc enim est potentissima consolatio iustorum aduersus omnes tentationes, pericula, tribulationes, aduersitates, atque impetus validos, quod tolerantia: eorum breue sit omne tempus, quod

Non absimilia habet. p. Cyprianus epistola. 3. ad Cornelium lib. 1.

Hiere. 36.

Hieronymus lib. 1. aduersus Iouianum.

Ioannes Apostolus & euangelista & apostolus quę scripsit ad ecclesias ut manerint quā iustissime viuere. Quæ verò ratione temporis subita breuitas indicat, hæc enim est potentissima consolatio iustorum aduersus omnes tentationes, pericula, tribulationes, aduersitates, atque impetus validos, quod tolerantia: eorum breue sit omne tempus, quod dicit enim in

Pathmos insula, Apocalypsim insinua futurae mysteria continentem

Omne tempus toleratia breue in hac vita.

statim aeternitas excipiet, ac si dicat. Esto, intentent aduersarij dira, minentur aspera, obstrepat & mundus hic, vertat ima summis: vos tamen fortes estote, sustinete, expectate parumper: breue etenim, & admodum breue est oim eiusmodi maloru tempus, per quod affligimini. Reuelatio dñi proximo est, qui dñi venerit, glorificabit vos. Sic & apostolus hortatur. Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem: adhuc enim modicum, aliquantulumque, qui enim venturus est veniet, & non tardabit. Hebræ. 10. Item. 1. Petr. 1. Qui in virtute dei custodimini per fidem in salutem paratam, exultabitis modicum si oportet nunc contristari in variis tentationibus, vt probatio fidei vestrae multo preciosior sit auro. Haymo episcopus, Tempus (inquit) iudicij prope est, quando redditurus est dominus unicuique iuxta opera sua, quasi diceret, felix, nimiumque felix: qui fidei sacramentis initiatus, quæ in his iubentur custodit: quæ vero prohibentur minime præsumit: quia & obseruationis tempus non diu protelabitur, & retributionis dies quodammodo in ianuam est. Locus admonet, vt prudentes simus & constantes, quatinus aduersus omnes fortunæ insultus immobiles persistamus. Adiuuat autem spiritus, nempe sanctus, infirmitatem nostram: quo herculanis ac giganteis viribus animos nostros obfirmemus vt non terreamur, non malis cedamus. Apłi Pauli contestatio est. Fidelis est deus, qui non patietur vos tertiari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tertiariatione prouentum, vt possitis sustinere. 1. Cor. 10. Quod perinde est atque diceret, Non modo bonus & clemens, & ad ferendam opem propensus, sed etiam fidelis & verax: qui in promissione neminem fallit, proinde nihil dubium quin præstet quod promittit: misericordiam promittit, quam illi fidentibus præstabit. Ita enim loquitur apud Esaiam in cap. 66. Quomodo sit cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, vt non varia animo vertentes deficiamus, quin potius in propositam nobis mercedem erigamur, festinemusque.

DE SALVTATIONE IOANNIS
ASIANIS FACTA, QUIBUS DIRIGI-
tur. Sec. 2. Punct. 1.



Ioannes septem ecclesijs que sunt in Asia. Totæ hæc Apocalypsis vna epistola est, quem non modo Asianis, sed æque omnibus credentibus in toto orbe dirigitur: cuius saluatio hic exorditur. In qua primum scribentis nomen ponitur: deinde qui salutantur indicatur: & quid eis optet, & vnde id. Postremo insignia quædam de domino Iesu christo ostenduntur. Quis verò Ioannes iste sit diximus, nempe ille electus apostolus, cui quoniam in sortem obtigerat minor Asia, quæ sibi fuerant pro vniuersis ecclesijs reuelata Asianis hisdem conscripsit. Locus ostendit ac docet, quo quum omnibus salutem, & cupere, & querere debeamus, maxime tamen his, qui nostræ fidei crediti sunt: Paulo apostolo pronunciantem, Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 1. Timo. 5. Porro quod hæc quæ dicuntur etiam alijs quàm Asianis conueniant, nomen Asiæ indicat. Asia quippe elatio interpretatur, quod sæculum hoc late vastum elatumque exhibet, de quo dicitur illud, Mirabiles elationes maris. Psal. 92. in quo fidei vnitatem firmiter compacta velut nauis iactatur ecclesia septiformi spiritu roborata. Hæc sunt mystice septem mulieres vnum virum ambientes, quæ dicunt, panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris cooperiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos. Augustinus Esay. 4. Porro septem ecclesie, quibus scribit Ioannes, figuram tenent omnium ecclesiarum, quæ per vniuersum mundum dilatatae sunt. Septenarius enim numerus frequenter in sacro eloquio pro vniuersitate capitur. vir aurum septenarium quem mulieres desiderant est Christus Iesus, cuius nomen inuocatum est super omnes, Iere. 14. Vestimenta se perfectissimi ornamenta sunt virtutum. Panis, eucharistiæ sacramenti, cuius nomen, cuius asti qui est panis noster, id est, filiorum: est & verbum dei, & consolatio spiritus.

Asia elatio interpretatur.

Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 31. numerum vult esse septenarium quem mulieres desiderant est Christus Iesus, cuius nomen inuocatum est super omnes, Iere. 14. Vestimenta se perfectissimi ornamenta sunt virtutum. Panis, eucharistiæ sacramenti, cuius nomen, cuius asti qui est panis noster, id est, filiorum: est & verbum dei, & consolatio spiritus.

Punctus 2.

Gratia vobis, & pax.

Libenter hanc gratiæ oblationem omnes æque suscipiant. Lactatius

*lib. 7. insitu-
rio cap. 14.
per septē stel-
las erraticas
numerum se-
ptenariū ab-
soluit.
Gratia quid
sit.*

*Pax conscie-
ntie securitas.
Fides gratia
iustitia sese
consequuntur.*

*Quare Apo-
stolus in om-
nibus suis epi-
stolis gratiam
preponit paci-
nam ab eadē
oritur pax.*

*Pax Dei su-
pra sensum
carnis.*

pere debemus, qui ex septena dei sumus ecclesia, quibus semel data est gratia per Christum. Græci dicunt charis: quod est festiuitas, vel iucunditas aliquid acceptantis: quod nos suauius gratiam dicimus. Est autem gratia fauor diuinus, quo per christū pro charis habet nos deus, in quibus festiuius (si hæc loquutio competat) latiusque est idem deus, dum creditur, dum colitur, dum adoratur ut nobis, beneplacitum quippe est illi super timentes se, vt Psalmus testatur. 146. respiciens in nobis faciem Christi sui, Psalm. 83. idēque signis palam facit euidētibz, quum gratis sua munera donat. Oportet ergo fauorem dei Ioannes Asiaticis suis, qua grati sint semper deo, & per hanc pacē habeat cum illo. Quid pax nisi securitas quædā conscientia est, & hilaritas, & gaudium: velut gratulantis sibi gratis condonata esse peccata, vltro oblatam esse salutem. Scriptum est Esa. 31. quia opus iustitia est pax. Ex fide namque gratia, ex gratia iustitia, ex iustitia pax, Ita vt gratia sit per fidem, iustitia per gratiā, pax per iustitiam. Nam non est pax impiis, Esa. 48. quorum cor vt mare feruet. Esa. 57. Confestim namque vt Christus factus est nobis iustitia, factus idem & pax. 1. Corin. 1. & Eph. 2. Enimvero qui fide purificat corda, simul purificat per gratiam, vt de cætero cor nostrum maneat intrepidum etiam inter ignes & ferrum, inter volumina tentationum. vt dicat fidelis. Si consistent aduersum me castra, non timebit cor meum: & si exurgat aduersum me praliū, in hoc ego sperabo. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protegit me in abscondito tabernaculi sui. In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos, Psalm. 26. Quod si carceres, si ægripudines, si exilia, si gladij, si mors trinculenta adsint, semper pax erit viro iusto per Christū: & nihil est quod hanc illi auferat pacem, nihil quod euertat, si vere adsit, si non interne turberur. de qua loquitur apostolus scribens Philippensibus, cap. 4. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, Neque enim caro hanc capiet, neque sensus eius, quæ turbabuntur vt primum ingruerint aduersa. Cordi inserta est, intelligentia quæ vere credentis, hoc est, nō carnalis, sed spiritualis christiani, in nouitate vitæ ambulantis, &

spiritu regnantis. Nō enim est pax vniuersæ carni, dicēti, Pax pax. quum nō esset pax, videlicet, ea, quæ in Christo est, cū deo & spiritu. Iere. 12. & 8. & 6. Sōli namque iustificati ex fide pacem habent per dominum Iesum Christum, Ro. 5. & hoc cum præceptorum dei obseruatione, & amore. Nam pax multa diligentibus legem dei. Psalm. 118. Omnia siquidem illis in bonum vertuntur, Ro. 8. Ideo per Esay. loquitur deus, cap. 48. Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iusticia tua sicut gurgēs maris. Quid autem lex dei nisi mandatum eius, voluntas eius, quæ quum recta sit semper, & impossibile est aliter esse, oportet omnium viuentium normam esse ac legem: vt vere pax sit multa eam diligentibus, eamque seruantibus, etiam si interim vehemētissime sequant aduersa, iactetur caro, & occidatur. Accipit enim hæc sunt eis, quo nihil dubitent excelsi voluntate fieri omnia hæc, cuius omnis voluntas est illis acceptissima: odiuntque omnia, quæ contra dei voluntatem a quocunque fiunt. Hinc Prote. 12. dicitur, Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Pax enim Christi in eorum eiusmodi exultat cordibus, Coloss. 3. Hæc eiusmodi pax in solo Christi regno est, & cum spiritu gaudio possidetur semper. Propterea de ipso regno dicitur. Hieronim. in Rom. 14. Regnum dei iusticia, & pax, & gaudium in spiritu sancto, de quo loquitur propheta. Psalm. 71. dicens, orietur in diebus eius iusticia, & abundantia pacis, qui psalueris Ioannus de regno christi est, cuius dies sunt totum tempus regni eius, quod est ecclesia, quæ ab orbe condito in electis capit, & finem habitura non est. In his diebus sunt electi & fideles, qui etiam soli lucem christi vident, reliquis omnibus in tenebris crassæ perfidia ignorantiæque manentibus: & in diebus christi esse nequeunt, vnde & Ioan. 1. tenebræ illæ esse dicuntur, quæ veram lucem, id est christum non apprehenderunt. Ipse enim christus est sol iusticia. Matth. 4. Qui de se ipso dicit, ego sum lux mundi. Ioan. 8. Cuius quicumque fuscipit radios lux sūt, vnde & suos lucem appellauit. Matth. 5. vos (inquit) estis lux mundi. Et apostolus. Eph. 5. eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Econtrario, quia increduli cæci sunt, tenebræ iuste vocantur, Ioan. 1, & tenebræ

*Lex Dei
quid sit.*

*Chrysostrōm
homil. 34. in
Genesim di-
cit pectoris pa-
cem quæ in
nitore animi
consistit ab
omnibus an-
plectandā cui
subscribit*

*Hieronim. in
epistola ad
Theophy. ad-
uersus Ioan-
nem Hiero-
solimita. tom.
2. Paulus Cre-
sus lib. 3. ca.
8. adfirmat
in Christi na-
tuitatem pa-
cem fuisse o-
mnium tran-
quillissimam,
& vniuersa-
lissimam.*

eam non comprehenderunt. & Lu. 1. Visitauit nos oriens ex alto illuminare, his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Hic dicit Zacharias luce orientis ex alto eos solos illuminandos, qui inter incredulos & impios, cæcos & malos utcunq̄e pij morabantur, parati veram lucem suscipere, partim Ioannis doctrina perdocti, partim ratione directi. Ergo fideles in diebus præclarissimis Christi sunt, quos vidit in spiritu Abraam, & gauisus est. Io. 8.

In quibus semper est iusticia, & abundantia pacis, quam vult dominus à suis precari, familiis domorum quas forte ingrederentur, ideoq̄e dici, Pax huic domui, Marth. 10. Et Luc. 10. Hanc pacem angeli in domini natalicio die, hominibus bonæ voluntatis in terris annunciauerūt. Dominus etiam Iesus postquam à mortuis surrexit, discipulos pacis elogio salutauit, Pax inquit vobis. Lu. 24. Et Ioan. 20. Quam velut mentibus defixam, postmodum sancti apostoli, Ioannes, Petrus, Paulus, alij quoque sanctorum, his, quibus scripserunt, precari sunt, iucundissima sane, immo, & desyderatissima, suauissima, & sanctissima scriptio: nec temere, beati nanque & terquatérque beati, cum quibus dominus fecit pacem: siue vt in Ezechiele legitur, pactum pacis, cap. 34. quorum refert, vt mox satagent vbique, & cum omnibus, ac semper iuxta dei voluntatem, in pacis amabili vinculo spiritus cõseruare vnitate. Ephe. 4. Nō abs re iuxta dei volūtate vinculum pacis ineundum consarciendumque dico, ne quis putet cum impijs habendam pacem, consuetudinẽque, quos potius sancte odijse debemus, vt non cum Madianitis scelere inuoluamur: sicut scriptum est, Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Psal. 118. Et rursum, Nonne qui oderunt te domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Psal. 138. Gratia ergo vobis & pax. Gratiam precatur antequam loqui incipiat: optat pacem, his qui sanctificati sunt, quatinus expugnata maledictione quauis peccati, benedictionem consequantur in omnẽ conscientia tranquillitatem. Sequitur. Punc. 3.

Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.

Temporum veritate aternitas dei immutabilis minime cir-

Fideles in diebus Christi præclarissimus degunt.

me circumscribitur, quemadmodum apostolus Paulus de Christi diuinitate eloquens ad Hebr. 13. ait, Christus Iesus heri & hodie, ipse etiam est in sæcula. Per vnum etiã

tempus capitur aternitas, vt per præsens, Ioa. 8. Antequã *Dei aternitas temporũ*

Abraã fieret ego sum. Exodi quoq̄. 3. Ego sum qui sum. *varietate de-*

Esa. autem. 43. Intelligite quia ego ipse sum. Tempore *scripta.*

præterito, Psalm. 73. Deus autem rex noster ante sæcula. *Omnibus in*

Ideo & per senectam designatur, Daniel. 7. vbi per anti- *confesso est*

quum dierum deum aeternum intelligit. Nōnullis visum *Deum tempo-*

est dicta hæc de sola persona filij debere intelligi pro eo *ribus nō sub-*

maxime, quia postremo dicit, & qui venturus est, Siqui- *ijci ait Au-*

dem ipse est qui venturus est iudicare viuos & mortuos: *gust. lib. 9.*

Et nullam hic personæ patris mentionem fieri, sed tan- *Trinitatis*

tummodo filij & spiritus sancti: Bis filij, semel spiritus san- *confesso.*

cti. De filio fit mentio in his suprapõstis verbis, videlicet, ab eo, qui est &c. Secundo in sequentibus & à Iesu christo, qui est testis fidelis, &c. De spiritu sancto in eo quod ait, Et à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt. Sed eniuero deum patrem intelligi in superioribus nihil prohibet, immo consentaneum fuerit, & perpulchrum, dignumq̄; ac venerabile, vt cū his quæ sequuntur: Et à septẽ spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt: & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, totius super-

benedicta trinitatis gloriosa cõfessio ponatur. Hoc sensu, qui est, id est, qui permanet immutabilis: & qui erat

abiq̄; principio, & qui venturus est, per gloriam maiestatis se manifestando hominibus, qui modo sperant in illu: non q̄ soli boni visuri sint eũ, videbunt & crucifixo-

res qui eũ pupugerunt, sed boni cū fructu videbunt. Cæterum vetus codex incerto authore proditus exhibet, vt

verba triũ temporum referantur ad solum patrem, sic. Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, id est, à deo patre aeterno, qui seipsum manifestaturus est in beata gloria. Namque persona filij & spiritus sancti in sequentibus distincte ponitur. Punc. 4.

Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.

Palam nimirum à verò aberrant, qui per hos septẽ spiritus septem angelos intelligunt, quasi à creaturis sit pax & gratia. Alia ergo ratione enarrandus est scripturæ locus. Quia enim à patre, & filio, & spiritu sancto vno deo

uiuo & vero, & ab eo solo quidem, & gratia & pax dan-
tur. necesse est, vt dum de septem spiritibus meminit, do-
natorem spirituum intellexerit, vique scripturæ veteris
vultum hæc dicens respexerit. sic enim habet Esa. Et re-
quiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ &
intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scienti-
æ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini.
c. ii. Septiformis ergo gratiæ datrix diuinitas intelligitur.
Vnus quidem tantummodo est domini spiritus, idem est
eo Deus, à quo ceu fonte perennis charismata profluunt
vniuersa: septem tamen memorantur, quòd multiplicem
in septenario comprehensam gratiam largiatur, qui id-
circo in conspectu eius esse dicuntur, quia nimirum septè
dona gratiarum præsto est sanctis suis communicare, in
quibus desyderat habitare, cuius deliciae sunt cum filiis
hominum, qui illi placent: vt Prouer. 8. exprimitur. Thro-
nus ergo Dei, fideles sunt. Congruè autem septem spiri-
uum fit mentio, vt ad effectum fiat causæ notitia, id est,
à donis largitor Deus intelligatur, & persona spiritus san-
cti distinctum exhibeatur, cuius interest largiri dona
gratiarum. *Punct. 5.

*Spiritus se-
ptiformis.*

*Et hæc ratio-
ne (ait) Augu-
stus in Psal.
143.
Dicitur digi-
tus Dei pro-
pter largitio-
nem donorum
& sibi con-
sentiens epi-
stola. 119. De
ritibus eccle-
siae ad Ianua-
rium confir-
mat illud.
Christus
deus.*

*Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuo-
rum. Et princeps regum terre.*

Subaudi, gratia vobis & pax, quia per eum facta est
gratia, qui est pax nostra. Ephe. 2. Lex per Moysen data
est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est.
Ioan. 1. Qui in facienda pace nimitù egit, nam & seipsum
pro nobis impendit, crucem ac varias pœnas tolerauit, &
naturam nostram peccatis perditam correfuscitauit: atq;
ad dexteram patris collocauit. Obserua, Deus est Chri-
stus, alioqui frustra ab eo gratia peteretur, Id quod hic
facit Ioannes. Paulus quoque in initiis suarum epistolaru
creber est in hoc ipso, quòd nequaquam superbus homo
& cõtumeliosus olim faceret, nisi Christum verum Deũ
cognosceret. Non profecto præcones eximij ignorabant
locum scripturæ dicentis, Gratiam & gloriam habet do-
minus. Psal. 88. Dominus enim hęc quantum ex hebræo
perspicitur, non nisi de Deo solo dicitur. Nã vbi nos do-
minus habemus, hebræi habent Iehoua, quod nõ nisi de

Deo solo alicubi ponitur. Nominato autè Christo iam
deinceps insignia quædam de eo ponit. Et primo testem
eum fidelem adstruens, qui profecto testis est fidelis, qui
testatus est coram Pontio Pilato, ac inimicis suis scribis,
& pharisæis, & pontificibus Iudæorum de seipso verita-
tem. quòd ipse sit vere Christus in lege promissus: testi-
ficaturus & de nobis coram patre suo, iuxta illud, Om-
nis quicumque confessus fuerit me coram hominibus,
confitebor & ego eum coram patre meo. Matth. 10. Luc.
12. In Græco sic legitur articulis interpositis. Qui est il-
le testis, ille fidelis, emphaticè. Ostendit ergo Ioannes
Christum illum esse testem, de quo Esaiæ. 55. capite scri-
ptum est, Ecce testem populis dedi eum: ducem ac præ-
ceptorem gentibus. qui in Ieremia loquitur dicens. Ego
sum iudex & testis Hierem. 29. Item Psalm. 88. Testis in
cælo fidelis. Cælum ecclesia est sanctorum. Ipse nimirum
fidelis est, & absque vlla iniquitate iustus & rectus,
Deuter. 32. Fidelis in omnibus verbis suis. Psalmus 144.
Idem. 1. Ioan. 1. fidelis, & iustus describitur, Et 1. Corint.
10. Fidelis Deus dicitur. Nec extrema videatur tibi hæc
huiusmodi Christi scrutatoris commendatio, qua testis
fidelis esse asseritur. nobis enim re est, vt in spem viam
excitemur, scientes quia quicquid promissit fideliter ser-
uat, & implet, quum possit abunde, tanquam Deus, cui
est omnis potentia. Nam potestas eius potestas æterna,
Daniel. 7. huic igitur credendum, huic parendum, huic
ex corde seruiendum, qui solus est fidelis & iustus, &
potens, vt quòd promittit, reddat etiam. qui etiam testi-
ficabitur vere de cunctis operibus nostris, qui scrutator
renum nostrorum est & cordis. Psalm. 7. Scrutans cor-
da, & renes Deus. Vt Deus ergo scrutans corda & renes
est: vt homo testificans. Qui est primogenitus mortuo-
rum. Iam hoc aliud ei insigne est, quod primus ex mor-
tuis resurrexit in vitam immortalem. Quia enim resur-
gendo renascemur ad incorruptionem, rectè Christus, resurrectione
qui primus omnium resurrexit, primogenitus mortuo-
rum dicitur. vnde idem alibi regenerationem vocat re-
surrectionem, Matt. 19. Nemo ante eum sic resurrexit vt
ultra nõ moreretur. Legimus quippe quosdã sanctorũ, vt
Elia, Elisetũq; mortuos excitauisse. Et ipse dñs filia layri
suscepit.

*Christus tes-
tis fidelis.*

*Christus pri-
mogenitus
mortuorum.*

*Dicitur Pri-
mogenitus mor-
tuorum. Au-
gust. teste ser-
uone. 5. de re-
surrectione qd
subegerit
mortem Co-
postmodum*

*postmodum
ultra nõ moreretur.*

*Legimus quippe quosdã sanctorũ, vt
Elia, Elisetũq; mortuos excitauisse.*

*Et ipse dñs filia layri
suscepit.*

Archisynagogi suscitauit, Et viduæ plorantis, vnigenitū, quum efferretur extra portam ciuitatis Naim. Et Lazarum iam tabescentem, vtpote quatuor dies in sepulchro habentem, & fetore marcidum. Sed ij omnes completo vitæ cursu iterum mortui sunt. Christus autem resurgens ex mortuis, iam non moritur: neque mors illi vltra dominabitur. Rom. 6. Pulchra sane & splēdida dictio, vt pro primo resurgente diceretur primogenitus mortuorum, hoc nimirum splendore dictionis delectati dicimus, quia in illa huiusmodi genitura beatæ apostolorum animæ quasi matres extiterunt, qui morienti domino donec resurgeret materno affectu condoluerūt, vt non incongrua similitudine ipse dominus ad eos vteretur, quum diceret, Mulier quum parit tristitiam habet, quia venit hora eius: quum autem peperit filium, iam nō meminit præsuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Ioan. 16. cuius mors, nostra vita fuit, resurrectio spes & gloria. Sacris traditum est auctoribus Christi resurrectionem exemplum fore: & causam futurę resurrectionis nostræ, quatenus in eandem imaginē transformemur, & transformati glorificemur, vnde apostolus, Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, id est, corpus humile & corruptioni modo obnoxium conforme reddet corpori suo glorioso. Philip. 8. De causa scribit idem apostolus. 1. Thess. 4. Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo, scilicet rediuuos, ne capiti viuo defint mēbra viuētia. Item. 1. Corint. 15. Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autē resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Sed hoc putare insanum omnino est. Proinde, omnes quidem resurgemus: nam oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: quum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, Osæ. 13. Absorpta est mors in victoria. In qua victoria? nempe in sua. Nam quum Adam peccauit, tunc mors obtinuit victoriā:

Christi resurrectio exemplum est causa futura nostræ resurrectionis.

quum Christus verò mortuus est, tunc victoriā illam amisit mors. Absorpta ergo erit tunc in nobis mors in ea victoria sua quam accepit in peccato ipsius Adam, quando omnes mortui resurgemus in immortalitatem. Deo autem gratias, qui dedit nobis talem victoriā per dominum nostrum Iesum Christum, vt calcata morte regnemus. Sequitur. Et princeps regum terræ. De principatu Christi loquitur psalmus secundus di. Postula à me, & dabo tibi gentes, hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Elaias quoque cap. 9. Princeps pacis, pater futurū sæculi. Rursum infra cap. 19. in femore eius scriptum esse dicitur, Rex regum, & dominus dominantium. Is certe vnus est Dauid fidelium princeps, qui tam magnifice promittitur ac describitur Ezech. 34. cap. 37. Igitur princeps regum terræ, quod dicitur in validum terrorem tyrannorum potentiumque, à quibus potissimū est crux & afflictio sanctorum, quatenus timeant illum cuius ministros persequuntur, quandoquidem cuncti quantumlibet magni ac potentes cum eo collati, vermis ac prope nihil sunt, & ipse est super omnes, regētur eos in virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringet. Psalm. 2. Liberans suos à malo, quia quos dedit illi pater non perdet. Ioan. 17. Sed quorum vel qualium regum terræ Christus princeps dicatur? Nunquid illorum, vel talium quales asstiterunt aduersus dominum & aduersus Christū eius, vt psalmus secundus habet: Non vtiq; talium hic est princeps, immò iudex. Tales enim dicuntur reges terræ esse, & non sunt, sed sunt serui terræ, quum sint serui peccati, subditi cupiditatibus terræ. Quorum ergo? Eorum, qui & si vulgo non dicuntur reges, sunt tamen terræ reges, quia terranitatē suam (vt sic dicam) norunt regere, liberi à peccato, serui autem iustitiæ, Rom. 6. Ergo nisi verè regum est iste princeps. Et omnes, qui eius esse volunt, oportet tales esse reges, hoc est iustos, & sanctos: generes immo sui & mundi, peccati quoque triumphatores. Tam sanctus, tam impollutus, tam splendidus, tam honoratus, tam gloriosus est huius principis principatus. Multum itaque iste principatus differt à mundi huius principatu, qui totus in tyrannide versatur, ardet cupiditate, sæuit in cæde, & aliis horrendis sceleribus crudelitatis ve exul-

Christus princeps regum terræ. Tyrannorum terror. Reges terræ qui vere dicuntur.

Quid prodest quod quis sit liber in nativitate, videmus quod omnis claritate sublimis metis innatus firmitate devotus, generes immo sui & mundi, peccati quoque triumphator. Tam sanctus, tam impollutus, tam splendidus, tam honoratus, tam gloriosus est huius principis principatus. Multum itaque iste principatus differt à mundi huius principatu, qui totus in tyrannide versatur, ardet cupiditate, sæuit in cæde, & aliis horrendis sceleribus crudelitatis ve exul-

tar. Hic autem in officio veræ & non fucatæ charitatis, puritate, ministeriôq; sedulo: prout dominus ait, Luc. 22. Reges gentiû dominâtur eorum, & qui potestare habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut ministrator. In quod statim seipsum in exemplû producit dicēs, Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Rogo quid dominatui illius per eiusmodi ministerium deceptum est? Indigebant sane ministerio illo reges illic donec inter eos versaretur rex & princeps regum terræ. at verò posteaquam ascendit ad celos, sicut ille seruitio, sic illi non egebant magisterio. Ergo multo amplius non erit deinceps ipse rex sibi seruentium, nec dominus militantium: sed sicut scriptura dicit: Rex regum & dominus dominantium, vt sui sint perpetui reges, & domini. * O Punct. 6.

Ea de re gratia, dicitur gratia ait August. enarratio in Psal. 31. quia gratia datur si natura operis nostri conspexerimus non autem si dei promissionem ex consequentia vt liquet ex eodem August. sermone 16 de verbis Apostoli.
Orbis minuer sus optabat peculium fieri Deo.
Christus amor nostri omnia pertulit. Bethleem natiuitati Christi elegit pariter futurus omnium.

Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Sola nimirum dilectione actum est, vt deus homo fieret, & nos à peccatis emundaret, conuiuificaret, sublimaretque, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorû secundum æternum consilium voluntatis suæ, in laudem gratiæ suæ, qua gratificauit nos in dilecto filio suo, vt præclare ostendit Paulus Ephesiorum. 1. Huc tendebat vniversus orbis, vt aliquando aperiret Deus consilium gratiæ suæ, & in peculium illi esset, per eum quem promiserat sanctificatorem iustum: cuius osculum tanto ardore flagitat sponsa in canticis, Osculetur me (inquiens) osculo oris sui. quasi dicat, ostēdat Deus sponsus suam in me dilectionem. iungat os ori, assumat corpus mortale, egrediatur vt gigas ad currendum vias, & nihil non amore mei faciat. Obsequutus est Deus votis dilectæ suæ sponsæ: homo factus est, virginalis aulae thalamo naturam nostram sibi copulauit, vnde exactis nouē (vt credunt) mensibus, totus festiuus egressus est. iuxta quod scriptum est, In sole posuit tabernaculum suum, & ipse rāquam sponsus procedens de thalamo suo, Psal. 18. Elegit autem natiuitati suæ Bethleem ciuitatem Dauid, secundum quod scriptum erat: quæ domus panis interpretatur:

sane significans, quis verè futurus esset, quia panis hominum vitalis, super substantialis, qui antea panis erat angelorum. vnde & benè se panem dicit. Ego sum panis vitæ. Ioan. 6. Et rursum. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, ibidem: Hic itaque adueniente tempore quo compleret omnia, seposito quouis metu petebat Hierosolymam, vbi quærebatur occidendus: irruit autem super eum temerarius princeps mundi huius, & ab eo, qui mortis causam nullam habebat, id est, peccatum, poenam mortis exegit, ignorans quod sua innocentia omnes esset à delicti noxa liberaturus. Poterat quidem cauere mortem, sed quomodo nobis dilectionem suam ostendisset, nisi mori voluisset? nec emundaret sanguine, nisi funderet: nec redimeret, nisi animam daret. Bonus pastor (inquit) animam suam dat pro ouibus suis. Ioan. 10. Fecit quod dixit, animam suam dedit pro ouibus suis, & id super lignum: vt satisfactio responderet peccato. In ligno victi fuimus, in ligno nunc triumphamus. Christus scmel pro peccatis nostris mortuus est (ait Petrus) iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo. 1. Pet. 3. Pro nobis ergo mortuus, vt iustitiæ viuamus, vt non vltra seruiamus peccato. Dilexit itaque nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Dicitur enim, quia vnus ex militibus lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Ioan. 19. Illo sanguine redemit nos: Illa aqua abluit nos à peccatis nostris, quæ non sine sanguine erat. Si enim (apostolo teste) sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum obtulit semetipsum immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Hebræor. 9. Item. 1. Corinth. 6. quum diceret, Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum dei possidebunt: subiunxit, Et hæc quidem aliquando fuistis, sed abluti estis,

Christi sanguine abluti sumus à peccatis.

*In sanguine
Christi redē-
pti, Et sancti-
ficati sumus.*

*In nomine do-
mini salus no-
stra consistit.*

sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu dei nostri: ne quippiā hæsitationis posthac cordi increseceret nostro. Nusquam enim non iustificationem nostram Paulus Christo tribuit, vt verum sit, quia lauit nos à peccatis nostris: quo minori trepitatione fidelis quisque persistat forti animo abstinens se à malo, & deo fide firma inhaerens in Christo Iesu domino nostro. Neque enim holocaustum deus pro peccato postulauit. Psalm. 39. sed sanguinem innoxium sui vnigeniti in quo sibi nos copulauit. Nō solum autem illos lauit, qui tum erant, sed etiam qui futuri erāt credētes in eum abluendi dedit potestatem. Dixit enim, euntes docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Matth. 28. In quo nomine salui facti sunt vniuersi. Neque enim est aliud nomē sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Act. 4. Hoc est quod inuocarum est super nos. Ierem. 14. per quod deus habitabit in nobis. ibidem. quod sanctum & terribile est. Psalm. 110. & permanens in æternum.

✠ Punctus 7.

Et fecit nos regnum, & sacerdotes, Deo, & patri suo.

Christus fecit nos reges & sacerdotes. Eo dicuntur omnes Christiani sacerdotes & reges, quia eorum caput Christus est sacerdos: Et rex vt vult Dydimus Alexandrinus.

Coronæ aureæ ex præcepto Dei ponentur in capite

O mira circa nos diuinæ dignationis miseratio, & fecit nos regnum, & sacerdotes. Quis id pro rei dignitate excogitabit? quis enarrabit? excellentior est cogitatione tantū beneficij sublimitas, ore sublimior, quasi minus sufficeret lauisse à peccatis in sanguine suo, si non præterea faceret nos Deo & patri regnum, sacerdotēque. Græci coedices habent, reges. Sed vt inque mysterio congruit, vt qui regnum sumus, sumus & reges. In regibus quippe suis deus regnare solet. In Christo reges sumus, in eodem & regnum sumus & sacerdotes, qui est verus rex & sacerdos, quem deus vnxit oleo latitiæ præ participibus suis, qui solus ex vilibus mancipijs in seipso efficere reges & sacerdotes potuit, qui regnamus super omnia, dum peccatum, mortem, & infernum calcamus. Legimus in Zacharia, quia præceperat Deus Zachariæ, vt faceret coronas aureas & argenteas, poneretque eas in capite Iesu, filij Iosedech sacerdotis magni. Zacha. 6. Corona, vt palam est, nō aliud quàm regiam exhibet dignitatem, quæ tum in capite Iesu filij magni sacerdotis poni creditur, quum

sacro baptismate in filium Dei quisque consecratur. Nā sicut filij Aaron idcirco sacerdotes crediti sunt, quia pater eorum cum Moysse, minister fuit illius liberationis, quæ per conuiuium agni paschalis commemorabatur, ita filij huius sacerdotis magni, qui est secundum ordinem Melchisedech, Christi, sacerdotes sunt vniuersi, quos idē per Iosedechum regenerationis spiritualiter genuit patri: quo sacerdotes essemus omnes illius sacrificij, quo commemoratur non temporalis illa, sed æterna salus omnium. Omnes enim valemus offerre spiritu eum quem dedit redemptionem pro omnibus pater. Nec te moueat quod omnes credētes sacerdotes esse adstruamus. Sumus enim omnes spirituales sacerdotes, spiritualiter insiti Christo, tanquam membra capiti summo, etiam si non omnes sacerdotij munere fungamur: ministeriōque sacrosancto prohibeantur nonnulli, velut missarum sacrificijs, aliorumque ecclesiasticorum sacramentorum, quæ non nisi sacerdotes ordinati facere habent, qui alio genere consecrationis (vt vsus habet ecclesiæ) fiunt, cui nihil refragandum est, humiliter porius parendum: vt iam non solum spiritualiter sit huiusmodi minister sacerdos, sed etiam sacramentaliter per susceptum ordinem, quod diuersum est sacramentum, & vnum ex cæteris. Hoc tibi vel eo exemplo persuaderi poterit, Nam sicut omnes reges sumus in ipso, qui est rex, & sacerdos, Nēpe Christo, & tamen non omnes regni administratione fungimur, id est, spiritualiter tantum, in quantum insiti sumus verò regi Christo, non externa functione, neque ad exercendum externum imperium, sed internum, quod est in expugnādis vitijs, superandāque vi mortis, ac inferni. Ita & sacerdotes in Christo Iesu domino nostro. Nemo enim est credentium sanctorum, qui non possit offerre hostiam laudis semper Deo acceptabilem per Christum, in odorem suauitatis. Nemo etiam est in hoc genere hominū, qui non possit per exercitia bonorum operum, vt sunt ieiunia, vigilia, orationes, studia virtutum, pietatisque, id genus alia, se offerre Deo, sicut docet apostolus, Rō. 12. Obscuro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuētem, sanctam, Deo placentem: quod fiet si per edomitas carnis tentiginēs iustitiæ

Iesu filij Iosedech.

Sacerdotes omnes sumus in Christo.

Sacerdotes ordinarij. Parandum est institutis ecclesiæ.

*Sacerdotium
spirituale.*

viuamus, vt non seruiamus peccato. Ab hoc genere sacerdotij, nemo secernitur siue vir, siue mulier, quū æque omnes renati sumus in Christo, atque insiti illi, vt quilibet possit suauiter se offerre Deo fide, & oratione, ac vita sancta & inculpata: nec tamen hoc genere sacerdotij in aliud vtimur, quod maximè pertineat ad ordinem sacerdotale. Proinde Christus dominus aliud præter hoc, insiuit genus sacerdotum, qui sibi, & Deo, & populo catholico externo etiam ministerio fungerentur in ecclesia, quique soli sacerdotes vt pote proprio dignitatis titulo vocitarentur, quorum interest missas celebrare, aliâque sacramenta ecclesiastica ministrare, audire confessiones peccatorum, absoluerè, iniungere pœnitentias considerata peccatorum qualitate, vngere ægros, Deo commendare, aliâque agere, quæ ad id pertinent. Magna igitur indita est nobis honoris dignitas, vt reges simus omnes in Christo & sacerdotes, qui certis legibus imperitamus nobis, ac portis inferni, quique nos quotidie per bona opera Deo offerimus, hostiam viuentem ac placèrem. Agat nunc parca, agant Ethnici omnes, ieiunent, faciant misericordias siue in mille generationes, sed non offerunt, quum non sint in Christo, in quo solo placeamus Deo, in quo solo accepta sunt omnia nostra quæcunque bene sunt à nobis: extra quem nihil sunt omnia quantumuis bona, quantumuis vilia, quantumuis præciosa videantur in faciem.

✠ Punct. 8.

Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Hoc breui cantico docemur ad omne beneficium receptum Deo gratias agere. Sic S. Moses liberato populo, cui dux constitutus esset, posteaquam mare transierat, visa potètia Dei, suū canticum cecinit. Anna quoq; sancta & rara femina, nato sibi Samuele, gratias egregio cantico egit. Zachariæ insigne extat canticum, pro suscepto dulci ac exoptatissimo femoris sui pignore Ioâne baptista. Virgo quoque deipara cōcepto mundi redemptore, magnificauit dominum. Agit itaq; & Ioannes vices gratissimi hominis, vt gloriam tribuat Deo, imperiumque, & id quidem in auum: nos quoque qui tantis beneficiis cumulati sumus per Christū, vt dilectos citra merita nostra lauaret in sanguine suo, emundaret cōscientias no-

Exod. 15.

1. Reg. 2.

Lucæ 1.

*Gratie agē-
da Deo ad o-
mne receptū
beneficium.*

stras à mortuis operibus, faceret insuper Deo regnum & sacerdotes. vtique agere similes gratias debemus ipsi Deo nostro Iesu Christo: satagentes in omni opere bono vt grati inueniamur coram illo, in tempore quo statuemur ante tribunal eius. Hactenus præco inuicissimus iuxtaque gratissimus ea quæ ad gratitudinis splendorem pertinere necessario videbantur, peregit, nobisque similiter faciendi euidentissimum præbuit & documentum & exemplum: vnum supererat contestandum, quod & precipuum est & maximum, quia videlicet inde vbi nunc sedet princeps ille regum terræ, vbi est illi & gloria & imperium in sæcula seculorum, venturus est in nubibus claritudinis cœli, ideo sequitur.

✠ Punc. 9.

Ecce venit cum nubibus.

Subitam quandam vix speratæ rei contingentiam per demonstrationem indicat dicens, Ecce venit, vtitur autè verbo de præsentis, eo quod propositum seu decretum veniendi in iudicium principium quoddam sit aduentus eius, vel propter imminentem propinquitatem temporis illius, vt ferme iam præ foribus sit. Hoc enim familiare est prophetis, vt cito implendam suam denuncient prophetiam, vtique verbo de præsentis, quasi iam fieret quod cito, vel certe fieri deberet. Licet id prospici in plerisque scripturarum locis. Quod maxime facit spiritus ad exagitantam quorundam locordiam somnolentiâque discutiendam ne dormitent, sed expectantium more excubent potius, & intendant. Iusti verò, & qui vigilant semper, sperent, & confortentur adhuc, quia cito gloria domini reuelabitur. Simul docens quàm insanum sit spem vitæ in longa protendere tempora, longumque videri quicquid futurum est, vt mors, Deique iudicium. Quod si dixerit seruus malus, (ait dominus Luc. 12.) moram faciet dominus venire, & cæperit percutere seruos, & ancillas, edere, bibere, inebriariq; veniet dominus serui illius in die qua non sperat: & hora, qua ignorat, diuidetque eum, & partem eius ponet cum hypocritis, ibi erit fletus, & stridor dentium. fletus è damno, quod perpetuo dei beatifica careant visione, & gloria, & confortio sanctorum. stridor dentium, ex acuitate pœnæ, quam sine intermissione in igne æterno patiuntur damnati.

*Prophete cito
implendā præ
nunciant suā
prophetiam.*

*Spes vitæ lon-
guoris non
producenda.*

Bernardus *sermone. 27.* *in Canticum.* *Quantitas anime est charitas.* Eis autem qui vigilant, quorum prudentes animas fides enutriuit, prouexit spes, charitas dilatauit, & in opere sancto robustos grandæque effecit, gaudium, & læticia & exultatio in tabernaculo Dei pulchra varietate distincto & dilecto, qui dies temporis vitæ suæ breues numerant, ad longitudinem dierum festinant, ubi melior est dies vna super millia, & habitatio honor, & gloria. Proinde hic verbi sensus est. Ecce venit, id est, cito venturus est.

Christus cito veniet in iudicium. cito apparebit quum iam venire ceperit, per propositum seu veniendi decretum. Sed quomodo? aut qualibus vehiculis veniet: quali sedens tribunal? Tribunal erit nubes, hæc & vehicula. ita enim dictum est, Ecce venit cum nubibus. quod & per se dominus testatur dicens, Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, id est, in claritate cæli. Luc. 21. Matthæi autem. 24. legis cum potestate magna, & maiestate. Ascendit in nube, veniet in nube. scriptum est Act. 1. Nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et deinde. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Item Apostolus. 1. Thessal. 4. Simul inquit) rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra. quare sic veniet: quare in nubibus apparebit? Nunquid ut nubibus occultetur? Nunquid ut maiestatem eius nemo videat? Non utique. Tunc enim manifestus veniet, manifestus & apparebit, qui dudum absconditus venit, apparuit absconditus. Proinde recte subditur. *✠ Punct. 10.*

Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Quare sic cum nubibus veniat interrogemus & aliam scripturam, sic loquentem, sic veritatem futuri exhibentem. Elaias ait, domine exaltetur manus tua, & non videant: videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret. cap. 26. Quid oro hic verborum controuersia indicat, non videant & videant, zelantes populi, hoc est aduersantes? Quia nimirum quodammodo videbunt iuxta illud quod dicitur, tollatur impius ut non videat gloriam Dei. Ideo ergo cum nubibus veniet, ne videant ipsi gloriam Dei, ut videntes se minime posse videre, confundantur & pereant à facie domini: nubes quippe beatificam eius gloriam teget, sed non potentiam virtutis eius teget: teget impiis, non teget piis, ut non confundantur ipsi, sed gaudeant. quia frustra labor eorum non fiet,

nec permissio contumeliarum: ostendet ergo se dominus Iesus, & non ostendet hoc modo quo dixi. Namque videbit eum omnis oculus, & qui pupugerunt: boni videbunt in gloriam, mali in poenam, quibus dulcedinem gloriæ suæ abscondet, se non abscondet. Apertus enim fiet iudex *Christum in iudicio omnibus* omnibus apparebit, ut omnes diiudicet. Licet non æque omnibus appareat. Nubes quippe circumposita gloriam claritatis eius, impiis abscondet, sed ipsum filium hominis non abscondet. Quales autem illæ nubes tunc erunt? Non utique quales nunc sæpe videmus, pluuiis rorantes, terram refrigerantes, sed nubes deorsum tempestuosæ, sursum tranquillæ, qua parte Christum sepiet, & angelos cum sanctis omnibus, cum quibus veniet ad iudicium. Matth. 16. filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis. De sanctis verò scriptum est, *Christi aduentus ad iudicium* *Esay. 3.* veniet cum senioribus populi sui, qui sunt sancti eius, de tempestuosa nube legis in Psal. 49. In conspectu eius tempestas valida. Non solum autem tempestuosæ tunc nubes erunt deorsum, qua parte obuoluent impios, sed etiam ignitæ, sicut psalmus habet prædictus, Ignis in conspectu eius ardebit. Et iterum. Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos eius in circuitu. *Idem Augustinus adfirmat in Ps. 96. nubes & caligo impiis qui eum non intellexerunt iustitia & iudicium fructibus qui in eum crediderunt.*

Incensurus est enim dominus vniuersum orbem magnis ignibus, quos producturus est è nubibus, tonitribus validis ac terram funditus quatientibus. Nubium eiusmodi, nubium ardentium & tempestuosarum vehementiam, Petrus indicat ait. Adueniet autem dies domini, ut fur, in quo cæli magno impetu transient: elementa verò calore soluentur, terram autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. 2. Pet. 3. Paulus quoque in. 2. Thessal. 1. ait: Si tamē iustum est apud Deum retribuere tribulationem his qui nos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem vobiscum, in reuelationem domini Iesu, de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi, qui poenas dabunt in interitu æternas à facie domini, & à gloria virtutis eius, quum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super vos de die illo. Et hoc in priore epistola, ubi

dixerat, Ipse dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui uiuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum domino erimus. 1. Thess. 4. Quum enim inflammauerit ignis ille omnia, inuolueritque inimicos Dei, boni rapiuntur sursum incolumes, igneas nubes, nubilosque ignes transilientes, quando deorsum impij in igne & in uisione eius incredibilibus tormentis relinquentur, damnisque stupebunt ipsi suis: resurgent nanque & ij pariter, & videbunt admirabilia dei iudicia, & confundentur, qui eum pupugerunt, & tãquam hominem nihili & abiectum contempserunt, uelâtes faciem eius collaphizauerunt, flagellis ceciderunt, spinis coronauerunt, clauis confixerunt, lâcca latus eius perforauerunt, irriseruntque. Per hoc intellige illos quoque qui ad Christum pertinent, sed retrorsum abeutes ad carnem defluerunt, quorum omnis uita impia est & contaminata. Quo sermone uult omnes pietatis hostes præmonitos fore, ut timeant Dei iudicia, & sui condemnationem, ne fera inutilique tandem pœnitentia nequiter factorum perurgeantur, quum mederi ipsis amplius non possit. Ac si diceret, Attendite uobis peruersi & insani piorum perturbatores, qui pungitis affligentes Christum in electis suis, ueniet dies, in quibus uel nolentes eum ferre iudicẽ cogemini, quem nunc ut patrem auscultare recusatis. Simul ecclesiam sanctorum consolans, quo amplius ad tolerantiam passionum confirmetur, quæ hic ab improbis pietatis hostibus irrogantur, ne deficiant in futuro glorificandi, sequitur.

✠ Punct. II.

Et plangent se super eum omnes tribus terræ.

*Planctus uel
tirmi temporis*

Similis locus est apud Zachariam capite 12. Et aspicient, inquit, ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super unigenitum: & dolebunt super eum, ut doletur in morte primogeniti. In die illa erit magnus planctus in Hierusalem, sicut planctus hadadremmon in campo Maggeddon. Et plangent terræ familiae & familiae seorsum, familiae domus Dauid seorsum,

sum, & mulieres eorum seorsum: familiae domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiae domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiae Semai seorsum, & mulieres eorum seorsum: omnes familiae reliquæ, familiae, & familiae seorsum, & mulieres eorum seorsum. In Dauid quippe regia tribus accipitur, quæ fuit Iuda. In Nathan prophetalis ordo. Leui refertur ad sacerdotes, à quo ortum est sacerdotium. In Semai doctores accipe. Namque ex eo doctorum series propagata est. In reliquis familiis promiscuum vulgus intellige, quod caret priuilegio dignitatis. Est autem figura hæc planctus futuri, quem habituri sunt reprobi in finem, qui iuxta historiam editus est, quando rex Iosias, cognomento iustus, à Pharaone Nechao rege Aegypti vulneratus erat iuxta Istracl, quæ ciuitas postea dicta est Maximianopolis, ibique mortuus, maximo, & perpetuo Iudæorum plâctu: super quo lamentationes scripsit Ieremias. Sed altiore mysterio rem gestã admiremur. Nam sicut occiso Iosia, plâctus ingens in urbe Hadadremmon communis est, ita propter Christum crucifixum, extremo illo iudicij die, fiet in uniuersis familiis terræ plâctus inconsolabilis, quod eius fidem virtutesque minus sint imitari: zelantes liuore insanabili, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant, ut habet Psalmus 34. Et bene in iracundia terræ loquebantur & cogitabant. Semper enim mali terræ possessores propter terram & possessiones eius iurgantur & litigant: metuentes ne amittant eam, & possessionibus eius priuentur, quemadmodum de Iudæis scriptum est dicentibus, Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & uenient Romani & tolerant nostrum locum. Ioann. 11. Propter terræ amorem uniuersi impij Christum persecuti sunt, & membra eius, & persecuntur adhuc, nec desinent donec terræ regnum desinat: sed ij omnes in fine plangent se super eum, nempe Christum, eo quod eum non amauerunt, nec sunt imitati. plangent, inquam mali experientia, quod incurrerunt. plangent quod potentissimum iudicem sustinere nequeunt, quem olim uelut impotentem contempserunt. Et ideo impius erit plâctus eorum ab odio iudicij procedens.

*Lis in homi-
nibus impiis
propter terrã*

Non enim peccati odio plangent, quod fecerunt, sed odio iusti iudicij dei, qui tum in zelo magno nescit parcere fontibus.

✠ Punctus 12.

Etiā, Amen.

Etiā.

*Iudicij ad-
uenire cupiūt
sancti.*

Etiā, non est hic coniunctio, ea videlicet pars orationis, sed aduerbium confirmandi, vt sit gemina confirmatio, vna Græca, Hebraica altera: velut si quis diceret, ita, ita, aut fiat, fiat. Cupiunt quippe ex corde sancti tempus iudicij, eo quod tum sit futura eorum redemptio de penalitatibus mundi huius, quando perfectè reuelabuntur filij dei, & cum eis omnis creatura liberabitur à vanitate sua, cui modo iacet obnoxia, Roma. 8. id quod & dominus spectandum pramonet dicēs: Respicite, & leuate capita vestra, id est, mētes vestras, quoniam appropinquat redemptio vestra. Quid est appropinquat redemptio vestra, nisi quia mortale hoc induet immortalitatem? (1. Cor. 15.) quum nouissime inimica mors destruetur. In primo enim adētū animas nostras saluas fecit, sicut scriptum est, filius hominis venit animas saluas facere. Luc. 9. In secundo & ipsa corpora nostra restaurabit, proinde Saluatorem expectamus dominum nostrū Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrę figuratum corpori claritatis suę. Tunc enim consummabuntur omnia, & Christi gloria palam fiet omnibus, quando hostes suos christus perinde ac vasa figuli cōfringet omnes, & conteret, & cōminuet, vt nihil valeant vltra, sintq; tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terrę. Proinde. b. Ioannes postquam de impiorum iudicio prophetauit, subnexuit præcedentium confirmationem, dicens, etiā amen. Quia videlicet Deo reuelante, hoc ita futurum citra dubitationem præuidit: vt non vereretur iterata asserione, quasi signaculo Christiana credentię ne friuolum videretur quod diceret, confirmare. Frequens est hic vsus apud Ioannem exuberanti forsitan zelo fidei, vt que fortius, quod diceret, credatur: quatenus certò cognosceres hunc eundem authorem esse, qui scripsit euangelium. Nam quam ceteri sola propositione sint contenti. Ioannes ad verborum propositiones subinde replicat confirmationes dicens, Amen, amen. Enimvero quia euangelista huic os diuinum erat, & pectus aurēū, arcanaque

arcanaque cuiusdam sapientię mens gazophilacium, vt sciamus maiora loqui per eum, dominum Iesum Christū: vtque rerum pōdera sentiantur, dictionisque modus sibi consentiens seruetur, geminat atestationem pro vehementia confirmationis. Magnum quippe erat, quod dicebatur, ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangēt se super eum omnes tribus terrę. Et quid maius hoc potuit? vt recte, & suo more confirmationem duplicatam posuerit, quatenus ad credendū excitaret omnes, quicumque audirent, aut legerent verba prophetię huius. Similque vt affectū sanctum ac zelum, quo mouebatur, pluribus ostenderet atestationibus.

✠ Punct. 13.

Ego sum Alpha & ω, principij, & finis, dicit dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.

Christus Alpha & omega

Totum quod hactenus dixit de persona filij, parum erat, nec ad plenum sufficebat credenti in salutem, nisi & principium & finem eūdem fateretur. Quid enim offenderet Cherintum, Hebionemve, siue Arrium, aut quemlibet diuinitatis Christi hostem, testem eum fidelem esse, ac primogenitum mortuorum, id est primum resurrexisse à mortuis, & principem esse regum terrę: quodque nos dilexerit, lauerit à peccatis, venturūque sit cum nubibus cęli? Neq; enim hæreticus his reclamaturus erat, sed eundem esse Deum Deo patri cōequalem, sine initio cum patre, & in patre manentem audire non potest. Recte itaq; post prædicta adiuctum est, quo propalam diuinitas eius confiteatur, vt diceret: Ego sum Alpha & ω, hoc quid sibi velit protinus exponit, principium se esse & finem contentans. Deus est principium rerum omnium, idem & finis, à quo oriuntur, & in quem desinunt omnia: duæ namq; hæ græcorum literę (quibus in eadem lingua hunc librum scripsisse. b. Ioannem vel hinc constat, præter titulum græcè manentem) summæ & vltimæ sunt, ipsum dominum nostrum Iesum Christum sane declarantes principium & finem. Qui enim primus est iure quapiam, etiā prouerbio apud Græcos dicitur Alpha, vt apud Martialem, Alpha penulatorum, vt ergo dubium non sit quale, vel cuius rei principium sit, vel finis, ad sacrę scripturæ exordium respiciamus, vbi scriptū est. In principio crea-

uit deus cæli & terram. Gene. 1. Et per ω. quæ vltima est, item cōmoniti ad finem eiusdem scripturæ in euangelico volumine spectemus, vbi scriptum est, Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Mar. vltimo: vt veraciter credamus & cōfiteamur hūc esse & principium, per quem facta sunt omnia, Io. 1. & finē, in quo consummata restaurata & perfecta sunt omnia. Nec illud silentio prætereundum, quia. α. vnum apud græcos. ω. autem octingentos significat: omnes enim literæ apud eosdem verba componunt, & numeros faciunt: & sicut quæ huc sunt ordine posteriores, ita suis caracteribus numeros cōstituunt ampliores. Prima litera. α. vnum significat, ω. octingentos (vt diximus) hoc videlicet mysterio, quatenus ostendatur, vt qui in principio vnus erat filius summi patris, & vnigenitus, in fine sæculorum penē innumerabiles secum agat octo beatitudinibus præditos filios Dei, non natura genitos, sed adoptione gratiæ per diuersas mansiones in cælo collocandos. De seipso dicit dominus. Ioan. 8. ego principium, qui & loquor vobis. Et in Esa. cap. 43. testatur. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit, Ego sum dominus & non est absque me saluator. Hic quoq;. Ego sum Alpha & omega, principium & finis, dicit dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens: quo intelligeres, quia non est deus recens, nec dominus nouiter inuentus. Sed ille qui ante sæcula erat, est & modo perpetuo & inuariabili tenore, qui plena maiestate futurus est iudex sæculi: ille inquam Deus, à quo olim prophetæ mittebantur, per quos idem ipse loquebatur, cui prophetæ ferebant testimonium, dicentes, Dicit dominus Deus. Qui denique Abraham dicebat. Ego sum dominus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. Sane omnipotens dicitur Deus, quod nihil sit vsquam potētia, nihil virtutis, quod non possit: qui mutari non nouit, vt in Malachia legis cap. 3. & Iac. 1. Et ideo mentiri aut errare aut peccare non potest, quod hæc non potentia, sed impotentia sint. Proinde quicquid dicit, quicquid loquitur, vera sunt, & firmiter credenda.

*Litteræ apud
Græcos omnes
numeros
faciunt.*

DE NARRATIONIS INITIO. IN
qua se primum Ioannes nominat. Sec. III. Punct. I.

Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu. Præmissio hoc tam splendido & fidei proœmio, quo salutationis modū miro artificio absoluit, Nunc suam narrationē facticius ingreditur, vbi primo personā scribentis ponit, deinde locū, causamq; exilij subiungit, hinc tempus reuelationis indicat: quæ potissimū ad ipsius reuelationis commendationē spectare videntur. Personarum idcirco primum nominat, vt maiore affectu à cunctis suscipiantur quæ scribuntur, cognito scriptore fidelissimo, idq; ex auidanti zelo salutis oim, quo præcauebat, ne ab illo impostore seduceretur: & vt solidis erudirentur doctrinis, neq; reciperent subdolos, qui iā passim irreptare cœperat incautis nocētissime imponētes. Dicit ergo, Ego Ioānes, hic iā tertio se nominat. Primo quū dixit. Et significauit mittēs per angelū suū seruo suo Ioanni. Secundo, Ioannes septē ecclesiis. Et nūc tertio. Ego Ioānes frater vester, vt nihil oino de authore ambigeretur: quōque reuelationes hæcē difficilimas, nullo sui nominis subinde posito, præmuniret, defenderet, atque acceptas redderet, ne vlla occasione cōtēnerentur: neve, quod certo futurū erat, ob sui difficultatē reuiceretur. Namq;, quod longe post illud tēpus accidit, hunc librum quidam, vt ecclesiastica tradit historia, lib. v. c. 8. Et lib. 7. ca. 22. Item lib. 3. ca. 19. Et. 21. tamen tali titulo præmunitū, penitus à canone scripturæ reuiciendū putauerūt, singula quæq; eius capita suggillantēs. Nec prætitulationem eius veram credentes, sed alienæ scripturæ. Ioannis tantū nomē impositū, vnde nec Ioannis ap̄ti hūc esse librū, nec reuelationē videri posse, *Ensebins Ca* *satien.* quæ crassa quadam ac cæca nube contexta intelligentiam *Credendum est* oim à se excludat, verū idoneos tandē nactus defensores *non esse vo-* liberē permansit: inter quos, Dionysius, episcopus ecclesiæ *lumen beati* Corinthiorū, vir magnæ eruditionis in verbo dei, & gratiæ *Ioannis.* singularis, fuit, qui de hoc libro in hunc modū protesta- *Dionysius e-* tus dixit: Ego scripturam libri huius spernere, atque reu- *piscopus eccle-* cere nullatenus audeo, hoc magis de eo iudico, quod sic *sic Corinthio* quæ in eo scripta sunt, excedant humanæ eruditionis *rum iudica-*

uit Apocalyp-
psin Ioannis
esse apostoli.

Ioannes ter
se nominat.

Tribulatio
pietatis co-
mes perpe-
tuus.

Hieron. lib.
3. Commēta-
riorum in
Matth. ad
20. cap. vult.
illum vere
martyrē cui
non dissentit
Cyprianus
de duplici
martyrio

modum, & fit in eo arcanus quidam, & reconditus, atque admirandus omnibus sensus, quē & ego admiror, veneror, etiam si non intelligam, & ita sentio quod diuina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam iudicio meo discernens, quā fide credens, & ideo non reicio, quā non intelligo, sed tanto magis admiror, quanto minus assequor. Rectē ergo, quia secundum leges, in ore duorum, aut trium testium stat omne verbum. Ioan. 8. & Deute. 17. & Deute. 19. Item Matt. 18. 2. Cor. 13. tertio repetitum suā clarissimā nomenclaturā titulum Ioannes ponere curauit, ille qui testimoniū perhibuit verbo Dei: tantum abest, vt quisquam cauillari possit, qui commodi nostri gratia; toties se nobis inculcat, ne frivolum esset, quod volumen proderet, etiam si supra captum humani videatur ingenij. Sequitur, frater vester. Fratrem se nominat, non partem, non dominum, non praeceptorem, non apostolum, non praedcatorem, non doctorem, tamen si haec omnia verissimē sibi compererent, essentq; praefationes non illepide sibi quadrantes: non tamen humilitatis tantam gratiam redolerent, quā tam fraternā aequalitatis dignatio, qua totum animum eorum, ad quos scribit, videtur sibi conciliare, se per omnem modum illis attemperans, ideōq; & participē se tribulationis eorum, ac regni, asserit, patientia quoque in Christo Iesu, gratia cuius perpetiebantur sancti omnia. Et verē particeps tribulationis sanctorū fuit Ioānes, quā pietatis perpetua comes est, siue dum piissimū magistrū, & dominum, impiissimi carnifices agerēt ad crucem, siue dum flagellarēt in Aētis apostoli, siue dum pulsū Domitiani Caesaris in Patmū insulā coctus prius oleo ablegaretur. Ac si diceret, ego, qui haec vobis scribo, sum ille Ioannes frater vester, qui oēs vos vt fratres amo & obseruo: qui & alioqui mihi fratres estis in Christo, quorū tribulationibus cōmunicō, quibus ipse Christus vult, in hoc saeculo experiri, fidē ac constantiam nostrā, & sic introducere in regnū suū, illud caeleste, quod nobis sanguine suo, multa passus cōparauit: & hoc vobis debet esse cōsolationi, quū & nos, qui cū Christo fuimus, variis examinemur tribulationum cruciatibus, in quibus omnibus superamus in Christo per patientiā, quā maxima christia-

norū virtus est, & victoria. Hoc autē praeter cōsolationē robur quoque vobis adiuere debet, & gaudiū in spiritu sancto. Nā si ipsi cōicamus vobis in tolerandis aduersitatibus, cōmunicabimus in futuro & gloria. Iam quidē nūc reges sumus, sed regni hereditate tunc potiemur, quū reuelabitur gloriā nostra, & mortale hoc fuerit ab immortalitate absorptū. Vides quā optimo ordine prius meminit de tribulationis angore, postmodū de regni gloriā, eo quod gloriā praecedere debeat humiliatio, crux, & pressura huius seculi, per varios enim casus, per varia discrimina rerū intrare debemus ad gloriam beati Dei, & regni eius diuitias. Nec tu o miles christianā, passionis huius seculi quēcūque sint, conferre potes gloriā, quā futura est. Superat enim in immensum, vt praclare docet Apōsto. Ro. 8. Deniq; quū quidem nemo diu in cruce stare poterit, nisi adfir illi & paciētia, virtus videlicet rara & praecleara, proinde rectē adicit paciētiā, vnde & Paulus hortatur dicens: paciētia vobis necessaria est, vt voluntatem dei facientes, repotteretis promissionem, Hebr. 10. † Punct. 2. *Fuit in insula, qua appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu Christi.*

Designata persona, locū simul & exilij causam memorat. Historia nota est, fuisse hūc Ioannē relegatū in exiliū propter verbū Dei, quod constantissimē praedicabat, cuiq; magnis animi facibus testimoniū perhibebat, quod vidisset, & audisset, & manu correctasset nouissimis temporibus incarnatū ob salutē orbis, cui parēdum foret ab oibus. De hac insula meminit, Pli. li. 4. c. 12. Quae est vna sporadū, hoc est, sparfarū cicladarū in mari carpatio, non procul à Creta, Rhodōq; circuitu. xxx. mil. passū. Interpretatur autē Patmos fretū, seruet enim illic mare amplius, eo quod sit angustū: quatenus oī solatio destituto Ioāni huic dilecto discipulo cōtinuus freti sonitus quoq; adderet molestiā: cui hic exulati & sic ab humanibus desolato caelū apertū est, vt cui negatum esse humanū solatiū videretur caeleste adhibiti est. Locus ergo reuelationis fuit exiliū, & status ei⁹ cui reuelatio facta est, q̄ fuit exul: Quē optimē mysterio congruunt, q̄ in medio malorum nota faciet De⁹ suis arcana sua. Est nimirū cū ipsis in tribulatione, Psal. 90. Aperiens ea quae à magnis ac suavis viuē-

Patmos quid
interpretatur.

tibus sæculi huius abscondit. *Matth. 11. Luc. 10. Simul ex-*
3. dicitur non plū hoc sanctis oibus statuens, q̄ quantomagis in freto-
 tribulationū sæculi huius affliguntur, tanto amplius illis
 faciet domi- secreta caelestia reteguntur. Postremo quum audis exuli-
 nus Deus ver- pro veritate dei mysteria abundantius reuelari, cōsolare,
 bum nisi re- & nihil dubites, quod & tu copiosius à domino erudie-
 uelauerit se- ris, dum aliquid pro nomine eius pateris. Neque enim ab-
 cretum suum te dictū à Domino audis. Beati qui persecutionem pa-
 ad seruos suos tiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum
 non dixit ad ecelorum. *Matth. 5.* Vere beati, & quid beatus hoc? quia
 qualescūq; nunc per Christum regnant in spe, postmodū regnaturi
 prophetas sci in re, qui gaudentes offerunt se illi cum fiducia, quia pro
 licet ad solos eo passi, quē inter tormenta, rotationes ac cruciatus con-
 seruos suos vt fessi sunt, cuius spes inconcussa eos ad talia patiēda pro-
 etiam facili uexit, firmavitque. Qui quū reges sint, qui fiet, vt illis re-
 negotio colli- gni eiusdem mysteria abscondantur: quandoquidem illis
 gitur ex diuo solis datum est ea nosce & intelligere. *Matth. 13. Luc. 8.*
Irenæo lib. 3. cap. 4. non alienis, nō quicunq; de regno nō sunt. † *Punct. 3.*
Fui in spiritu in dominica die.

Hic incipit prima visio principalis è septem: vbi princi-
 cipio oim congruentissimum spiritali visioni tempus
 perscribit. Solet enim scriptura sacra terminos causarū,
 sicut & loci, vel aëris, sic etiam tēporis exprimere condi-
 tionem. hinc est q̄ Abraam in feruore fidei suæ angelos
 meridiē vidit. *Gen. 18.* Et Loth in perditione Sodomorū
 vesperi, *Gene. 19.* Adā post meridiē vocē dñi de Dei am-
 bulantis in paradiso audit. *Gen. 3.* quandoquidē per pec-
 catum amiserat claritatē contēplationis Dei: & declina-
 uerat à medio iustitiæ eius. Salomon quoq; sapientiā nō
 seruaturus in nocte percepit. *3. Reg. 3.* Die ergo dominica
 dilectus Deo apostolus in spiritu fuit, quia fides domini-
 cæ resurrectionis iā orbi tū illuxerat. Iam enim apostoli
 profecti in vniuerso orbe prædicabant vbiq; domino co-
 operante, & sermonem confirmante sequentibus signis,
 vt corporalis illa vacatio sabbati transfret in spiritalē.
 Ecclesia quoque iam facta carnis mortificans in lucem
 spiritus asurgebat, & omnes electi gaudia futuræ resur-
 rectionis sperabant, inq; ea plenis desideris aspirabāt, nō
 alia quàm die dñica fide perseverantes. Dies ergo dñica
 futurz resurrectionis spē mentibus fidelium ingerit, vt nō

Marci. 16.
Dominica
dies sacra ab

alia quàm die dominica fide viuant. Est autem dies ista
 sicut contemplationi, sic & reuelationi aptissima. Porro
 quod de die Dominica hic meminit, datur intelligi eam
 diem ab apostolis sic fuisse vocatam, q̄ ea dominus resur-
 rexit. nihil enim dubitandū apostolos præter hanc
 alios quoq; certos dies instituisse, quibus populus fidelium
 ad auscultandū Dei verbū, cœnamque dominicam cōue-
 niret. vnde etiam erupit ritus sacrosanctus colendi festa
 sanctorum in quibus laudare dominum iubemur, *Psalm.*
150. Quo id in primis proficimus, q̄ intelligimus mag-
 gnā fore apud Deum, mercedem christianorum: quorū
 nonnulli, qui spectabiles fide & vita fuere, nobisque in
 exemplum idcirco traditi, caperunt etiā in terris ita glo-
 rificari, prosequi diuinis honoribus: alioquin facile cre-
 deret ruditas humana, nullam apud Deum esse mercedē
 pietatis, si nulla foret apud mortales memoria, atq; exi-
 stimatio sanctorum. Modo autem quum passim cerna-
 mus debito honore prosequi sanctos, & felicissimam fieri
 eorum memoriā, accendimur studio ad emulacionē.
 Sed de his satis. Nunc precium operæ fuerit indagare,
 quali in spiritu sese fuisse testatur Ioannes. Si enim in
 suo tantum spiritu eum fuisse arbitremur, indignitas sane
 visionis sequitur, plurimumque videnti derogatur, vt ne-
 que ipse propheta, neque verba eius propheta sint, neq;
 visiones eius rectē reuelationes credantur, vt pote quas
 ipse minime intellexerit. Neque enim Pharaō ex visio-
 ne propheta erat, quod in suo tantum spiritu videret, nec
 quod videret intellexeret. Ioseph autē quia non in suo,
 sed in Dei spiritu vidit, id est, intellexit, propheta fuit.
 Deo videlicet irradiante super eiusmodi visiones mer-
 tem eius: hoc enim certum est, vt nisi intelligentia ve-
 landum pro- randa visioni accesserit, reuelatio non est, nec propheta,
 nec doctrina. Sed nunquid apud hunc Ioannem in vi-
 sione talis cœcitas erat, vt signa tantum rerum videret,
 & non earundem rerum intelligentiam haberet? Absit
 hoc ab illo discipulo, qui tam charus erat Dei filio: alio-
 qui quo pacto liber iste apocalypsis, id est, reuela-
 tio diceretur? Quo pacto propheta vocaretur? Igi-
 tur quum dicit sui in spiritu, intelligere debemus, san-
 cto, qui affusus illi, mentem irradiabat certissimam
 c iiii

Apostoli sic
vocata.
Vt est apud
Iustini Mar
tyr. Apologi.
2. ad Antoni.
& Tertul. de
Corona mili
tis & Au
gust. lib. 2. ad
inquisitiones
Ianuarij c. 13
Festa sancto
rum rationa
bilibiter colit.
Propheta cū
intelligentia.
Hoc contra
Apelle dicen
tem propheta
contraria
spiritu fuisse
inspiratos vt
Enseb. lib. 5.
historia eccle
siasti. cap. 12.
docet & Apo
stolus 1. Co
rinth. 14. cū
solum appel
landum pro
phetam qui
ea que loqui
tur scit inter
& non exponere ad
auditore vti
litate &
edificationē
Psalm. 79.

præbens cognitionem rerum omnium quas videbat. Sic Paulus raptus in spiritu vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Sic Ezechiel, qui cum sederet in domo sua, & senes Iuda sederent coram illo ductus est spiritu in Hierusalem. Sequitur.

¶ Punct. 4.

Et audiui post me vocem magnam, sicut tubæ dicentis,

Ego sum Alpha & omega, primus & novissimus.

Absolutis, persona, loco, causa, & tempore, quibus dignitas revelationis huius commendatur. Deinceps rem in se aggreditur, Et audiui, &c. Sicut in spiritu positus spiritualia vidit, sic ea quæ audiuit, vox spiritualis fuit, Quia enim supra carnis sensum per vim spiritus raptus

*Vocem post se
audire.*

fuit: ideo & vocem quam audiuit spiritualis fuit. Quid verò est post se vocem audire, nisi procul dubio loquentis faciem corporali aspectu non cernere: & tamen mentem loquentis accipere? Legimus olim dominum Deum prophetis locutum quidem esse, nec tamen faciem suam eis ostendisse, quam nec ille videre meruit, qui orabat dicens, Ostende faciem tuam, & salui erimus. vnde & Moyses vir excellentissimus audit, faciem meam videre non poteris. Exod. 33. Duo hic considera. Primum, quia voce prius admonetur, quatenus ad visionis intelligentiam mente torus cõuertatur, vnde etiam quisque commonefieri debet, vt ad vocem Dei excitetur, alioqui rei constituentur omnes qui contemnant, nec loquentem aduertunt. Reprehendit dominus in euangelio contemptores verbi sui, quibus dicit. Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Ioan.

*De Tuba lo-
quitur vt
August. epi-
stola. 120.
Honorato.*

8. Non vulgaris est vox Dei, potens est, efficax est, saluifica est, vita est, cuncta penetrans, cuncta disponens, cuncta fecundans, excitans cuncta virtute, vt non ab re tubæ clangenti hic comparatur. Erat vsus tubarum ex præcepto Dei olim, quibus cæcus populi cõnuocaretur. Exo. 19. legimus & Ios. 6. quia ad clangorem septem tubarum inuicem Iericho subita ruina ceciderunt. cui est sonitus terribilis: sic & Dei vox. vnde. Psal. 94. commonemur ad aperienda corda nostra Dei voci. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestre. Secundo quia vocem post se audit, quo significatur sanè quia Deus quibus loquitur omnia præsentis vitæ salaria contemnere debeat,

& in anteriora cum Paulo apostolo festinare. Ego sum alpha & omega, primus & novissimus. Hoc supra expositum est. & hæc erat vox illa magna horrifonæ tubæ clangori similis.

¶ Punct. 5.

Quod vides scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrne, & Pergamo, & Thyria, & Sardis, & Philadelphia, & Laodicie.

Quia Ioannes præerat in verbo Dei ecclesiis Asiæ, illis primùm hæc mittere iubetur, tamen vniuersis etiam eadem mittantur. Enimvero quæ hic scribuntur ad omnes pertinent, quæ pro omnibus reuelata sunt. Neque verò arbitrandum fuerit in his tantummodo locis fuisse tantam ecclesiam Christi, quæ iam dudum diffundi dilatarique cæperat per apostolos in vniuerso orbe per Dei verbum, & vbique in virtute Dei fructificare, ita vt vniuersus orbis vsque ad inuidiam principum ecclesiis repletur. Verumtamen quia solet vniuersitas septenario designari, septem ecclesiis hæc mitti iubentur. Asiæ quippe minoris septem erant vrbes insigniores, quarum caput Ephesus fuit. In quibus ipse Ioannes prædicator exiterat, cui sedes Ephesus erat. Est autem non nihil sacramenti in his ipsis nominibus iuxta vocum interpretationem, quod vniuersalem ecclesiam depingant. Asia quippe (vt diximus) eleuatio est, superbam mundi altitudinem designans, in quo peregrinatur Deus ecclesia donec militat,

*Ephesus quæ
per interpre-
tationem.*

cui tumor genuinus est, tantum abest vt in eo tranquilla sit & non iactetur fluctibus eius. Ephesus interpretatur voluntas, siue consilium meum, quo nomine generaliter omnis ecclesia comprehenditur, in qua est Dei voluntas per fidem, spem, & charitatem, pios quoque affectus: idcirco orat, vt non sua, sed Dei fiat voluntas, quæ semper sancta est, cui à domino per prophetam dicitur, Non vocaberis ultra derelicta; & terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, Esa. 62. Quæ etiam bene consilium meum dicitur, quia videlicet non suum, sed Dei sui sequitur consilium, cui per sapientem dicitur, Audi consiliū, & suscipe disciplinā, vt sis sapiens in nouissimis tuis, Prouer. 19. Donū Dei est cõsiliū, vnum è septem, siue quo prudētia omnis, & omnis fortitudo vanescunt. Proinde reprobi audiūt, despexistis omne cõ-

filium meum, Prover. 1. & Malac. 1. Nō est voluntas mea in vobis, ait dominus. Sciendū autem, quia voluntas pertinet ad charitatem: quia sancta ecclesia non timore cogente domino seruit, sed sponte se illi subiicit, dicēs cūm Psalmista. voluntariē sacrificabo tibi, Psal. 53. Consilium respicit correctionē. Quoties itaq; fit, vt quis suis in sceleribus cupiat permanere: huic superuenit consilium, quo abdicatis turpibus meliora eligat sequaturque. Id quod in Paulo euenisse conspicimus, qui quum furia inuictus conabatur nomen saluificum domini extinguere, delere de terra, subito correctus agnus ex lupo effectus est. Consilium ergo sancta ecclesia capit, quia in suis filiis & a peccatis abstinet & sancta facit opera. Quo in loco opportunē redarguntur ij, qui consilium abiiciunt, vt suauius iuxta carnem viuant: id est pereant. Dicitur & lapsus magnus Ephesus: quo sanē indicatur non æque omnes permāsurōs in ecclesia Dei, sed quosdam lapsuros abiturōsque post sua mendacia, hereticorum erroribus impliciti. Necessē enim est vt veniant scādala, & Paulus ait. i. Cor. 2. Oportet fieri hæreres: sed beatus qui non fuerit scādalizatus, vt permaneat in synceritate sua. Smyrna, consummatō amari tudinis est, vtique designās peccati consummatā fore in electis amaritudinem, vel quia liberata est conscientia eorum a peccati amaritudine, vt non pun gatur, vel quia in fine absoluentur a tribulatione malorum, & dolore, quando resurgēt incorrupti. Est & canticum eorū, quibus per Psalmistā dicitur: Cantate domino canticum nouum, Psal. 95. & 149. Cantat quippe ecclesia Dei canticum nouum, quando mysterium incarnationis, passionis, ac resurrectionis eius grato pectore cōcelebrat, Perfectius multō in futuro cantaturus sicut scriptum est, Psal. 149. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, sequitur, Exultationes Dei in gutture eorum: exultationes, id est laudes. Et iterum, Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. *Daniel. 7. Et Ez. echiel. 29* Psal. 83. Pergamus interpretatur, diuidens cornua, seu cornuum diuisio. Quid cornua significant, nisi regna, vt in Daniel. & Zacharia habes, charitas autem diuidit inter filios Dei & filios perditionis, inter iustos & reprobos, inter regnum Christi & regnum diaboli. fide

Actorum 9.

Math. 11.

Daniel. 7. Et

Ez. echiel. 29

Psal. 83.

Psal. 83.

constat regnum ecclesiæ: charitate compaginatur. dominus est qui ecclesiam regit, qui regna diuidit, qui robor est ecclesiæ, qui ait, omnia cornua peccatorum confringam. Et iterum, Exaltabuntur cornua iusti. Psal. 74. Ipse ab olim diuisit regna. diuisurus & in finem, Quando separabit malos de medio iustorum, & mittet eos in caminum ignis. Vel ideo ecclesia pergamus est, quia fortis ad vincendum, quæ debellatura est in finem omnia regna, & omnem seculi huius potestatem in verbo fortissimo Dei, in quo potestas eius in victoriam assurgit. Pergamus, sancta est ecclesia tempore Constantini imperatoris, quando vniuersus orbis in duo regna diuisus fuit, in occidentale ac orientale. dimisso enim regno occidentali in manus pontificis Siluestri, ipse secessit ad regendum orientale imperium, proque Roma elegit Constantinopolim, quæ antea Bizen, siue Bizantium vocata fuit, quæ regia olim erat regum Thraciæ. Plinius in 4. nat. histor. Bizian vocauit. Magis autem quando Babylonem ab sese diuisit per fidei orthodoxæ virtutes & opera. Pergamus fuit iam antea, tempore videlicet apostolorum, quando diuidebat filios legitimos a sorte incredulorum, quando maximè vincebat, summas Christi iugo subigens potestates. vincebat & quando suis in mēbris occidebatur. Hoc enim peculiare est ei: vt quando præmitur, tunc exurgat, tunc roboretur, tunc vigeat: tunc floreat, tunc fructificet, tum gloria adornetur quàm maxima, triumphetque. Thyatira illuminata dicitur, quod nomen quàm iustissimè ecclesiæ vniuersali competat, vel hoc ipso dignoscitur, quod ab eo illuminata sit. fidei gratia, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioannes primo. Ideo per apostolum dicitur, fuisitis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, Ephesios 4. Elaias quoque felicissimè huius Thyatiræ meminit dicens. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbre mortis lux orta est eis. Capite nono. Sardis, principem pulchritudinis sonat, & hoc ecclesiam exprimit. Ipsa enim est princeps pulchritudinis, per fidem, & iustitiam, & sanctitudinem omnem:

Math. 13.

Apud Euseb. lib. 9. ca. 10. historia ecclesiastica.

Vt vult. d. Hilarius li. 7. de Trinitate & Chry-nomen quàm iustissimè ecclesiæ vniuersali competat, soft. hom. 13. de regressu suo tomo. 5.

*Aug. lib. 20.
de Civitate
cap. 25. Hieronym.
in cap. 31.
Hieremia.*

cui à sponſo dicitur, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, Cantic. 4. Qua præter fidei pulchritudinem decorant ornamenta quoque virtutum. Vnde per psalmistam dicitur, Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, Psal. 44. Vestis deaurata charitas est, per quam fides egit in operationem caritatum virtutum: quibus circumdata memoratur: felix illa regina non dubium quin ecclesia stans à dextris dei sortem habens vitæ æternæ, vt merito dicatur illi, Specie tua, & pulchritudine tua intende prospere; procede, & regna, Psal. 44. Philadelphia, dicitur saluans hæreditatem dei. Ipsa ecclesia hæreditas dei est, de qua in Psal. 2. loquitur pater ad filium, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. De hoc hærede dicebant Iudæi, mali ebloni, hic est hæres. venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas, Matth. 22. Aliter philadelphia saluans domino hærentem interpretatur. Quo etiam modo ecclesiæ nomen hoc philadelphia competit. Ipsa quippe saluat illum qui domino adhæret, vt dicat cum psalmista. Mihi autem adherere deo bonum est, ponere in domino Deo meo spem meam, Psal. 72. Laodicia tribus amata à domino latinis redditur: seu tribus amabilis domino: siue fuerunt in vomitu. Vocabulo, tribus, scriptura sacra sæpe vitur, quemadmodum legis in Psal. 121. Illuc enim ascenderunt tribus tribus domini, forte à tribus ordinibus, qui in senatores, milites, & agricolas, apud Romanos olim distinguebantur, vt in ecclesia senatores sint sacerdotes, milites veritatis defensores, agricola: communis plebs. Possunt per milites & illi intelligi qui hostes arcant à finibus christianorum, ob Christum, & ecclesiæ defensionem, non ob propriam gloriam, aut terrenum commodum, quanuis & hæc interim contingant ob res egregie gestas. hæc est tribus domino amabilis, in qua glorificatur Deus per nomen suum. Porro quod dicitur, fuerunt in vomitu, ad reprobos pertinet, qui simul permisti sunt bonis, ceu palea cum granis, qui sua præsentia grauant sanctos, & domino insuaues sunt, & quos incorporare sibi nequeat per digestionem. vnde & necesse sit eos eiici ab ore dei: quales sunt omnes hæretici, & hypocritæ, & cætera fex christianorum, qui cõtraria agunt,

*Vt est apud
Cyprianum
epistola. 3.
lib. 1.*

seclusi ab electorum choro: de quibus Ioannes dixit, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Ioan. 2. Item Psal. 5. expelle eos quoniam irritauerunt te domine. Eiusmodi qui sunt in sequentibus huius prophetiæ verbis dicitur à domino, Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: tepidus est, qui nec feruet per opera charitatis, nec palam fidem abiurat: sed sub sancto christianitatis nomine iacet iners, & inutilis truncus effigiarius, vt nec christianus sit nec ethnicus. tales incipit euomere ex ore suo Christus condemnaturus prodeunda ex ore eius dira hæc sententia, Ite maledicti in ignem æternum, &c.

Matth. 25.

DE VISIONE SEPTEM CANDÉLABRORUM aureorum Sec. 4. Punc. I.



E conuersus sum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.

Hic liquido claret, non corporalem, sed spiritalem visionem vidisse Ioannem: quia non vt audiret vocem, sed vt videret idcirco se conuersum fuisse testatur. quæ vtique corporeis non cernitur oculis, sed auditur auribus. raptus enim ad summa contemplanda nihil aliud audiuit quam vidit. quia hoc est istic audire, quod videre: hoc videre quod audire. Post se autem videt vocem, quia ecclesia quæ in se videt mysteria completa, in lege & prophetis confyderat prænnuciata. Quid verò per tropologiam in hac conuersione sit accipiendum, nisi hoc, quod in apprehensione diuinæ reuelationis mentem oporteat in vniuersum conuerti ad intelligendum, quod nobis reuelare dignatur Deus, imo à terrenis sustolli ad cælestia contemplanda: neque enim apprehendit quis cælestia, nisi à terrenis cupiditatibus prorsus fuerit alienus. Purgatis igitur auribus atque adeo animis oportet esse eum, quisquis cupit ditari thesauris cælestibus, quisquis cupit discipulus Christi esse, qui ait, Omnis qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Luc. 14. Et iterum. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno dei. Adeo excussum castum & integrum vult Christus, dominus & doctor cælestis

*Chrysoſt. hoc
asserit hom.
3. de incõpre-
hensibili Dei
natura.*

*Conuersio ho-
minis ad deũ
esse debet.*

Luca. 9.

suum esse discipulum, quem totum sibi amore vendicare contendit, vt se totum eidem insinuet: sicut scriptum est, Diliges dominum deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, Deut. 6. & Luc. 10. Quippe auersus erat homo à conditore suo, & in multa dispersus euauerat: mundi amoribus veluti retinaculis quibusdam sese vltro irriterat, vt nō se suis ipse viribus posset explicare, amare cœlestia: venit Christus è cœlo cœlestis, legem attulit cœlestem, quæ animas conuerteret. Psal. 18. Hic canit ne quis vltra deceptus sequeretur terrena, vtq̃ue veterem hominem profusus exuerent omnes: cōuersi sunt ad illum paucissimi, & ij homines illiterati ignobilēsque, quorum bona pars piscatores erant: è quibus vnus hic Ioannes erat, adolescens sane optimus & virgo, cui denique visio hæc facta est, qui ad Dei vocem subito conuertitur, vt videret quis loqueretur: cui vox tubæ sonātū persimilis erat: sic omnem hominem decet obtemperare Deo, & subito cōuerteri ad eum, vt intelligat volūtatē eius, quid per eum fieri velit.

✠ Punc. 2.

Et conuersus vidi septem candelabra aurea.

Septem candelabra aurea hoc significant, quod septem ecclesiæ, id est, vniuersalem ecclesiam septiformi spiritu collucentem, habet enim ecclesia aureum colorem, quia radiantis in morem metalli fidei refulget sapientia, iuxta illud, Thesaurus desiderabilis requiescat in ore sapientis, habet & lucernam, quia lucet verbo veritatis, & sanctorum exemplis, qui ceu luminaria lucent in mundo iuxta illud: Vos estis lux mundi. Matth. 5. vnde apostolus. In medio nationis prauæ, atque peruersæ lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Non est quo conuenientius pulchriusque ecclesiæ forma adornetur, exprimatūre quàm candelabro aureo, & eo septemplici, siue opus fabricæ spectes, siue formam, siue materiam, siue speciem, siue usum. Candelabrum nanque aureū multa varietate distinctum, tundendo producit ad perfectū, & ipsa ecclesia multis tūsonibus premitur donec ad perfectum perducitur. Forma eius oblonga est, & ecclesia longa perseuerantia consumatur. Materia aurū quod nobile metallum est & preciosum, sic & ecclesia preciosa

Proverb. 21.

Philip. 2.

Aureæ candelabro comparatur ecclesia.

in conspectu domini. Species auri irritat amabili splendore oculos cordaque hominum, & ecclesiæ species gloriosa apparet primo ex iustificatione fidei, deinde ex claritudine lucis diuinæ. Vfus candelabri ad lucernæ gestamen habetur, quæ lumine tenebras dispellit, & arceat: oculis intuitum, rebūque reddit colorem. Sic ecclesiæ fidei lumen: prægastans doctrinæ suæ luce caliginem erroris deicit, & mentis oculos irritat, ostendens proprio quæ sequenda quæve vitanda colore. Mysterium est quod dico, olim aurum erant credentes quando omnes sancti erant, ardebant charitate fidei, lucebant operibus: vt preciosi haberentur. Nunc verò in contrarium versa sunt omnia, quod terrena plusquam cœlestia sequantur omnes. Omnes enim à minimo vsque ad maximum student auaritiæ: curant cuticulam & ventrem: ambiunt honores, in celso collocari gestiunt, vt vix alicui ex magno mortalium numero pristina illa species auri supersit: & tamen nihilominus ecclesiæ septiformi spiritu decora aurum est, vtur à prima illa origine defecerimus multis: quoniam columna est veritatis & iustitiæ Dei, vt Paulus *1. Timoth. 3.* ait, etiam in paucis. Sunt enim qui veritatem teneant & iustitiam Dei sequantur, in quibus solis est ecclesiæ Dei, & hi aurei sunt illi.

✠ Punc. 3.

Et in medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis, vestitum pedere, & praecinctum ad manillas zona aurea.

Bene in medio septem candelabrorum aureorum similem videt filio hominis, quia Christus qui ecclesiæ præsidet, & præsidendo eam protegit, in electorum suorum medio versatur, qui ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Matth. vlt. Et iterum, vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. 18. Esaias quoque ait dicens: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Esa. 12. Intuendū est autem quia non absolute dixit, hominis filium, sed addidit simile. Ille enim angelus personā Christi agebat, qui subinde se filium hominis appellare solet in euangelio: huic ergo angelus similis erat, quia personā eius gerebat,

Credentes o lim aurum.

Intelligit de membris vniuersis & sanis ecclesiæ perpetuo manentibus, nō autem de mortuis & putridis in fine rescandis.

Christus in medio ecclesiæ versatur.

qui non ille erat. Obserua. Christus filius hominis etiam carnem nostram accepit, non tamen fecit peccatum, sed apparuit in similitudine carnis peccati, ut præclare docet apostolus. prope enim peculiare est homini, non carere peccato, quantumuis iustificatus sit apud Deum, per fidem, eo quod in se illi morbus pruriens, æstuansque in malum, qui captiuatos sequitur nos in mortem, quod tantopere deplorat Paulus Rom. 7. Video (inquit) aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum ducentem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infelix homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? hoc non habuit Christus, cuius ortus non nisi mera sanctificatio fuit, opere spiritus sancti, ut Lucas habet. Et hic erat vestitus podere, decenti videlicet, ac proprio amictu. Poderis (media longa) vestis erat sacerdotalis duplici sindone (ut Hieronymo placet) quam Io-

Luc. 1.

*Poderis me-
doa.*

*Hieron. to. 3.
in epistol. ad
Fabiolum de
de veste sacer-
dotali.*

Psal. 131.

sephus byssinam vocat, ad talos usque demissa, ideoque talaris dicta. Græci enim podas pedes dicunt, Christi designans sacerdotium, cui dictum est à patre, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Psal. 109. Per allegoriam: Dei iustitia est poderis, quam pura in Christum fide induimus, in quo spiritualiter omnes sacerdotes sumus. huic per psalmistam dicitur, Sacerdotes tui induantur iustitia legis expressæ. Eccl. 27. Si sequaris iustitiam, apprehendes illam, & indues quasi poderim honoris? & inhabitabis cum ea, & proteget te in sempiternum, & in die agnitionis innenies firmamentum. hoc nomine vocatur summi sacerdotis vestis, Sapient. 18. quia Christus perfectius reliquis omnibus est indutus plenus gratiæ & veritatis. Ioan. 1. Ipse nanque est pontifex noster, de quo Hebr. 9. Christus assistens pontifex, &c. Unde fluunt charismatum riuuli in omnes. in cuius figuram

Psal. 132.

*Lucernarum
cura ad sum-
mum perti-
nebat sacer-
dotem.*

quum Aaron vngeretur, oleum descendit in barbam & in oram vestimenti eius. Bene autem in medio candelabrorum visus est versari hic similis filio hominis, quasi ipsi cura sit proprie de lucernis, nam & olim ad summum sacerdotem pertinebat cura lucernarum, ut ipse affunderet oleum incenderetque. Exod. 27. & alibi. sic modo ad Christum pertinet largitio charismatum, sapientiæ quoque, &c. Iacob. 1. Si quis autem vestrum indi-

get sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Deus est Christus. Ioan. 20. Hæc autem scripta sunt: ut credatis: quia Iesus est Christus filius Dei: & ut credentes vitam habeatis in nomine eius: cui omnem regendi potestatem dedit pater, Matth. vlt. qui administrat ecclesiã suam, ut dominus & heres vniuersorum. Psal. 2. & Hebr. 1. Et ideo purgat emungitque lucernam fidei in nobis, affundit oleum misericordiæ, lumen sumministrat sanæ intelligentiæ scripturarum. De pontificatu Christi scribit Paulus Hebræorum. cap. 5. & 7. & in sequentibus. Huius duo vbera, sunt duo charitatis præcepta, quibus Deus super omnia diligere iubemur, proximum sicut nos. In pectore vbera pendunt, & charitatis geminæ sedes est in corde, quod sub claustro pectoris delitescit. Quod verò præcinctus zona aurea dicitur, in eam sententiam intelligi video, quod charitas religet christianam viuionem. vnde & bene vinculum perfectionis ipsa charitas à Paulo vocatur, Colossensium cap. 3. Hæc vbera meliora probantur vino fragrantia vnguentis optimis, Cantic. 4. vnde succus odore diffuens largissime præstatur accedenti, osque pium admouenti. Nemini negat sua vbera Christus dummodo plena fide accedat, clamabar Iesus die magno festiuitatis dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ioan. 7. Sola ergo fidei credentia acceditur ad eum, hac bibitur potus gratiæ eius, quæ in flumina largissima credentis ab ore redundat. Sed quid est quod Daniel dominum præcinctum ad renes sibi apparuisse dicat? cap. 10. Vbi propheta ait, leuani oculos meos, & vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti. Hic autem Ioanni dominus non ad renes, sed ad mamillas præcinctus apparuisse memoratur. Quia videlicet scriptura veteris testamenti ipsum opus *Vberis ac no-
luxuriæ arcet damnatque, nouum autem testamentum
ni testam. di-
etiãpnium sacrilegas eiusmodi cogitationes vitat, do-
sirepans cõ-
mino dicente, Qui viderit mulierem ad concupiscen-
cordia.*
dum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5. In pectore ergo præcinctus apparet, qui cogitationes pectoris ac cordis cauet. Sunt qui per mamillas duo testameta veteris ac noui capiant, quæ zona aurea præcincta

*Pontificatus
Christi pro-
batur.*

*Vbera duo
Christi.*

sunt, quia utrobique charitatis præceptum docet, qua electorum ecclesia copulatur. vel certe in mamillis angelus zona præcingitur, quia ex duobus populis vna electorum ecclesia per charitatis geminæ vinculū collecta constringitur, ac Christo sociatur. Aliis verba vitæ æternæ videlicet promissionis, & gratiæ: in euangeliis, & scriptis apostolicis expressa per duo vbera intelliguntur, ex quibus in spem viam plurimum cōsolationis sugitur, quæ meliora sunt vino legis sua acrimonia mordentis. Dulcia sunt vbera Christi, plena lacte misericordiæ, qui iubet peccanti septuagies septies dimitti, vt non capiat vltionē, qui peccatrici liberè errata condonat, liberat depræhensam in adulterio, larroni paradysum pollicetur: tam meliora sunt vbera eius vino. puniebat enim lex vetus, non remittebat, perfringebat non mulcebat, lædebat non sanabat: occidebat non viuificabat, & ideo nulla, vt his, fragrantia inerat, nec currebatur in odorem eius, quin potius exhorrebat, spernebatur, & odiebat. Eadem legis & in scriptis apostolicis, in quibus doceris ex fide iustificationem nostram apud Deum. Iustitia, inquit, Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. Rom. 3. Et rursus, Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionē, quæ est in Christo Iesu, quæ proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguinem ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum. Et. 1. Ioan. 1. Si confiteamur peccata, fidelis & iustus est Deus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Et ca. 2. Si quis peccauerit, aditocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustū, &c. Item. Scribo vobis filioli quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Et iterum, vnctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis, Et in sequent. cap. Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam quum apparuerit similes ei erimus. Punct. 4.

Caput autem eius. Et capilli erant cand. di. tanquam lana alba. Et tanquam nix.

Legimus in Daniele, quod antiquus dierum fedit, cuius vestimentum erat quasi nix candidum: & capilli

eius tanquam lana munda. Daniel. 7. Ibi itaque his verbis designatur æternitas patris, id quod in sequentibus ostenditur, quum persona filij commemoratur. Sic enim legis. Aspicebam in visione noctis, & ecce cum nubibus quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. id est, vsq; ad æqualitatem patris. Ideo eodem hic filij persona atque ibi patris schemate describitur, forte vt scires nō aliam filio quā patri naturam aut æternitatem esse. Quippe æternus pater, æternus filius, nō duo, sed vnus Deus, quem discurrere videbat, in medio candelabrorum aureorum Ioānes, dirigentem ac regentem ecclesiam suam. Ille enim discurret in medio qui dirigit, docet, conciliat, ac regit. Et quia caput Christi, & capilli candidi erant, videndum est quid per caput, ac denique quid per capillos eius intelligatur. caput in Christo aliud non intelligo nisi diuinitatem eius. Sic enim Paulus ait. Caput autē Christi deus est. 1. Cor. 11. Quod nanque summum est in Christo, diuina substantia est, & ideo capitis appellatione recte diuinitas notatur. Nam caput sublimior pars, & principalior quacūque in re est. Ideo de eo sponsa, Cantic. 5. ait, caput eius aurum optimum, sanè inæstimabilem præciositate diuinitatis Christi subindicans. Et quid preciosus Deo? qui alibi candor lucis æternæ, & speculum sine macula describitur. Sapient. 7. Per capillos sancti exprimentur, qui huic capiti arctius cohærent. Vt enim capilli de capitis substantia non sunt, videlicet carne aut osse, sed de virtute eius: sic sancti non de substantia deitatis nati, sed virtute substantiæ eius sunt, videlicet gratiæ. vnde & filij Dei non natura, sed gratia sunt sancti: & hi tanquā lana alba sunt. lana quippe ouiu est induuium, & sancti oues in iudicio à dextris statuentur. Matth. 25. De quibus Psal. 99. Populus eius oues pascuæ eius. & Ezech. 34. Ecce ego ipse requirā oues meas, & alibi. Ecce ego mitto vos sicut oues. Matth. 10. Per niuem verò nouitas designatur resurrectionis, vnde dominus claritatem futuræ resurrectionis niueo candore corā tribus discipulis in se expressit, quando resplenduit facies eius sicut sol: & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Matth. 17. Vt qui modo per vitæ innocentiam in fide Christi lana sunt, tūc fiat per gloriæ af-

Matth. 18.

Ioan. 8.


Luc. 23.

Hic intellige de fide opere per charitatem, vt Galat. 5. dicitur.

Pater & filij eternitas.

Caput in Christo diuinitas.

Capilli Christi sancti sunt.



sumptionem nix: immo fulgeant sicut sol in regio patris eorum. Matth. 13. Expectamus inquit apostolus, saluatorem nostrum dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae secundum operationem virtutis suae. Phil. 3. Hinc est quod angelus testis resurrectionis domini mulieribus apparens, niuco vestimento se exhibuit: cuius aspectus sicut fulgur erat. Matth. 28. quem Marcus stola candida cooperitum dixit. cap. vlt. Lucas vero duos viros stetitisse secus illas in veste fulgenti commemorat. ca. 24. Quae omnia habitum futurae resurrectionis nostrae expriment. Ad haec duo angeli illi, qui ascendente domino ad inuisibilia paternae maiestatis, caelum intuentibus apostolis ceterisque credentibus apparuerunt, simili schemate visi sunt. Sic enim legis, quum quis intueretur in caelum, euntem illum, ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis. Act. 1. Sed quid est, quod sponsi huius capilli hic candidi, tanquam lana alba & nix describuntur: in Canticis autem eiusdem comae nigrae sicut coruus dicuntur? Huius rei grande est mysterium, quando in hac vita iusti degunt, nemo eorum absque peccato vivit, vtrius iustificatus sit per fidem: testatur Ioannes in prioris epistola, cap. 1. Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: etenim cum iustificatione nostra manet adhuc peccati materia in nobis, quum nondum sumus in bonum confirmati. Nam etsi gratia emundet conscientiam nostram a peccato formaliter, non tamen aufert materiam seu fomitem peccati, nec eleuat potentiam peccandi: nec ligat libertatem arbitrij: vt ceterum impeccabiles simus. Peccabiles ergo sumus ex fomite peccati, qui manet in nobis donec iustificatio haec nostra peringat in gloriam, quae consolidabit nos, vt non vltra fomitem hunc habeamus. Interim donec hoc fiat, pius ille Samaritanus influat iustitiam, infundat vinum & oleum vulnei nostro, sanet, liget, confoueat infirmitatem nostram, vt quomodo ipse solus iustus est, & integer, continue iustificet nos, reficiat, reddat amissae integritati. Accipe id praclarum, spiritus iusti iustificatus est per fidem, ne illi peccatum imputetur. Arbitramur (inquit apostolus) iustificari hominem

Marc. 16.

*Coma nigra sponsi.
Cantic. 5.*

*Peccati manet in nobis.
Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia ca. 23. dicit eo modo concupiscentiam esse peccatum, quo frigus est pigrum, quod homines sequeis et pigras reddat.*

per fidem. Ad Rom. 3. & iterum, Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei. Rom. 4. Quo nomine beatus est quisque. Psal. 33. Corpus tamen nihilominus peccato est obnoxium. Rom. 7. Non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Et rursum, condelector legi dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris, meis repugnantem legi mentis meae: & captiuam me in lege peccati, quae est in membris meis. Igitur ego ipse mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati, hoc est, quantum quisque conetur, non potest vitare quin aliquando peccet etiam nolens. Ergo desperandum erit: Nequaquam, in quod statim sequitur, Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu: qui non secundum carnem ambulant. Id est non carnis opera ex proposito victi concupiscentia faciunt, magis autem secundum legem spiritus vitae, quae est in Christo Iesu, quae sola liberare poterit nos a lege peccati & mortis, vt idem docet. ca. 8. Nunc itaque iustus ne vincatur ab hac pestifera lege, totis adnititur viribus, vt corpus ipsum, quod videt rebelle, sibi que mortiferum subigat, & faciat sibi consentiens, vt pariter legi Dei seruiat: idque variis afflictionibus, laboribus, exercitiis, & mortificationibus: quatenus lex Dei non modo in spiritu & in corde, sed etiam quodammodo in carne impleatur, & in sensibus eius, quae usque adhuc fidei operibus resistit, & spiritui amanti, & implere legem Dei cupienti. Sic & aurum excoctione subigitur, vt in aula regis in opere vasorum decentius reponatur, nitentque splendidius. implens inibi officium suum in quod assumptum est, vbi pro usu varia sunt vasa, 2. Timothy. 2. Comae igitur sponsi & candidae, sunt & nigrae, comae spiritus & carnis. Candida in fide Iesu Christi & in operatione virtutis eius, nigrae in carne, in qua non habitat bonum. Namque quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ioannis. 3. Quod perinde est atque diceret, Quod ex Deo nati sumus, hoc d. uini ac meris spirituales & filij Dei sumus, id est sancti & immaculati:

Nota.

Coma spiritus & carnis. Candida in fide & operatione virtutis eius, nigrae in carne.

Hoc in seculo habemus perfectionem potius in affectu, quā in actu: sed in alio seculo, plene et integre actū atq; affectum habebimus, ut docet Aug. lib. de spiritu & littera ca. 16. & 3. lib. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. & B. Bernardi sermone 30. in Canticum.

Oculi domini cognitiones eius.

quod verò ex carne, carnales, quia peccato carnis obnoxij. Nec tamen ideo abiecti, immo accepti: neque enim pro huiusmodi reliquiis peccati, ut sunt fomes, libido concupiscentiæ, pronitas in malum abiicimur, quæ manere oportet in nobis donec plenius sanemur: Et ideo nec imputantur propter Christum, quæ quia vitari nequeunt, venialia sunt: neque ponuntur in crimine. Huc pertinet illud Cantic. 1. Nigra sum: sed formosa. vox enim sponsæ hæc est: quæ nigra quidem ex peccabilitate est, cæterum aurem formosa ex iustificatione per Christum, in quo omnes commendationes iustorum intelligendæ sunt. Quidam per candentes capillos verba Dei capiunt, quæ & multa sunt & varia, quæ vnquam locutus est Deus per prophetas suos, eadem & lana sunt. ut enim ex lana fuso articulis digitorum contorta in filum vestis contextitur, sic de verbis Dei siue per linguas siue per calamum scriptura sacra confarcitur. Nec qualiscunq; lana est sacra scriptura, sed alba, siue ut in Daniele legis, lana munda, quia scilicet eloquia domini, eloquia casta sunt, Psal. 11. Lex quoque domini immaculata, Psal. 18. quæ idem omnino ut domini eloquia. lex enim per eloquia data est, ut quæ eloquia domini casta sunt, lex quæ eius immaculata est, ita & castificatiua nostrarum animarum, domino dicente. Iam vos mundi estis propter sermones meos. Ioan. 17. hinc habes, sordidos omnes & impuros qui carent dei sermonibus. Vbi autem sponsæ comæ nigra, ut corui dicuntur, ad impios putant pertinere, quibus verba Dei contemptibilia sunt, ut potè eis contraria.

*¶ Punct. 5.
Et oculi eius tanquam flamma ignis: & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.*

Duo hic obserua, Primum, quid oculi domini sunt, Secundo quid pedes eius. Oculi domini sunt limpidissime cognitiones eius: sunt & iudicia, sicut Matth. 20. dicitur. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, ubi nequā oculus pro peruerso iudicio capitur. Sed quid est, quod oculi domini tanquam flammæ ignis sunt? nisi quod præcipua eis est cognitio, & sensus viuacissimus penetrans vsque ad intima medullarum, cogitatio nūmq; cordis humani: vident omnia, omnia prospiciunt, etenim

nulla creatura imperferutabilis est apud Deum. Haymo episcopus per flammeos dñi oculos dona intelligit spiritus sancti, de quibus in Zacharia dicitur. Super lapidē vnū septem oculi sunt. ca. 7. Lapis autē Christus est. 1. Cor. 10. Nā & in sequentibus huius libri verbis dicitur, quod viderit Ioannes agnū tanquam occisam habentē cornua septē, & oculos septem, qui sunt septem spūs Dei missi in oēm terrā. Qui idcirco flāmei dicuntur, quia accendūt in amore Dei, & in cognitione illuminant, de hoc igne idē dñs ait. Ignē veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Luc. 12. Possunt per oculos Domini iudices quoq; in sancta ecclesia intelligi (tur multiplices in vno quoq; verborum sacra huius. Apocalypsis latent intelligentiæ) ij enim (iudices dico) prædici esse debent eximia cognitione, ut non stupeant qñ per ipsos iudicat Deus, ne in insipientia eorum periclitetur iustitia, alioqui ruat necesse est omnis status, & cōditio, lex & ordo: collidantur respublicæ, & ostium totius malitiæ aperiat. Oculi dñi sunt & viri spirituales prælatiq; in ecclesia Dei eminentiores, qui nō solum lucere, sed ardere etiam debent, sicut scriptum est de Elia. Eccl. 48. Surrexit Elias quasi ignis, & sermo illius quasi facula ardebat. Porro ardor hic, non liuoris nec iræ, nec furoris secundum similitudinem serpentis esse debet: sed zeli, sed veritatis, sed proximorū salutis, quæ admodum in Ezechiele de sanctis animalibus scriptū, quia aspectus eorū erat, quasi carbonum ignis ardentū, & quasi aspectus lampadarū. Duo dicit, alterum, carbones ardentes, alterū lampades fulgentes, enim uero sunt quidā carbones ardentes, sed non lampades fulgentes. Nonnulli lampades fulgentes, sed nō carbones ardētes. Qui enim verbo Dei ardent, & in feruore spiritus prædicant, docent, & corrigunt, carbones ardentes sunt: sed si vitioribus, honesti non sunt, lampades fulgentes nō sunt. Sunt alij simplices idiotæ, quia tamen pij sunt vitæq; lucentes: ij, etsi arguti non sunt, lampades tamen sunt, implentes quod Dominus in euangelio dicit, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona: & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Matt. 5. Quod si vtriusque commercium contingat, præciosa nimirum merx est, id est, si sapiēs sit & bonus, arde-

Oculi domini cognitiones eius.

Oculi domini iudices ecclesie.

Athana. hoc docet oratione contra Idola et Grego. homi. 14. in Ez. eccl.

Iudices in ecclesia pellere debent cognitione.

Oculi domini sunt viri spirituales.

arque doctrinæ verbo, & luceat vita: id quod spiritus flammans supra modum efflagitat à nobis, ideòque linguis igneis non sine luce in die Pentecostes in Apostolos descendit, imbuens corda credentium & inflammans: ut & sapientes essent & boni, arderentque lingua & plurimum lucis aliis circumferrent. Præterea lux à foris demonstrat rerum facies: reuelat & lingua secreta. Sancti itaque prædicatores, quorum primitiæ erant apostoli, & lingua prædicant & vita, dum quod prædicant re exhibent, ut iam non solum luceant coram hominibus, sed adurent etiam corda plurimo igne repleta. Sed de his satis. Nunc de pedem filij hominis habitu. Nam pedes eius similes erant aurichalco, quod in camino ardenti excoquitur. Græci dicunt chalcolibano, quod est, dictio composita ex ære, & thure. Suidas græcus author indicat hoc genus esse electri auro præciosius, idque constari ex vitro & lapide, restatur eius temperatura fuisse mensam sanctam magnæ (ut ipse vocat) ecclesiæ. Plinius in. 34. naturalis historiæ libro cap. 2. dicit genus esse æris, quod è terra venis effoditur, olim habitum in precio. Per pedes itaque Christi, seu angeli in persona Christi sese exhibentis, voluntas, atque adeo Christi affectus eximij, chalcolibano metallo pulcherrimo eoque præciosissimo per quàm similes, capiuntur, quandoquidem & mundissimi sunt, & præciosissimi, qui velut ardentes in camino erant, quando ob salutem nostram in cruce mori desiderabat: baptismò inquit, habeo baptizari, & quomodo coartor vsque dum perficiatur. Luc. 12. Idem Petro dissuadente passionem respondit, vade post me satana: scandalum mihi es. Marth. 16. Denique moriens clamabat in cruce veluti in ardenti camino, Sitio: non dubium quin mundi salutem intelligeret. Et quia Christi desideria sancta erant, & fortissima, ut non cederent morti recte æri thurisque cõparantur, quorù odor fide sentitur: & quisquis ea sentit confestim post ipsa velocissime currit, hoc odore adolescentulæ, hoc est fideles animæ pulchro iuuentæ decore insignes capte, dicunt, curremus in odorem vnguetorum tuorum. Cant. 1. Putat chalcolibanum, & thus masculum dici: quod ideo æreum: quia forte, quemadmodum fortia æra dicuntur: & Christi desideria ut odoratissima, ita & fortissima fut-

Chalcolibanum.

Pedes Christi affectus.

Comprobat hoc. Augu. li. 50. hom. 23

Christi desideria es thus sunt.

Chalcolibanum thus masculum.

re. Alij probant humanitatem Christi per pedes intelligendam: Nam sicut per caput diuinitas, sic per pedes humanitas potest intelligi, quæ & speciosissima, quia labe carens: & præciosissima quia diuinitati in personæ unitate cõiuncta, & quid in rebus speciosus, humanitate Christi? quid præciosius? quem prætulit omnibus Deus, proq; eluendis atque expiandis sceleribus nostris dignum sacrificium acceptauit: & quod vniuersus orbis non potuit litatum est humanitate Christi. De speciositate testatur. Psal. 44. dicens, Speciosus forma præ filiis hominum, nõ dubium quin Christum in humanitate commendans. De speciositate autem scribit Paulus. 1. Corin. 6. Empti estis precio magno, &. 1. Petr. 1. Non corruptilibus auro, vel argento redempti estis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati. Sanguis enim ad hominem pertinet. Quia verò Christus iuxta hominem in maximis tribulationibus positus fuit, recte velut in camino ardenti pedes eius cadentes visi sunt, & quia pedes extrema pars hominis sunt, recte finem vitæ huius mortalis Christi designant, quando se pro nobis Deo patri in odorem suauitatis in cruce obtulit, tunc sane suæ combustionis odorem emisit: hic odor peruenit ad electos omnes, quem modo olfacimus omnes: cuius suauitate viuimus, olfacturi denique largius in cælestibus, quando beata gloria eius perfruemur. Interim opus est nos hic pedibus istis aduolui, immo coniungi constringique arctius quo participes passionis eius fieri mereamur, & combustionis & odoris. Eis coniungitur quisquis voluntati eius acquiescit inque passione eius spem omnem salutis ponit: & quemadmodum id quod proximita coniunctumque est rei ardenti, necesse est, ut ardoris sit participes: ita oportet illum, Christi laborum, & crucis participes esse, id est cum eo pati, ut postmodum cum eo regnet in cælestibus, oportet enim electos dei tanquã aurum in fornace probari. Non enim est seruus maior dño suo, Io. 13. Mat. 10. Et oes qui ex Deo sunt, necesse est eos teteri. Io. 15. Si de mudo fuissetis, mudo quid sum erar diligeret. Quia verò de mundo nõ estis, sed ego elegi vos de mudo: propterea odit vos mundus. Itẽ. 2. Tim. 3. Oes qui pie viuere volunt in Christo, persecutionem patientur, dum autem

Pedes Christi humanitas eius.

*Aurichalcum
multis ignibus
ad colorem aureum
perducit.*

Matth. 24.

ij exemplo eius, ad cuius pedes viuunt, & quibus coniuncti sunt, in pressurarum camino ardent, tum maxime odorem suauissimum emittunt, dicentes illud, 2. Corint. 2. Christi bonus odor sumus. Porro tradunt aurichalcum multis ignium impediis ex solido cre ad aureum produci colorem: tamen nonnullis visum sit, non solo ex are fieri, sed diuersis interdum metallis. Quicquid sit, hoc nobis in mysterio per id sacratius exhibetur, quia ecclesia multis tribulationum incendiis in fine vel in pede asura est, antichristo teterrimo atrocique humani generis monstro vehementius in populum Dei & in omnes furente, iuxta illud, quod dominus dicit. Exit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio. Habet quadam translatio. Orichalcum libani, satis commodo mysterio. Est namque in Iudæa mons libanus, ubi tribulatio prima cœpit ecclesiæ, quæ grauior in fine incumberet. Nam & dominus inibi crucifixus est. Eo sensu dixit Zacharias propheta. Aperi libane portas tuas: & comedet ignis cedros tuas, ca. 11. Cedri sunt sancti altitudine spei elati in sublime euectique, quos comedit ignis tribulationis in Iudæa primum: ut tribulatio orta fuit. Nã & Stephanus ibi lapidatus est, cæsi apostoli & eiecti. Sed vide quia splendor inest aurichalco, & sancti ex tribulationibus mundi splendidius peruenerunt in gloriam, sicut & Christus ex passione clarificatus est, qui est caput supra omnem ecclesiam, Eph. 1. tum certe, id est, in fine vitæ sublimiter fixus in cruce clamabat veluti in camino ardenti positus ad patrem à quo desertus erat, ut non liberaret eum de passione immo quæ pati volebat pro generis humani redemptione: & ecclesia ipsa ædificata est similes clamores in finem multis variisque tribulationum angoribus adstricta, ut nihil ab simili forma videantur membrum & caput. † Punct. 6.

Et vox eius, tanquam vox aquarum multarum.

Vox ista, vox fidei, vox confessionis, vox laudis, vox gratiarum actionis, vox quoque sermonum Dei est, varie reddita ab ecclesia. Sed in questionem venit, quid est quod supra vocem angeli tanquam tubæ audiebat, nunc autem tanquam vocem aquarum multarum audit. Aut quæ est ratio diuersitatis? Quia videlicet prius per paucos prædicatores verbum Dei in vniuerso orbe personabat: modo autem cre-

scete ecclesia creuit & vox multiplici copia. Messis quidem multa dicebat Christus, operarij autem pauci. Mat. 9. Aquæ multæ populi sunt, habes infra ca. 17. Proinde rectè fidei vox voci aquarum multarum comparatur. Eo sensu legis apud Ezechiel de aialibus. Audiebã inquit sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, c. 1. Spiritus dicit, confitebor tibi in populis, & psalmum dicam tibi in nationibus. Psa. 107. Ecce vox aquarum multarum, ut multi modo loquantur dei verbum: multi deum trinum & vnum confiteantur, multi laudent, agant gratias multi, multi porro cantent certis etiã notulis canticum nouum in ecclesia de Christo & eius victoria, & de triumphis sanctorum, quorum voces persimiles sunt sono aquarum multarum confusa quadã suauitate harmonia: ubi in vni grandes & paruuli equabili dissimilitudine cõcununt, densius alij, alij subtilius: hi temperatius, clarius illi acutiùsve prout natura vocum vniuersiusque fert, cantusque ratio. Spiritualiter tot voces eduntur in ecclesia quot credentes consentiunt in laudem Dei. Qui in tot genera vocum conciliabili varietate dissiliunt, quot personæ sunt, quos tamen omnes æquabilis continet harmonia. Quid hic mihi respondebis, qui ecclesiæ Christi ceremonias oēs conuellit? Christus in voce se exhibet, plane ostendens, quia obmutescere nequaquam debeamus à laude Dei, quum potissimum tot causæ nobis cumulentur gratitudinis: quot beneficia à Christo recepimus. Quid retribuam inquit propheta domino, pro omnibus quæ retribuit mihi, Psa. 111. & quo alio magis quàm cantu id ecclesiastico reddimus? Non somniabat spiritus prophetæ quum diceret. Cantate domino canticum nouum, cantate domino ois terra, & rursum, Cantate domino & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutarem eius. Annunciate inter gentes gloriam eius, in oibus populis mirabilia eius, Psa. 95. Idem iubetur & Psa. 97. & 149. quatenus agnoscamus omnes carus, predicationesque fidei propriè diuinarum laudum esse & populi deuotionum, & ædificationum. Bene sane frequenta canticum ait Esa. ca. 23. Sed & illud quoque, dicetis mihi. Quid sit quod dominus intendit in euangelio. Matth. 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Vellem scire quis iste fructus sit? Respondebis mihi, fides. Sed

*Cantus in templo
Dei ratio
nabilis.*

*Euseb. li. 2. historiæ ecclesiæ
cap. 17.*

*Non solum
(ait) intelligunt hymnos
veterum sed*

*& ipsi faciunt
nouos in
Deum omnibus
& eos*

*& metris &
sonis honesta
satis*

suauiter modulantes.

fides sine operibus mortua est. Iacob. 1. Linguamus hic aliqua mortalia, tantummodo quæ propriè Deum spectant illa in primis consideremus, fateor Deus quidem glorificatur in moralibus virtutibus nostris. & fide. vnde in euangelio ait, Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Matth. 1. Sed adhuc aliis inurgendum, opus est vt annuncietur per nos opera domini in vniuersa terra, cum gratiarum actione, & laude. sicut docent Paulinæ epistolæ non raro. Verum hæc gratiarum actiones, & hæc annunciationes operum domini: & laudes, prout institutum est ab ecclesia per spiritum sanctum: ita & fiendæ sunt, in fide & charitate Dei. lectionibus cantibusque. Fructus ergo regni Dei est, quicquid aliud sit in ecclesiis ad honorem Dei. Id quod Iudæi non faciebant, qui gloriam suam quærebant, & non Dei: & commendari se volebant ab inuicem. quo pacto honor Dei negligebatur in ipsis. certè. Vox ergo Dei resonet in ore nostro iugiter in gratiarum actione: quoniã aliud holocaustum ferre domino non possumus.

✽ O Punctus 7.

Et habebat in dextera sua stellas septem.

Septem stellæ angeli sunt septem ecclesiarum, habes infra in fin. cap. huius per quos episcopi intelliguntur, qui idcirco angelorum nomine designantur, quod annunciatōres sacri verbi Dei sunt. Nam & in Malachia sacerdos angelus domini dicitur, iidem & stellæ sunt. Daniel. 12. qui ad iustitiã erudiunt multos, quasi stellæ: has stellas tenet Christus in dextera sua. Iam verò quid sit in dextera tenere stellas, nisi in eius custodia & protectione esse, aut primaria in parte seruari rerum suarum. Nota. magna felicitas est teneri in dextera Christi, ecòtra summa infelicitas ac maledictio hinc eiici. Qui voluntati & sermonibus eius parent non eiiciuntur: tandiu in dextera eius erunt, quandiu sermones eius seruant, faciuntque voluntatem eius. Quod si non faciunt, eiiciuntur. Magnus igitur fructus, Christi sermones seruire, facere voluntatem eius. maximè ecclesiarum prælati. Enimvero donec id faciunt implentq; in sollicitudine ministerium, hinc potissimum habent vnde cõsolentur, quod se

*Malachia 2.
Episcopi ecclesiarum in dextera Christi sunt.*

tandiu teneri in dextera Christi intelligunt, vnde nemo eos eripiet in sine ad dexteram collocandos, quando dicitur est, venite benedicti patris mei, percipite regnum, Matth. 25. Denique quia hæc septem sunt, liquido cõstat per eas vniuersitatem designari, quatenus per septem stellas vniuersitatem prælatorum incunctanter accipias. Porro & hoc diligenter perpendendum est, quia stellæ in nocte lucet. Quid hoc designat, nisi quia episcopi ecclesiarum in nocte huius vite lucere debent taquam luminaria in domo, iubente domino: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est, Matth. 5. Lux eorum operatio sancta est, & vita inculpara: Lux eorum est verbu Dei sacrum, quod prædicare instanter debent, lucemq; dare hominibus, de quibus dictu est, vos estis lux mundi, Matth. 5. Ita prælati sunt lux, vt & oculi sint corporis mystici Christi, per quos totum corpus prospiciat: qui si excæcentur, vt oculi esse desinant, quid erit reliquum corpori per quod prospiciat? Sola hæc potentissima ratio esse debet sincerioris, melioris, perfectioris, ac sanctioris vitæ prælatorum, vt sint oculi quibus cæteri cernant. alioqui palpent miseræ plebes in tenebris uecisse est. Audi igitur prælate quicumque es, quicumque gaudes culmini, dici Rabi, forteque primus, In omni tua vita ita virtutibus primus sis, ita summus, sicut dignitate primus es & summus, Alioqui nec postremus fies inter Christi electos, eiectus de amabili dextera Christi.

Episcopi iucetes esse debent.

Prælatorum exhortatio.

✽ O Punctus 8.

Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.

Solet in scriptura sacra gladij nomine verbu Dei designari, solet & iudiciu eius. Verbum Dei est, quum dicitur. Eph. 6. Sumite gladiu spiritus, quod est verbum Dei. Hoc gladio accinguntur sexaginta illi fortes, id est, prædicatores sancti vniuersi in seculo decenoq; intellectu, ob perfectionem numerorum horum, qui veri Salomonis Iesu Christi lectulum, id est, ecclesia ambiunt. Cant. 3. quo & ipse Christus potentissimè accingi iubetur. Psal. 44. Accingere (inquit) gladio tuo super femur tuum potentissime. Is gladius penetrabilior est quouis gladio ancipiti, id est, vtrinque incidete. Heb. 4. qui de ore eius exit, etiã quum per prophetas suos loquitur: id est, prædicatores,

Gladius Dei verbum, Et iudiciu eius.

qui sunt veri prophetae. testis est idē quī dicit, Nō enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Matth. 10. In hoc, quod dicitur, Patris spiritus, non excluditur filius, quum pater & filius in substantia idem sint. Ioan. 10. Ego & pater vnum sumus, & rursus. Ego in patre & pater in me est. Spiritus ergo patris, est & filij spiritus, quū aequaliter in eadē essentia spirant eum, in personā distinctione. Gladius ergo procedit de ore Dei, quia verbum inde promanat verbum vite, & discipline verbū salutis, verbum præciosum, & suauē quod loquitur Christus. Paulus dicit. An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? 2. Cor. 13. hoc verbum, ob vehementem potentiam gladius biceps dicitur, cui nemo aduersariorū poterit resistere, Luc. 21. Vel ideo biceps, quia veteris ac noui testamēti scriptura fit. Biceps est, quia & imperfectos iuxta literā docet, & perfectos in mysterio instruit. Audit enim simplex verbum Dei, hoc videlicet nō adulterabis, non occides, &c. proponit in animo primo quoque tempore custodire: dum autē hoc facit, carnalē ab se abscindit per verbum acutissimum delectationem: abscindit & impetum vitionis, ira quoque furorem cohibet ac cæterarum talium pestium iūē. Audit in christiana disciplina exercitatus eadē, & altiora præterea quæq; considerat, velut sunt bonitas præcipientis, misericordia, sinceritas, sanctitudo, pulchritudo, honestas, charitas, quæ placent illi cui ipse animo consentit, ac planē iam velit esse cum illo, qui præcipit hæc: & ideo nihil terrenum ambit, nec quæ carnis sunt facit: sed cælestibus delectatur, & illum ipsum videre cupit cuius tanta in diuino eloquio prædicatur magnificentia. Deniq; iudicium gladius quoque est: de quo Deut. 32. Si acuro (inquit) vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea. Iudiciū ergo recte gladius dicitur, quo vterus est dominus in potestate magna, & maiestate, quando vibraturus est verbum fortissimæ ac iuxta acutissimæ sententiæ, velut gladiū vtrinque, scindentē, in aduersarios suos: vt bene gladius biceps fit illud Christi iudicium, id est, figuratum per eiusmodi gladiū, eo quod scelera hinc externi operis, illinc puniat peccata internæ cogitationis. Aut certe quia diuidet bonos à malis gladius biceps iu-

Gladius biceps Dei verbum.

Gladius iudicium.

Gladius biceps alio mysterio.

dicij sententia est, quando his qui à dextris erunt, dicitur, venire benedicti patris mei: & qui à sinistris: discedite à me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. vtraque autem acie tam efficax erit hic gladius, tam potens, tanta maiestate fulgurans, vt eant ij in supplicium æternū, iusti autem in vitam æternam: vt sic diuisi nunquā amplius valeant conuenire. Potest & alia ratione cedat reprobus dum corpore & anima pœnis æternis reddat obnoxios vna. Nam sicut iustos in corpore & anima glorificabit, ita impios cruciabit. O qualis erit tum his terror gladij huius? qualis pœna? Econtrario, quale gaudium bonis? quale pramium?

✱ Punct. 9.

Et facies eius sicut sol in virtute sua luceat.

Torus hic habitus filij hominis cūlibet fideli iusto quoque comperit: quia Christus & ecclesia vna sunt persona, caput videlicet & membra. Per faciem eius possumus intelligere sanctos, non quales nunc sunt mortales, sed quales futuri sunt immortales, quum ad sui conditoris gloriam peruenerint. vnde dominus in euangelio dicit: Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum. Matth. 13. & 1. Ioan. 3. Scimus (inquit) quoniam quum apparuerit similes ei erimus. Item Paulus. Saluatorē expectamus dominum nostrū Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundū operationē virtutis suæ. Phil. 3. hanc claritatē ostendit in se dominus, quando in mōte transfiguratus est corā tribus discipulis, tunc enim facta est facies eius sicut sol. Qualis autē tunc apparuit, talis vtiq; vterus est ad iudicium. Quo in loco queri potest, si dominus venurus est ad generalē resurrectionē cum tanta claritate, quare nō in eadē apparuit post suā resurrectionē discipulis? Ad quod statim dicimus, Ideo post suā resurrectionē claritatē vultus sui discipulis abscondit, vt eū vel sufferre possent vel cognoscere, alioqui, mortales eū oculi sufferre non valuisent. Si enim quum adhuc mortale corpus circumferret pati claritatem vultus eius nequibant, quando transfiguratus est in monte: quanto minus hoc poterant, si post suam resurrectionem non iam vt sol, sed septemplex sole fulgentior, se ma-

Facies iusti da Christi sancti glorificati.

niffaret: Futurę claritatis noſtrę typū, legis apud Eſaiā, Erit lux lunę ſicut ſolis, & lux ſolis erit ſeptemplexiter, ſicut lux ſeptem dierum, in die, qua alligauerit dominus vulnus populi ſui, & percuffuram plagę eius ſanauerit, ca. 30. Iam verò ſi iuſti tunc in illa reſurrectione fulgebunt ſicut ſol iſte conſpectibilis, qui tum ſeptemplexiter iuxta prophetę vaticinium fulgebit copioſius, quantum putas excellentiorem claritatem habiturum, caput illud à quo membra accipient claritatem: vnde quum hic beatus Ioannes de ſole mentionem faceret addidit in virtute ſua: videmus enim ſolem hunc noſtrum in medio die plus multo virtutis emittere, ardentius etiam quandoque lucere, quatenus intelligeres Angelum hunc qui in perſona domini erat ſplendidiffima facie, ſicut ſol in meridie apparuiſſe, in exemplum præclariffimę reſurrectionis noſtrę, cuius amplioſiorem virtutem explicaturus propheta ſeptem dierum luci comparauit, ac ſi diceret, quantę claritatis erat Deus verbum, quum ſex diebus fierent omnia, & in ſepimo die omnia per ipſum completerentur, tantę claritatis in carne ſua tunc erit apud patre, qui patris poteſtate veniens orbem iudicabit: cui luce corporis mirabiliter configurabuntur iuſti vt luceat tanquam ſol in regno patris eorum. Hoc eſt quod in ſolēni precatōne ſua tranſiturus ex hoc mundo ad patre, orabat dicens, Clarifica me pater apud te metipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus fieret, apud te. Ioa. 17. Tunc certe alligabit dominus, iuxta eundem prophetam, vulnus populi ſui, perfectęque percuffuram plagę eius ſanabit, vt non ſint poſtmodum in memoria priora hæc que modo gementes geminus in infirmitate corporis noſtri. Vulnus hoc, & percuffuram plagę noſtrę, nõ puto aliud eſſe, quã morbum nature inſictũ nobis in Adam poſtquam peccauit, cicatriceſque peccatorum relictas in carne, quę tunc perfectẽ ſanabuntur, quando filij Dei reuelabuntur: quod fiet in illa oſtãua reſurrectionis noſtrę die, quando complebitur amabilis, & glorioſa redemptio noſtra, quam expectandam propoſuit ſaluator. Lu. 21. dicens. Reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

* Punct. 10.

Et quum

Claritas corporum qualis futura ſit.

Et quum vidiffim eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.

Quod imbecille eſt uatit ad fortem virtutem. Quod ignobile deſert nobili. Sic tranſfigurato in mōte dño cadunt in facies ſuas diſcipuli. Matth. 17. & ipſe Daniel ad conſpectum angeli collabitur. Expanſcit Zacharias viſo Gabriele, vt minimẽ mirum tibi ſit, ſi Ioannes conſpecto angelo ad pedes illius cadit: & non ſolum cadit, ſed tanquam mortuus cadit, quod ſane vehementis animi eius conſternationis eſt indicium, & ſumma cuiuſdam nota reuerentię. Illud obſerua velim, Ioannes hoc loco omnem electorum multitudinem in ſe exhibet, Angelus ſolummodo capitis, id eſt Chriſti, perſonam gent. Electi nanque conſiderata maiestate Chriſti vltro ad pedes eius aduoluuntur, procumbunt & adorant, quia dignam illi venerationem ſimulque gratitudinem ſeſe exhibere debere intelligunt, & ideo ſe coram illo humiliant, quẽ admodum & de ſanctis orientis plagę Magis, qui typus erant omnium ex gentilitate credentium & primitiuum quoddam ſcriptura euangelica refert, quia procidentem adorauerunt eum, Matth. 2. Ad huius pedes Maria quoque Magdalena procubuit & lachrymis veniam erratorum promeruit, Luc. 7. Iam verò per tropologiam pedes dominici ſunt humilitas paſſionis eius, in qua ſe demiffi vſque ad crucem, ſupplicium videlicet ſcleratis debitu, quod quicumque ſubiiffet legis maledictioni foret obnoxius. Maledictus (inquit propheta) omnis qui pendet in ligno. Sic modo ad pedes dominicos cadit quiſquis veſtigia paſſionis eius in ſui humiliatōne imitatur. iuxta illud. 1. Pet. 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinques: exemplũ vt ſequamini veſtigia eius. Bene autẽ Ioannes non mortuus, ſed tanquam mortuus aſſeritur: quia electi veſtigia paſſionis Chriſti imitantes, & ſi moriuntur mundo, viuunt tamen Deo. Sic Paulus quum ſe mortuum diceret, Chriſtoque confixum cruci, ſubdidit, viuo autem tam non ego, viuunt verò in me Chriſtus. Qui & ſe hominem alios hortatur ad ſui maſtationem dicens. Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentem, ſanctam, quid ſit Deo placentem. Hoſtia quippe Chriſtiana immolatur & viuata eſt: quia ſancti & ſi ſe mortificant, viuunt tamen.

Chriſti pede

humilitas

paſſionis eius

Mortificare

autem tam non ego,

viuunt verò in me Chriſtus.

Qui & ſe hominem

alios hortatur ad ſui maſtationem

dicens. Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentem, ſanctam, quid ſit Deo placentem. Hoſtia quippe Chriſtiana immolatur & viuata eſt: quia ſancti & ſi ſe mortificant, viuunt tamen.

mortificant in concupiscentiis carnis & mundi, viuunt autem in vi spiritus Deo. Et hoc est viuere Deo, mortificare vitia carnis in concupiscentiis eius, in seipso: mortificat qui abstinet, qui non delectatur, cui non placent, nō amat, non sequitur. vita enim est homini amor in corde: mortificas igitur vitia quum non amas, quum non delectaris in eis, non sequeris. Mortuus non sentit, non mouetur, non videt: sic & spiritualis homo sese mortificans à vitiiis non consentit delectationibus carnis, nec mouetur ad illa probra, nec respicit. In quem sensum loquitur Apostolus Col. 1. Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, quum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Potest & aliter dici. Nāque vt primum vera cognitio fidei intellectui offertur, superbia humana statim se humiliat ac deicit, seque prosternit vsque ad pedes eius, vnde salutem sperat. In huius rei exemplum, Maria vt cognouit quod Iesus accubisset in domo pharisæi attulit alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, accidit, & amplexabatur eos, rigabat lachrymis & capillis capitis sui tergebat, osculabatur: atque vnguento vnguebat. Lucæ. 7. Sic Paulus dum tumidus sublimiter aduersus Christum incedit, vbi Christum verum Deum agnouit, veritas illius ipsum deiecit, quatenus deiectus acciperet quod alius non mereretur. Deus enim superbis resistit, humilibus autē dat gratiam. Iacob. 4. Excelsus enim dominus est, & humilia respicit, Psalm. 137. huc denique & illud in casu Ioannis accipe. Si quidem profunda Christi mysteria impense perscrutantibus à potentissima & imperscrutabili maiestate diuinitatis eius subito mentis consternatio incutitur, quia dum in carne Deum sic humiliatum conspicit, insolentiæ suæ memor contabescit. At nunc quomodo cum sic humiliatis corde agere soleat paulo attentius considera.

✱ Punct. 11.

Et posuit dexteram suam super me, dicens: noli timere.

Spiritus boni partes.

Hæ sunt partes veri bonique & non mendacis spiritus, vt paucis statim adimat pauorem, adhibeat & consolationem, vt meliore spe statuatur. Sic Gabriel Zachariam. Sic virginem mox futuram Dei matrem consolationem est post consternationem. Sic denique & Christus in mō-

re Thabor discipulos, à gloria vultus eius prostratos in terram posita dextera consolans dixit, Surgite: & nolite timere, Matth. 17. Quid vltra dicam: A mortuis resurgente domino angelus ad sepulchrum adstans exultanti voce mulieribus dixit. Nolite timere vos, Matth. 28. quatenus facili discerniculo distinxeris inter spiritus, qui ex Deo sunt, & qui aliunde: quia quum ij in desperationem perturbent, illi in meliorem spem constituunt, & consolantur. Nāq; solet angelus quoq; satanæ in angelum lucis sese transformare, vt Paulus astruit. Nota, duo facta sunt, primum dextera imposta est super collapsum ex formidine Ioannem, Secundo verbum consolationis adhibuit. dextera hic pro opportuno Dei auxilio capitur. sic Iob. 14. dicitur operi manuum tuarum portiges dexteram, Et Psalm. 137. Saluum me fecit dextera tua. Item Psalm. 138. Tenebit me dextera tua. Dexteram ego super nos ponit, quum iuuat nos, & erigit, & consolatur. ponit alibi dexteram quum dicit, Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Matth. 10. & Lucæ. 10. Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in celo. & rursus. Matth. 5. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis. Possunt per dexteram aptissime intelligi & sancti prædicatores, vnde Deuter. 33. dicitur, In dextera eius ignea lex. ac si diceretur. In sanctis prædicatoribus doctrina spiritus sancti. Nō autē vterius exprimit quid cum Iōne actum sit, nisi quod posuerit angelus dexteram suam super eum. Sed ex Daniele discimus quod à terra eum leuauerit. Ibi enim legimus, quod angelus qui erat, accinctus auro ob tyzo, & corpus eius quasi Chrisolythus, posuit dexteram suam super Danielem, & erexit eum super genua sua, & de Ioanne idem accipe. Porro ponit angelus manum super Ioannē ad pedes eius tanquā mortuū iacentem, quando Christus ecclesiæ suæ filiis per penitentiam iacentibus ad pedes eius, seque mortificantibus cum vitiiis & concupiscentiis auxilium porrigit opportunum, datque verba consolationis per suos prædicatores. Nam alioqui facile desperare possent memoria ac turbine subinde recurrentium præteritorum scelerum. Duo ergo necessaria sunt, Primum auxilium gratiæ Christi: secundum verbū consolationis spiritus oris eius: quod miser-

Dextera auxilium operatum.

Dextera sancti prædicatores.

cordis Dei prædicator est, cui in scriptura dicitur. Si se-
paraueris preciosum à vili quasi os meum eris. per hos
loquitur Deus ad quos vult, & quod vult. *Punct. 12.

*Ego sum primus & nouissimus, & viuus: & fui mor-
tuus, & ecce sum viuens in secula seculorum: & habeo
claves mortis & inferni.*

*Christus pri-
mus & no-
uissimus.*

Luce præclarius constat hinc angelum non suam sed
Christi personam hic agere, & in persona Christi hæc
dicere: neque enim angelus est primus & nouissimus.
Nanque id propriè illi competit, qui primus est per di-
uinam naturam, qua est initium omnis creaturæ: Omnia
enim per ipsum facta sunt, Ioan. 1. Nouissimus per huma-
nam, in qua habitus est vt vermis, Psal. 81. & plebis abiectio:
Ibidem, quem nouissimū vitorum appellauit Esaias
ca. 53. Vel nouissimus, quia in ipso restaurata sunt vniuer-
sa, & restaurabuntur adhuc, Nam expectatio creaturæ re-
uelationem filiorum Dei intendit Rom. 8. vt nō alij quā
Christo nato, passio, sepulto, ac resuscitato hæc verba cō-
ueniant, qui in Esaiā loquitur dicens. Hæc dicit dominus
rex Israël, & redemptor eius, dominus exercituum, Ego
primus & ego nouissimus cap. 44. Ipse inquam primus,
qui est ante sæcula, in principio verbum. Ipse nouissim⁹,
quia in fine temporum natus, & verbum caro factum est,
& habitauit in nobis. Ioā. 1. hic idem est & viuus, qui est
vita in se. Ibidē. In ipso vita erat. Qui etiā viuificat om-
nia, tametsi mortem pro nobis subiecit in tempore, non
tamen morte detentus est: quin potius multo gloriosior
resurrexit à mortuis, vt nunquam amplius oppetat mor-
tē. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel,
quod autem viuit, viuit Deo, Rom. 6. Et iterum, Christi⁹
resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra
non dominabitur. Necessè enim erat mori Christum, &
resurgere: nisi enim ex mortuis resurrexisset promissio
vana fuisset, nec finis hominis in gloriam peruenisset. Im-
pediebatur enim per omnem modum ne authori Deo
coniungeretur: quo solo beatus esse poterat, extra quem
miser erat semper. Ipse enim Deus erat finis hominis,
quē peccatum diuidebat ab ipso, vt testis est Esaias. Hoc
iam Christi morte sublatum est impedimētum: resurre-
ctione autem eius effectum est vt vitæ redderetur homo

*Christi mors
& resurre-
ctio propter
nos.*

mortuus peccato, atque idem fini suo coniungeretur,
Mortuus est (inquit apostolus) Christus propter delicta
nostra: resurrexit propter iustificationem nostram, vt in
ipsa pacem haberemus ad Deum. Rom. 2. & 5. Sed vt ad
institutum redeamus. Magna hic cōsolatio adhibita fuit
Ioanni, cui iacenti tanquam mortuo dictum est, fui mor-
tuus, & ecce sum viuens in secula seculorum. Nihil hac
consolatione opportunius, nihil gratius: ac si diceret do-
minus seruo, Noli timere pro me quippiam pati, ego pro
te mori non dubitavi, qui sum vita omnium, & ecce vi-
uo: quatenus tu quoque, ac tui similes, ne dubitaretis pro
me indigna pati, pro quibus ego mortem oppetij crude-
lissimam, sed sum viuus, daturus & vobis vitam immor-
talem pro me sustinentibus. merces manet ex æquo om-
nes æterna, vt pari mecum sorte gloriæ potiamini in cæ-
lis, qui paria mecum sustinetis in terris. caput sum, vos
membra. Nihil ergo est cur deinceps vos metuere debeat-
is eos qui occidunt corpus aut aliter affligunt vos, digna
vos omnes mercede afficiam quicumque estis mihi fide-
les: tantummodo ne deficiatis, nam perseuerantibus red-
ditur corona quæ promittitur incipientibus, omnes vos
rediuuios reddam. Postremo quod dicit, habere se pote-
statem mortis & inferni, indicat sane dominatum super
omnia habere quantumuis fortia. Quid enim fortius
morte? quid inferno potentius: in quem descendunt for-
tissimi quique & sublimes gloriosique. Esa. 6. Super hæc
habet Christus potestatem, qui à sua gloriosa resurrectione
sic testatus est, Data est mihi omnis potestas in cælo,
& in terra. Matthæi. vlt. A quo data? Respondeo à patre.
Ioā. 8. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.
Habet autem potestatem super mortem, quia mors eum
detinere non potuit. habet & super infernum, quia de-
structis claustris, ac repagulis eius detractis captiuos, qui
erant istic liberati: per quem nos Deus pater quoque
conresuscitauit, & consedere fecit in celestibus, vt osten-
deret in seculis superuenientibus abundantes diuitias
gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu. vt præ-
clarissimè legis Ephes. 2. Ergo & resuscitationis quoque
nostræ habet potestatem. Sed quid est conresuscitauit, &
consedere fecit? Nunquid conresuscitauit nos, qui non-
e iij

*Christus ha-
bet potestatem
mortis &
inferni.*

dum fumus mortui? & quomodo etiam confedere fecit? Respondet. D. August. iam factum dicit apostolus, quod certum est futurum. Idem. Multa, inquit, dicuntur in scripturis tanquam facta sint, quum in spe adhuc esse intelligantur. Sed quid est quod prius mortis, deinde resurrectionis meminit. nisi hoc ut omnibus certum est, quod sicut ipse passus, mortuus, & sepultus est, antequam resurgeret, & plena potiretur gloria: ita omnes electos suos, antequam ad gloriam perueniant pati necesse sit, Quæ admodum scriptura continet, Multæ tribulationes iusto rum. Psalm. 33. Et rursus, Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei. Act. 14. Ad quod non sunt condignæ passiones nostræ. Rom. 8. Quamobrem nihil magnificandum res nostras diripi, iura auferri, abiici, contemni, & tanquam homines nihili haberi: quum in cælo fixum sit Christianos in hac vita, pressuram & molestias acres perpeti debere, quatenus membra capiti suo conformentur? Nec ab hac conditione liberatur ecclesia donec peregrina est, quæ quanto acrius premitur, tanto fortius sublimiùsque exaltatur: nec deficiet, quia nomen domini turris eius est & propugnaculum, & murus, quod inuocatum est super nos, Hierem. 14. In quo & stamus, & hoc ipsum manet in æternum: cuius virtus operatur in nobis in omne bonum. Porro, quod post mortem euestigio resurrectionis meminit, hoc ideo facit, ut qui in Christum morientem credit credat & in resurgentem, & qui in morientem credit, simul & ipse moriatur peccato cum Christo: Et qui credit in resurgentem & viuentem, ipse quoque resurgat & uiuat: ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom. 6. Nouitas vitæ est, liberum esse à peccato & syncerum. Hoc scientes, inquit apostolus ipse, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato.

¶ O Punctus 13.

Scribe ergo quæ uidiſti: & quæ sunt: & quæ oportet fieri post hæc.

Scribe, uerbum hoc imperatiui modi est, quo præcipit Christus Ioanni, ut scribat quæ uiderit, & quæ statim uisurus sit, scribendi ei tradens auctoritatem & gra-

Tribulationibus agitari necesse est sanctos.

Vita nouitas quid sit.

tiam: unde liquet quantæ inter reliquos apostolos fuerit. B. Ioannes eminentiæ, uidelicet quantæ olim. S. Ioseph puer ingenuus, inter duodecim fratres patriarchas, qui postmodum duplicia accipere dignus fuit patre dicente, Dabo tibi partem unam extra fratres tuos, Sichimam significans, siue Sichem, quæ in euangelio Sichar dicitur. sic Ioanni scribendæ prophetiæ munus donatur ultra sortem apostolorum. Sed quid est, quod dicitur, Quæ uidiſti: utique si ad uisionem reuelationis referas, non multum adhuc uiderat: si uero ad cœptam tribulationem sanctorum multum: constat enim diu ante hæc uirgeri vexariq; cæpisse ecclesiam. Hic duo observa, Primum minime reuelationem spiritus tacendam esse: secundum, minime sine reuelatione spiritus in ecclesia Dei loquendum, Paulo subscribente, qui ait, Aut quomodo prædicabur nisi mitrantur? Rom. 10. Alioqui mera mendacia, ac errores prædicent oportet: eo quod ad Dei sacramenta caro minime pertingat. uæ autem prophetis mendacibus, de quibus dominus Deus dicit apud Ieremiam, non mittebam prophetas, & ipsi curebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetauerant. Ierem. 23. Quos ibidem vetat audiri. & cap. 27. lege plura ibidem.

¶ O Punctus 14.

Sacramentum septem stellarum, quas uidiſti in dextera mea: & septem candelabrorum aureorum hoc est. Septem stelle angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra septem, septem ecclesie sunt.

Sacramentum, mysterium est, signum sacræ rei, ubi aliud uideatur, & aliud intelligitur: sicut (uerbi gratia) in Christi corpore, ubi quum uideatur panis, uera caro est, unde ipsi sacerdotes postquæ gustauerint litatoriū illū panē sacræ eucharistiæ, dicunt: Sacramenta, quæ sumpſimus domine proficiat nobis ad salutem corporis & animæ. Ita & hic sacramentū erat, quia in septem stellis, angeli septem ecclesiarum: & candelabris totidem, ecclesiæ septem figurantur. Vbi simul observa, quod ex præscripta uisione, duo tantum, uidelicet, stella & candelabra interpretantur, quod qua ratione factū sit, non satis liquet. Poterat naque eodē pacto dicere, sacramentū filij hois sic uel tibi, sic præcincti tale caput, & tales oculos habetis, hoc uel tale est: sed fortassis non adeo res exigebat: non tanta negocij necessitas

Ioannis excellentia.

Reuelatio spiritus non reticenda, nec sine ea prædicandum.

Sacramentum quid sit.

Stella septem angeli septem prælati sunt ecclesie.

virgebat. Attamen arbitramur, & ita esse confidimus, hoc triplici causa factum, Prima est, quia de his, quæ per ista figurantur nempe ecclesiis, & verbi ministris hic potissimum tractatur: quo præclarissimè constat, quid illis facti opus sit, & quanta eos virtute pollere deceat, qui stellarum nomine, atque adeo angelorum proprietate exprimuntur. Secunda, ut horum interpretatio ad inquirendam aliorum significationem viam paret. Tertia, ut ex his paucis etiam reliqua per mysterium dicta non dubitemus. Ad hæc, ut præter hæc duo interpretata reliqua propriè ad Christum pertinere ferme agnosceres, cuius mysteria scripturæ continent, ad quas semper recurrendum est pro eo, quatenus ex hinc capiat testimonium iuxta illud, Scrutamini scripturas, illa testimonium perhibent de me. Ioan. 5. Quam verò appositè candelabrorum nomine ecclesia designetur diximus. In ipsa cuius lucet lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Non est autem dubium quin lux ipse sit Christus, qui de seipso testificatur, dicēs. Ego sum lux mundi. Ioan. 8. quem Simeon vocat lumen ad reuelationem gentium. Luc. 2. sic apud Esa. cap. 60. aliisque multis in locis. Est denique & ipsa eadem ecclesia lux quædam ob veritatem, quæ in ea est: propter quod pulchra ut luna, electa ut sol. Cant. 6. describitur. Omnibus etiã vere fidelibus Ephes. 5. dicitur. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino. quorum opera lucis appellatione consignantur. Rom. 13. quibus iubet auctor lucis Christus ut cæteris luceant, Matth. 5. Candelabra autem hæc aurea sunt, quia præciosa est Dei ecclesia: neque enim tam præcioso metallo, nisi res admodum præciosa figuratur. Porro stellarum mysterium redditum est: ut nõ opus sit iteratione, aut fusiore explanatione. Septem, inquit, stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: Angelus græce, latine nuncius, aut legatus interpretatur. qui sunt 71 nuncij, nisi de quibus loquitur ex Esaia Paulus Romanis scribens. Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. cap. 10. Esaia autem, 52. Hi sunt synceri verbi Dei ministri, quos oportet esse affectu specioso, & excusso, ut in summa inculpatisimi sint: quales esse debent & ecclesiarum prælati. Neque enim alia

ratione stellæ sunt, nisi ut proximis lucis exempla præmonstrent, & lumen veritatis doctrinamque vitæ, verbo sancto circumferant. Vos (inquit dominus) estis lux mundi, Matth. 5. Ob quod & Ioannes lucerna ardens & lucēs ab ipso domino prædicatur. Ioan. 5. Obserua. licet ecclesia vniuersalis aureorum candelabrorum typo designetur: stellarum autem, itidem angelorum, neque tamen omnes aurea candelabra sunt, neque omnes stellæ angelivæ. Proinde quanuis aliqui in se reprehensibiles sunt, angelorum tamen ac stellarum appellationem per officium minime exuunt, quo minus prædicent & publica exhibeant ministeria.

CAP. SECVNDVM. DE PRÆCEPTIS ANGELO EPHESINAR ECCLESIAE scribendis. Sect. I. Punct. I.



Angelo Ephesi ecclesiæ scribe.

Antequam ad totius epistola enarrationem pertingamus, cæleo de ea, atque sequentibus nonnihil prælibare, ne pro singulis eadem toties sit repetendum. Primum est, nihil in ecclesiis, quatum ad generalia dogmata pertinet, desiderari potest, quod non in his particulatim reperias, modo sensum spiritus in eis ipsis dispicias. Quod enim ex filiis ecclesiæ alij sunt pii, & irreprehensibiles vita, his conuenit epistola secunda Smyrnearum episcopo missa, sexta quoque, quæ Philadelphienfis ecclesiæ scripta est. Sunt & reprehensibiles nonnulli fideles tamen, quibus competunt prima, tertia, & quarta, hoc est, epistola missæ, episcopis ecclesiarum, Ephesi, Pergami, & Thyriar. Sunt denique meri hypocritæ: his quadrat quinta & septima epistolæ, missæ ecclesiis Sardis & Laodicæ. Sunt etiam multi falsi prophetae, veritatis ac sanctorum hostes, & persecutores acerrimi, contra quos sparsim in his epistolis non indigna reperies. Secundum est quod episcopi harum ecclesiarum non solum reprehenduntur, aut commendantur, aut erudiuntur, sed in eis ecclesiæ quoque, quibus presunt. Quod vel ex eo agnosces, quia in epistolarum conclusionibus semper dicitur, Qui habet aurem audiat, quid spi-

Documenta generalia.

ritus dicat ecclesiis. Item ex eo etiam, quod in epistola. 4. dicitur, vobis autē dico, & ceteris, qui Thyatira estis, &c. Præterea episcopi ecclesiarum Pergami & Thyatira reprehenduntur pro nonnullis erratis, quæ in eorum ecclesiis irreperant. Sunt & alia in ipsis epistolis, quibus notū fit non solum episcopis, sed & ecclesiis hæc missa. Tertium, suspicor angelos pro angelis, id est singulare pro plurali positū, ut nō vni soli episcopo singula mittētur epistole, sed aliis quoq; qui inibi erant præpositi, ad regēdum ecclesiam Dei. Costat enim Ephesi plures fuisse episcopos, quos Paulus è Mileto ad se vocauit, quibus & dixit, Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Act. 20. Quartum, angeli isti, id est prælati, & ministri verbi Dei, quibus hæc nominatim scribuntur, nō minus sunt alij ab Asianis, quàm ipsi Asiani, sicut neq; ad solas Asianas ecclesias, sed & ad omnes hæc pertinent. Quintū, A principio cuiuslibet epistolæ scribitur aliquid de Christo iuxta schemata quæ præcedenti cap. habuimus, & id quidem fit, ut conueniat iis, quæ postea in epistola traduntur. Denique in singulis epistolis varia certarum præmia statuuntur, pro eo quod varia sint merita, quibus præmia ex quo debeantur, prout suis in locis auspice Deo ostēdemus. Quod verò in calce singularum epistolarum dicatur, Qui habet aurē audiat, quid spiritus dicat ecclesiis, ostendit sane spiritus sancti verba esse, & ob id à fidelibus recipienda, adoranda & seruanda, immo condiscēda, meditanda: ac subinde loquenda, & prædicanda. Quia verò angelo Ephesinæ ecclesiæ principio omnium. b. Ioannes scribere iubetur, & mox probauimus vniuersis ecclesiis, earumque præfulis hæc dirigi videamus primo de hac vrbe. Itaque Ephesus in Asia minore in Ionia, seu Lydia erat celeberrimo Dianæ templo insignis, condita ab Amazonibus, in qua templū ducentis viginti annis à tota Asia in solo palustri, ne terremotum sentiret, extructum fuit. In hoc templo cētum viginti septem columnæ fuerunt à singulis regibus Lydia factæ, altitudine pedum sexaginta: inter quas sex & triginta miro artificio celatæ. circū hęc vrbs loci opportunitate in immensum, quod totius citioris Asiæ fuerit emporium: nam & portum

Ephesus interpretatio.

habuit. corripit autem penultimam in pronunciando. In hac sedit episcopus. B. Ioānes, quod esset metropolis totius Asiæ minoris, quam ipse in fidem cōuerterat. Sed de his satis. Tam ad mysterium veniamus: quandoquidē hoc magis nobis requirendum est. Ephesus græcum est, Latinis sonat desiderium, quo quid, oro, aptius conueniam vniuersali Dei ecclesiæ: Ecclesia nāque, quæ est fidelium congregatio, in sanctis est desideris celestium bonorū semper, eo quod gustauit & vidit semel quoniam dulcis est dominus, cupiētes qui in ea sunt statim euolare à corruptione carnis, & mortis huius nexibus, & esse cū Christo: Esuriunt nanque & sitiunt in horas iustitiam gloriæ beati Dei impleri in se, reuelarique, quam mox quid futuri sint, & apprehendere quod sperant. Ideoque filij desideriorū sunt, ut omnes Ephesi nomen prægestent, habeantque insigne quoddam, & tesseram. Et hæc benè in Asia dicitur. Asia enim limosa vel cœnosa interpretatur. Asia enim latine cœnum, vel limus est, ut iure hinc quam primum eliberari cupiant viri desideriorum sanctorum. Mundus est Asia, in quo inclusa peregrinatur ecclesia, ad plenam libertatem suspirans, ad perfectam festinās gloriam, sitiens contingere ad Deum fontem viuum, & amplexus sponsi molles ac delicatos experiri, cuius amore languet, Cant. 1. Et ideo clamat & dicit, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Et rursus. Sitiuit anima mea ad Deum fontē viuum, quādo veniam, & apparebo ante faciē Dei. Psal. 41. Item. Satiabor quum apparuerit gloria tua. Psal. 16. Donec Ephesus hæc erit in Asia, hoc est ecclesia viuut in carne, manet in mūdo, tamen præter carnē, cuius conuersatio est in cœlis, semper est illi quod appetat, quod desideret, quod siciat, quod esuriat, pressa miseris, castigata aduersitatibus, infirmitatibus vallata, tētationū aribus tum multis tum variis annis à etiā grauissimis impetita. Verum vbi trāsflata fuerit in gloriam, non erit ultra quod desideret. Impleta enim erunt tunc eius desideria, ut nō ultra Ephesus sit, adueniente eius pleno gaudio in præcepta gloria, quæ nullam admittura est misericordiam. Diximus de hoc nomine plura alia supra ca. 1. Sec. 3. punc. 5. iuxta aliorum stomachum.

Ecclesia spirat contritionem ad perfectam gloriam.

☞ Punc. 2.

Hac dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua: qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.

Christus est qui tenet septem stellas, id est prælatos, & omnes ecclesiæ sinceros doctores in dextera sua, qui discurret in medio suæ ecclesiæ septiformi spiritu illustrata, singulorum corda ac tenes percurtans: & tam clare videns, velut si quis rem sub oculis positam ad lumē septem lucernarum ardentium cerneret, immo præclarius, cui omnia nuda & aperta sunt, tametsi abstrusissima sint, ut docet Paulus. Hebræ. 9. idem loquuntur & scripturæ, dicatur ergo. Hęc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua: & reliqua. Hic iam præcepta sua orditur Christus, ab Epheso incipiens, quod ea metropolis Asiæ esset, haberetque alias ecclesias cum episcopis suis sub se. Principio autem olim vult omnibus certum esse quod ipse habeat in manu sua & potestate omnes episcopos ecclesiarum, doctorisque: similiter omnes ecclesias, cuius arbitrio regantur, qui potest facere quiduis in eis, auxiliari, seruare, venire tentationes, liberum ab eis facere, cōtere, punire, permittre spiritum erroris, tribuere spiritum veritatis, iuxta abyssum sui iudicij. Vult denique, ut ipsius, qui tantus est, admonitiones, correptionesque recipiant, expauescant minas, iudicia exhorreant. Postremo ut videant quam bonum sit ipsius volūtati parere, iussa complere: e regione quàm amarum, & quàm perniciosum nimis contra illam calcitrare, tandem ut non arbitretur ipse longe abesse ab sua ecclesia, in qua continue ambulat, digreditur, & discurret. laturus ex æquo omnibus, quantum in se est præsidium, vniuersa omnia facta dispiciens, rimansque & considerans, atque adeo cogitatus omnes examinans: & ideo in medio est, hac videlicet ratione ut omnes circumspiciat, iudicetque: hos digna mercede afficiens, illos puniens in tempore retributionis magna. Etenim ad iudicem pertinet facta dignoscere ac iudicare, ad quem pertinet saluare & perdere, alioqui quomodo æquus erit iudex? Diximus iam cur ecclesia aureorum candelabrorum typo exprimat, quo intelligeres summa prohibere ut opus esse his qui cupiunt esse de membris eius, aureos equidem oportet esse eos, non luteos per auaritiam terrenorumque cupiditatem: non ferreos per

Christi potestas in oia.

Christus versatur in medio sua ecclesie.

Iudicis esse facta dignoscere.

duritiam ac rebellionem: non ligneos per vtilitatem: sed preciosos, sed obsequentes, sed cœlestes inter quos ambulare eum delectat qui cum eiusmodi filiis hominum delicias suas esse statuit. Prouerb. 8. qualem esse voluit apostolus Paulus suum discipulum Timotheū. Cui in priorē epistola, cap. 6. ait. Sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: certa bonū certamen fidei: apprehende vitam æternam, in quam vocatus es. Et deinde, præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, ut serues mandatum sine macula, &c. Nanque (ut Hebr. 10. idem ait) voluntariè id est, obstinatè, quales sunt deserti à gratia, qui contemnunt Dei bonitatem, & claram veritatem eius, his ergo sic voluntariè peccantibus, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Item. Ro. 1. Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem. Quo infegnius virtutem capeflamus, simulque aurea candelabra Dei, magis quàm iræ eius vasa, ut non malo nostro pereamus.

*O Punctus 3.

Scio opera tua: & laborem. & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes: & sustinisti propter nomen meum, & non defecisti.

Qui in ecclesiarum medio discurret, & omnia perspiciat, pios adiuuans, admonens, & exhortans ad capeflandas virtutes: eorum, quibus scribit opera quæcunque sint illa, vel quæ speciatim hic exprimit, scire se dicit: quæ admodum & Ioa. 5. Noui vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ergo scire hic pro eius nuda ac simplici cognitione, qua bona nouit & mala, accipitur: non pro singulari ac electissima notitia quæ gratiam includit, alioqui quomodo in ipso primam charitatem desideraret quam non habebat Ephesinus hic episcopus: Sūt (fateor) loci in scripturis, non pauci, in quibus scire vel nosse pro placere ponitur nescire pro displicere, siue (ut clarius dicam) scire simul nosse & gratiam habere: Nescire nosse quidem, sed odire. Quæ igitur sunt ea opera, quæ Christus in hoc episcopo videbat & sciebat? Primum est, labor, quod affli-

Scientia Dei hic nuda cognitio.

ctiones, & cruces itemque solitudinem demonstrant, solitudinem (inquam) non eam, quæ à domino interdicitur. Matt. 6. sed eam, quæ probatur in virtutum sectatoribus: iuxta illud apostoli Roma. 12. qui (inquit) præest in solitudine. Illa alia superuacanea carnalis & mundana impia est, quod sit diffidentia fructus: Hæc verò sancta, quod sit fructus fidei quæ est per charitatem efficax, facitque, vt sit de assequenda vita, in quam vocatus est pie sollicitus. Porro quod labor pro angustia ac erumna siue etiam afflictione capiatur docet. Psal. 25. vide humilitatē meam, & laborē meum, vbi humilitas & labor pro molestiis atq; angoribus ponuntur, verum quia eiusmodi labor sine patientia non est, addit & patientiam: Patientia enim opus perfectum habet Iac. 1. quam tribulatio operatur. Ro. 5. Est autem patientia magnū quoddam diuini spiritus robur, qua fidelis anima obfirmatur aduersus quæcunq; mala, ne propter ipsa à veritate deficiat, etiam si in medio vmbre mortis versetur: hac libet perferimus aduersa, ne si quid acciderit tristamur: immo non secus volumus quā diuina voluntas semel decreuit. Speramus autem, nec dubitamus nos à Deo opportunè liberandos, in quo solo fiduciā nostram posuimus. Et quia vera patientia sine zelo Dei non est, nec sine odio eorum, qui illi aduersantur, rectè subiectū est. Et quia non potes sustinere malos, eos scilicet, qui apertè se contra Deum erigunt, & faciunt scandala: qui contumeliosi sunt Deo & hoibus, vt pote totius pietatis hostes, de quibus dicitur. Iniquos odio habui. Psal. 118. Et iterum. Nonne qui oderūt te domine oderam: & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderā illos, & inimici facti sunt mihi. 138. Quæ verba sunt iusti aduersus impios inimicos Dei. Hinc habes quia non posse sustinere malos, vt mali sunt, à Deo est, & sanctum est. Non dico ferendos omnino non esse malos, sed blasphemiam malorum minimè tolerandam: & ea quæ iusta correctione queunt emendari. Nimirum mali sunt corripiendi, vbi opportunitas exigit & causa subest, nec illis est conuincendum adulandumve. Viderint ergo hi, qui pro fidelibus haberi volunt, & interium impiis consentiunt, eorum manus roborant. Habebunt proculdubio ij suum iudicium in die reuelationis domini no-

*Patentia
virtus.*

*Malorum
blasphemiam
toleranda nō
est.*

stri Iesu Christi: Et beatus qui eruditus fuerit ab ipso. Porro, verus affectus in Deum nedum parit odium præsentis & noti mali, sed facit vt discretionis spiritu armetur aduersus hypocritas: obseruetque prudētius subdolas calliditates eorū, quibus laqueos subtiliter tendunt, vt imponant supplicibus, decipiant, teneantque ac perdant. Quæ argutia præditum fuisse Ephesinum hunc episcopū posita ostendunt verba. Sequitur enim. Et tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces. Tempore namque. b. Ioannis surrexerant quidam pseudo apostoli, hoc est hæretici, Marcion, Ebion, & Cherintus in Asia, contendentes studio ac iudustria omni deprauare rectam orthodoxæ fidei veritatem, minorem patre Christum prædicantes, & tamen interim nihilominus apostolos Christi se esse confitentes, qui non erant Christi apostoli, sed satana, missi à satana. Apostolus namque missus interpretatur. Dicit ergo, tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse & nō sunt, id est, probasti fidem illorum & doctrinam. Tentatio ergo hic ad probationem pertinet. Hi enim, Ebion, & cæteri nequam spiritus ministri, antequam examinarentur, speciem pietatis prætendebant, sed occultè sub veste ouilla lupi erant, id quod probati inuenti sunt manifeste, vbi autem sic inuenti sunt anathemate innexi eiecti sunt ab ecclesia, quemadmodū & Sabellius, Photinus, & cæteri clancularij latrones, qui nō per ostium intrabāt, sed aliundè irrumpebant & latebant donec deprehenderentur. Certe verorū antistitum est arcere lupos à grege. Ergo summo studio aduigilent oportet, ne subdoli irrepant, qui sese pro veris apostolis, & summi Dei nunciis volūt haberi adorariq;. Hinc laus perseuerantiæ in episcopo subditur, q; ex sustinentia multa nō deniq; defecerit, sed constanti aīo perseuerauerit. Multa enim mala ab his pestibus irrogabantur sc̄to episcopo, sed nihil illis cedebat, quin in statione sua viriliter p̄sisteret, donec effugatis illis, dñi grex iteger permanēs liberaretur. Bona verba, laborare in negotio fidei, & laboris multiugi patientiā habere, atq; audentius cōtra pestes eiusmodi resistere, & nō deficere. Aft vnum est necessarium, Primū semper charitatē retinere, quæ in episcopo alioqui cōmendatissimo desiderabatur. Non putat

*Episcopi
verū officium.*

Paulus, vllum meritum circa charitatē, etiam si quis igni se tradat, bona prodigat: hominum, qualis fuit Demofthenes inter græcos, Cicero inter latinos: atque adeo angelorum loquatur linguis, cuius fluat vt ros eloquiū, immo ruat vt imber. In summa. Non est cuiquā virtuti honor, non est meritum, non est merces apud Deum sine charitate, propterea sequitur. * Punctus 4.

Sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti.

Charitatis commendatio.

Charitas eximia virtus est, & principale fundamentum vitæ spiritualis, hoc est, veræ christianæ: quæ idcirco primum & maximum legis quoque præceptū putatur, quod quicquid præcepit lex, immo Deus in lege totum tendit in charitatem, vt bene finis præcepti ipsa fore asseueretur, plenitudoque legis Dei statuatur, quam definit Paulus de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1. quæ sola facit diuortium inter filios Dei, & filios perditionis, quæ etiam fidelissima mensura felicitatis summa existimatur: vt tantum quisque gloriæ beati Dei percipiat, quantum habuit charitatis. Hanc Christus excoluit, per hanc mortem appetiit, propter hanc irascitur, si tibi non inueniat, etiam si vniuersa legis præcepta facere is videatur, & fidem teneat indubiam. Hanc cum expositione desiderat in episcopo hoc Ephesino, alioqui integro & bono, vt dicat, Illud quidem pro te est, quod tam strenue agis, inque ferendis tot iniuriis patiens es, tetras fucatos, & ostendis, nec deficis in negotio fidei. Sed id aduersum te est, quod in tantis studiis officiisque tuis tuā primam reliqueris charitatem, quæ veræ probitatis index est, & testimonium, & legis summa. Nunc quærendum illud nobis est, verum tota simul ratione sublata fuerit charitas in eo, qui sic arguitur, qui in opetibus pietatis tā vehementer commendabatur. Quod nequaquam celsuerim, alioqui quo pacto aduersum malos, domini hostes, tam ardentem insurgeret? quo pacto in tolerantia iniuriarum perseueraret? Habuit ergo charitatem, sed imminutam, sed deseruentem, vt prædestinationi Dei, coronæq; præparatæ minus responderet: ideoque misericorditer à domino

Charitas index veræ probitatis.

domino argui meruit, vt exterreatur, respiscatque. Quo in loco impensius considerare debemus, quia coram æterno iudice reprehenduntur nedum hi qui à fide deficiunt charitatēque, sed & hi, qui hanc & illam in semetipsis sinunt imminui. Nam qui eiusmodi sunt quasi pro desertoribus coram domino habentur. Quasi enim non sunt, dum minus sunt: neque enim id sunt quod erant, eo quod in via domini retrogressus non est, sed progressus: sicut scriptum est, Ibunt sancti de virtute in virtutem. P sal. 83. Et alibi, iustorum semita quasi lux splendens: procedit & crescit vsq; ad perfectam diem. Prou. 4. qualis nō erat episcopus Ephesinus, licet tot titulis noninibulque clarus. Primum enim ardētior erat in verē charitatis fructibus, quam tempore scriptæ huius epistolæ, & ideo tāquam desertor reprehenditur. Vides quā perniciosum sit charitatem pati deseruere imminuique in pectore militis christiani, principium siquidem & via quædā est ad extremam perniciem: ad cuius diminutionem sequatur anihilatio opus est. Ignis enim sensum extinctum in fauillam denique ac cineres residet, vt vltra ignis non sit, sed fauilla & cinis, sic & charitas vbi virtute remissa sit atque à primo feruore tepefacta, quem dederat spiritus sanctus in cor hominis, lentescit & deficit. Nunquam in rebus ex tempore ortis æque similem typum charitati reperias vt ignem, ardore enim seruatur ignis, nutrimentis ligni alitur, nunquā est ociosus, operatur semper: & charitas spū Dei seruatur, alitur operationibus quasi quibusdam nutrimentis semp honoris dei prospicit: & proximi vtilitati. Huius certissima signa prodit Paulus scribēs Corinthiis suis. Charitas inquit patiens est, benigna est. charitas non æmulatur, nō agit peperā, nō inflatur, non est ambitiosa, nō querit quæ sua sunt, nō irritatur, nō cogitat malū, non gaudet sup iniquitate, cōgaudet autē veritati: oia suffert, oia credit, oia sperat, oia sustinet. 1. Cor. 13. quaten⁹ ex his certius, qui sint charitatis veti æmulatores, agnosceres, contra hypocritas, qui se iactāt quandoq; charitatē habere, ac si dicat Apostolus, ex his titulis effectū agnosceatur hi qui verā in sese habeant charitatem: qm̄ hi patientes malorū sint oportet, per benigni etiam, & vt non inuideant alienæ felicitati: nec frustra, nec peperā quippiā

Charitas imminuta reprehendit.

Charitatis certi effectus.

*Charitatis
nutrimenta.*

agant: nec alia eiusmodi. Nutrimenta autem propria charitatis sunt, perficendi desiderium, animi recollectio à sensibilibus, verbi dei pabulum, rememoratio beneficiorum Dei, creando redimendòve, siue etiam conseruando, dona impertiendo, tam corporalia quàm spūalia: Cuius asseruatrices sunt humilitas & voluntaria paupertas, quibus asseruari conseruarique nouit charitas, vt in cinere ignis. Hęc si in te videas, probaris sane in te habere charitatem. Sin minus egens charitatis es, & ex consequenti reiectus à Domino, huicque increpationi obnoxius, vt dicitur tibi, Habeo aduersum te pauca. Pauca, hæc dictio, non est in græcis exemplaribus, forte ab interprete addita, vt sensus sit locupletior. Quid autem est, habeo aduersum te pauca? nisi hoc habeo quod tecum expostulem, quod querar, quod contra te lamentem, id quod in tuam perniciem in primis erit, quod tibi oppido vertetur in dedecus, nisi commodum respueris. Quare conueniet attentius cogitare, quid modo sis, & quid antea fueris, vnde dilapsus sis, quam multa, & quam præciosissima amiseris, In quod sequitur.

✽ Punctus 5.

Memor esto itaque vnde excideris: & age penitentiam, & prima opera fac.

*Charitas dei
semper retinenda.*

Ad veram resipiscenciam eum, qui priorem charitatem amiserat, reuocat, hortaturque: & hoc ex sua ineffabili benignitate, qua non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Quod nimirum opportunissimo documento est his qui priorem deseruere charitatē. Necessē est enim vt reuocent in semetipsis eandem, quam dominus deus eis donare dignatus fuerat charitatē: nempe vt eo spiritus feruore incedant in via mandatorum dei, quo cœperant: nec patiatur in se imminui, aut tepescere quouis modo, sed pergant, ambulent, ascendant, nitantur ad summa, donec ad gloriam perueniant: quia dominus in se non magnus, & excelsus, Equidem in via domini ascensus est semper, vt in via satanę descensus. Vides quosdam ascendere in tumore cordis sui, altaque mundi captare, sed si verum dispicias, horum ascensus non nisi descensus est, & ruina grauissima. Suscipit incrementum ambitio, assequutio honoris alta videtur: tamen quia in perniciem his intenditur, via decliuis ad inferos in eisdem ar-

atur. Contra humilitas ima petit, sed tendit in arduum: via enim est ad cœlum, vt non iam descensus, sed ascensus rectus existimetur. Ambigeres forsitan quid prima charitas sit, cuius velut desertorē arguit dominus Ephestinum episcopum, & per hunc vnum quemque negligentē quamtuuis fidelem alioqui, nisi primorum aperte operum mentionem faceret. Primam ergo charitatem prima opera dicit, quæ in episcopo cœpta in ardore spiritus erāt, tam in deum quàm in proximum: in Deum quidem, præter pios affectus, erant in eo ieiunia, orationes assidue, vigilia, contemplationes, aliæque id genus reliqua, exercitia bonorum operum quorumcumque, in quibus delectabatur Christus. Ad proximum, prouisio corporalis, eruditio spiritualis, consolatio, & alia, in quibus feruor spiritus solet exerceri: quæ in episcopo tepebant, nec eo feruore ac sollicitudine quo cœpta erant fiebant, vt via operum eorum opinio vana esse demonstreretur, qui dicunt solam fidem citra opus sufficere ad salutem. Hoc si veritas esset, non vtiq; Christus quasi indignabundus improperaret negligentiam operum primorum huic episcopo alias studioso. Sed nec apud Mathæum seruum malum & pigrum increparet, qui talētum traditum defoderat in terram, vt non eo operaretur, seruaret autem domino rationem exigenti, nisi fides in operibus foret exercenda, & absque his fere nihil esse existimaretur. Ergo mentitus esset Iacobus qui fidem sine operibus mortuam esse adstruit in semetipsa cap. 2. Alioqui frustra audiremus & Paulum, & totam sacram scripturam clamantem, Reddet Deus vnicuique secundum opera sua, si sola fides sufficiat. Ostendē mihi fidem tuam sine operibus (inquit Iacobus) & ego tibi ostendam fidem meam ex operibus, quod probans consequenter ait, vis scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum Isaac super altare: vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est: & impleta est scriptura quæ dicit, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est, videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Totum id Iacobus. Sed nunquid putabimus con-

Charitas prima.

Fides sola non sufficit.

Fides cum operibus commendabilis.

trariū Paulū, immo in Paulo repugnantē spiritum, quum dicat. Ro. 4. Abrahā ipsum nō ex operibus legis iustificatum? Minime: nō est mendax spūs sctūs, qui loquebatur in Paulo, & qui in Iacobo. Quod si aduertimus, nihil contrariū dicunt: neq; Paulus negat Abrahā iustificatum ex opibus, sed ex opibus legis, cuius cōsummatio in Christo implenda erat. Scribebat Paulus aduersum Iudæos, qui superuacaneē adhuc confidebant in opibus legis, quæ iā euacuata erat in Christo, & non in fide Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Et ideo oīs argumenti neruos eō tendit, quo fidē statuat, quæ est in Christo Iesu domino nostro, abolitis figurarū ceremoniis: & ideo nusquā dicit opera in fide Iesu Christi non esse meritoria: ad quæ exercenda nusquā non hortatur, excitatq;. Sugillat ergo & reprobatur sola legis opa quæ fidē eleuat, vt non in his consistatur, proinde Galatis scribens ait, Nō iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidē Iesu christi: & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, c. 2. Et infra ca. 5. Ecce ego Paulus dico vobis quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit, & iterū, Euacuati estis in Christo: qui in lege iustificamini, à gratia excidistis: nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus: Nam in christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Iā hab' spiritus consensum in Paulo, & in Iacobo: quandoquidem damnat Paulus perfectiore adueniente niti minus perfectis, id est legis operibus: inter quæ præcipuum erat circumcisio, quæ non iustificabat hominem: fides autem iustificat, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Probat Iacobus opera non legis, sed fidei, id est, virtutes quibus exhibetur fides, immo statuitur: tātum abest vt labefactetur ab illis: hoc & Paulus prædicat, immo cōtendit omni virtute persuadere passim in epistolis suis: adeo vt vanam deputer fidem frigentem & pigram in stolidis. Lege epistolas eius, & pensulatum lege, & ita inuenies. Nunquam negauit Paulus iustitiam operū, quæ in fide sunt, neque merita abrogat, qui Gal. vlti. ait, Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, & rursum, Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non

Pauli cū Iacobo cōcordia

Iacobus quæ opera probat.

deficientes. Sequitur, Ergo dum tempus habemus operemur bonum. Dies me deficeret, si cūcta operum, meritōrumque apertissima loca velim percensere ex Paulinis epistolis. Id nobis pro vero habeatur, mereri iustitiam, & gloriam apud Deum exercitiis bonorum operum, alioqui frustra diceretur, ca. 2. huius libri. Qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est sanctificetur adhuc, vt omnes omnium deliramenta tollantur. Qui iustus est ait iustitia fidei, iustificetur adhuc, scilicet iustitia operum bonorum &c. * Punct. 6.

Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.

Sicut multa sacra scriptura testimonia, sic & locus iste docet nos minus precipitandam sententiam super ecclesiarum antistites, immo super quoscunque gradus ecclesiasticos. Non enim dicit, quia charitatem tuam primam reliquisti, idcirco venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, sed longiore intercapedine vocis frenum currenti sententiæ imposuit, dicens, Memor esto vnde excideris, & age poenitentiam, & prima opera fac: quasi per singulas sententias impetus furorem temperaret, vt non cito erumperet in vltionem, quibus denique subiunxit. Sin autem, venio tibi, &c. Sin autem, id est, si negligas consilium, vt non prima opera facias, venio tibi, id est, aduersum te procedam. Ecce quia non precipitat iudicium suum Deus: sic neque nos precipites sumus in ferendis sententiis aduersus alios, sed oportet præcurrere consilia, monitiones, increpationes, secundum tempus & personā, post quæ æquius sequetur vindicta, vbi cōtēptus auxerit vitia. Nā nec Saul ille rex proinus punitus est, vbi inobediens Deo fuit: nec extrema vltione sententiæ in eum defecit Deus, quum peccauit: sed vbi addidit cōtēptū paulatim punitionis fragor descendit in ipsum. Dauid quoq; adulterio addens homicidiū, scelus sceleris, primū vtiliter præmonitus est: qui prudentissime ad poenitentiam cōuerlus diuinæ vltionis sententiā mitigauit, vt non in eū descenderet: videlicet memor vnde excidisset, quodq; primam charitatē amisisset: nec addidit cōtēptū, qui in cōtitione spiritus sui humiliatus dixit, Peccauit. 2. Reg. 12. Et in Psal. 50. Quoniam iniquitatem meam

Non precipitanda sententiæ iudiciorū contra prælatos.

ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper; Tibi soli peccavi: & malum coram te feci, vt non veniret ei ardens in sua indignatione Deus, neque moueret candelabrū eius, sicut mouit Saulis, aut Pharaonis regis Aegypti, aut Nabuchodonosor, aut Balthasar, qui manum scribentem contra se sententiam ad parietem vidit. Nam & regnum Dauidis stetit, & prophetica illi gratia cū docendi auctoritate permansit, de quo diuina auctoritas pronunciat dicens, Inueni Dauid seruum meū, oleo sancto meo unxi eum. Psa. 88. Et rursus ibidem, Et thronus eius sicut sol in cōspectu meo, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum cōfortabit eum. Proinde iuris ecclesiastici est, non protinus mouere candelabrū angeli, id est, canonicę præsentis, nō subito auferre sacerdotium eius, sed monere vt respiscat: agatque penitentiam: & prima opera faciat, cui si acquieuerit, bene quidem: alioquin dimouendus loco suo erit, & priuandus beneficio ecclesiastico. Id quod non solum prælatis, sed & cōmissō gregi dominico apte congruit. Nam si quis peccauerit, nō statim puniendus, neque protinus anathemate erit innodāndus, sed in lenitate spiritus primum admonendus seorsim: quod si respiscit, suo bono respiscit, alioqui iuxta eius duritiam cum eo erit agendum secundū leges & statuta: ita vt etiam si oportuerit in tempus loco suo dimoueat, quod est candelabrum moueri talium, proximi videlicet consortio bonorum, sequelstrarique. Siue certe (vt vetus codex habet) mouebo candelabrum tuum, id est, promisso te lucis munere priuabo, quod seuioris indignationis res est. O quam terribile verbū hoc est, venio tibi: neque enim facili impetu dominus ad iudicium veniet, sed in zelo magno, vt parcere peccanti nesciat: sed iudicet, sed sententiam pronunciet, sed puniat sine fine. Sauiissima ergo comminatio Dei est, venio tibi, veniet procul dubio dominus, & quis sustinebit diem aduentus eius: veniet minax, terribilis, truculentus, saeuus, terrificus aduersus emulos suos, & condemnabit eos. Quam consentaneum igitur fuerit bonis cōsiliis in tempore acquiescere, declinare à malo & facere bonum: in vniuersum respicere, quoniam boni operis sic fructus erit gloriosus,

✽ Punctus 7.

*Ecclesiastici
iuris est non
protinus pri-
uare digni-
tate.*

*Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ
ego odi.*

Imitandum sane veritatis documentum, corripere ea quæ minus bene gesta sunt, & cōmemorare interim quæ melius, ita enim fiet vt faciliori pœna ac sensu acrimonia correptionis sustineatur, nec sine effectu emendationis: sic & remedia quæque molliori temperatura adhibentur, quo mordacitas eorum æquius toleretur. cōmendauit primo episcopum à nonnullis eiusdem virtutibus, hinc amissa prioris charitatis eundem redarguit, non tamen sic vt in reprehensionem perseueret, sed reliquam quoque eiusdem virtutem, vnde commendari posset, cōmemorando. Id quod & in mulieris Samaritanæ cōuersione diligenter dominum obseruasse perspiciunt: cui antequam scortationis suæ notam opprobriaret, præmisit commendationem de virtute sermonis eius, quod ingenue confessā sit veritatem, sed & reprehensionem ipsam in fine mitigauit. Dicit ergo, sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum. Qui fuerint Nicolaitæ: arbor obscurum non esse ex actis apostolorum, vbi Nicolaus inter septem diacones connumeratur, hic quia de anxia zelotypia pulcherrimæ coniugis, quam legitimam habebat, argueretur, expurgandi sui gratia fecit eam cōmunem, dicens & vxores ita debere esse Christianis communes, quemadmodum & alias res: vt non esset quippiā homini christiano proprium. vnde putauerit permulti abuti vxoribus, commutari inter sese coniugia licere: cuius rei postea multi sectatores, satanæ procuracione emerlere promiscuos facientes concubitus, vt non aliquis propriam vxorem haberet. Nicolaitæ sunt gentiles ex vocabuli interpretacione. Quid enim Nicolaus, nisi populus stultus est: Gentiles sunt populus stultus, qui verā sapientiam accipere nolunt, stultitia enim est illis Christus & vera eius sapientia. testatur apostolus. 1. Corinthios. 1. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scādālū, gentibus autem stultitiā: ipsi autē vocati Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Sunt hæretici quoque Nicolaitæ, qui dū de sapientia Dei, qui est Christus, vera nō sentiunt, licet iuxta mundū sapientes sint, tamen iuxta Deū stulti. Stul-

*Correptionis
modus.*

Nicolaitæ.

*Gentiles
Nicolaitæ.*

*Hæretici
Nicolaitæ.*

Arj heresis. tus erat Arrius, qui Christum creaturam somniabat vano fati cerebro, nec verebatur filium separare ab illa aeterna & incomprehensibili Dei patris substantia, dicens. Erat tempus quando non erat, non intelligens filium patri coaeternum esse, & eandem in trinitate substantiam habere, qui apud Ioannem ait, Ego & pater vnium sumus, Et iterum, Ego in patre, & pater in me est. quem in principio sui euangelij ipse Ioannes ponit in patre dicens. In principio erat verbum. vnde in priori epistola idem Ioannes ait. Omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est: & hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est. 1. Ioan. 4. Quem tandem diabolicum virum Deus non permisit impune, Laodicensi nanque in concilio, episcopo porum, & populi frequentia stipatus, dum leuandi ventris causa secedit, ipso conatu intestina omnia egressit, & sic mortem vita dignissime commutauit. Stultus erat & Sabellius, à quo Sabelliani heretici dicti, qui blasphemias in Deum patrem & filium eius Christum euomere minime veritus, Christum summi Dei filium esse negabat primogenitumque omnis creaturæ: simul etiam spiritus sancti intellectum auferebat. dicebat enim & prædicabat vnã tantum patris & filij, & spiritus sancti esse personam: sed non ad externum vltimes manus diuinæ ac tremendæ maiestatis euasit, quum turpiter occubuerit. Stultus & Manichæus qui vesano cerebro commentans corpus phantasticum Dei æterno & consubstantiali verbo circumposuit. Idem duo principia rerum statuit, qui grauissimo in finem iudicio pœnas immanissimi erroris & ipse tulit. Stultus erat & Pelagius monachus hæresiarcha nullo medendus remedio, qui è Roma in Angliam proficiscens, insulam omnẽ ex crabili errore infecit: peruulgabat enim hominem sine gratia Dei saluari posse sola naturali industria: & vnquemque propriis meritis, propriæque virtute ad iustitiam dirigi: quod sane confiteri insanissimum erat, eò quòd non simus sufficientes ex nobis. Rom. 8. Simili catalogo cõputatur & ille qui aiebat, destruã horrea mea, & maiora faciã: qui continuo audiuit, stulte hac nocte animam tuã repetam à te. Luc. 12. vt vesanta sit terrena lucra setari. Per hæc enim alij ad rapinã currunt: alij peierant,

Sabellij heresis.

Manichæi heresis.

Pelagius hæreticus.

alij sanguinem innoxium fundunt. Quid (oro) Iudam sceleratissimum latronem ad prodicionem piissimi magistri adegit, nisi insana eius auaritia, & pecunie cupiditas: cuius modo sectatores quàm plurimi sunt, & hi præsertim qui pro sanctis primisque Christianis haberi volunt: à maiori vsque ad minimum omnes studentes auaritiæ. Nunc vt breuiter concludam. Nicolaitæ sunt vniuersi corruptelæ carnis sectatores, quorum commercia quisquis nouit, Christum non nouit, nec iustitiam eis. * Punct. 8.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesie.

Hæc breuis admonitio quociescunq; ponitur, siue hic siue alibi, quicquid sequitur, vel præcedit, spiritualiter intelligendum esse docet: quia non tam corporis hic auris requiritur, quàm spiritus: quum qui non habet spiritus verba capere nequit. Sic & dominus in Euangelio loquens turbis in parabolis, quum omnes, qui istic aderant aures haberent, dicebat. *Qui habet aures audiendi audiat*, Luc. 8. Et alibi apostolis dicit. *Vobis dico qui auditis, hoc est, spiritu percipitis*. Carnis itaque auris ad strepitum vocalis verbi patescit, spiritus ad intelligentiam: sed caro non prodest quicquam, spiritus autem est qui viuificat, Ioan. 6. Sed venit in quæstionem, Cum enim angelus in persona Christi loqueretur hæc cur non dicit quid filius Dei dicat: sed quid spiritus: Quia videlicet verba filij Dei, verba sunt spiritus sancti. Quo nomine etiam tota trinitas intelligit, spiritus enim est Deus. Ioan. 9. Proinde dum Christus loquitur, in eo pariter loquitur pater & spiritus sanctus. Quia sicut sunt inseparabiles vnitate, sic inseparabiliter loquuntur, & docent sanctorum vnitatem. Denique in hac reuelatione (prout in sequentibus aperte demonstrabitur) aliquando loquitur filius ex persona sua. Quod illi solummodo conuenit: aliquando ex persona totius trinitatis. Ideoque singularæ loquutiones expendendæ sunt, & quæ ad humanitatem pertineant, & quæ ad deitatem. hoc est, trinitatem. Loquitur autem nobis, hoc est, vere credentibus, quo excitatissimis simus sensibus, cuius verba semper auscultanda & suscipienda sunt. Ad hoc enim vt gratiam consequaris, vtque Deo placeas, ferueas corde, fide integer sis: verbum Dei quod prædicatur, aut auscultes diligenter. *Verbum Dei vehiculum gratia.*

aut mediteris intente opere præcium est. Nam primum & præcipuum id vehiculum est in te gratia Dei, quod nisi prædicatum esset, nec fides tibi contigisset, nec salus obuenisset. Hoc modo primitiua ecclesie credentes spiritum sanctum subinde accipere merebantur. Legis expressse Actuum. 10. Quia loquente adhuc Petro cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.

*Punctus. 9.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

*Victori esus
ligni vitæ
promittitur.*

Victori promittitur esus ligni vitæ, quod ipse Christus est Dei sapientia: Salomone attestante, qui ait, lignum vitæ his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam beatus. Prouer. 4. Quæ recte lignum vitæ dicitur, quia fidelibus suis vitam tribuit æternam, quos fructu suo satiat, quod est verbum eius: satiat & sacramento sacrosancti corporis sui edulio perquam suavi & conseruatiuo. Dicatur igitur, *vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Quis iste vincens est, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei: hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra. 1. Ioan. 5. & qui custodit mandata Dei: vincit enim hic incontinentia carnis per gratiam, quam administrat Deus: vincit satana tentamina, vincit mundi deceptiones. Et huic dabit dominus edere de ligno vitæ. nã & sapientia sua in sapore suo illud replet: & corpore suo sanguineq; pascit, vt nō videat mortem in sempiternum. Qui enim manducat ex hoc pane viuere in æternum Ioan. 6. Poterit & aliter per anagogia intelligi vt sit lignum vitæ, saturitas celestis gloria, in qua esuri sunt beati super mensam domini, iuxta illud, dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Luc. 22. vt nō aliud sit hic paradysus quàm ibi regnum, in quo esurus est vincens de ligno vitæ. Scimus ex Genesi lignum vitæ esse in paradiso ab omnipotente Deo primis adhuc illis initiis plantatum: cuius fructum natura suppeditaretur humana, ne deficeret: quin potius rediuis natura viribus seruaretur, quod idem fiet esu ligni vitæ huius, hoc est perceptione gloria beati Dei. Sed dices, de hoc nulli est ambiguum quin detur vincenti. At vero de verbo vitæ, & vitali sacramento, quo Deus ipse sumitur, obrepat scrupulus: eò quod percipiat hoc, atque

illud, malus & bonus, vincens & non vincens. Sed enim vero malus non percipit internam eorundem virtutem, quantumvis externe percipiat sacramenta eucharistia: ac verbi Dei. Neq; enim nisi fortiter vincens ad id admittitur. Non est ociosum quod dicit scriptura. Sapient. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Sapientia est interna vis verbi cum sapore penetrans, & perfundens animi sensus sui experientia, mirèque afficiens & pertentans & delectans venas eius. hoc non sentit malignus, nec delectatur, nec laudat. Id quod & in perceptione vitalis alioqui sacramenti vsu venit. Non enim nisi spiritualiter manducetur prodest: domino attestante qui ait. Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam: Ioan. 6. Sic ne in eremo quidem proderat manna indigne sumentibus: vt quasi sumentes hi non sumerent, mortui enim sunt in infidelitate eorum, cæteris fide seruatis, & hi quia vicerunt seruati sunt: illi quia vincere noluerunt perierunt. Quare vincere noluerunt: quia credere noluerunt. fide enim constat omnis victoria. 1. Ioan. 5. hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quid credere noluerunt? Iesum Christum esse panem nostrum, id est, filiorum manna figuratum. vnde Paulus. 1. Corin. 11. Quicumque manducauerit panem hunc, & calicem domini biberit indignè, reus erit corporis & sanguinis domini: probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Paradysi autem nomine etiam præsentis temporis ecclesia intelligitur, in qua est verbum vitæ æternæ: est & dominici corporis sacramentum, quod quotidie cõficitur, & sumitur, verbum vitæ prædicatur. In cælesti regno autem Christus est vitæ lignum his qui salui fiunt. Quod autem Deum se habere dicit, in cuius paradiso hoc esse lignum asseuerat, iuxta humanitatem loquitur, quam assumpsit, Qui ergo vincunt oblectamenta carnis & peccati, illi ad percipienda Dei verba, corporis quoque dominici sacramenta digne pertingunt.

Paradysi nomine quod intelligat.

Et iidem ad Dei contemplationem, gloriaeque aeternam saturitatem perueniunt, ipsum denique vitæ lignum Christum in remanerationem accipient: quia nimirum ipse idem est lignum vitæ quod datur: ipse idem qui datum. Lignum ergo est & fructus ligni Christus, qui seipso paciscit homines angelosque. Editur lignum, editur & fructus eius, & tamen fructus non separatur à ligno. O miraculum miraculorum, stupet natura, deficit humana cogitatio, cogitat mens & succumbit, quum longe aliter cursus naturæ occurrat. Quis unquam vidit talia? quis talia audiuit? Christus est totum quod dicitur, & quod intelligitur, cui est honor & gloria, & summa felicitas in sæcula seculorum, Amen.

DE PRÆCEPTIS ANGELO

SMYRNEAE ECCLESIAE SCRIBENDIS.

Sect. 2. Punct. 1.

Et Angelo Smyrnae ecclesiae scribe.

Smyrna urbs est in minori Asia, quæ Mæles amnis gurgite præcipiti circumfluit. Hanc Thefeus Thefalus in memoriã vxoris suæ, quæ Smyrna vocabatur, condidit: illustris quondam Homeri inter Græcos Poetæ primi origine. Sex enim vrbes certant de eo, quarum vna est Smyrna. iuxta illud.

Sex vrbes certant de stirpe insignis Homeri.

Smyrna, Rhodos, Colophos, Chios, Argos, Athenæ. Hæc sub sancto apostolo Ioanne, cui in sortem prædicationis cesserat minor Asia, fidem suscepit. Huic ergo ecclesiæ de toleranda persecutione suggeritur, quod & aliis quoque ecclesiis aequè conuenit quemadmodum & ipsa vox Smyrna, vt probatum est supra, suo loco, quum de his nominibus propriè tractaretur. Conuenit etiam alio hoc mysterio: quod nunc ex aliis posituri sumus. Smyrna enim & Myrrha est, quæ utique carnis mortificationem præ se fert, de qua loquitur Paulus Colloſſensibus scribens cap. 3. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. & 2. Cor. 9. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore vestro circumferentes: vt & vita Iesu

Smyrna.

manifestetur in corporibus vestris. Myrrha (vt Plin. est *Myrrha arbor.* author, lib. 12. cap. 15.) arbor est, altitudo eius ad quinque cubita exurgit, nec sine spina, caudice duro & intorto: folium oliuæ, verum crispus, & aculeatum. Aliqui similem Iunipero, scabtiorem tamen, spinisque horridam: folio rotundiore, sed sapore Iuniperi: inciditur bis à radice ad ramos. Sudat autem sponte priusquam incidatur stacten, qui nulla præfertur. Satiua multum siluestri prælata, gaudet rastris, & ablaqueationibus: id est circumfossionibus, radicumque superiorum recessionibus. melior radice refrigerata: gignitur in multis Arabiæ locis: conuehitur & ex siluis laudata, petunt eã & à Troglodyti Sabæi transitu maris: nascitur & apud alios. In siluestri quoque melior æstiuæ. Cæterum, passim ac vulgo coempta in folles confartiant, ipsique vnguentarij digerunt haud difficulter odoris atque pinguedinis argumentis. Sunt & multa eiusdem genera, præcia ex occasione ementium varia. Quæ igitur est hæc Smyrna seu Myrrha odora, nisi ecclesia, de qua Cant. 1. dicitur à sponso rege. Nardus mea dedit odorem suum. Item Cant. 5. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersis pulueris pigmetarij? Hæc ipsa est mōs myrrhæ, & collis thuris, Cant. 9. cuius emissiones paradysus, id est, hortus malorum puniceorum, cum pomorum fructibus: Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinamomū cum vniuersis ligni libani, Myrrha & Aloe, cum omnibus primis vnguentis: quæ est fons hortorum, puteus aquarum viuētium, quæ fluunt impetu de libano, cui sponſus candidus & rubicundus, & dilectus vltro aquilonem & austrū accersit, vt perflet eam, vtque fluant aromata illius. Quæ omnia graui mysterio sunt dicta. ecclesia nanque perſatur tribulationibus, quando mittit aromata virtutum suarum, vt dicat, Manus meæ stillauerunt myrrham, cap. 5. Ipsa est humili altitudine quinque sensuum: quos nitentes propria cupiditate cohibet, vt vere dicere possit, Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, Neque ambulauit in magnis, neque in mirabilibus super me, Psal. 130. A spera in exteriori cultu: delicias, ac omnem mūdi gloriam exhorrens. Amara gustu carni: sed odora olfactu spiritui: quia est

Myrrha ecclesia.

iniquis displiceat vita proborum, spirat tamē odoramenta virtutum. Sudat stacten (id enim vnguentum eius est) vitro : quia spontanea seruit Deo in operibus sanctis, atque omni deuotione plenissimis, quæ tam suaui sunt Deo, vt nulla alia his præferantur. Inciditur bis, quia sæpe & bonis temporariis priuatur, & carne affligitur variè. vnde illi manant patientiæ virtutes. Satiua siluestri prærata, quia virtutibus exercita : culta doctrinis, correptionum sarculis impetita, est melior quàm neglecta : tum enim proficit, quum colitur: tum fructificat, quum exercetur: tum spirat odore, quum quatitur: tum sudat propriis vnguentis, quum premitur: Respice martyrū temporā, & dicta probabis esse verissima. Neglecta fuit aliquoties ecclesia, nullōq; persequutore molestata, & deliciis mūdānis delicit, suis euauit virtutibus, quæ nisi exercita florescere nescit: nec sudare stacten suam, nec odore preciosa esse: vt bene rastro gaudeat, ablaqueationibūque: cui si concupiscentiæ radix carnis mortificatione refrigeretur, mirum quā euadat felicior meliorque: Hæc non vna terrarum parte conclusa, sed sicut in omnem terram exiuit sonus apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum : ita passim sese exhibet, apud omnes terræ nationes. Venit & è siluis gentilitatis ecclesia laudata : & alius ab alio fidem suscepit: melior in siluestri æstiuā, quæ calore charitatis æstiuam se efficit. Vnguentarij angeli haud difficulter odoris atque pinguedinis, id est, virtutum ac gratiæ argumētis discernunt, digeruntque. Exhibunt nanque angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Matth. 13. Multa sunt certè christiani collegij genera, passim in orbe terrarum diffusa : vt alij sint simplices christiani, Ecclesiastici alij, alij monachi, eremitæ alij : quos omnes vna eadēq; ecclesia, Myrrha hæc preciosa, continet, cui sponsus scribi iubet casto amore sponfam deperiens, quæ est ipsa ecclesia.

Punct. 2.

Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit.

Sponsus ecclesie primus & nouissimus. Quis sponsus ecclesie tam odoratissimæ, tamque preciosissimæ sit, in primis explicat, quum se primum atque nouissimum adstruit : in quo mors nihil efficere potuit:

quia resurgens ex mortuis viuit. vbi simul suæ omnipotentia æternitatisque considerationem ingerit. Primus enim est, ante quem nullus : nouissimus, post quem redemptor alius non est sperandus : vt in primi appellatione, conditorem vniuersi: in nouissimi verò redemptorem commodius intelligas. Principium ac finis media concludunt, & in Christo seruantur omnia quæcunque non exorbitant à recto. Idcirco autem ita se appellat vt primus sit ac nouissimus, quia scribit ecclesie multis presuris grauata, vt fortius sperent in eo, qui immensitate sui ambit vniuersa : quique suos sinu complectitur, quos statim consolans, de morte sua meminit, simulque resurrectione in vitam immortalem, in exemplum eorum qui aliquid pro fidei iustitia, tolerant, qui etsi premantur ad tempus, pressura tamen illa futura est eis in gloriam, sicut & in Christo fuit & mors & passio, qui est primus, & nouissimus : in quo sicut gratiam hic habemus, ita & gloriam habituri sumus in futuro. Quæ etiam ratione congruenter primum se nouissimumque nominat, mortuum & viuum : vt non dubitemus aggredi ardua, sequi iisdem vestigiis dominum, quibus ille præcessit, qui multa malorum genera pro nobis constantissimè vsque ad crucem pertulit & mortem. Qui aded nullum admittit facinus, vt nec in lingua eius dolus repertus sit vllus. Quumque in eum aceruatim conuicta à perfidis congererentur aded non regeffit, vt etiam patrem pro imprudentia eorum exoraret : ligabatur, credebatur, crucifigebatur, non tamen comminabatur. Qui indubiè pro diluendis sceleribus nostris holocaustum factus libèter mortem appetiit, quatenus sua morte immerita, commeritam à nobis depelleret mortem : vtque nos mortui pristinis peccatis, affectibūque malis, quibus addicti seruiebamus, innocentia deinceps viuamus : in quod nos ille omnis innocentia fons consecrauit, qui nostra peccata in se transfudit, suamque iustitiam in nos transfudit. O magnæ admirationis res. Nos peccauimus, ille pœnas dedit. Nostra rigebant flagitia, in illum defecuit animaduersio. Proinde quisquis tribulationum arteribus pulsaris, quisquis patetis indigna, quisquis iniuriis lacefferis, impeteris conuictis, præscribe tibi primum & nouissimum :

Primus & nouissimus Christus cur dicatur.

sub oculos tibi pone Iesum Christum, vnicum veræ pietatis exemplum, qui Deus est & homo, id est, primus & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit, passus & resurrexit: vt non mireris, neve expostules in tentationibus tuis, quasi noui aliquid tibi ex hoc cõtigerit, dum sic angeris, dum sic iactaris, dum sic deiceris pramerisque. Ac si dicat huic spiritus, quem interno sensu vult consolari. Tu quidem propter iustitiam, quam tenes, iactaris, vris, & quasi homo ignobilis contemneris. Sed quantum quantum sit illud quod pateris si ad illum respicias, qui pro te valde indecentia pertulit, tibi per omnem modum exemplum relinquens, vt scias quibus illum viis sequaris, nihil erit. Vis scire verum esse quod dico, audi. Ille qui semper integer fuit, & innocens, quo apud Deum nemo præstantior, preciosior nemo, nemo charior est: secundum alteram naturam Deus, secundum alteram homo: hac illibatissimæ virginis, illa Dei altissimi filius: Qui cum sic esset primus & optimus, & præ filiis hominum speciosissimus apud homines nouissimus fuit, id est, vilis reputationis, id est, abiectissimus, despectissimus, & inter sceleratos recensitus: de quo est illud Esaiæ vaticinium, Ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienci, & non est ei species neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desyderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum. Esa. cap. 53. Ecce qui primus in deitate, nouissimus in humanitate, qui vt vermis, & non homo habitus est in terra, Psal. 21. Vt Deus stat primus in synagoga Deorum, vt homo nouissimus inter homines opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quid igitur magnum si tu homo, & non Deus, de tuo quantulo cunque honore propter illum deiceris? si quid pateris: si rebus priuaris: qui sine peccato non es, nec careres offensa, e quidem bono animo ferenda tibi sunt omnia, tanquam non sine commeritis immissa. Neque enim æquissimus Deus inultum sinit effluere peccatum, vt in ordinem iustitiæ redigar delinquentem. Illud verò quod dicitur, qui fuit mortuus, & viuit: huc pertinet vt sciamus, quia qui se mortificat vitiiis & concupiscentiis sequendo vestigia

Christi,

Christi, vere viuit: quod vtique ad cumulum consolationis pertinet veteri christianis.

Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed diues es: Et blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudeos esse, Et non sunt: sed sunt synagoga satanae.

Ne hic quidem volo disputare de scientia approbationis vel reiectionis, quod freques est apud theologos: eodem potèdere hoc dictum fore arbitror, quo apud Esaiam cap. 12. quem locum mox supra citauimus. Et vidimus, inquit, eum virum dolorum, & scientem infirmitatem: scientem dixit pro experimētum habentem, & quomodo & hic scripturam rectius intelligimus, Scio tribulationem tuam & paupertatem, id est, tribulationis & paupertatis eiusmodi angores, erumnasque in memetipso primū expertus sum. Nanque me Iudeorum gens impia sicut scriptura testatur persequuta est, hominem inopem, & mendicum, communctum corde mortificare, Psal. 108. Huius experimētum memor Apostolus, dixit, Hebr. 4. Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autè per omnia, pro similitudine absque peccato. Tentatus quippe est fame, siti, astu, algoribus, conuitiis, passione, cruce, & morte. Item cap. sequenti. Quomodo esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est. Ac si dicat, Ex me scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, quæ prius te sustinui: sed me ita oportuit pati, & ita intrare in gloriam meam. Luc. vi. Idcirco non nimis doleas, quia afflictionibus mundanis probaris, quibus & ipse probatus inuentus sum. Scio ergo, id est, in meipso prius expertus sum tribulationem tuam, & paupertatem, quibus modo opprimeris: sed nihil est quod cures: iuxta mundum tantum hæc sunt, tribulatio, & paupertas tua: & cum mundo transeunt. Apud me liber es, abundeque diues: nam donis poteris cœlestibus affluentem. Ego enim ascendens in cœlum liber de meis angoribus sedensque ad dexteram patris, mecum habeo omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, vnde etiam dedi dona hominibus, quibus quisque diues esse possit. Hinc & tibi suppetunt diuitiæ secundum donationem meam: dedi sermonem meum in os tuum: dedi oris gratiam, vt loquaris & enarres magnalia Dei: his te abundare oportet in grege meo, & non deficere

vt ut vexeris, vt aduersis flatibus ac resatibus fortunæ impetaris. Nam neq; ego defeci in increpationibus meis, quauis aduersarii mei dicerent, In Beelzebub principe dæmoniorum eiicere me dæmonia: quauis doctrinam meam impuro dæmonio adscriberent, quo cum me confuerudinem habere passim clamitabāt, dicentes, Dæmonium habes, & alia multa. Sed ego hæc non aduertens, immo nec pili quidem faciēs præ utilitate sermonis mei, quæ prouentura erat ex eo; tum sancto, tum salutari, vrgebam patris negotium, salutare hominē cupiebam. Tu quoque, si mecum sentis, quum blasphemaris, & quum contemneris, tanquam homo nihili ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ, equanimiter feras, quo me germanissimè sequaris, & me magistrum ac præceptorem colas: immo in te exprimas veracissimè. Nanque diuitias obtines cælestes, tum multas, tum varias, siue in fidei candorem, siue in morum suauitatem. Sapientia etiam præmines, vt versare te liberè valeas in quocunq; genere eruditionis, vt non desit tibi quicquam in vlla gratia, me tibi cumulativè donante omnia, tibi que in omni re adistente, tibi fauente. Tria itaque hic ex ordine enumerat Christus, quæ singulatim amabat in Christo, tribulationem, paupertatem, blasphemiarum tolerantiam: quòd in his omnibus singulari patientia insignis esset, quæ ipse Christus primum in seipso tolerauit, & ex tolerantia didicit in se primum: vt diceret, Scio tribulationem, &c. Ecce primū. Agnoscit quippe Deus tribulationes iustorum, easque ad gloriam illis vertit, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Alioqui, quos charissimos habet nequaquam affligi permitteret, quibus vna & ea potentissima in omnibus aduersitatibus est consolatio, quòd de bona Dei voluntate fiant, & pro salute eorum tententur. Iuxta id quod scriptū est, Prouerb. 3. *Quem diligit dominus, castigat.* Item. Hebr. 12. *Castigat omnem filium Deus quem recipit.* Et. 1. Cor. 11. *Quum iudicamur à domino corripimur, vt non cum mundo damnemur.* Hæc autem tentamina opportuno satis remedio nobis adhibentur. Potest enim fieri vt homini interna prauitas cordis sui interdum aliter minime constet, nec agnoscat, sed neque misericordia Dei circa

*Tribulatio
socio iustis.*

illum aliter declaretur nisi aduersis impetatur. Proinde cōsultrissimè misericordia Dei sæpe tribulationes immittit, vt sui exercentur, sibi que constet, & vt carcerum cautiore sint, sicut scriptum est, Eccles. 18. *Correctio tribuit sapientiam.* Porro vt doceantur alibi querendā esse mansionem, iuxta illud dictum Beati Gregorij. *Mala que nos hic præmunt, ad Deum ire compellunt.* Secundum, paupertas. Bene autè post tribulationem ponitur paupertas, in qua similiter Deus suos agnoscit. Paupertatem hic intellige, non solum rerum, sed & spiritus: qua paupertate beatos futuros suos fore dixit Christus. Matth. 5. quibus & regnum cælorum promisit, ibidem. Ideo rectè dictum est: sed diues es. diues nō solū promissione, sed & possessione: Nāque vt fortunatus poeta ait, *Pauper in angusto regnat habedo Deum.* Huius profecto solā possessio verè diuitem facit: quemadmodum doctè loquitur Paulus. 2. Cor. 6. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Quid enim est quod non possideant, qui omnia possident: Scriptum est de diuitibus mūdi, *Diues in itineribus suis marcescit.* Et iterum alia scriptura dicit, *Ne timueris quum diues factus fuerit homo: & quum multiplicata fuerit gloria domus eius: quia quum interierit nō sumet hæc omnia: neque cum eo descendet gloria domus eius.* Psal. 48. Et in alio loco, *Theaurizat, & ignorat cui congregabit ea,* Psal. 50. Nanque, vt Psalmus habet. 48. *Relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Et sequitur. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* vt rectè Salomon dixerit, *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. adeo non capiet vt & regno cælorum priuetur.* Saluatore attestate, qui ait, *Diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Et iterum, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Matth. 19. Tenent enim visco suo hominem diuitiæ, & artificissime tenent, vt inuolutus semel amplius etolui vix vquam queat. *Quam itaque scelices qui his retinaculis liberi sunt, hi sunt spiritu pauperes.* Ne vero cunctos eos qui diuites sunt insectari videamur. Erant per multi Patriarchæ, Prophetæ, & Reges sancti diuitiis pollentes, vt Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, que permulti.

*Tribulatio
num causa.*

*Paupertas
que commenda-
bilis.*

*Diues Deū
habens.*

*Diuitū re-
uerentiam per-
iculum.*

*Diuites etiam
sancti quo-
tius pollentes,*

quoque, Iob, & Dauid, & alij: qui tamen quia ab omni auaritia excussa corda gerebant, non sunt priuati regno Dei, neque foelicitate eius. Dauid enim dicit, Diuitia si affluant, nolite cor apponere. Psal. 61. Quod perinde est atque dicat spiritus sanctus, nolite concupiscere, neue spera in eis reponite, quantumuis hisce p̄sidiis muniri videamini, sed in solo Deo confidite. Nam nisi quis (ait dominus) renūciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, Luc. 14. Renunciat, qui cor non apponit, qui non concupiscit, qui spem in eis non reponit. Sequitur nunc tertium. Et blasphemaris ab his qui se dicunt esse Iudæos, & non sunt, &c. Iudæus hic religionis est vocabulum, non gentis: spiritus, non carnis: fidei, non erroris: iustitiæ, nō falsitatis: quo nomine hypocritæ gloriabantur, quemadmodum aduersarij quoque episcopi huius, conturbatores ecclesiæ Smyrnensis. Quod totum non solum ad vnam Smyrnæorum pertinet ecclesiam, sed generaliter ad omnes quæ sunt in vniuerso orbe: quæ fere in singulis locis, & in toto orbe blasphematur ab impijs, qui se dicunt esse Iudæos, id est, fidei confessores, & professores, & non sunt. Iudæus nanque confitens interpretatur, sed sunt synagoga satanæ. Qui enim vere confitentur Christum, ipse est Iudæus. De talibus loquitur dominus dicens, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego cum coram patre meo, Luc. 12. Iudæi ergo nominis expressio, mediatoris nostri est confessio, ac per hoc quicumque christianitatis nomine censentur, spiritualiter Iudæi sunt. Quod nomen, id est, propriæ nobilitatis appellationem, tunc vtrique ipsi Iudæi perdidērunt, quando Christum negauerunt, & occiderunt suspendentes in ligno: qui vsque modo ecclesiam Dei blasphemant: ad quorum societatem pertinent ij omnes qui falso christiani sunt, qui iuxta apostolum constant se quidem nosse Deum, factis autem negant. Blasphematur itaque ecclesia electorum à Iudæis reprobis, quia super tum dicta tum facta eorum contraria sunt cogitationibus reproborum: qui etsi intra ambitum ecclesiæ sunt, vita tamen & moribus se ab ea diuidūt: ac diuersum collegium sibi constituunt. Tales nimirum falso christianorum sibi nomen, quia nequaquam id vita ac moribus comprobāt:

Iudæus confitens.

Iudæi nominis amissio.

sine quibus vanè sibi gloriam aucupant. *o Punct. 4.

Nihil horum timeas, quæ passurus es.

Ad magnanimum belli imperatorem pertinet in acie versantem confortare militem, suisq; hortamentis veluti quibusdam classicis excitare: metū animo depellere, polliceri victoriam: breui in gloriam finiri laborem, id quod fortissimus hic imperator noster Christus facit, qui ad certamina nostra semper præsto est: Adiutor in tribulatione, & in opportunitatibus nostris. Quo duce tuti sumus, quicumq; sub eiusdem nominis professione tenemur. Inuictus enim est, cui nihil præualuit mors etiam quum occideretur, qui habet potestatem super omnia, qui modo dicit nobis singulis, Nihil eorum timeas quæ passurus es.

In expeditione quicumque sunt, certum est eos pati oportere, maxime vbi imminet hostis robustus exercitu grandi & forti. noster autem hostis multus est nimis, & fortis cuius fortitudinem testatur dominus, Luc. 11. Quum (inquirit) fortis armatus custodit arriū suum, sed fortior hoc est Christus imperator noster, vt ibidem in sequentibus dicitur, Si autem fortior eo superueniēs vicerit eum, vniuersa arma eius diripiet, &c. Proinde in cunctis certaminibus hunc solum spectemus, huius virtuti inuincibili fidamus, in hūc totos nos reiciamus: cui cura est de nobis supra matrum curam, vt contemni non possimus ab eo, neque derelinqui. Non quia, aliquid non pati oporteat, qui prior multa passus est in suo certamine pro nobis, vt etiam sanguinem fuderit, oppetierit & mortem: sed quia

Christus spectandus a nobis in nostris certaminibus.

in finem minime derelinquemur, qui adiuuat nostra certamina, & coronat post victoriā. Magna res, ipse vincit in nobis, & nos coronat pro victoria: vincit ergo vt coronet: non vt ipsi vtilitas aliqua ex hinc proueniat: nobis magis his rebus consulit. Sic enim gaudet bonis nostris, vt post victoriam det etiam gloriam. O magne admirationis res. O eximie dilectionis ineffabile exemplū. Nihil ergo horū timeas quæ passurus es; id est, passurus certo certius es, eo quod fixum sit in cælo tribulari hic sanctos Dei electos: sed post tribulationē, merces tibi æterna gloria erit: Hinc animati non possunt timere sancti, etiam si castra aduersus eos consistant: eo quod illos obfirmat Christi virtus potens & præualida: alioqui quo-

Christus non derelinquit suos.

modo sancti Martyres tolerassent citra meritū tā atrociam: quomodo in medijs etiam pœnis exultassent? irritassent feruissimos in se tyrannos: prouocassent & bestias feroces ad deuorandum se: Sācta Agnes tenerrima virgo, vt pote tredecim annorum constantissimo pectore contra seducētem, blandis primum sermonibus, deinde terroribus, constitit præfectum: dicens, Quicquid vis age, quia quod quæris non poteris obtinere. Alij delectari se in eiusmodi pœnis quibus discerperentur dicebant. Sāctus Vincētius disfluentibus ex vngularum disceptione visceribus, super crātem ferream, quæ ad ignē posita erat insiliebat, inertisq; ac cessationes carnificū arguebat, tanquā nihil pateretur. Nec reliqui minoris constantiā fortitudinisque erant, quos spiritus ille cœlestis, & numen æternū ac potens valde præmuniebat, vt fortes essent in bello, nec cederēt: alioqui quomodo ferre potuissent, nisi virtus Christi multo omnium passionum fortior eos corroborasset? Paulus prius eremita annis septem & nonaginta vasti eremi longa fastidia hominibus incognitis pertulit: nihil interim aduersariorum spiritualium contra se seuientium molestiis carens. S. Antonius, cui magni nomen est terribiles aspectus dæmonum, disceptiones, & alia solitudinis incommoda per plures annos sustinuit: quatenus constaret hos omnes sola virtute Christi fuisse inuictos, qui adiuvat vbique & semper infirmitatem nostram, vt sufferre valeamus: alioqui non diceret, Nihil horum timeas, quæ passurus es.

✽ O Punct. 5.

Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, vt tentemini: Et habebitis tribulationem diebus decem.

Ecclesia rotanda tribulationibus.

Tribulationum utilitas

Donec ecclesia Christi in terris agit, necesse est vt multa eam circunueniant incommoda, pulsetur, iactetur, prematur, potetur, quassetur, ac excrucietur: scilicet vt duro in tempore fides eius probetur, quemadmodum probari solet ignibus aurum. Quod si desit aduersitas, nulla erit probatio fidei, nullus ecclesiæ splendor, nulla viri virtus. Tolle ignem, & aurum sordescit, nec fulgore irritabit aspectū. Certe nisi tribulatio cogat nos ad interiora spectanda, vix dum nobis ipsis constabimus quid simus, aut quid valeamus: quum verò vrgemur tum demum occurrimus nobis quā fragiles, quā inuitiles, deserti cœlesti

præsidio sumus. Est denique & in aliud vtilis addita nobis eiusmodi tribulatio: quod ea ipsa, excussa nobis astringit segnitie, strenue dehinc virtutes capeffimus, præter id quod hac ipsa à vitiiis purgamur. Temperat tamen bonus Deus impetus in nobis tentationum, vt sufferre valeamus. Et ideo vt cito immittit, ita etiam cito eleuat. Hoc vt ostendat ait, Ecce, hoc est, cito: vt non in tempora longa proteletur, vel cito, id est, in præsentem: omnia enim tempus habent, sicut scriptura dicit, Eccl. 3. Est tempus fletendi, est tempus ridendi. Præfens nobis, id est, electis, tempus luctui deputatum est: risui impiis. Futurum autem iusui nobis, impiis luctui, sic stat sententia fati. Proinde nihil mirum si quid interim patimur tanquam passioni nobis deputato tempore, & ab impiis quidem, quorum rex quia diabolus est, Iob. 41. eiusque arbitrio illi viuūt, quicquid sub crudeli satana imperio contra pios tentant, ipsi diabolo imputatur. Ideo dicitur, Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem. Si quidem diabolus agitat intrinsecus homines malos ad exercendam, consummandamque malitiam aduersus sanctos Dei, vnde torum agitator imputatur quicquid extrinsecus faciunt impij persequentibus. Indolescendum ergo fuerit ipsis, quod sic obsidet eos malignus, à cuius imperio liberavit nos Christus. Quo- circa dixit. Orate pro persequentibus vos, & calumniaribus vos. Matth. 5. hoc primum ipse impleuit, qui pro crucifigentibus se patrem exorauit, Luc. 23: datumque est quibusdam, vt sanguinem, quem persequendo funderent, postea credendo biberent, & adorarent. Exauditus est enim pro sua reuerentia, vt Paulus testatur Hebræorum. 5. Itaque dum pius martyr affligitur, tribulatur, carceratur: sciat, & dicat, quia hoc facit diabolus, à quo captiuus tenetur persequutor: & sic inter vincula, & carceres sua contemperet responsa, supplicem animum prosternat in orationibus, si quo pacto aliquos ex eis à diabolo obsidente valeat liberare. Orauit Stephanus & Paulum liberavit. Hoc & alij fecere permulti. Dicatur ergo, Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem. Ecce, id est, in præsentem tempore, quod non diu protelabitur. Simile est apud Ioannem de Iuda capite decimo tertio

Diabolo imputatur quicquid ad aduersarios sit

*Diabolus tentator est in e-
uersionem.*

Quum (inquit) diabolus misisset in cor eius, vt traderet eum, etc. Missurus ergo, sed qua intentione? Nempe vt tentemini. Ille enim tentator est, Matth. 4. Et eo totus intendit, vt decipiat, vt perdat, vt exturbet. Hac intentione sanctum Iob expetiuit. Iob. 2. Idcirco illum in carne vlcere pessimo & abominabili repleuit: atque ex percussu liuore plurimo foedauit, vt non esset in eo sanitas, quatenus intus in mēte simplicitatem eius rectitudinēque euerteret, vt peccare virum sanctum, in labiis suis faceret, vt stultum aliquid contra Deum loqueretur, ac sic Deo, qui dicebat, nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit similis ei in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, quasi victor insultaret, sed constantia viri ac fortitudinē factum est, vt eluderetur improbus ille & impius carnifex: magno nobis exemplo, quo sciamus aduersus insidias diaboli resistere, nec protinus illi succumbere manūmve dare illi, inire cum eo fœdera aeterna: sed perpetuo reluctari, ne quid offendatur Deus, præferim in aduersitatibus nostris, in quibus virtus credentis probari solet. Beatus namque vir, qui suffert tentationem et cætera. Iac. 1. Postremo quid decem dies, nisi breue tempus significant: quemadmodum enim longum tempus longo typo, ira breuē breui figuratur. Igitur decem dies tempus breue sunt, quod vbi præterierit finem habebit tribulatio. Id quod vtiq̃ue pro consolatione dictum est, vt fidelis quisque in afflictione positus, semper apud se dicat: Breue tempus feram, decem dies cito implebuntur: tum redibit pax, tum multa tranquillitate denique potiar. Quod si dies longiores videbuntur, nihilominus feram, certum est enim quia cito finem sunt habituri: quemadmodum ab eo, qui hosce dies mihi constituit præfinitum est: ipse enim nouit dierum suorum mensuram, & quotus sit apud eum numerus ille denarius, qui quotus quotus sit vtiq̃ue mihi gratus: libenter igitur sustinebo, feramque manum Domini lubens: expectabo reuelationem consolationis saluatoris mei. Sciens quoniam sustinentiam hanc vertet mihi in gloriam: quicquid pro iustitia patiar manebo innoxius, nec stultum quid contra eum loquar. Quis ego sum, qui aduersus dominum erigar: quique vel tantillum

*Decem dies
breue tempus*

contra eum audeam loqui: Ipse agat liberè, ego patiar spontaneè: tantummodo det mihi virtutem vt equanimiter tolerem. Haymo episcopus, per decem dies quibus ecclesia tribulatur, omne præsens tempus intelligit, in quo decalogi mandata sunt necessaria. Sicut enim (verbi gratia) mittens quilibet imperator milites contra hostes, omni genere armorum munit: sic deus omnipotens mittens electos suos ad bellum in hunc mundum, contra dæmones, vel peruersos homines: decalogi mandatis eos instruit, quibus muniti eis resistere possint: & quâdiu decalogum habet, necessario in prociuctu ad clasticum belli positi sunt quibus rectè dicitur, Habebitis tribulationem diebus decem, ac si dicatur, Nolite quærere in bello vitæ præsentis requiem, quandiu contra tentamenta inimici siue aperta, siue occulta bellum gerendum est: sed decem præceptis tanquam armis milites armamini, neque enim gaudij locus est, vbi vita hominis tota tentatio est. Quidam decem dies ad decem persecutiones ecclesiarum referunt, de quibus meminit, D. August. libr. 18. ciuit. Dei Prima fuit Neronis. Secunda Domitiani. Tertia Traiani. Quarta Antonini. Quinta Seueri. Sexta Maximini. Septima Decij. Octaua Valeriani. Nona Aureliani. Decima Diocletiani & Maximiani: quæ omnibus præcedentibus grauior fuit, durauitque annis decem. In quibus innumerabiles viri ac mulieres, pro confessione fidei exquisitissimis cruciatibus martyrio coronati sunt, certatim christianis ad martyrium currentibus: adeo vt in triginta diebus, vigintiquinque millia christianorum occiderentur, ecclesiis & sacris libris combustis. Potest & aliter denarius numerus intelligi. Constat enim tribus tentationibus primum hominem, Adam, principaliter à serpente in paradiso aggressum ac victum: qui totidem postea eisdemque armis à secundo homine Christo superatus succubuit, gula, auaritia, & vana gloria: contra quas quotidie ecclesia dimicat in membris: qui numerus additus septenario, decem constituit: in quo præsens omne tempus voluitur. Septem enim dies sunt & non amplius. Quia ergo in omni vita trina ista tentatio deesse non potest, & hæc ipsa mortalis vita per septem dierum curricula euoluitur, rectè decem dierum

*Decem dies
præsens tempus
quod decalogi
est.*

*Decem persecu-
tionis eccle-
siae.*

principalis ecclesie tribulatio insinuat. Dicatur itaque electis, Habebitis tribulationem diebus decem. Quod perinde est atque si diceretur, Usquequo presens vita finiatur, quæ per septem dies euoluitur: contra varia tentationum genera, quæ in tribus potissimum consumantur, certamen habituri estis. *Punct. 6.

Esto fidelis usque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.

Quo decem dies pertineant apertius ostenditur, quia usque ad mortem fides constantissime seruanda sit. Decanarius quippe numerus perfectus est, & primus limes numerorum cardinalium statuitur. Græci decadem appellant: & non solum numerum: sed quandoque etiam magnitudinem significari per eum volunt, ut decumanus, id est, magnus. Hinc decamani (ut Asconius Pedianus docet) vocantur publicanorum principes, à quibus Decumæ, siue Decimæ exigebantur. Iamque usus habet, Decanos eos appellari, qui cæteris paribus in officia eliguntur. Decadis ergo perfectione totus vite humane decursus, & totum tempus ecclesie designatur, in quo fidelem quemque opus est fore christianum, nã nequaquam fidelis ille arbitrandus est, qui aliquando defecit: nec verè credit, qui in fine desit. Qui enim perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Matth. 10. Quis est qui perseuerat, nisi qui fidelis usque ad mortem erit: Fidelis omnem iustitiã renebit: meritum cumulabit, salutem que in Christo est, operabitur: vnde facile est colligi inconstantes & reprobos fallaciter fore fideles: non enim verè credunt, alioqui tanquam firmi contrariis assultibus viriliter repugnarèt: propter quod nec in semine Abrahæ computantur: nec fides eis ad iustitiam imputatur, ut rectè moneat, dicens. Esto fidelis &c. Ac si dicat, vide ne defeceris: defectus enim ipse testimonium fert inconstantiæ prius absconditæ, fideique fictæ. Obserua, Et si nouerit Deus electos suos nunquam profus à constantia defecturos, hortatu tamen suo velut classico ad exacuendos militum animos admouet, quos spiritu suo confirmare decreuit: quia nimirum tandiu fidelis constantia bono hortatu indiget roborari, quandiu mortalis homo, id est, fragilis, & nutabundus versa-

Defectus in constantia ab scõditæ signi est.

tur in arena mundi: & quandiu tribulationum atrietibus nõ definit impugnari. Alia ratio, ut dum miles videt quã nihil ex se efficiat, discat humiliari, atque ad flagitanda præsidia ardentius inflammati. Sequitur, Et dabo tibi coronam vitæ. Quid corona hæc sit, nisi gloria & honor & decus vitæ æternæ: hoc est inuictissimæ fidei præmium: hoc constantis animi merces & gloria, & honor, & decus. Proponit mercedem, ut fortius pugnet sui. Solet enim propositum præmium certantes accendere, suppeditare robur, & prouocare ad victoriam. *Punct. 7.

Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

Hoc breui hortatu inolitam carnem discit ignauiam, adhibet torpentibus calcar, immo aures arripit animosque, quo attentius Dei verba auscultemus, quæ verè auscultanda sunt, & ruminanda: panis enim est Dei verbum: edulium spiritus est, quo alitur, quo vegetatur spiritus in nobis: quem nisi illi impertias emori necesse est illum. Spiritus & vita est Deus, verba quoque Dei spiritus & vita sunt. Loquenti Deo hoc esuriens olim puer egregiæ indolis Samuel dicebat, Loquere domine, quia audit seruus tuus. 1. Reg. 9. Et beatus Dauid, Audiam (inquit) quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Psal. 84. Et beatus qui verbum spiritus concupiscit, inquit, & audit. Quantis ergo animaduersionibus digni sunt qui recusant, qui auersantur, qui contemnunt, qui audire dissimulant Dei verbum, salutare ac viuificum? Hoc est illud prandium, quod magnifico apparatu instructum narratur. Matth. 22. hæc dapes, hæc deliciæ, quibus suauissimè pascitur animus, roboratur, & viuunt: quas non percipit animalis homo: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. 1. Cor. 2. Ut autem ardentius mens tua ad hoc inflammetur, noueris complures verbi sacri effectus esse. Numerabo paucos. Primus, quia emollit, Ierem. 23. Nunquid non verba mea quasi malleus conterens petram, vbi in tropo per petram cor humanum in laxi duriciem obiectum intelligitur, respuit enim id ictum omnè consiliorum optimorum quodcumque eiusmodi fuerit, mollescit tamè sancto Dei verbo, si ad vitam prædestinatum

Verbi dei effectus.

fit. de quorum numero erant hi de quibus scriptum est. Act. 2. His autem auditis compuncti sunt corde: & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos apostolos: quid faciemus viri fratres? Secundus, quia inflammat: vbi enim ignis iste diuinus illabitur, vires suas mox exerit, adurit, totumque hominem sibi vendicat, ac in sui similitudinem vertit, vt diuinus fit, & igneus, sicut scriptum est de Elia. Ecclesiastici. 48. Surrexit Elias quasi ignis, & sermo illius quasi facula ardebat. Et Propheta, Eloquentium (inquit) domini inflammavit eum. Psalm. 104. & Psalm. 118. Deum compellens ait. Ignitum eloquium tuum vehementer. Equidem verbo domini Maria Magdalena inflammata ardebat, quæ prius peccando frigida erat. de cuius ardore restatur dominus. Luc. 7. Tertius, quia confirmat: confirmati olim Christi discipuli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Act. 5. Et de sanctis militibus, Hebræ. 11. dicitur. Fortes facti sunt in bello. Qui enim acceperant Dei verbum non solum alligari, ac cædi verberibus, sed & mori pro domino parati erant: quales erant omnes martyres, non ex se, in quo infirmi erant, pares cæteris mortalibus, sed ex Dei spiritu & verbo eius & virtute. Semen est verbum Dei, ait dominus, Luc. 8. Semen terræ mixtum erumpit, vt nequeat ipsum cohibere terra opertiens: sic timor non cohibebat illos, qui ad conspectum cohibentium intrepide consistentes dicebant. Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Act. 4. Neque eos, quorum vox vna erat, nos sanctum Dei nomen omnino negare non possumus. Quasi terra diceret, cohibere semen susceptum quin erumpat non possumus: superat enim fortitudo eius. Quartus, quia purificat: testis est dominus qui discipulis ait, iam vos mundi estis propter sermonem meum, quem loquutus sum vobis. Ioan. 15. Et apostolus. Peccatores aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. 1. Corint. 6. Quod tali argumento perspicere. Si fides purificat corda, Act. 15. fides ex auditu est, auditus autem per verbum Christi, Rom. 10. profecto ergo verbum Dei habebit vim in purificatione. Proinde qui habet aures au-

diar, &c. Quintus, quia illuminat, sicut scriptum est, Psalm. 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Legis Actu. 2. Qui receperunt sermonem baptizati sunt. Et rursum cap. 4. Multi autem eorum qui audierant verbum crediderunt. Item. cap. 10. Adhuc loquente Petro, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum: per quod est omnis illuminatio in notitiam veritatis. Vnde dominus, Quum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioan. 16. Sextus verbi Dei fructus est, quia custodit conseruatque. sic enim in prouerbis Salomonis scriptum est. Ne obliuiscaris, neque declines à verbis oris mei, neque dimittas ea: custodient enim te, & conseruabunt te. Prou. 4.

*o Punctus 8.

Qui vicerit, non ledetur à morte secunda.

Optanda ab omnibus promissio: hoc enim in voto ab omnibus expectandum est, ne lædantur à morte secunda, quæ cunctos necessario cogit. Obserua, in sacra scriptura tres mortes leguntur: vna peccati, carnis alia, tertia gehennæ. Peccati mors separat hominem à vita gratiæ, quæ est in fide dñi nostri Iesu Christi. Iustus enim ex fide viuuit, Abac. 2. & Rom. 1. Donec gratia manet in anima habetur vita ex ea, eò quòd spiraculum animæ sit gratia. Gratia autem vita æterna, Rom. 6. Quo contra, Stipendia peccati mors. ibidem. Carnis mors separat à vita animalì, qua in corpore viuunt quilibet animam habens, hac spiramus & mouemur. Gehennæ autem mors separat hominem à vita gloriæ: hanc statuit Christus in tenebris exterioribus vbi erit fletus & stridor dentium. Matt. 25. Dicatur ergo. Qui vicerit constantia videlicet fidei, ac puritate vitæ, mortem, & infernum, peccatum, mundum, & diabolum calcando: non lædetur à secunda morte, quæ carnis est, per separationem animæ à corpore (vt dictum est.) Quomodo non lædetur? aut quare non lædetur? Quia videlicet fiet transitus per eam in gloriam. vt illi iam non mors sit hæc, sed natalis ad vitam, lucemque perpetuam. Vnde & dormitio consolationis verbo per apostolũ dicitur. Nolumus (inquit) vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini. 1. Thesi. 4. Similiter & 2. Machab. 12. scriptũ est. Quod hi, qui cum pietate dor-

Mortus tres.

missionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, vt clarum sit illud quod Pſalm. 115. legis, præcioſiſſimam fore mortem ſanctorum in conſpectu domini. Contra verò, mortem peccatorum peſſimam. Pſalm. 33. Hi autem ſunt peſſimi, qui increduli ſunt & qui non vincunt, ſed vincuntur à tentationibus: hi lædentur à morte ſecunda: quandoquidem capient iudicium nequiter factorum ſuorum in igne, qui non extinguitur. Eſa. vlt.

DE PRÆCEPTIS ANGELO

PERGAMI ECCLESIAE SCRIBENDIS

Sect. 3. Punct. 1.



T Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit, qui habet rhomphæam ex vtraque parte acutâ.

Pergamus, ſive Pergamum, ciuitas Aſiæ minoris inſignis fuit diu ſub Attaliciſ (id eſt, magnificis, ab primo Attalo ditiffimo, qui aurum inuenit intextere veſtibus dictis) regibus fortunata: poſtea verò Romanorum prouincia facta, apud quam chartarum vſus inuentus eſt, quæ nunc quoque vulgo pergamena dicitur, ab Attalo, vt Helianus: vel ab Eumenæ, vt Plin. ait. Ex Pergamo Galenus medicus celebris: & Apolodorus orator, Auguſti Cæſaris magiſter fuere. In hac ergo eccleſiâ doctrinam malam tenentes, doctrinam Balaam, & doctrinam Nicolaitarum redarguuntur. Quæ vox qua ratione vniuerſæ eccleſiæ conueniat videamus. Pergamus (ſi Græcis interpretariſ quid creditur) altitudinem Larinis ſonat. Pergama quoque erant arces Troianæ in ſublime erectæ, è quibus omnia alta ædificia Pergama dicta ſunt: & eccleſiâ ſublimis eſt. Galat. 4. Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra: in qua eſt turris illa fortiſſima nomen domini. Prouerb. 18. Quod ſanctum eſt, & terribile. Pſalm. 110. & Quod benedictum in ſæcula. Quodque ante ſolem permanet. Pſalm. 71. & Quod laudabile eſt à ſolis ortu vſque ad occaſum, Pſalm. 112. Quod quiſque fidelium inuocat, Pſalm. 115. Et nomen domini inuocabo. Et Quod inuocatum eſt ſuper nos. Ierem. 14.

Pergamus eccleſiâ.

Nominis domini ſanctiſſimi.

In quo baptizati remiſſionem peccatorum & donum ſpirituſſancti accepimus. Act. 2. In quo claudus ex vtero matris ſuæ ad inſum Petri ſanatus eſt: Nanque eius protinus conſolidatæ ſunt baſes, & plantæ, greſſus quoque redditus eſt. Actuum. 3. innumeræque alia miracula facta, quibus plena ſunt volumina, vt non ſit opus, quædam è multis recenſere. Eſt in ea dico eccleſiâ arx quoque Dauidis fortiſſima, quæ eſt fides: cum propugnaculis, quæ ſunt fidei articuli, aſſertio neſque catholica. Cant. 4. è quibus mille clypei pendent, & omnis armatura fortium. Ibidemque ſunt ſcripturarum ſacrarum authoritates. Huic ergo inexpugnabili atque inuincibili, iuxtaque altiffimæ Pergamo, dominus Ieſus Chriſtus ſcribi iubet, quæ ob veritatis conſtantiffimam aſſertionem in ſua conſiſtit fortitudine: diuidens cornua ac potentias aduerſariorum. Nam Pergami interpretatio eſt & id explicat vt ſupra memorauimus. Rhomphæa gladius eſt vtriuſque acutus, quod eſt verbum Dei, Eph. 6. quod vim habet ad docendum in præſenti, & iudicandum in futuro. Ioan. 12. Sermo quem loquutus ſum, ille iudicabit in nouiſſimo die. Proinde qui habet authoritatem doctrinæ, ac iuxta iudicij efficaciffimam potentiffimamque vim, id eſt, Chriſtus Ieſus, dicit hæc, vt vnuiſque recognoscat, quia ipſe eſt ſolus, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam, Matth. 10. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficacis, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullatum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Hebræos. 4. Ipſe quidem qui habet gladium rhomphæam: viuum: & efficacem, & penetrabilem ſermonem Dei, diſcernit quo quiſque animo ſit, aut loquatur: quid propter terrena commoda faciat, quid propter cæleſtia. Atque vt iuxta præſentem cauſam loquar: ipſe diſcernit inter benedictiones Balaam, Moysi quoque: quorum vterque benedixit filiis Iſraël: ſed doctrina longe diſcrepauit. Balaam quippe eodẽ ore, qua benedixit, docebat Balach regem mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere, & fornicari: hoc Moyses nõ fecit. Vtinam nulli eſſent noſtro hoc inauſpicatiſſimo ſuo Balaami, qui alioqui ex officio in eccleſiâ Dei,

Rhomphæa.

Chriſtus diſcretor cogitationum.

populo benedicunt: eodem tamen ore quo benedicunt immittunt scandalum coram populo Dei: docentes edere & fornicari, & alia multa contra Deum perpetrare: quos iudicabit dominus qui habet in manu sua rhomphaeam vtrinque scindentem: vt perdat & corpus & animam in gehennam ignis. Binam rhomphaeæ aciem reduxit Haymo ad vim vtriusque testamenti, noui videlicet veterisque. quòd hoc, opus: illud, refecer: cogitationes. Vetus quippe testamentum dicit, Si quis adulterium admitterit, morte moriatur, Leuit. 20. Nouum verò, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo, Marth. 5. Et multa his similia. Vel certè vtraque parte acutus ideo dicitur gladius hic: quia sicut gladius eiusmodi carnem diuidit, & membra à mèbris separat: ita gladius verbi Dei separat bonos à malis. Vnde dominus Marth. 10. Non veni pacem mittere: sed gladium. veni enim separare hominem à patre suo: & filiam à matre: nurum à socru. Siue etiam idcirco dicitur vtraque parte acutus, quia & simplices, per historiam docet: & perfectos per allegoriam erudit. *Punct. 2.

Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ: & tenes nomen meum:

Non negasti fidem meam in diebus illis, in quibus Antipas testis meus fidelis occisus est apud vos, vbi satanas habitat.

Laudantur hi, qui habitant in locis, in quibus satanas habet sedem suam: persistunt autem, & à fide minime deficiunt. Quid verò sit sedes satanæ, nisi regnum eius, regnum peccati & mortis: regnum scandali & confusionis? Regnum autem eius est, vbi sunt filij superbiæ, quorum ipse est rex Tob. 41. Iam vbiunque sunt contemptores verbi Dei, superbi, rebelles, increduli, homicidæ, raptores, iniusti, adulteri, sacrilegi, auari, dissidorum amatores, ebriosi, & id genus aliorum vitiorum sectatores, ibi est sedes satanæ: in eis quippe regnat & sedet. quorum etiam pater vocatur. Ioan. 8. Punctus iste intelligitur de locis in quibus aperte & potenter regnat satanas: in quibus quotquot in veritate permanent hic à domino commendantur. Necessè est enim donec finiatur orbis, vt mixtum boni cum malis fiant. Cuius rei præclarissimum extat exemplum Iud. 3. quòd è gētibus quidam inter Israëlitas spar-

Boni cū malis mixtim in hac vita degunt.

litas sparsim manebant: & modò in medio piorum multi pietatis hostes sunt vt probentur per eos vtrum pij ex animo Christum colant. Ipsa autem probatio cedit eis in bonum eorum. Philip. 2. In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Et Cant. 2. Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias. Quod adeò piis cedit in bonum ipsorum, vt ex hinc laus eorum apud Deum sumat incrementum quoniam in medio malorum seruant innocentiam, & pietatis opera non omittunt. Hinc sanctus Loth laudatur in scriptura, quia habitans inter eos, qui quotitiè affligebant animam eius: visu & auditu iustus erat. Gen. 19. Et Noë similiter longæuus ille pater, de quibus. 2. Pet. 2. dicitur. Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione ei iuravit Deus. Et Noë iustitiæ præconem custodiuit. Nouit enim Deus pios de tentatione eripere. Proinde episcopus hic integer Pergamensis commendatur, quòd inter malos sancte vixerit: noménque sanctum domini coluerit, fidei constiterit, in illis inuensis ac dissidijs plenis diebus, in quibus Antipas innocens, & præcipuus cultor iustitiæ, ois testimonium sanctum cæsus est ab his, quos satanas possidebat. Ac si dicat. Placet mihi quòd videns alios affigi, & occidi ob nomen meum, quòd ipsi aperte prædicarēt; tu nequaquam es deterritus, quin audacter palamque cōfitereris fidem meam: veri pastoris agens officium, qui animam pro domino, proque ouibus eius ponere minime dubitaueris. Obserua, ad vnum sermo dirigitur, sed cunctos fideles ad sanctos, qui erant Pergami: & omnes ecclesias sic in veritate confessionis persistentes alloquitur. Antipas autem hic, de quo sermo haberetur: pro typo ponitur omnium, qui pro Christo aduersa perferunt, aut occiduntur. Antipas enim contra omnes, interpretatur: quod plane ecclesiam, ac quémque fidelem designat. Ecclesia nanque piorum contra omnes iniquos sanctitudinis perfectione adstat, nihil operibus eorum consentiēs: quæ quum omnibus huius vitæ commodis in electis veritatem præfert, omnibus odio est hominibus: sicut & sponfus eius fuit, qui ait, Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.

Antipas testis.

Ioan. 7. Et de electis suis dicit, cap. 15. Si mūdus vos odit, sciote quia me priorem vobis odio habuit. Cuius rei causa in promptu est. Si enim de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Et post pauca. Non est seruus maior domino suo: si me persequuti sunt, & vos persequentur. Neque verò id ad solos apostolos pertinet, sed ad omnes electos fideles, qui sunt in ecclesia, iuxta illud Marc. 13. Quod dico vobis omnibus dico. vt nemo electorum à gratia verbi eius excluderetur. De Antipa sentit Haymo episcopus quòd fuit quidam martyr, qui occisus erat Pergami ob confessionem fidei: per quem (vt diximus) omnes martyres intelliguntur, quicumque in hoc mundo siue aperto siue occulto patiuntur aduersa. Quod autè apud sanctos suum testem interfectum esse commemorat: sic intelligendum est, non quòd ab illis, sed quòd inter illos fuerit interemptus: ab his videlicet, in quibus satanas habitat, id est, à reprobis, qui sedes sunt satanæ. Magna confusio hypocritarum, magna incredulorum, magna impiorum verecundia persecutorum, esse sedem satanæ: in quibus sedet, regnat imperatque satanas pro libito. Vx illis ab huiusmodi inhabitatoribus: vtinam fiant aliquando sedes Dei, vt transferantur de regno diaboli ad regnum Christi.

*O Punct. 3.


Sed habeo aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israël, idere, & fornicari: ita habes & tenentes doctrinam Nicolaitarum.

Virtus sine mixtura male probatur.

Nihil à rigore iustitia iudicantis declinat, laxatur nihil: stat perpetuo tenore, nec piis operibus tegantur mala, vt non subluceant, id est, non ad lucem ostendantur. Non sustinet mixturam integritas vt probata sit. Ambula coram me, dicit dominus, & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me & te. Gene. 16. Perfectum vult esse Deus, quem coram se ambulare iubet. Perfectus est, cui nihil in vlla virtute deest: quod quanto quisque minus se

assequutum intelligit, tanto ad perfectionem niri debet ardetius. Est enim homini semper quod ulterius apprehendat. Equidè conatus non nihil proficit ad perfectionem, cum quo Deus amicitia fœdera iungit: & quicumque eiusmodi sit: hoc est qui perfectus esse contendit, is eius est. Hoc est ad omnes pertineat fideles, maxime ad antistites ecclesiarum, qui & sibi & aliis, providere debent, vita primùm inculpari, deinde doctrina sancta. Namq; & Christus Iesus capit primum facere, hinc docere, Act. 1. Neq; enim satis fuerit his pro se vitam transigere inculpatissimam, nisi diligenter prospiciant & credito gregi, ne lupi sub ovilla pelle irrepant, ne suauissimum pastum animorū vitiet, aut inturbet pacem eorum. Quod vehemèter in episcopo hæc desyderari animaduertimus: cui dicitur, Sed habeo aduersus te pauca. Pauca dicit, quatenus rigor correptionis lenitate quadam moderetur, libentiusq; capiatur. Erat enim huic negligentia quadam de commisso grege, quòd non aduerteret quosdam seductores irrepsisse, qui sinceritatem gregis dominici corrumpebant: vt iam non pauci reperirentur inter eos sequentes impietatem Balaam, ac Nicolaitarum scandalum. Historia nota est, qualiter scilicet Balaam à Balach rege Madianitarum ad maledicendum filiis Israël fuerat euocatus: quibus maledicere noluit, immo similem illis fieri se in morte præoptabat: sed postmodum donariis victus in eiusdem populi exitium consilium dedit. Sciebat nanque animos filiorum Israël ad libidinem fore proclives, persuasit Balach regi, vt electissimas quasque fœminas ac virgines illis coram educeret, quarum forma iritati illi ad illicitos concubitus irruerent, illarumque blanditiis deliniti de sacrificiis Beelphegor manducarent: quatenus offenso Deo derelicti facile cederent gladiis illorum. Quid plura? regis iussu egressæ sunt mulieres forma electissimæ, quas cum vidissent filij Israël concupierunt, & commixti cum eis incitauerunt iram domini, percussique sunt ex eis vigintitria millia, donec Phinees vitione manus suæ placaret dominum. Numeror. 25. De qua re meminit. Psalmo. 106. Et stetit Phinees & placauit: & cessauit quassatio. Quum enim vidisset Phinees vnum de filiis Israël intrasse ad scortum: ingressus post

*Balaami cō-
ad libidinem fore proclives, persuasit Balach regi, vt electissimas quasque fœminas ac virgines illis coram educeret, quarum forma iritati illi ad illicitos concubitus irruerent, illarumque blanditiis deliniti de sacrificiis Beelphegor manducarent: quatenus offenso Deo derelicti facile cederent gladiis illorum. Quid plura? regis iussu egressæ sunt mulieres forma electissimæ, quas cum vidissent filij Israël concupierunt, & commixti cum eis incitauerunt iram domini, percussique sunt ex eis vigintitria millia, donec Phinees vitione manus suæ placaret dominum. Numeror. 25. De qua re meminit. Psalmo. 106. Et stetit Phinees & placauit: & cessauit quassatio. Quum enim vidisset Phinees vnum de filiis Israël intrasse ad scortum: ingressus post*



eum virunque gladio in genitalibus confodit. id quod reputatum est ei in iustitiâ in generatione & generationem, vsque in sempiternum. Quod utique forma est nostri temporis. Habet enim seculum nostrum Balaam, habet & Balach, habet & Israël. Israël vir videns Deum interpretatur, Balach elidens, Balaam populus vanus. Balaam itaque hæretici sunt, qui pondus virtutum ac fidei non habent, ideoque se vanos ostendunt, Balach principes sæculi huius forte probantur, quia proculdubio dum aliis atque aliis superiores fieri contendunt, si quem ad dignitatis suæ culmen ascendere velle conspiciunt, pro virili ad terram elidunt. Qui plerumque suadetibus hæreticis: contra Israël, hoc est, pietatis cultores, qui spiritu, Deum vident, depugnant. quibus pulchra forma mulieres obiectare non desinunt: quia suaviora quædam ac dulcia in verbis præterdunt, quibus simplicium mentes illaqueant, & perdant: vnde ira Dei cadit in illos. Vel certe Balaam typus est dæmonum per inania discurrentium, Balach autem caro est spiritui aduersatrix, quæ plerumque elidit spiritum ad peruersa deiiciendo. Id enim est elidere quod effringere, extrudere, dissipare: sicut scriptum est, Dissipata sunt ossa nostra secus infernum. Tunc quippe dissipabuntur ossa nostra secus infernum, quando robur spiritus effringitur, atque à sua constantia per illicitamenta viciorum emollitur. caro ergo velut mulieres delicias delectationes sensuum spiritui obiectat: & ad consensum eum pertrahit, cuius spiritus figura propria Israël est Deum contemplans, vt non alibi postmodum quam secus infernum virtus eius oberret, varias secundo voluptates. Docente ergo Balaam, misit Balach irritamenta voluptatum coram filiis Israël: quia caro voluptatibus vires rationis frangit: seducitque vt idola colat dum explendæ libidini indulgere eam cogit. Sed Phineas zelo Dei feruens insurgit, & ambos confodit in genitalibus gladio: quia sanctus prædicator verbo Dei peccantes mactat: sicut scriptum est: Verte impios & non erunt. Quomodo non erunt: nullo modo erunt? Non utique, sed impij non erunt, vt in peccatis viuant, Et tum placabitur Dei indignatio, & cessabit quassatio. Qua verò consequentia dictum est? Quia habes illic tenentes

doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israël edere & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum? nisi quia uterque scandalo fuit populo Dei: & Balaam & Nicolaus ille. & qui adhuc tenebant doctrinam eorum, nihil minori erant scandalo. Quod dominus ferre adeo non poterat, vt etiâ indignaretur episcopo alioqui probo propter nonnullos qui per inaduertentiam eius illic inter suos agerent, docentes similia errori eorum. Obserua, sicut mulieres pellices Madianitæ cogebant filios Israël edere de idolothytis, ac iuxta fornicari: ita & Nicolaitæ promiscuè habentes coniugia comedebant idolothyta, & cibos suos cibis qui erant de idolothytis gentilium commiscebant, in scandalum multorum: quod domino non placebat. Potest per Balaam, & id genus sacerdotum capi qui sacram Deo militiam pollicentes, aulicam vitam deliquit: quod haud quaquam caret crimine, quorum consilijs in impia negotia saepe principes abutuntur, qui intelliguntur sub typo Balach, sacerdotes autem sub Balaam. Quo in loco aduertendum est. Nanque quoties Balaam in publicum procederet, benedictiones Dei tinnulis vocibus concinebat: at verò in secreto, impio impias regis aures consilio opplebat. & sacerdotes ij, de quibus sermo habetur, benedictiones Dei in publico, vt Balaam, occidunt, diuina celebrantes: in secreto verò mirum valde est, quàm impia subinde dent principibus consilia. Balaam muneribus regis victus cupiebat mente maledicere populo Dei: sed Deo prohibente non audebat ore, sed e contrario benedicebat: eadem ad felicitatem populi illius de Christo veraciter pronuncians, quæ & Moyses, & alij prophetæ piè fideliterque annunciauere. Orietur Balaami (inquit) stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab. Ita & isti pleni iniquitate, quum non audent palam transgredi regulas fidei: recitant autem lectiones sacrarum scripturarum, proferunt testimonia prophetarum, cantant dominicæ passionis, resurrectionis, ac ascensionis historiam: & in hac fide benediciunt, baptizant, consecrant. Carterum quid agant, ipsi sciunt: ego nolo quippiam de eis proferre, etiam si exploratissima mihi sunt quædam. Dominus iudicabit po-

Balaam sacerdotes aduatores sunt auilici.

Balaami prophetia.

Sacerdotum quorundam intolerabilis malicia.

pulos in iustitia. Psalm. 9. qui est scrutator renum ac cordis. Psalm. 7. & qui reddet unicuique iuxta opera sua. Legis sententiam eandem expresse & Psalm. 61. & 1. Corin. 3. Porro quum hæc publicè fecerint, proh dolor, in abdito vertuntur ad impia consilia, detractiones, & alia, quæ nec calamus tuto exequitur. Quid inde fit? (nisi te deat narrationis) procedunt subornatæ filiæ Madian Iudeites, & composito gradu incedentes, paratæ ad decipiendum; quas videntes filij Israël irruunt impotenti libidine petiti, perpetrantque quod scelus est etiam cogitare, vnde facile excandescit Deus, seseque ad perdendum accingit. vnde & tradit nos in manus gentium, vt dominarentur nobis inimici nostri, qui oderunt nos: vt que affligerent nos, quorum sub manibus sæpe humiliati sumus nimis: & necdum erudimur, necdum respicimus è tot malis nostris correcti. O miseram sortem, ô infelicitatem magnam. Sed est aliud quoque infelicitatis nostræ malum, quia iam Nicolaitæ multi sunt in nobis: non Nicolaitæ tantum, sed his multo monstruosiores: qui passim cuniculos quærunt innaturales effrenatæ libidini eorum: vt non natura his sufficiat, vt non immerito opprobretur Christus, habes & tu tenentes facta, doctrinamque Nicolaitarum, quam illi reliquerunt in promiscua commercia vxorum comestationisque. Hæc sunt præcipua arma diaboli, quibus oppugnat ac decit fortissimos quosque: aduersus quæ conuenit nos armari armis pulcherrimarum virtutum Christi.

✽ Punctus 4.

Similiter & tu penitentiam age: sin autem, veniam tibi cito: & pugnabo cum illis gladio oris mei.

Similiter, hæc dictio, respicit id quod dixerat in prima epistola episcopo ecclesiæ Ephesinorum, Age penitentia, & prima opera fac. Bonus est dominus, cuius miserationes sunt super omnia opera eius. Psalm. 144. Neque enim vult mortem peccatoris, sed vt magis cõuertatur, & viuat. Ezech. 18. Vnde & alibi piensissimo affectu monet respicientiam, ita dicens. Derelinquat impius viam suã, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad domi-

num, & miseretur eius, Esa. 55. Age ergo & tu (inquit) similiter penitentiam. Enimvero nihil est vsquam virtutis, ac meriti, quod non digna penitentia assequatur. Hæc autem non tam carnis crucifixione, aut temporis diuturnitate quàm cordis contritione perficitur. non ergo tantum valet apud Deum mensura temporis quantum vis doloris: nec tantum à cibis abstinentia, quantum à peccatis. Quo circa, mensuram temporis sacri canones in arbitrio relinquunt sacerdotis. & quidem tanta poterit esse vis doloris: vt sufficiat ad tollendum peccatum, & etiam reatum ad pœnam. Accepit enim Deus in sacrificiũ expiatorium piam cordis cõtritionem, immo & satisfactorium: vt simul & expiet à peccato & satisfaciat pro ipso, ruptis sublatisque retinaculis, quæ ligabant ad pœnam peccatis debitam. Sed non proinde actus externus penitentia contemnendus. In eo quippe demonstratur veritas contritionis: Semper enim afflictio corporalis externa sequitur ad internum dolorem, in verè penitentibus. Necesse est enim vt prius doleat quis de peccatis insanissime cõtra Deum admissis, & deinde voluntariè assumat suæ carnis afflictionem. Alioqui quid intererit inter hypocritam, & veracem? Ille siquidem in tempus assumit formam penitentium, id est, agit quod agere ab integris videt: sed nõ ex corde agit, fictè autem omnia: qui eiectus est de ore Dei. Nam neque huius eiusmodi penitentia fructu locuples fiet vnquam, nec quippiam virtutis aut meriti assequetur: eo quod veritas est Deus, & veritatem diligit, & retribuet abundanter facientibus superbiam, vt Psalmus habet mysticus. Proinde penitentia vera, quæ nihil ficti neque fuci habeat: in cordis contritione in primis sedet. Cuius duas origines siue fontes ostendunt theologi: amorem Dei, & peccati dolorem: vt quantus fuerit amor, tantus sequatur in corde & dolor, id est, quantum quisque amaerit Deum, & virtutes ipsas, quarum ipse rex dicitur, & dominus: tantum de contrario doleat, mereat, & afflicteur. Sed amor inesse cordi nequaquã poterit nisi per gratiã, quæ transformat cor & statuit in omnibus bonis & virtute ipsa, ingenerat etiam displicentiã, & odiũ, & abominationẽ peccati, tãquã contrarij Deo. & quæ turpe sit peccatũ nihilque decori habes ostendit.

h iij

Peccatum natura odire nō potest.

Natura nāque ipsa deprauata in nobis nunquam potest de se odisse peccatum, immo amat ipsum tanquam sibi conueniens, quæ etiam vult in ipso delectari. Proinde necesse est, vt superueniat gratia, quæ facit primo displicere peccatum, deinde odire, postremo abominari. Supra natura ergo opus est displicentia & odium & abominatio de peccato. Hic si obicias mihi veteres philosophos, & quosdam alios odisse peccatum, qui studebant virtutibus. Respondeo, nequaquam odisse eos in veritate, magis autem in faciem, & in hypocrisis, qui sese fingeant amare virtutes: faciebant tamen in secreto, quæ non licebat: quali forma nostræ tempestatibus sunt omnes hypocritæ, quibus non inest cordi probitas, sed externe solum & in faciem, qui aucupare volunt sibi laudem: quos odit Deus. Nam nisi retinerentur pudore aut pœna, erumpent in mille genera flagitiorum, enormiaque facerent. Donec ergo non erit gratia in te: natura te gubernante, super erit dolus in spiritu tuo qui impedit semper gratiã, & per consequens, pœnitentiam veram: cui sic Deus semper imputat peccatum, quod alioqui placet tibi, & sic in veteratis ossibus, vt propheta dicit, & fortitudine spiritus sublata, clamabis conscientia rugiente, quia manus domini grauat te & premit te. Vis ergo verè pœnitentiam agere? eiice dolum primum de spiritu tuo, vt non remaneat voluntas peccandi in te. Quære gratiam Dei, quæ odire tecum statim faciet peccatum, & beatus eris. Quære beatus? quia iã remissæ sunt tibi iniquitates & tecta sunt peccata: vt vltra non redeant in memoriam apud Deum, nec imputentur tibi: quia in confixione spinarum: id est, compunctionum cordis, in ærumna & dolore conuersus es ad Deum: nec peccatū occultas vltra in corde, sed manifestas Deo coram sacerdote. lege Psal. 31. Bonum ergo erit homini in primis gratiam Dei quærere, & dolere de peccatis: abominari & odire: & virtutes imitari, perfectumque cor coram Deo gerere. Quod quum feceris, restat, vt nec pœnitentiam externam contempnas. & quia paucissimi sunt eiusmodi qui veram dignamque agant pœnitentiã, paucissimi inveniuntur perfectè boni in quibus delectaretur Deus, & non seruaret in pœnam. Ber. dicit. Iudicent alij, sentiant prout volunt: ego certe adhuc

Pœnitentiam veterum: vide infra.

nullum reperi pœnitentem, quem non æstimem igne & flammis purgatorij indigere: mecū denique rectè actum purabo, si vsque in diem iudicij ita me purgatorium ab omni scoria emundabit, vt audeã iudici purus occurrere. At modo risus est quibusdam vitæ austeritas: sed nō fuit risus quod exegit Deus ab Adam, nongentis & amplius annis; quem post mortem nihilominus cōiecit in lymbi carcerem. cuius longa fastidia pertulit, vsque ad domini aduentum, pœnitentiam, mortem, & descensum ad inferos & resurrectionem. Quare? Quia videlicet Deus vltionum dominum, Deus vltionum liberè egit. Psal. 93. qui punire solet peccata vsque in tertiam & quartam generationem. Neq; illud quidem risus fuit, quod Petrus perpetuò fleuit negationis suæ scelus. Iacobus minor, frater domini dictus, licet ex vtero matris sanctus fuerit (vt fert opinio multorū) & cum cæteris spiritū sanctū accepit, tanquã pignus salutis, arctissima tamen pœnitentia vitã continxit vt & vino perpetuo abstinerit, & sycera: & à carniū esu: qui nec balneo vnquã vti voluit, nec vnguento contra solis æstum, genti illi prope peculiari. Semper ieiunabat, semper super genua orabat, quæ ex assiduitate orandi cameli in modum callum obdlexerant: cui & ipsa frons frequenti in faciem cadendi vsu tumida carne obduruerat: semper gemens, semper flens, pectusque percutiens. Quid amplius dicam? carnem suam tanta austeritate affixerat, vt omnia membra mortificata in eo essent: cuius sanctitudinis fama attractus beatus Paulus apostolus, è lōginquo Hierosolymã venit, cupiens videre eum. Hic primus Hierosolymorum per apostolos est episcopus ordinatus. Quid memorem Ioannis baptista ciliciū? quid vitæ eius summam abstinentiam? cui cibus locusta erat melque siluestre, potus turbida aqua. Paulus in frigore & nuditate & fame, & continua persequutione sua gloriatur. Bartholomæus apostolus in oratione centies per diem, centies per noctem ad genua cadebat. Paulus thebaeus nudus in eremo parmāsit, septem & triginta annis paucissimis caricis, reliquis sexaginta annis medio panis fragmine vitam sustentans. Quid Hieronymi saccū, & saxum, & cutem situ obductam & squallore, vixq; coheretia ossa, fletum quoque commemorem? Quid Bene-

dicti vepres? Arsenij lachrymas? & alia rigidissima poenitentiae exempla: quae multo amplius nos confundunt, atque acriori iudicio stantur. Quamobrem cōsentaneum fuerit in tempore expurgari: ne sero tandem nos turpis negligentiae poeniteat. Pugnat enim dominus gladio iudicij aduersus impoenitentes, qui dicit: Sin autem: id est, si nolueris poenitentiam agere, corrigeréque in te negligentiae tuae torporé: & si vigilans ceterum non fueris in exturbando euiciendoque de medio gregis tui tenentes doctrinam Balaam, & doctrinam Nicolaitarum, pestilentissima scilicet haec scandala: veniam tibi: id est, contra te: & cito veniam, nihil ultra protelans ultionem: & pugnabo cum illis gladio oris mei, id est, iudicij. pugnaturus quippe est dominus contra obstinatos, quia parauit in iudicio thronum suum, Psal. 9. Et gladio oris sui pugnaturus. id est pugnare in diem paratus & horam. De quo gladio meminit Deuter. 33. dicens, Si acuro vt fulgur gladium meum, reddam ultionem hostibus meis. Et in Psal. 7. dicit, Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Vibrauit quippe gladium suum Christus aduersus impios, tetendit & arcum: qui in scripturis sacris comminatur ultionem. Veniam ergo: & pugnabo cum illis. Quod nequaquam ita accipiendum est, quasi venturū se ita polliceatur, quatenus pro episcopo negligente contra aduersarios pugnaturus sit: sed vt simul cum illis condemnet illum: quasi diceret: pugnabo tecum, qui haec scandala inter tuos patris, pugnabo & cum illis: quatenus te & illos pari iudicio perdam: Recte autem gladio pugnaturum se memorat, qui de Balaam meminit: Hoc enim habet de eo historia, quia mercede conductus ad maledicendum populo Dei, dum a sinu infidēs proficisceretur, stricto angelus gladio in via eidē restitit: sed nihil ille nihil inde correctus perrexit autem, & impio regi impium dedit cōsiliū, & errare fecit populum Dei, edere & fornicari: qui & ipse inter Madianitas tandem occisus est, Num, 31. Fornicatores etenim & adulteros iudicabit dominus, testatur Paulus Hebr. 13. Fornicatores autem non solum qui immundiciam carnis sequuntur, sed etiam qui spiritualiter relicto vtero cultu vnius & veri Dei, idola adorāt, de quibus scri-

ptum est, Perdes omnes qui fornicantur abs te. Hi sunt haeretici, qui doctrinis daemoniorum relicta sincerritate, adhærent, contaminanturque persuasione illorum.

✽ Punct. 5.

Qui habet aures audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

Hic rursus excitat animos auditorum: erigit aures, vt nō stupeant ad audienda Dei verba: non alto temperantur sopore carnalium voluptatū ceu securi iam nacta fide sunt. & qui praesident ne negligentes sint: sed solliciti de grege credito. Nā qui eiusmodi sunt, id est, voluptatibus sepulti, & negligentiae dediti, nihil ab similes sunt illis, qui olim templi domini subinde repetito nomine gloriabantur, dicentes, Templum domini, templum domini, templum domini est, vt Ieremias habet cap. 7. Et fecerant illud speluncam latronum. Sed stultorum plena sunt omnia. Patescant opus est nostrae aures ad audienda verba spiritus, animi intendēdi ad mysteria percipienda. ✽ Punct. 6.

Vincenti dabo manna absconditum, Et dabo illi calculum candidum, Et in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

Quis victor est: nisi qui eluctatis carnis desiderijs daemonum callidis vafrijs superatis, ac mundi illectamentis contemptis superior stat omnibus, spiritus robore intus & extra obfirmatus. Huic ergo tria promittuntur. Eius manna, calculus preciosus, & nomen nouum scriptum in calculo. Quid manna sit ignorare non possunt. Hi, qui primitias spiritus habent, quia gustando potius quam legendo, aut audiendo discitur. Datur autem manna dilectis filiis, ex amore patri Deo seruentibus, qui eius parere nutibus cupiunt, studentque placere illi, & qui eius gloriam quarunt. Exprimit autem manna internam ac medullarem metis dulcedinem: siue etiam sanctorum in hac vita consolationem, eorū qui vicij fortiter resistunt: alioqui nec dulcedo, nec cōsolatio spiritus his inerat, quos conscientiae amaritudo replet, & pavor iudicij terret. Est ergo sensus, contemnentem carnalem consolationem dabo spiritualem: repellenti externam delectationem, dabo internam: pro terrenis caelestia, pro momentaneis aeterna, pro cunctis praestabilia: nempe spiritus illum replens chaufmatibus, quae merito sui cuncta excellunt:

Manna interna mentis dulcedo.

Victor quis sit.

quæ talia sunt ac tanta, vt nemo ad sensum cognoscere potest, nisi studeat degustare: nec degustare valet, nisi discat prius perfecte carnalia contemnere. Vir enim insipiens non cognosceret, & stultus non intelliget hæc. P. sal. 91. Scriptum est, quia olim deus complutu manna: filios Israel in deserto paui: nec defuit eis celestis hic cibus donec intrarent in terram promissionis sanctæ: quum autem de frugibus terræ illius gustassent, pluere illis manna desit. Et sancti donec peregrinantur à Domino gratiam internæ consolationis recipiunt, hoc videlicet pane interim victitantes, qui datur eis in abundantia, tam diu donec deposita carnis sarcina viuientium terram subintrèt, quando aliud genus cibi eis præstabitur: vbi nullâ tribulatio, sed pax sempiterna, perenne gaudium occurrit. At sunt multi qui cœleste hoc manna, hanc spiritalem consolationem deesse eis lamentantur. Quæ oro causa istius ariditatis nostræ, & insipidi palati? nisi quia fortè ad egena, & infima mundi solatia plus satis defluximus, carnis sequimur voluptates: & si nostro interim iudicio pure he videantur, ad ollas tamen ægyptias sedemus: quæ si paulillum gulæ subtrahantur, murmuramus. Vbi iam queso primitialis ille feruor noster? vbi fortitudo spiritus? vbi propositum durable? quibus armis Aegyptum egrediebamur: linquebamus sæculum: quando pollicebamur nobis omnia quantumuis dura pro Christi perferre gloria? sublata sunt omnia, expuncta, ac deleta, vt nec vestigium quidem superfit vllum nec cinis. Strenuè satis, & cum gaudio ad montem Dei Oreb, ad audiendam vocem sermonum Dei, ad legem vitæ & disciplinæ tractandam cucurrimus, dum monita seniorum libenter auscultare, dū secundum ea religiose viuere respondimus. Cur igitur nunc tederit itineris? Cur grauati ingemiscimus? cur præcedentium exempla sanctorum sequi recusamus. Non somnolentibus obtinget regnum illud per beatum æternūque: non ociosis merces prouenit æterna, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quum operarij ad capiendum denarium diurnum ab iconomo accersentur. Christus patientia multa regnum sibi illud conciliauit æternum, & nos voluptatibus ad id peruenire volumus. Necessè ergo est, necessè inquam, vt

Abbas
Rupertus qua
stio.

vincatur, qui magna capere desiderat: quoniam ad vnum ex certis electionis diuinæ signum esse probatur, victoria scilicet super peccatum, & mortem & infernum. Nō vult coronari, qui non vult vincere: nec vincit quis, nisi legitime certauerit. Ad certamen victoria sequitur, ad victoriā datur corona. Denique est manna & celestis dulcedo beatitudinis: quam habent sancti in Deo suo & agno: quam abscondit Deus se meruentibus, vt soli ij capiant ac ipso captu delectentur, non alij: ideoque est manna absconditum, ne vnquam degustent, qui non merentur, id est, qui non vincunt. Porro est & sapientiæ diuinæ gustus manna hoc, qui est de verbo Dei, quod totum gratiæ est, ac promissionis vitæ æternæ: ad cuius penitentiæ sensum intrantes mitis pascuntur internarum voluptatum delectationibus: sed non nisi sinceri, victorēque penetrant. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, quia spiritualiter examinatur, & non potest intelligere, docet Paulus. 1. Cor. 2. Vt dicat penetrans. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum. Et iterum. O quam suavis & bonus est spiritus tuus domine. Quippe quia ipse Deus fugitur de verbo eius & gustatur, qui omnem superat delectationē: mel de petra est, & lac de ouibus, & quicquid est vsquam dulcedinis, totū est suauitas spiritus: qui haud ita intellectu quā sentimento capitur. Sunt (sateor) subriles cogitatione viri, qui mirabiliter disputant de verbo sacro Dei, palato tamen insipidi, eo quod nec dulcedinē sentiant Dei. Sunt alij qui cum sentimento disputant, hi soli spiritum gratiæ habentes delectantur, quibus Dei verbum bonum est & suaue gutturi eorum. Hi sunt viri contemplatiui, qui succu spiritus Dei aluntur, magis quā philosophorum præceptionibus, carnalisque sapientiæ verbis. Quod si verbum bonum est & dulce, nihil minus & sapientia (quam dat Christus paruulis) bona est & dulcis: hac penetramus cœlum, hac coram celsa maiestate Dei consistimus, hac iucundamur, hac præclari sumus: quæ fidei est modo, & spei, & semper duraturæ charitatis: vt quum illustratur superna eius virtute: & roboremur, & ardeamus oportet, vt non vanè accepiisse probe-

Manna dulcedo beatitudinis supernæ.

Manna sapientia diuinæ.

Manna eucharistia figura.

tur. insignis figura est sacramenti eucharistiæ, quo præstantius nihil habemus, ob quod etiam in solennitate eius, versus iste crebro repetitur in ecclesia Dei, videamus qua ratione ei competat, paulo altius repetentes figuræ originem. Scriptum est. Exod. 16. quia deficientibus filiis Israel in deserto, & murmurantibus, pluit dominus super faciem terræ in circuitu castrorum manna in similitudine pruina: quod cum vidissent filij Israel dixerunt, Manhu, quod significat, quid est hoc? ignorabant enim quid esset, quibus ait Moyses, Iste est panis, quem dominus dedit vobis ad vescendum: colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit. Sequitur. Et collegerunt alius plus, alius minus: nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant. Magnum id tum miraculum fuit, sed maius nunc in veritate est sacramentum. Deficientibus quippe nobis in via, dedit dominus sacramentum sui corporis & sanguinis, sub speciebus panis & vini: vt hoc aliamur donec peregrini sumus: quod recte admirantes, nihil dubitando querimus, Manhu. i. quid est hoc? Aliud nanque cernimus, aliud intelligimus: cernimus species, intelligimus Christum verum Deum, verumque hominem sub speciebus velatum: in quem substantia in vtraque re, id est, in pane & vino transfuit. Hoc est ergo manna verum, longè vetere maius, præstantius, & solennius: quod ideo absconditum dicitur, quia exterius speciebus velatum, omni dulcedine internæ consolationis refertum. Nam & manna illud mirè afficiebat, delectabat suauitate inenarrabili: cuius nostri dico veri mannae dulcedo spiritu potius quàm carne percipitur: ad quàm nemo admittitur nisi perfectæ sit fidei, ac sinceritatis innocuæ: vt hi soli, qui eiusmodi sint eo persuantur veracius: vt non ab re Paulus dixerit, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. I. Corinth. II. Quid est, probet seipsum homo: nisi videat si perfectè credat: & si purus sit à crimine, id est. Si plena fide, & puritate conscientia accedat, sciens illum esse

Christum regem regem, quem adorant angeli, quem inferna tremiscunt: qui salutem dat digne se suscipientibus. Accedat inquam securè, & reuerentè & manducet & bibat: quatenus particeps tantæ diuinitatis fiat. Est enim panis viuus, qui de cælo descendit: si quis manducauerit ex eo viuet in æternum. Ioannis sexto. Eget pane homo, vt viuat, cui proprius cibus panis est. Eget autem secundum vtrumque hominem, internum videlicet & externum. Externus illi panis triticeus est: internus Christus, qui est panis noster: est & vita. Quomodo? Panis est in sacramento eucharistiæ: quo altur spiritus, dum ei vnitur, vt diceret ipse, qui est panis noster: Caro mea vere est cibus, idem est & vita: In ipso nanque vita erat. Ioannis primo & capite sexto. Ego sum panis vitæ. Rursusque ait, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Sic panis, quod aliat: sic vita, quod vitam det, vitam autem non pereuntem, sed æternum permanentem. Nam & ipse sic viuus est, quod non intermoriatur. Quod enim mortuus est semel, peccato mortuus est: quod autem viuuit, viuuit Deo. Romanorum sexto, cui per Petrum dicitur. Verba vitæ eternæ habes. Ioannis sexto. Hunc ergo panem quicumque dignè suscipiunt viuunt: qui indignè suscipiunt pereunt: infirmi enim fide sunt, & non discernunt: non iudicant corpus domini esse, & regem esse angelorum & hominum: quem tanta incuria, tanta indignitate suscipiunt: & ideo pereunt, vt verum sit, quod dicitur, quia datur vincenti, ac si diceretur, dignè suscipienti. Datur autem salutaribus eius gratis, quibus professe possit, quibus non datur indignis, qui non ad vitam, sed ad mortem capiunt illud: vnde nec ad catalogum sanctorum pertinent: sanctorum dico, quorum sanctificatio omnis in fide est, sanctisque operibus. Nam & olim qui indignè vescebantur manna in eremo mortui sunt corpore & anima: qui verò dignè. i. spiritua-liter intelligendo Christum vera fide in manna illo, seruati sunt: quandoquidem eadem meruerunt immortalitate potiri, quo Moyses, & cæteri perfecti: neque enim

Pane eget homo.

Calculus candidus.

eis obfuit manna visibile spiritaliter vrentibus cibo illo corporeo, quemadmodū nec modo obest, sub speciebus corporeis eucharistiam sumi, dico perfectis, super petram fundatis. Secunda promissio de calculo candido. Nota. Calculus hic gemma præciosa est, quæ ad morem illius margaritæ, (vt Primasius ait) quam negociator inueniens venditis omnibus comparauit, intelligenda proponitur, vnde & quædam translatio margaritam habet. Hanc igitur quū pollicetur, pollicetur pro mercede seipsum Christus. Ipse est enim calculus, & margarita gemma præciosa. Calculus lapillus paruus est, solidus ac durus: qui calce pressus lædit, vnde & calculus à calco verbo quod propriè pede comprimo est, dictus putatur. Et christus paruus ob sui depressam humiliationem fuit: humiliavit namque semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis, testatur apostolus Phil. 2. solidus tamen & durus, ob intuibilem eius virtutem, qui pressus læsit plurimos, vnde & lapis offensionis dictus, Apostolo dicente, Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, Ro. 9. & Esa. 28. Eadem legis. 1. Pet. 2. Lapidem eum vocat, & Psaltes. Psal. 117. Quem scripturæ locum citans idem dominus per se Matth. 21. ait, Nunquam legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Solidus ergo est & durus, forriter resistens aduersariis: & lædens, & conterens eos. Candidus autem quia peccatum non fecit: nec dolus inuentus est in ore eius. 1. Petr. 2. & Esa. 53. Bene autem post manna mentionem, mox calculum ponit: is namque ordo & in Petri scripris obseruatur loco iam citato. Si tamen (inquit) gustastis, quoniam suauis est dominus: ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: vbi & manna, & calculus, & candor innotescunt. Manna in suauitate gustus, calculus in lapide viuo, candor in honorificatione. Haymo, calculum carbunculum hunc fore autumat, qui in tenebris velut carbo accensus lucet. Et Christus in sæculi tenebris illuxit. Ioa. 1. & lucet vsque adhuc, qui illuminat omnem hominem

nem venientem in hunc mundum. Præterea est calculus suppuratorius, quo solemus rationes suppurare: vt ad hunc modum victor numeretur inter cõsortia sanctorum, qui mercedem reportet ex promissione. Sed & Romanis familiare erat in ferendis suffragiis, calculus nomina magistratum inscribi, ac poni in vrna, vt testatur Linius in tertia Decade. lib. 2. Nominibus, inquit, in vrnam coniectis. Et Christus, quibus suffragia ferit, nomina eorum in sese indelebiter, velut in calculo inscribit, ac cœli magistratus efficit. Et fausti dies candido signabantur lapillo, atro infausti, vt Satyricus poëta habet, Hunc mactandæ diem numera meliore lapillo. Et gratiæ magnæ dies quibus reconciliati sumus per Christum, vt cœterum pro charis apud patrem cœlestem habeamur, meliore lapillo Christo, consignati sunt. Quum ergo candidum promittit calculum, electione feliciore nos consolatur in diebus gratiæ suæ, proponens militiæ nostræ mercedem, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Testatur, Esa. cap. 64. & Paulus. 1. Cor. 2. vt nihil vltra conscientis paucamus gratiam consequuti. Nihil enim damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant: Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit nos à lege peccati & mortis, dicit Paulus. Rom. 8. Tertia promissio. Et in calculo nomen nouum &c. Nomen hoc nouum est, quod os domini nominauit, Esa. 62. vocabitur, inquit, tibi nomen nouum, quod os domini nominauit. Quid hoc est, nisi vt à Christo vere christianus dicaris? quod fiet si viceris. Neque enim quispiam id re habet nisi victor. In arena stas, pugnandum tibi est: Nam militia est vita hominis super terram, Iob. 7. quatenus ex pugna victoria tibi nascatur: vt nouo nomine dignè glorieris, hoc est, vt christianus dicaris. Hoc enim omnino nouum nomen est, præcis inauditum seculis: postremo huic temporis reseruatum. Vt autem tibi nouum hoc nomen videatur: quare sub cœlo, quod nomen sit tam amplum, tam magnificum, quod iurè huic conferri possit. Omne enim quodcunque reperies, temporaneum est, breue & inefficax: hoc autem æternum, ac potens: idèoque nouum, mirabile, mundoque inauditum. Quod si aliqua sunt

Nomen nouum.

noua, ad carnis solummodo iudicium noua sunt, sed non Deo: hoc vero & Deo nouum est. Nouum enim est illi quod nostræ mortalitatis trabeca indutus est, nouum quod per ætatem creuit: nouum quod in cunis vagiit: nouum quod alsit, sudauit, esuriuit, sitiuit. Breuiter. Nouum quicquid gessit in carne. Sequitur. Quod nemo scit, nisi qui accipit. Scire pro experiri positum est. Nemo enim scit quàm dulcis est dominus: nisi nomen eius, quod sanctum est, fluensque charismatibus dignè in se gesserit. Sciant igitur omnes philosophi, & quantum volunt sciant: siue vt Aristoteles, siue Aristotelici omnes compugnent inter sese argumentis, siue etiam buccis crepantibus collucetur suis syllogismis, proiectet suas relationes: sed nisi spiritus adoptionis regenerando filium dei efficiat, scire nomen hoc nouum nequeunt. Nemo enim scit, nisi qui accipit. Aut quo pacto alienus à religione fidei scire possit, cui exolum est: st altitia enim est illi. Sed posteaquam sacramentis fidei initiatus fuerit, amabile, & honorificum, atque gratia multa redundans, & saluificum. Neque enim est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, hoc nesciunt hi qui non perceperunt fide. Ergo datur hoc nomen hominibus fide imbutis: fide imbutos hoc scire oportet, hi sunt prædestinati à Domino, de quibus, S. Ioannes protestatur, filij Dei sumus, & nõdum apparuit quid erimus: scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. 1. Ioannis tertio. Hoc nomẽ pollicetur victori Christus, quod tum manifestum faciet in vnoquoque per gloriam: quod à nobis nunc in virtute haberetur per gratiam: vt nomẽ quod sciri hic ceptum est, ibi multo perfectius sciatur, quando virtute eius fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum, vt non inconcinne promissiones hæc omnes pro futuro nonnulli expederint, vt ibi earum retributio fiat victori, manna, calculi quoque, & nominis noui. Namque & corona post victoriam redditur vincenti: tali sensu. Qui vicerit mundum, diabolum, & carnem, dabo ei post hanc vitam manna diuinæ dulcedinis meæ: quod absconditum est impiis, ne vquam degustent, dabo & calculum, aut me ipsum, aut soliditatem corporis gloriosi lucentẽ, in qua resurgent iusti

omnes, & in calculo nomen nouum, filiationis diuinæ: quatenus id perpetuo appareat in ipsis.

DE PRÆCEPTIS ANGELO ECCLESIÆ SCRIBENDIS.

Sect. 4. Punct. 1.

Et Angelo Thyatire Ecclesia scribe. Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco. Thyatira ciuitas erat & ipsa in Asia minore, prius Semiramida dicta. Quæ vox qua ratione vniuersæ ecclesiæ conueniat, exquiramus. Thyatiram supra illuminatam reddidimus: est enim ecclesiæ fide illuminata. Græcis sonat odorem siue laboris sacrificium, aut contritionis. Tyoo enim odorem facio, & Tyo sacrificio, & Tiroo, contero: vel Tiroo laboro, quæ voces aptissime ecclesiæ sanctæ competunt. Est enim congregatio eorum qui sunt bonus Christi odor. 2. Cor. 3. & qui se continuo Deo viuenti sacrificant, hostiam viuentem, sanctam, & placentem. Rom. 12. Sancti autem laboris, & sanctæ contritionis odor est, & sacrificium ipsa ecclesiæ, in spiritus sui humiliatione, & vera erga Deum affectione. Huic ergo sanctæ Thyatiræ, quæ in odorem suauitatis seipsam victimam sanctæ contritionis quotidie Deo offert, scribi hæc Dominus iubet: Nonnulla in principio schemata habitus sui ponens è regione ecclesiæ sanctæ, siue etiam episcopo respondentia: cuius opera, tum fidem, tum charitatem, ministerium quoque & patientiam nouisse se dicit, & opera nouissima præfert prioribus. Ideoque oculos habet tanquam flammam ignis, & pedes aurichalco perfimiles: quippe viuacissimi sunt & penetrabiles visus eius, pertingentes vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, necnon cogitationum intima, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, cui omnia nuda sunt & aperta. Hebr. 4. Vnde & iudicium eius prodit æquissimum. Sed de his abunde supra tractauimus. Nunc qua ratione se filij Dei nominat exquiramus: non enim ociose aut iactabunde

Thyatira ciuitas Asia.

Thyatira ecclesiæ.

hec ita commemorat, sed vt agnosceres per eum multos factos dei filios, in gratia adoptionis qui est verus atque perfectus, & vnicus filius Dei naturalis, atque ad eandem omnes pertinere hereditatem, quam in fine epistolæ vltoribus promittit luculentissime. Videns namque Dei filius paternam hereditatem tum multam tum diuitem sibi aliisque posse sufficere, venit in terras: & filios Dei, qui erant dispersi variis erroribus per orbem, in vniuersitate fidei congregauit, dāns eis præcepta vitæ & disciplinæ: quos flammeis modo oculis conspicatur: vt qui olim legem Moyse seruo suo dederat in igne, per ignem orbem iudicaturus crederetur. Ignis enim ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos eius, Psal. 96. Hoc animaduerso denique videamus quid rationis sit, quod oculi columbar huic sponso Canti, 7. tribuuntur: hic vero tanquam flamma ignis esse perhibetur. Nempe quia quum primus eius aduentus in humilitate præcesserit, secundus expectatur terribilis: cum potestate siquidem magna, & maiestate terribili est aduenturus: ad cuius aduentum vniuersus orbis contremiscent, nam & virtutes caelorum mouebuntur. Luc. 21. Rectè ibi columbæ oculos habet velut humiles, humiliter ipse in primo aduentu apparens. Nō enim uenerat vt iudicaret mundum: sed vt mundus saluetur per ipsum, hic vero terribiles oculi eiusdem sunt, quia in secundo aduentu, in quo eum expectamus, ueniet non ita humilis, sed qui possit iudicare orbem cum potestate magna & maiestate, vt dictum est. Huius pedes aurichalco similes sunt, quia multis & anxiiis tribulationibus, terminus vitæ eius in terris conclusus est: & tanto splendidior gloria eius ex his effulset. Et ecclesia in finem multo igne tribulationum probanda est, vt præciosior sit auro, in gloriam admirabilem ualde.

*OPunct. 2.

Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus.

Notitia approbationis. Nisi opera necessaria forent ad fidem, nequaquam ipsa probaret dominus. Ecce enim dicit, Novi opera tua, & fidem. Notitia enim hic gratiam includit: & pro approbatione ponitur. Noui, id est, probō, uel placent mihi. No-

uit deus quod amat, & approbat, non nouit, quod odit: quemadmodum de quibusdam dicit. Nūquam noui vos. Matth. 7. & de fatuis virginibus, nescio vos, id est vos odi & abiecti. Sic & apud Lucam loquitur dicens. Nescio vos unde scitis, Luc. 13. Nescit enim malos deus, quemadmodum & diabolum. Grauis sub hoc tempus contentio orta est de fide & operibus, vt probent alij opera nihil ad fidem pertinere, immo eis ipsis fidei uirtutem detrahi: quum iam non fide sed operibus salus petatur: Nec fore opus deo nostris operibus, quum nihil bonorum nostrorum in digeat, Psal. 15. Perus autem singulariter fidei tribuit salutem dicens, Reportantes finem fidei uestræ salutem animarum uestrarum. 1. Petr. 1. Alij autem, uanam putantes fidem uiduam operibus, producunt testimonium Christi. Matth. 19. Si vis ad uitam ingredi, serua mandata. Et legisperito ex lege mandatum charitatis corā pronuncianti respondit, hoc fac & uiues. Et in iudicio de operibus dicit se partem utranque iudicaturum, & pro merito operum cuique redditurum. Matth. 6. & 25. Item. 2. Petr. 1. Satagite, vt per bona opera certam faciatis uocationem uestram, & electionem. Et certe idem probat locus scripturæ huius. Noui, inquit, opera tua, & fidem: ubi opera & fides separatim statuuntur, tanquā diuersa mercede remuneranda. Et ne multa congeramus: certum est, quia flagitat deus ab homine opus ad fidem: quum non euacuat, immo magis statuit. Nanque præceptum Dei est Deuter. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, Luc. 10. Matth. 22. Mar. 12. vt totus homo corpore & anima captiuetur in seruitio Dei, & cultu eius: id quod & à primo homine exegit, ideoque mandatum ei imposuit: quod si seruaret beatus esset: quo mandato eum sibi totum uendicare uoluit, uidelicet, vt crederet illi, obediretque & seruiret, atque operum merito assequeretur, quod disposuerat illi tribuendum. Cui etsi opus non sit bonorum nostrorum, opus tamen nobis est illis: vt acceptet tanquam meritoria æterna uita, etiam si olida sordidaque sint in nobis, non secus ac pannus menstruat: tamen quia acceptat à nobis Deus, nobis redduntur munda perfecta & salutaria: & hoc per uoluntatem

*Fides & opera
non contentio.*

*Fide statuit
opera.*

eius, quæ est prima rerum omnium causa. Nanque omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, & in omnibus abyssis. Psalm. 134. Et ideo quodcunque opus à quocunque acceperat, bonum sit oportet, & in quantum acceperat: quantum tantum, & non pluri in pondere sit ac estimatione. Quid igitur admirandum, si nostra acceperit opera etsi minus habentia: vt præcellenti pro his dignos nos decernat honore, vt dicat, Noui opera tua, id est acceptaui. Vide quia primum ipsa opera pronunciat, & præfert nouissima prioribus, tanquam pluri æstimata: vel quia perseverantia addit ad æstimationem, vel quia aucta suis gradibus fuerint. Deus autem eximias virtutes inter cetera commemorat, fidem, & charitatem, eo quod fides principium sit salutis. Est enim omnis boni fundamentum, lumen nostrorum actuum in finem debitum directum, vt iure primum locum vendicat: nanque sine fide impossibile est placere Deo, dixit apostolus. Post hanc statim sequitur charitas, tanquam consummatio operis inchoati. Ipsa quippe addit perfectionem rebus nostris & precium, vt tanto preciosiores sint, & perfectiores, quanto fuerint maiori charitate instructæ, eo quod in præceptis charitatis vniuersa lex pendeat & propheta, Matth. 22. & Paulus Colossenses exhortans ait, Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Petrus quoque in priore epistola capite quarto. Ante omnia autem mutua in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum, ne cum præiudicio virtutis huius, fidei tribuamus omnia. Habet namque & fides in re salutis sua officia & locum: habet & charitas: prout est aliud distinctum Dei donum, etiam si in iustificatione simul concurrant: fides inchoat, perficit charitas, de quibus Thyatirensis antistes commendatur, vt non superuacane gratiam Dei accepisse videatur, quod roborant sequentia, nã & ministerio, in quo positus erat, strenue fungebatur, ne soli sibi viveret: & singulari patientia tolerabat aduersa, quæ subinde occupatis officio procurrunt. Opera autem salutis, quæ ceperat adeo nihil minui in se pariebatur, vt etiam certis incrementis augetur: quæ omnia approbare sc̄ Dominus in eo adstruit

Fidei laus.

tanquam ei placita & grata, alioqui minime commemoraret, procul ab adulatione per omnem modum distitit: qui seuerè in vicia omnia solet animaduertere, affici virtutibus. Proinde sequitur.

¶ Opunct. 3.
Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idol. ihytis.

Quam perspicaces sint oculi domini, quam flammescentes, quanque profunde & quidem disuncte cuncta dispicientes, hinc perspicies: quippe in eo quem tam insigniter cõmendauit, reperit quod reprehendat, quia è grege suo scandalum non depulerit, quod à figura declarat. Scimus enim Iezabelem olim vxorem fuisse Achab regis Israël, quæ cultrix idolorum multos à cultu vnius & veri Dei auertere peruersissima mente contendebat: nec impune quidem. Nanque deiecta per fenestram, iussu Iehu principis effracta ceruice expirauit, & ibidem vngulis equorum proculcata immantatem sceleris sui morte nefanda compensauit: cuius sanguine aspersus est paries, & canes carnes eius comederunt, vt nihil ex ea nisi caluaria & pedes, & summitates manuum reperirentur, iuxta verbum domini quod locutus fuerat per Eliam tesbiten dicens: In agro Iezraël (quæ ciuitas fuit metropolis in regno decem tribuum) comedet canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciẽm terræ, ita vt prætereuntes dicat, hecine illa est Iezabel. 4. Reg. 9. & 3. Reg. 21. Huius operum imitatores erant in ecclesia Thyatirensi, quos notat hic dominus titulo mulieris Iezabel, quasi in vno corpore similiter peccantes. Nam & electi in Christo vnam vitam, non dubium quin spirituales agentes, vnum corpus perficiunt, vt præcedentia sequentibus, sequentia præcedentibus melius respondeant. Vnde scriptura loquitur dicens. Vah illis, qui in via Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt Iudei. quatenus parricidæ omnes in vno Cain, & omnes prophete mercenarij in vno Balaam: & omnes contradictores in vno Chore computentur. Ad hunc modum idololatæ fornicarij in vna Iezabele. Assirnant alij vxorem fuisse antistitis thyatirensis Iezabelem hanc: quæ à

Iezabelis exitus.

Notas.

veritate declinans prophetabat, & seducebat multos, docens idolis immolata licite manducari, fornicarique. Quicquid de his sit, hoc certum est, quia ex vna ad generalitatem totius orbis Iezabelem sermo figuratè transfertur. Est autem fornicatio duplex, corporalis & spiritualis. De corporali loquitur Paulus. 1. Corin. 6. Fugite fornicationem: omne enim peccatum quo deunquē fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat. Hanc eandem inclusit in anima dominus per consensum & delectationem, dicens. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo Matth. 5. Id est, non aliter sibi imputatur ac si mechatus esset eam, consensit enim per libidinem, & ea intentione conspexit. Spiritualis fornicatio idololatria dicitur, in qua relicto vero sponso anima adhæret demonio adorans idola, de qua dominus Deus per Ieremiam cōtra Ierusalem loquitur, dicens. Mechata est cum ligno & lapide. Ierem. 3. & Osee. 2. ait. Iudicate matrem vestram (synagogam indicans) iudicare, quia non vxor mea, & ego non vir eius: auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum, id est, de corde quod inter vbera residet. seu metaphora est quod inter vbera mechæ, mechus: fere totus concupiscentiis versetur. De talibus alibi dicitur. Perdes omnes qui fornicantur abs te. Et licet iam delecta sint & sublata à facie terræ idola, vivit tamen adhuc per corporalem fornicationem Iezabel hæc typica meretrix in multis decessis & seducens: & multi sunt qui sequuntur eam, ij sunt corporis voluptatibus dediti, qui nolunt vt soli pereant, alios quoque alliciunt, vt cupitis perfruantur voluptatibus, dicentes, quia si hoc Deus fieri nolisset, masculum primum & feminam non creasset: nec corporis ea membra fecisset. Stultum est ergo inquit, abstinere ab huiusmodi delectationibus, quibus fruuntur & alites & mæscæ: dūmque ita sese prouocant. alios quoque: sepe carnem quandoque recusantem stimulant, delectari compellententes, flammæque cupidinis ardentius in sese incendentes: vt nullā misero corpori tribuant requiem nec honorem. quorum maxima mater Iezabel sanguinis fluxus, vel fluens sanguine, vel etiam sterquilinum dicitur. Mulieres quippe

Fornicatio duplex.

Voluptuosorum argumentum.

Iezabelis interpretatio

(vt. D. tradit Hieronym.) eo quod maledictioni obnoxia sint per singulos menses fluxum sanguinis sustinet: quia quum menstruum tempus aduenerit, superabundans sanguis egeritur. Sanguinis autem nomine peccata designantur. Nam & ita orans dicit David. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Psalm. 50. id est, de peccatis adulterij homicidique. Recte ergo Iezabel fluxus sanguinis est: quia videlicet reprobi omnes malam voluptatem, quam prius conceperant: mox vbi opportunitas aduenerit ad effectum perducunt operationis: dūmque opus cupitæ voluptatis perficitur, grauioribus mens retinaculis illaqueatur: nec flammis conceptæ semel libidinis liberatur, donec fetore mala: de se opinionis in sterquilinum redigatur, scriptura dicente, Computruerunt iumenta in stercore suo, Iohel. 1. Iumenta quippe in stercore computrescere est, luxuriosum quemlibet in cæno libidinis vitam terminare, vt. D. ait Gregorius. Verum enimvero nec infanti superstitionum desunt sectatores, velut idololatræ: qui pro quibusdam egritudinis, siue etiam rerum euentibus: ad arbores, fontes, & auspicia recurrunt, dicentes, quia hoc agendo tale & tale euasi periculum, rursus talem consequutus sum prosperitatem. dūmque hæc faciūt, quasi ad spirituale fornicationem populum simplicem ire compellunt. Vtinam nulli in ecclesiis Dei horum malorum sectatores essent, partius iræ Dei viuētis sustineremus: verūm quia perpauci sunt fideles, qui sincero corde Deum colant, non mirum si tam seuerum Deum iudicem formidamus, qui nescit in tempore furoris sui parcere peccantibus. Potest non incongrue hæreticus quisque per hanc Iezabelem intelligi, quod ea primum prophetas domini persecuta sit. Nullus autē illam legitur in scripturis diuinis prophetas occidisse: hæc verò furore malignitatis stimolata, in magna crudelitate iustum Naboth ob vineam, quam regi vendere noluit, lapidibus obrui præcepit. Eliam thesititenum virum sanctum, & prophetam grauem vsque ad mortem persecuta est: cuius exemplo ducti posteriores quoque, vt Ochozias rex Iuda, filius Ioram, & Athalia filia Iezabelis, & Ioas, & Amasias ad vnum omnes prophetas domini persecuti sunt, & occiderunt eos: verbum quoque

Sanguis peccatum.

Iezabel hæreticus quisque.

sanctum domini prohibuerunt, vt merito de Christi genealogia eraderentur, Matth. 1. Iam dudum quidem fabri cari fuerant viri auri, & scissæ erant decem tribus de domo David, & à teplo domini: quod sane initiū fuit omnium hæreticæ discessionis, & totius schismatis: verum quia Iezabel superaddidit cultū Baal, & impietatis gladium: nā & iustum sanguinem fudit, & verbum Dei impediuit, ministros quoque eius persecuta est in mortem, recte principatum tenet, quatenus Iezabel tota ea familia vocatur, quæ omnibus sibi suis ilibus de se indidit nomē, quos in se velut in vnum corpus cōegit quam quoties prælat⁹ ecclesiæ inter suos versati patitur, indignationem Dei omnipotentis promeretur. Quos, dico prælatos, quales esse oporteat, docet zelus Eliæ, qui se aduersus Iezabel, & prophetas Baal gessit fortiter, vt etiam gloriaretur dicens, Zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum, quia prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt. Ita quippe fortiter zelatus fuerat, vt prophetas Baal viros quadringentos occiderit gladio. 3. Reg. 18. Eadem zeli fortitudine Phinees quoque arrepto pugione ingressus est post virum Israëlitem, qui ingressus fuerat ad scortū, & confodit ambos in locis genitalibus, sicque auertit furorē domini Dei ab Israël. Numer. 25. Memorabili sane exemplo vterque vlciscens iniuriam Domini. vnde etiam non mediocrem laudem vterque in ecclesia Dei promeruit. horum insigni zelo condiscere debent omnes ecclesiarum prælati, ne somnolenti sint, neve conuiueat ad iniquas actiones subditorum: Alioqui metuant iudicium Dei, & manus vltices super se, ne vna cum grege pereant. Exemplo erit omnibus Heli sacerdos, qui quum nosset inique agere filios suos, non diuine corripuit eos, sed propensiore quadam indulgentia, paternis affectibus conuiuebat dicens, Nolite filij mei, nolite ita facere, non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum domini. dūmque sic blanditur, nihil correxit in filiis: vnde etiam venit ira Dei super eum, qui dixit, Iuravi domui Heli, quod non expiabitur iniquitas eius victimis, & muneribus vsque in æternum. 1. Reg. 3. De cuius exitu cap. sequenti habetur, quia descendit ira Dei super eum, & filij eius duo Phinees & Ophni, in bel-

Prælati esse debent vt Eliæ.

lo philistin perierunt: & ipse audito hoc, & quod capta esset arca domini, expauesfactus, quum esset homo senex, & grandæuus, retro collapsus de sella, effracta ceruice miserabiliter occubuit, quatenus qui antea facilis ac lenis esset in correptione filiorum, vltices postmodum domini manus grauius sustineret in experientia pænarum.

✽ Punctus. 4.

Et dedi illi tempus vt penitentiam ageret, & non vult penitere à fornicatione sua.

De talibus Paulus dicit, Dedit illi Deus locum penitentia, & ille abutitur eo in superbiam. Et rursum. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis cōtemnis? Ignorans, quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit: secundum autem dicitur tuam, & impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius: his quidem secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem, quarentibus vitam æternam: his autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci: Gloria autem honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Ro. 2. Quisquis enim delinquit, & viuunt: ideo hunc diuina pietas iniqua agentem sustinet, vt ab iniquitate respiscat: vnde quo amplius is expectatur, & non vult penitere, eo arctius reatus sui vinculis constringitur, & iusto Dei iudicio puniendus exponitur. Huc pertinet illud Esa. 65. Puer ceterum annorum morietur: & puer centum annorum maledictus erit. Puer sensu & stultitia, qui nescit excogitare Dei iudicia: non innocentia puer, alioqui viueret benedictus. Sed querendum nobis est, quum antea negligenti pastori dictum sit, habeo aduersus te, q̄ permittis mulierē Iezabel, quæ se dicit pphetæ, docere & seducere seruos meos. cur nō subiūgit, dedi tibi & illi, aut certe sub vno, dedi vobis vt penitentia ageretur: Ad qd̄ dicēdū est, quia in antistite oē corp⁹ ecclesiæ cōprehēditur: & dū ipse increpatur, ad eos quoq; increpato prinet, q̄ rei sunt: ideoq; à specie prælatorū, q̄ superi⁹ latori mysterio fuerāt rephēsi, redit sermo ḡna

Penitentia tempus dat Deus peccatori.

Peccator viuunt vt à peccatis auertatur.

litatem populi, & in ea partem speciei reprobam. Idcirco ne pars speciei syncera, illi quæ in reprobis est videretur esse coniuncta, in comminatione, partem dicitur reprobam contingit. Vel certe dum authorem flagitij monet, commonet & episcopum, quem concernit vigilare super gregem suum. Bene autem dedisse illi tempus ad agenda poenitentiam episcopum docet, quatenus illi suggerat, vt protinus resipiscat: vel solo hoc pudefactus, quod iam ne ipsum quidem episcopum id negocij lauerit: quod & celitus proderetur. Vide autem Dei admirabilem clementiam, qui non protinus fert, nec punire festinat: immo ne puniat præmonet, & in multa lenitate sustinet peccatorem, qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Ecce enim dicit, Et dedi illi tempus vt poenitentiam ageret. Equidem vnicuique dat breue vel longum poenitentia: tempus Deus: stat tamen in arbitrio hominis si quis velit aut nolit poenitere. In hoc etiam comminationes facit. Scriptura testatur de Achab, quia quum domino peccasset, misit Eliam prophetam ad eum, & dixit. Ecce ego inducam super te malum: & demetam posteriora tua: & interficiam de Achab mingentem ad parietem: & dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabath. Sed & de Iezabele loquitur est, dicens, canes comedent Iezabel in agro Iezrael. Rursum quoque de Achab ait, Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. Et Achab quidem vtriusque poenitentiam egit: quo circa dominus sententiam poenæ, quam comminatus fuerat illi, iuxta modum poenitentia: temperauit. Sic enim de eo scriptum est, Itaque quum audisset Achab hos sermones scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Proinde quoque dominus illi poenam comminatam temperauit, & de sententia non nihil decidit. Nanque quod in initio sermonis dixerat, In loco hoc, in quo canes lixerunt sanguinem Naboth: lambent tuum quoque sanguinem, illud quidem impletum est, veruntamen neque in ciuitate canes, neque in agro volucres cœli illum comederunt, de quo scriptum testatur. 3. Reg. 22. Mortuus est autem rex, & perlatus est in

Dei admirabilis clementia.

Poenitentia tempus datur cuius à Deo.

Poenā Deus attemperat iuxta modum poenitentia.

Samariam: sepelieruntque regem in Samaria: & lauerunt currum in piscina Samaria: & lixerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt iuxta verbum domini, quod locutus fuerat. Item quod dixit, demetam posteriora tua, & dabo domum tuam sicut domum Ieroboam, ita moderatus est vt diceret, Quia enim humilius est mea causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. Porro de sententia Iezabel nihil decidit, quia nullo modo poenitentiam egit: expleuit autem omnem comminationem in illam. Quo certissime agnosceres Deum pro modo poenitentia: placari, & in ipsum poenitentem inclinari: vt diceret, Ecce dedi illi tempus vt poenitentiam ageret. O magna Dei clementia: dedi illi tempus, vt poenitentiam ageret. Quid est. Dedi illi tempus vt poenitentiam ageret: nisi vt homo mutabilis quantum in se est, querat opportunum remedium per spacia data à Deo temporis, vt habeat Deus vnde miseretur nostri? An non similis sententia est apud Esaiam dicentem. Propterea expectat nos dominus, vt misereatur nostri, quia Deus iudicij dominus: cap. 30. & vere Deus iudicij est dominus, quia secundum qualitatem poenitentia: remittit nobis peccatum: & nullo modo poenitentiam facit, nullo modo accipit remissionem. Sed est in poenitentibus, qui pro admisso scelere dolent, differentia. Nam quidam poenitentiam commissi habent: sed non spe assequenda: venia: vt Iudas: & ante hunc Cain qui fratrem occidit. hi nihil proficiunt sua poenitentia. Alij habent poenitentiam cum spe venia:, & hi differenter. Nam quidam sic habent, vt tamen propositum non de se eradicent, nec à se occasionem peccandi alienent: quorum poenitentiam fucata potius quam veram esse dicimus: nec hi quippiam vltra proficiunt. Alij poenitent vt nunquam iterent, qui soli bratium obtinent. Quo in loco aduerte nequaquam ad veram poenitentiam posse peruenire, nisi peccati cognitione, sine qua spirituale vulnus non sanatur: nanque impossibile est morbo eiusmodi aliter currui. Est enim inter morbum corporis, & morbum animæ permagna differentia. Quum enim ad curationem morbi corporis sufficiat sola cognitio medici: in morbo animæ non peruenitur ad curationem, nisi cum cogni-

Poenitentium differentia.

Peccati cognitio origo poenitentia.

Cognitio peccati duplex.

zione laborantis. Quoniam (inquit Dauid) iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Psal. 50. Est tamen ista cognitio duplex. vna naturalis, quæ fit naturali lumine rationis. altera supernaturalis, quæ fit per gratiam à Deo immediate irradiantem supernaturale lumē rationis: illa sæpe venit in desperationem, hac in veniā spem. Illa Cain parricidiale facinus cognouit, & periit. Dicebat enim maior est iniquitas mea, quàm vt misericordiam promerear. Sic & Iudas traditor, piissimi magistri impius carnifex, nunquam ad misericordiam peruenit: nāque abiens laqueo se suspendit. Porro Petrus peccata cognouit: & egressus fleuit amare, vsque dum visitationem misericordis Dei caperet, quatenus liquido intelligeres, non sine spe veniæ noticiā iniquitatis vllō modo profuturam. & hoc in vera cordis contritione, & proposito firmo non iterandi. Punct. 5.

Et ecce ego mitto eam in lectum: & qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi penitentiam ab operibus suis egerint: & filios eius interficiam morte: & scient omnes ecclesia, quia ego sum scrutans renes: & corda: & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.

Vnum corpus satanae mœchus & mœcha.

Quod Iezabel, hoc & mœchi eius, & filij, id est, vnum corpus satanae. Quia enim reprobis succedunt, genus in suas species rectius diuiditur, vt ostendatur quibus successibus totum corpus satanae proficiat, incrementis qualibus augeatur. Sed in lecti mysteria videamus. Potuit enim esse hæc mulier Iezabelis nomine consignata, aliqua thyatirensis, quæ admodum illius, de qua sermo Regum loquitur seducebat multos: vt libere, & absque metu fornicarentur, ac manducarent de his quæ idolis essent immolata, in multorum scandalum, qui recta alioqui pergerent in salutem: vt sic non aliud sit lectus, quàm locus stramētis, siue puluillis instructus, quo iacendi, quiescendive gratia solemus decumbere. Et in hæc minatur Deus deiicere mulierem pestilentem postquam percussa fuerit ægritudine, vbi iaceat non ad quiescendum, sed ad cruciamenta corporis sustinendum. vt prouerbialiter dictum sit, Ecce ego mitto eam in lectum, id est, feriam eam infirmitate, quatenus laborans decumbat in lecto quæ modo delectas quiescit in explēda corporis voluptate. Ergo

vox hæc, non quietis, sed laboris est: non pacis, sed tribulationis: videlicet vnde sit illi transitus postmodum ad pœnam duriolem. Nam & Iezabel mulier illa famosissima vxor Achab regis Samariæ decem tributum, post sua scandala non in lectum quietis missa fuit: sed deiecit per fenestram, iussu Iehu iacuit mortua. De qua scriptura testatur dicens, Iezabel quum audisset introitum Iehu, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & prospexit per fenestram: ingrediens autem Iehu per portam vidit, & dixit eunuchis, præcipitate eam deorsum, & præcipitauerunt eam: aspersusque est sanguine paries: & equorum vngulae conculcauerunt eam: quumque introgressus esset Iehu vt comederet & biberet ait, ite & videte maledictā illam, & sepelite eam, quia filia regis est: euntes autem non inuenerūt nisi caluariam, & pedes, & summitates manuum, vt sermo domini impleretur, quem locutus est per seruum suum Eliam thesbireum dicens, In agro Iezabel comedēt canes carnes Iezabel: & erunt carnes Iezabel sicut sterces super faciem terra, in agro Iezabel. 4. Reg. 19. Illo itaque locutionis modo hæc, de qua sermo est, mitti in lectum dicitur, quo missa est illa princeps totius scandali in mortem & pœnam inferni. Nunc vide sermonis contuenientiam ad facti ordinem. Numa ira infumatus Achab deiecit se in lectum, non volens comedere panem: ingressa ad eum Iezabel, manuum seminimen iacere videns causam morbi didicit ab eo, bonoq; mox eum animo fore iussit. Quid dico? exagitauit eum sermone, risit inertem, & dixit, Bene grandis autoritatis es rex: & bene regis regnum Israel: surge, comede, a quo animo esto: ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelita, sicq; tot vocibus veluti subiectis iaculis excitaui herum de lecto: mox ipsa lecto decubitura, exagitauit acuitque audaciam in nefarium scelus: armauit manum in sanguinem innocentis, vt Naboth interfecto concupita potiretur per omne nefas vinea. Hinc mihi iam diuinæ quoque animaduersionis seriem perspice. In Iezabele quidem expletæ sunt primum omnes comminationes intentæ: hinc in virū eius qui mœchabatur cum ea in idolis, deinde in vniuersam domum: sed & misera plebeola, cui imperitabat, magnis tribulationibus vexata est:

Iezabelis exitus.

Achab peccauit ex concupiscentia: & vxoris sollicitatione.

Diuina animaduersionis series super Achab & domum eius vniuersam.

quatenus per ordinē dominic⁹ sermo in hoc tropo pro-
cesserit. De Achab veritas historia habet, quia in bello
contra regem Syria sagitta inter pulmonem & stomachum
vulneratus est, & mortuus, perlat⁹que in Samariam.
3. Reg. 22. De domo quoque eius certum habemus,
quia Ioram filius eius, & omnis populus in tribulatione
maxima positi erant ex obfisione Benadab regis Syria,
quando facta fuit fames valida in ciuitate, vt caput asini
octoginta argenteis venderetur: & quarta pars stercoreis
columbini quinque argenteis: tunc factum est vt mater
propriū filium coqueret & comederet, quæ clamabat
ad regem transeuntem per murum, salua me domine mi
rex: mulier ista dixit mihi, da filium tuū, vt comedamus
eum hodie: & filium meum cras comedemus: coximus
ergo filium meum & comedimus, &c. Ecce tribulatio. Et
quæ (oro) maiore potuit esse hac: De Ioram quoque filio
Achab & Iezabelis, hoc exhibet Regū liber, quia quum
egressus esset cum Ochozia rege Iuda, singuli in curru
suo, in occursum Iehu, dixit, pax est Iehu: at ille respon-
dit. Quæ pax? adhuc fornicationes Iezabelis matris tuæ:
& veneficia eius multa vigent: tetenditque arcum manu:
& percussit fugientem inter scapulas, & egressa est sagitta
per cor eius, statimque corruit in curru suo: & mortuus est.
Ochozias quoque filius filia: Iezabelis rex Iuda, qui ve-
nerat ad visendum Ioram regem Israel eadem via inter-
fectus est. sed & septuaginta viros omnes filios regis A-
chab, partim ex Iezabele, partim ex cōcubinis iussu Iehu
optimates ciuitatis Samariæ, apud quos nutriebantur in-
terfecere: & posuerunt capita eorum in cophinis, & mi-
serūt ad Iehu in Iezabel. percussit igitur Iehu omnes qui
reliqui erant de domo Achab in Iezrahel, & vniuersos
optimates eius, & notos, & sacerdotes, donec non rema-
nerent ex eo reliquia: occidit & fratres Ochoziæ qua-
dragintaduos viros. 4. Reg. 10. Interroganti nāque Iehu,
quum inuenisset eos, qui essent, responderunt fratres O-
choziæ sumus, & descendimus salutarum filios regis, regi-
næque: protinus ad suos ait, comprehendite eos viuos,
quum comprehendissent, trucidauerunt eos, & non reli-
quit ex eis quenquam: Sed & Athalia filia Iezabelis ma-
ter Ochoziæ videns filium mortuum, interfecit omne re-
liquum

liquum semen regium, quod ex Iezabele erat, id est, ab-
nepotes eius: ex quibus omnibus viuēs Ioas, filius Ocho-
ziæ regis Iuda paruulus furto sublat⁹, per Iosabam filiā
regis Ioram, sororem Ochoziæ remāsit. 4. Reg. 11. Qua-
tenus ex hoc tropo condisceremus omnes quanto odio
execretur dominus illos qui exemplo malo doctrināve
sunt pestilentes: & quis eos maneat exitus. Sed & hereti-
cus quisque per Iezabelem hanc (vt diximus) recte desi-
gnatur, quem dominus minatur deicere in lectū pœnarū
siue egritudinis, siue inferni: cuius culcitræ sunt vermis &
ignis, sicut scriptum est. Vermis eorum non morietur, &
ignis nō extinguetur. Esa. vlti. At placet alijs per lectū
ipsam delectandi in peccato consuetudinem audaciāque,
& securitatem debere intelligi, in quem ponitur ista my-
stica meretrix: nō vt quiescat, sed vt sua febre languescat,
phrenesimque sustineat: quatenus ea iam dicat, vel agat,
quæ alij audire viderēque erubescunt. Sæpe enim iussu
Dei iudicio, propter ante acta facinora, nec sequenti pœ-
nitidine deleta, ruūt in grauiora impij: dumque sine metu
audacter peccant, quasi in lecto prauæ consuetudinis cu-
bant, tradente eos Deo in ignominiam passionis sue, Tes-
tis est Paulus Rom. 1. Sequitur. Et scient, inquit, omnes
ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda & renes. ac si dicat,
scio qua quis intentione quid agat, & quid concupiscat.
In renibus quippe seminaria sunt libidinis: de corde autē
exeunt cogitationes. vt in corde cogitatio designetur, in
renibus delectatio. Ne verò lōgius abeamus querēdo cur
dicat dominus quia ego sum scrutans renes & corda: me-
moriter teneamus comminationibus bis interpositā cō-
ditionem: nisi, inquit, pœnitentiam egerint ab operibus
suis. Nam quia sunt alij, qui propter consequendā ater-
nam vitam: alij qui propter obtinendam felicitatem ter-
renam, pœnitentiā agunt: alij qui omnino impœniten-
tes sunt: pertinuit ad iudicem, qui se redditurum profite-
tur vni cuique secundum opera eius, ostendere, vnde scire
possit, quale, vel cuius meriti sit cuiuslibet pœnitentis vel
impœnitentis opus. Et hoc, inquit, scient omnes ecclesie.
Quando scient? In futuro, in die retributionis magno:
nam nunc perpauci sciunt, perpauci discernunt, quomo-
do condigna singulis reddantur. Exempli gratia. Achab

*Iezabel he-
reticus quis-
que.*

*Lectus pec-
candi consue-
tudo.*

*Ira Dei gra-
uissima.*

*Pœnitentium
diuersitas.*

Pœnitentia ſæpe dictus pœnitentiam quidem egit, ſed tota eius pœnitentia circa renes, non in corde fuit, hoc eſt, non curauit, nec timuit, ne à regno Dei fieret alienus: ſed hoc ſolum, ne regno priuaretur terreno. E contra Dauid perpetrati adulterij, homicidijque addiit pœnitentiam agens: non cogitabat ne regno ſuo priuaretur, ſed ne gratia Dei vacuus eſſet; vnde & in amaritudine cordis ſui aiebat, Ne proicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Porro Ioram æque vt mater impœnitens cor gerens in malis obſtinatus perſiſtebat, & in obſidione blaſphemabat dicens, Quare tantum malum eſt à domino? indignans ſane contra dominum Deum omnipotentem inculpabat eum cur tantum malum in ciuitatem ſuam immiſſet, inque regnum eius: & quare non depelleret, quum poſſet: & ſic furens debacchabatur, quia explere non poſſet iniuriam in dominum: & quod in dominum non poſſet, tentauit in ſeruum prophetam eius, dicens, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſei filij Saphan, ſuper eum hodie: præmiſitque virum, qui præcideret caput eius. Hic ergo ſerutans corda & renes, id eſt veraciter diſcernens, quali quiſque intentione affectiue, carnali aut ſpiritali, pœnitentiam ſuam exequatur, in Achab quidem pœnam exercuit, Dauid autem recepit in gratiam: Ioram, & cæteros Iezabelis filios abſque dilatione interfecit: reddens vnicuique in hunc modum ſecundum opera eius, & ſecundum qualitatem quantitatemque operum plus minusve: ſerius citiſſime.

✽ Punct. 6.

Vobis autem dico, & cæteris, qui Thyatira eſtis, quicumque non habent doctrinam hanc: & qui non cognouerunt altitudinem ſatanæ, quemadmodum dicunt: non mittam ſuper vos aliud pondus, tantum id quod habetis tenete donec veniam.

Quemadmodum impiis aſper, ita piis facilis eſt dominus. Terruit impios, ſolatur nunc pios, quos alloquitur dicens, vobis autem dico, hoc modo loquendi vitur erga ſuos dominus, Matth. 5. Ego autem dico vobis. & alibi, vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei. vobis, id eſt, meis, noſtis, & electis hominibus, non alienis, non antiquis carnaliter legem ſapientibus, non reprobis, ſed meis domeſticis, amicis, & familiaribus, quicumque non

habent doctrinam hanc peſtiferæ Iezabelis. Eſt autem tranſitus de ſecunda in tertiam perſonam, in vobis, & habent. Similiter loquitur Deus. 3. Reg. 19. id quod citat Paulus Rom. 11. Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curauerunt genua ante Baal. hos enim ſibi aſſeruauerat per gratiam, vt non adorarent idola. Igitur qui non habent doctrinam hanc, id eſt, qui carent perſuaſione Iezabelis, ſed nec ſuperbiam ſatanæ voluerunt imitari: hoc eſt enim ſatanæ altitudo, quod ſuperbia: qui tumens in ſeipſo dicebat, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolum meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium: ſimilis ero altiſſimo. Eſa. 14. Hanc eius altitudinem cognouit primus homo, quando iniquis eius perſuaſionibus deceptus præuaricatus eſt legem Dei, & equalitatem Dei & ipſe quodammodo affectans. Dictum quippe erat ei. In quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij. Genef. 3. hanc altitudinem cognouerunt & hi qui turrim Babel in cœlum educere moliebantur. Genef. 11. Quam altitudinem, filij Dei electi fugiunt, vt non agnoſcant, ideo ſe in ſemetiſſis deprimunt, & humiliter viuunt formam Chriſti imitantes: qui quum Deus eſſet, in trabea mortalitatis noſtræ humiliter ſeſe geſſit: vt non dominus ſed miniſter aliorum fieret, portas onera omnium vt omnes lucrifaceret ſalutæque donaret. Attamen non decrant, qui in thyatireni eccleſia agnoſcerent hanc ſædam ſatanæ altitudinem, qui decepticem eius doctrinam probarent, colla illi ſummitterent: miſcerentur contaminationibus, ſacrificiorum adinventionibus applaudent inferuirentque, curuabant hi mutis ſurdiſque idolis genua, & thure ſacrificabant illis: omnia autem docente Iezabele (quæcunque hæc fuerit) faciebant. Inter hos tamen erant & pij immunes ab hiſce inquinamentis, qui ſpiritu Dei pleni expuebant in ſatanæ altitudinem. Quæ in veritate non erat altitudo, nihil enim diuini habet ſatanas, vnde ſublimis eſſet. ita tamen quibusdam ſtultis eſſe videbatur, qui in ſimulachris mirabantur aurum, argentum, cæterosque gemmarum fulgores, qui alioqui capiebantur auro, atque id genus cupiditatis irritamentis,

k ij

Satanae altitudo.

cupidi, auarique homines, & decipiebantur: quibus ex auro dā: non loquebatur, variè eos illudens. Proinde quum diceret altitudinem satanae, addidit, quemadmodum dicunt. ac si diceret, non dico altitudinem satanae, quod in veritate sit, sed quemadmodum stulti admiratores dicūt. Huc annumerantur omnes qui externo verborum colore illitum doctrinae mendacium recipiunt, mirantes in eo elegantiam vocis, ditēque ornatus supellestem: contra quos pronunciat Dauid, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Psal. 18. Et rursum. Lex domini immaculata, Psal. 18. Quam illi non nouerunt conuersi ad fabulas. Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est, Psal. 5. Sequitur. Non mittam super vos aliud pondus, tantum id, quod habetis tenere donec veniam. Propter illos hæc dicit, qui inflati contra filium Dei: altitudinem satanae cognoscentes, nitebantur eos qui crediderant ex gentibus ad veteris legis ceremonias pertrahere. de quibus Act. 15. Quia à Iudæa descendentes docebant fratres, vt nisi circumciderentur secundum legem, minime saluos eos futuros. Quo circa miserunt Petrus & alij apostoli Paulum & Barnabam, & Iudam, & Silam, viros primos scribentes in hunc modum per eos. visum est enim spiritui sancto, & huius instinctu nobis, ne quid oneris vobis addatur præter hæc quæ visa sunt necessaria. primum videlicet vt abstinere ab his quæ sunt simulachris immolata: ne vescentes videamini superstitioni consentire, quam semel abnegastis. deinde vt temperetis à sanguine animatis, & à pecude suffocata, quibus lex vesci prohibet. postremo vt abstinere à fornicatione, quam gentes sibi putant esse licitam. Illi ergo dimissi venerunt Antiochiam, &c. De hoc onere loquebatur Petrus cum diceret. Quid tētatis imponere iugum crucibus discipulorum. & quæ sequuntur. Ponder ergo hoc loci obseruantia legalium intelligitur, quod se dominus minimè impositurum respondit suis, hæc sententia. Non mittam super vos aliud pondus, &c. Quo in loco solent nonnulli ansam oblatrandi sacris institutis ceremoniis, & communis obseruantiae ecclesiae, non dicam capere, sed præter scripturæ huius intentionem vano cerebro fabricare, velut frustra omnia essent, quæ bonis au-

Ponderus legalium obseruantia.

spiciis optimisque causis in vsum data sunt nobis ab initio: velut sunt, ieiunia, festa sanctorum, diuini cultus, Misericordiarum celebrationes, preces horariae, & cetera id genus: vt iam & religionum obedientia, ipsique ordines sacri carcer sint his: quum contra dixerit dominus, Iugum suum suauē esse, & onus leue. Equidem omnia hæc suauia sunt, ac leuia: sed quibus? Amantibus. Amor enim in amante facit quantumuis graue leue, & acre suauē. Quod in sanctis Martyribus primum licet inspicere, deinde in patientissimis hominibus primis illis solitudinis cultoribus. Num ieiunia onera sunt: festi quoque dies? ceremoniarum festiuorum? preces horariae: supplicationes? & ipsa religionum obedientia? Num carcer ordines sacri sunt? in quibus syncerius viuatur: & gratius, & sanctius Deo seruitur: vbi ieiunius castigatur caro, spiritus in Deum liberatur. Festis diebus diuini cultus celebriores sunt, precibus horariis spiritus & caro Deo immolantur: ipsa denique obedientia merces locupletior instauratur, vt sine his nec primitiam ecclesiam cōstet fuisse. Aut cur dominus dicat Iudæis: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Matth. 21. Quis iste fructus est, si nihil horum fieri debeat? Proinde dicitur, tamen id quod habetis tenete. Quo verbo accipimus fuisse statuta quædam eis tunc per apostolos imposita, quæ & apostolus sanctus iubet Thessalonicensibus obseruare. Ita enim dicit, Itaque fratres stete, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. 2. Thess. 2. Quod vero adiicit, donec veniam, nimirum ostendit perseverantiam optare in quocunque nostrum vsque in finem: quando veniens vnicuique apparebit: simulque vsque in finem ecclesiam permanens in gratia eius, cui nequaquam opus sit ultra onere legis iuxta mendacium Iudæorum. Locus ostendit aperte secundum domini aduentum esse futurum: id quod neque Esaias reticuit, Veniet (inquit) dominus ad iudicium eum senioribus populi eius, cap. 3. Punct. 7.

Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes: & regnet eas in virga ferrea. & tanquam vas figuli confringentur: sicut & ego accepi à patre meo.

Opera Christi.

Victori nusquam non præmia pollicentur. Nunc quæ sunt opera Christi, quæ custodiri vult ab omnibus? Respondeo, Quicquid gessit in vita inter mortales aut præcepit sacris sermonibus, sunt opera eius: quæ non nisi mera sanctitas sunt & iustitia, & virtus. hæc & voluntas patris eius sunt. Descēdi (inquit) de cælo, non ut faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me patris. Ioan. 6. legis ibidem, hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Ergo fides est opus Dei & voluntas patris: qui vult ut credamus in Christum suum, & credēdo vitam habeamus æternam. Hæc est, inquit, voluntas eius, qui misit me patris: ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et hæc fides vincit in nobis. 1. Ioan. 5. Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Quomodo: Qui videlicet peccamus & in fide peccatum remittitur nobis. Qui peccamus diabolo consentimus & opus diaboli facimus: quum liberamur, gratia Dei liberamur: & misericordia Dei in fide quod est opus Dei. Ioan. 6. Fides autem multa includit. Primum ut nihil dubij sit in ea. dubius (inquit decretum canonicum) in fide infidelis est. Secundum, ut quamoptime de Christo sentiat in bonitate, & iustitia, & potentia, & sanctitate perfecta. Tertium, ut omnis nostra sollicitudo proiciatur in illum. Quartum, ut in sensu eius, ac fiducia viuatur, sentiat & operetur. In summa, hæc est disciplina militaris hominis christiani, cōtinenti studio custodire, scilicet, opera Christi, cui præmium infigne pollicetur, ut sit illi potestas super gētes, quatenus ferme eadem sit merces seruo atq; domino, cui dicitur à patre, Postula à me, & dabo tibi gētes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et, Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Proinde rectè infertur, Sicut & ego accepi à patre meo. Christus est filius Dei, idem dominus noster, qui potestatem hanc, non per diuinitatem accepit, quæ æqualis semper est patri: sed per humanitatem, quæ paulominus minoratur ab angelis, ut Psalmus habet octauus: secundum quam & in euangelio loquitur dicens, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Ceterū de potestate, quæ cum patre habet æqualē ante tempora, Daniel dicit. Potestas eius potestas

Christus potestatem accepit à patre.

æterna Danie. 7. Illam igitur potestatem, quam in tempore Christus à patre accepit, electis suis sese daturū pollicetur, & quidem in se, à quo totum corpus regitur, & cui toto corpore adhæret ecclesia. Quum enim ipse sit caput electorum, electi verò membra eius, id quod ipsum caput habet, habent & membra. Dicatur itaque. Vincenti dabo potestatem super gētes, & reget eas in virga ferrea: hanc potestatem primum ipsi apostoli à Christo acceperunt, deinde posteri eorum, quibus data est potestas ligandi atque soluendi. Sciendum autem quia quum verbi Dei ministri: & prælati potestatem super alios accipiunt sibi metipsis primum imperent opus est: effrenatos sensus in sese coerceat, impetus quoque animi omnes, ut quemadmodum alios, quibus imperitant volunt haberi, sic ipsi primum fiant, quorū hic regimen per virgam ferream exhibetur. Obserua, virga ferrea rectitudinem habet, molliciem non habet: quia sancti ecclesiarū rectores, ac iuxta, verbi Dei ministri, nec sibi, nec aliis contra iustitiam parcunt: qui tū in se, tum in aliis omnibus iustitiæ tramitē tenent, vnde capiti Christo dicitur. Virga directionis, virga regni tui. Psalm. 4. 4. Et Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. Quod verbum Paulus Hebr. 1. citat, incunctanter de Christo intelligens, vbi pro virga directionis virga æquitatis apertius habetur. Porro regnū Christi est ecclesia, in qua nō debet esse virga mollis, & quæ cito flectatur à iustitia: sed solida, fortis, & ferrea, & quæ perpetuo tenore obiecta sit, nusquam declinans à sui rectitudine, atqui videre licet in quibusdam virgam mollem, & non ferream: distortam non rectam, malèque errantem, præsertim vbi pastor æquè cum grege præceps vadit & peccat: aut vbi ad se mollis sit & flexibilis: austerus rigidusque ad alios, sibi ut plurimum indulgens: in alios seuerè animaduertens: sua peccata etiam si sint enormia leuia reputans, aliorum leuissima, & quæ per se minimi sunt, pro maximis habens. Quisquis hic est mollem proculdubio virgam ac flexibilem gestat, non ferream, quæ Christus suam non vult regi ecclesiam, sed ea quæ ferrea est & recta: quæ etiam ipse euacuaturus est omnem potestatem, principatum ac virtutem in finē, ut præclare docet Paulus primæ Corint. 15. ne ultra noceant, qui modo

Christus potestatem communicaturus sit

Prælatos sibi met primum imperare oportet.

Virga ferrea debet esse in ecclesia.

Regnū Christi ecclesia.

Prælatos peruersus.

Prælatos bonos.

aduersantur. Quisquis is fuerit, id est, cui æquitatis virga cordi est, hoc est qui amat iustitiam & ad se & ad alios, dignus est, non illi qui improbi sunt, sibi que vehementer indulgentes, quorum Deus venter est, & gloria in confusione, vt Paulus habet. Proinde id obseruari debet, vt in ecclesia Dei, qui melior sit ac modestior, zelatorque iustitiæ eis præficiatur: cui ob sui victoriam, eximio muncere virga ferrea pollicetur: perinde atque dignus sit suo magisterio ceteros regere, quique sese primum æquissime in omni iustitia & vitæ modestia nouit regere, quem rectorem nulla non respublica queat expetere, nullus cõuentus possit contemnere, qui solus à Deo est, qui etiam alios in militiam Christi possit cogere tyrones, dirigere, in sancto proposito stabilire ac continere. Cui soli, id est qui eiusmodi est. Christus supremus ecclesiæ rector fauet, vt prospere cædant eius omnia, quem cuncti digne vereantur & ament, pellecti constructique æquitate spiritus eius, vt à duricia emolliantur, siue etiam si sint naturæ duriores confringantur tanquam vas testaceum, quod facili iactu confringitur comminuiturque: quo sensu dixit Esaias, veniet contritio eius, & cõminuetur, sicut conteritur lagena figuli cap. 30. comminuetur (inquam) vt in meliorem vitam reformetur: quatenus nõ iam testaceum sit, sed solido ex auro elaboratum: & quod preciosa quæque dona continere possit. ¶ Punct. 8.

Et dabo illi stellam matutinam.

Stella hæc matutina poterit esse christus, qui quum stellam hanc matutinam pollicetur seipsum, qui variis subinde nominibus in hac scriptura appellari solet: vt modo calculus sit, modo stella matutina. Scimus autem stellam matutinam qui græcis Eosphorus, latinis lucifer dicitur. Græci enim eos lucem dicunt, qui mane confurgens lucem prouehit, exortuque suo vicinum prænunciat solem, quem pulchris rutilantibusque radiorum spiculis præludit, prouocatque exortum: & Christus mane de sepulchro noctis exortus diem illum præcurrit quem patris gloria plenius collustrauit. Aut certe exortu suo, fidei mox in cordibus credentium exorturæ lumen consequuturum velut stella matutina prænunciauit, quod tenebras sæculi huius dispelleret dissiparetque. De

Stella matutina christus.

hac stella Petrus loquitur, dicens. Donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris secundo. Petr. 1. Illud observa quotiens in scriptura sacra singulari numero stellam matutinam poni vides, Christum figurari non ambiges: cum vero pluraliter astra matutina nominantur, angelicæ creaturæ designantur: vnde est illud Iob. 38. Quum me lauarent simul astra matutina. Sed & quum simpliciter ac sine additamento, stellæ ponuntur, doctores ecclesiæ exprimentur: vt Dan. 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Christus itaque apprensus viuus post mortem, ac matutinam resurrectionem, factus est nobis stella matutina: quia dum in semetipso exemplum nobis futuræ resurrectionis nostræ præbuit: quæ lux diei illius sequeretur, quando fulgebunt iusti sicut sol, indicauit. Potest per stellam matutinam & gloria corporis nostri designari. Stellam ergo matutinam victori se daturum pollicetur Christus, quia gloriam futuræ resurrectionis præstabit. Quod fiet, quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei Ioan. 5. & quando corpus humilitatis nostræ configurabitur corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis eius. Phil. 3. Hoc autem erit in mane, id est, in principio diei illius sempiternæ. Magnum mysterium in mane illius diei sempiternæ, quando omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 1. Corint. 15. Huc pertinet titulus ille psalmi primi & vigesimi, qui sic inscribitur, Pro susceptione matutina quod sit de cantatu pro gloria futuræ resurrectionis nostræ: vnde omnes fere prophetæ in matutino, auroræque & ipso solis exortu delectati sunt. Dauid dicit. Mane exaudies vocem meam. Et iterum. Mane astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Psalm. 5. Rursum quoque. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Psalm. 29. Quia videlicet in toto huius vitæ decursu vsque in finem non nisi tribulatio est & fletus: sed ad matutinum resurrectionis nostræ lætitia. Et in Psalm. 62. In matutinis, inquit, meditabor in te: quia spiritus percussisti adiutor meus. Iam vero quum sese in laudem pro-

Stella matutina corpus gloriosum fidelium.

Propheta in mane diei delectati cum spiritu percussisti.

Dei excitaret cum psalterio & cithara: responsorie subiunxit. Exurgam diluculo. Psalmo. 107. Et Iacob patriarcharum eximius in aurora cum angelo luctatus est & fidei nomen promeruit, vt Israel vocaretur. Gen. 32. Nec est vlla pars diei delectabilior, qua anima nostra possit siue in oratione, siue in contemplatione, magis oblectari: aut etiam studio sacro incumbere. Nanque & cerui, dammæque, & lepusculi hac ipsa hora libentius viridi in gramine ludunt. Ipse quoque vocales auiculæ rupto somni silentio suauius tum cantillant: vt & natura ipsa in animantibus illis illi vltimo mane nostro quod nos præstolatur in finem, suffragari præclarissime videatur. Tum certe nostra gloria accipiet principium & nunquam finem agnoscer, tum quicquid Paulus: quicquid Prophetæ omnes de gloria nostra diuinati sunt implebitur: alioqui miserissimi omnium mortalium essemus, qui nos in hunc modum nostræque omnia contemnere christi lege iubemur, quibus in hac vita præter spem non relinquitur aliud genus consolationis, quæ est in Christo Iesu domino nostro. In quo solo resurgente præclarissimum nacti sumus resurrectionis nostræ exemplum, quatenus quemadmodum ipse veris corporis sui dotibus resurrexit, ita & nos præclarissimi resurgamus omnes.

* Punctus 9.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

Quid flagitet pænesis ista quid moneat: aut quid doceat. Qui habet aurē audiat, iam sæpe diximus. Sed quis non habet aurem? surdus non habet aurem, & si videatur habere aurem. Auris ergo spiritus loquitur, non tam corpore quam spiritu: quos optat excitatissimis semper esse sensibus, alioqui audiens non audit. Quomodo non audit: aut cur non audit? Aut non audit audiens: sed certe non audit, qui non obedit, qui non obsequitur, qui non in profectum capit quæ audit, non in æmulationem accipit quæ discit, vt dignis exequatur operibus, vtque fructum disciplinæ sanctæ faciat. Nanque audiens sapiens sapientior erit. Prouerb. 1. Quomodo sapientior erit? Sic videlicet si infumat in opus, exequatur opere quæ audit.

Mane gratissima peris temporis.

Iam habes quanto studio nos oporteat audire verbum Dei, verbum spiritus, verbum vitæ, verbum permanens in æternum, quippe fides ex auditu, auditus autē per verbum Christi. Rom. 10. Illud quoque obserua, quia in promissione præmiorum Christus loquitur: in excitandis animis spiritus, cuius partes sunt excitare nos in spem meliorem, vtque minimè pigra sollicitudine simus in re salutis.

CAPVT. III.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE SARDEN. ANGE-
LO SCRIBENDIS.
Sect. I. Punct. 1.



T Angelo ecclesiæ Sardis scribe. Hac dicte qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Hunc angelum id est sacerdotem episcopum Sardensem vt minus soletrem, minusque vigilem Christus redarguit, cuius ignauia hæreticis suffragabatur. Erant autem & qui pietatem sectarentur inter corruptos, qui ob vitæ candorem in albis ambulare perhibentur, quibus Sardis pulchritudo laudabilius competebar. Sardis enim principis pulchritudinis est, hæc Lydia per maxima vrbs erat, posterior rebus Troianis, Croci quondam regia. Dicitur & canticum lætitiæ, quo canit ecclesiæ victoriam Christi scriptura exhortante, Letamini cum hierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete gaudio cum ea vniuersi, vt fugatis, & repleamini ab vberibus consolationis eius. Esaiæ vlti. Syris corina est sardis, & hoc mysterio ecclesiæ conuenit, quæ plena est mysteriis, nihil non retruse habens: cuius etiam filij omnes in mysterio sunt: filij enim Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus primæ Ioannis tertio. Equidem necesse est, vt donec mortale hoc corpus circumferimus in mysterio scimus, id est, in occulto, vt non videamur quid sumus, quia filij beati Dei: erit quando apparebit Christus gloria nostra, tunc similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.

Sardis interpretatio.

Sardis vrbs Lydia.

Sarda gemma.

Porro si à lapide præcioso nomen hoc asstimabimus, Sarda, sardonice pulcherrime adornabit ecclesia, quæ præciosa est nimis, præcio magno empta. 1. Cor. 13. 6. & 1. Pet. 1. Vulgaris quidem gemma est sarda, sardibus primum reperta, signando omnium vtilissima, ob idque vulgaris, vt non essent antiquis gemma vlla celebrior. Testantur fabulæ Menandri: candorem haber, similem vngui hominis carni imposito, & vti oque translucido: sola gemmarum scalptra ceram non aufert: quo nomine vsus eius frequentior. Igitur dum his, qui sardis erant credentes, epistola hæc mittitur, toti ecclesiæ mittitur. A quo: ab eo qui habet septem spiritus Dei, non dubium quin Christo, cuius interest curam habere de sua ecclesia. Esaias de his spiritibus loquitur. Et requiescet, inquit, super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Esa. 11. Hi sic requiescunt super Christum, quod sint in eius potestate, quodque possit largiri cui vult, & quantum vult. Porro hos spiritus ideo se habere dicit, quia erant Sardis qui spiritu Dei carebant homines vanissimi, homines futiles & nihili, quos parum tangebatur cura spiritus: non enim curabant, vtrum haberent necne, viuentes ex tempore, frigidi, carnales, qui nullo pacto fidei inita per sacramentum baptismi vita responderent, ac si nihil à reliquis profanis mortalibus disgregati: quos oportebat recognoscere spiritus hos, quam necessarios in salutem, quod sine his non constet cuiquam salus, nec honor coram domino: simulque quam miserimum esset sine his degere, sine quibus ne quidam putatur anima viuere. Vis o homo scire quam tibi necessarij hi spiritus sint? equidem spiritu sapientiæ ad intimum diuini saporis gustum pertingimus: & nisi adsit hic spiritus non gustabis, neque scies quam dulcis sit dominus, & quam suavis, & quanta delectatione sensus eius teneatur, quo sine vitam homini non constare certissimum est. Sapientia ergo gustat suauitatem eius, loquitur & mysteria Dei. Sapient. 10. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas. Intelligentia intro ducit ad Dei inuisibilia, arcanaque sensa mysteriorum, facitque vt ex rebus sensibilibus insensibilia ab

Septem dona spiritus.

Sapientia.

Intelligentiæ.

intellectu nostro cognoscantur, Apostolo dicente. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur. Rom. 1. Ideo nanque intelligentia dici putatur, quod faciat latus in rebus conspicabilibus res inconspicabiles legere mentem, discernereque & disputare, & vt in creaturis creator apprehendatur, quem non cernit oculis. Est ergo intelligentia quasi intus legentia. Consilium bona à malis discernit, melioraque bonis antepone, vt pote temporariis cœlestia. Fortitudo spiritui robur & neruos aduersus tentamina vitiorum præstabitur, vtque non frangamur aduersis, neue eleuemur prosperis. Hæc sola virtus inuictissimum reddit Christi militem, & nihil non subire amore eius cogit: non frangit hunc iniuriam: non lacescit æmulatio, non emollit blanditia: stat autem immobilis aduersus quoscunque status fortunæ reflatursq. Scientia actiones moderatur, in rebus salutis prudentem æconomum instituit, perfectumque inter malos esse. Pietas cultus Dei est, & commiseratio proximi, vt necessitatibus illius subueniatur domino dicente, Estote misericordes. & rursum, Beati misericordes, &c. Pietate candidatum fide, piisque affectibus imbutum pectus continuo immolamus, labijs quoque holocaustum offerimus Deo. Timor insumit reuerentiam, quam impendit Deo, cauet autem offensas. Huius duo sunt genera, alterum seruile, amicum alterum. Primum docet sapere de Deo, quod punitior sit malorum, remunerator vero bonorum: Alterum consummat perfectionem, quia charitate permixtum est: charitas autem foras mittit timorem. 1. Ioan. 4. hos duos timores ponit August. expendens illum locum apostoli ad Rom. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.

Scientia.

P. ctas.

Timor.

Timoris duo genera.

✱ Punct. 2.

Scio opera tua quia nomen habes, quod viuas: & mortuus es.

Ecce qualibus mittitur epistola, hominibus videlicet à spiritu Dei longe alienis, tamen nomen vite habentibus, qui externis operibus vtrumque videntur hominibus viuere: ceterum quam non viuunt aquantur sepulchris dealbatis, Matth. 23. quæ extrinsecus pulchra sunt,

*Stultorum
cogitatio &
vox.*

intus vero plena offibus mortuorum, ac spurcitia omni-
qui haud secus viuunt aguntque, ac si Deus studia cor-
dis eorum non videat dicentes, Non videbit dominus,
nec intelliget Deus Iacob. Psalm. 93. De talibus stultis le-
ge copiose. Sapien. 2. Sed peruersa est hæc illorum cogi-
tatio, quoniam ipsius Dei abnegatio est, & idem omnino
ac si dicerent, Non est Deus. Psalm. 13. Aut si Deum ore
confitentur, animo dicunt. Non est Deo cura de nobis,
circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat,
Iob. 22. Atqui negent, cõfiteantur, Deus ipse est, & viuaci-
ssimus spiritus est, scrutans corda & renes, Hierem. 17.
& præ. cap. Ante cuius oculos nuda sunt omnia, Hebr. 4.
& nihil est rectum ab eo: nec aliquid effugiet cogitatio-
nem eius: omnia prospicit, omnia diiudicat, vt vere dicat,
Scio opera tua. Scit Deus vniuersa opera omnium, sed
non approbat vniuersa. Scire igitur (vt præfati sumus) nõ
semper approbare est. Scit quædam, & odit: scit alia, &
amat. Sequitur. Quia nomen habes, quod viuas: & mor-
tuus es. Externo habitu, opere, sermone, ac morum ho-
nestate comparasti tibi apud homines nomen, & gloriã:
apud quos sanctus haberis, fama super æthera notus, ve-
lut dignus vita æterna, ac beata. At vero mihi qui non fa-
ciem considero, non verba, non cultum externum, qua-
cunque in re sit, sed internum mentis habitum, affectus
cordis, renum cupidines, planè mortuus es: eo quod non
sit in te fructus vitæ, sed mortis. Quid plura? Sepulchrum
es dealbatum, plenum offibus mortuorum, & omni spur-
cicia. Locus iste demonstrat esse, alia Dei, alia hominum
iudicia: & sæpe Dei iudicia condemnare hominum. ne-
que enim nisi in faciem ij iudicant, Deus autem intue-
tur cor, & ex illius consideratione facit iudicium. Vide
autem studium domini. Petrum docuit de secreta corre-
ptione fraterna dicēs. Si peccauerit in te frater tuus, vade,
corripe eũ inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus
eris fratre tuũ, Matt. 18. Ecce secreto corripit delinquen-
tẽ, vt sanet eũ. Nemo enim præter se, & conscientia illius
nouerat, id quod obiicit, vel in quo ille mortuus erat:
ideoq; non diutius immoratur in cõmemoratione mor-
tiferi operis, sed protinus transilit ad cõsiliũ, quatenus
illum opportune adiuuet: dicens. *Punct. 3.

*Deus scit ope-
ra omnium.*

*Iudicia Dei
atque homi-
num diuersa.*

Est vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. *Hypocritæ
opera mortua*
Quæcunque in hypocritis & hæreticis sunt, quod ad
eos spectat, mortua sunt, quia absque spiritu Christi &
fide sunt. Atqui subinde fit vt in ecclesiæ utilitatem, lar-
giente Deo, viuant dona in illis, quæ fidelium causa ac-
ceperunt. Multa enim dantur hypocritis in bonum ele-
ctorum, velur donum prophetia, donum intellectus, ac
iudicij: externi mores decentes, & similia. Sic impio Ba-
laam pro electis spiritus propheticus in tempus datus
erat, vt liquet. Numer. 25. & 24. Sic & quosdam frenat
Deus, ne externis gestibus, ac parum probis alios offen-
dant moribus. Hæc sunt illa hominum iudicio viua, id
est, bona opera, de quibus loquitur hic dominus, hypo-
critas taxando: quorum & si opera dereferretur, non tamen
nominatim eos exprimit, nisi quod solo nomine vi-
uerent, quemadmodum iste, ad quem singulariter sermo
dirigitur. Proinde rectè admonentur sub vnius nomine
omnes, cui dicitur. Esto vigilans, hoc est, vide & con-
sidera, attende super teipso vere mortuo coram me: quan-
tumuis alij te viuere credant, ob verbum quod apud eos
bene loqueris, aut opera, quæ in faciem bene geris. Sunt
enim parum hæc solida, parum viua, parum mihi grata,
nempe solum externa, fucata, solum in faciem specta-
bilia, virtute autem vacua, & ideo debilia: verum tu (si sa-
pis) fac, ea corrobora, probitate tua, virtute, & gratia, vt
sint vera, firma, & viua. Quid enim mihi opus solum ex-
ternis, & inanibus verborum folliculis? quid leuibus mè-
dacijs paleis? grana sint oportet, quæ cumque afferunt
utilitatem. Dicatur ergo. Nomen habes quod viuas, ac
si diceretur, Ideo te viuere putas, quia in quibusdam
bonis operibus exercitium habes. Sed attende, quia
viuere non vere est, si vicia præualeant virtutibus, qui-
bus viuere aliis videris. Sunt enim nonnulli qui ele-
mosynis insistant, pauperum curam gerunt: sed ipsi a
rapina non abstinent. nonnulli abstinent quidem in
rapina, & elemosynarum largitioni inseruiunt, sed
ab adulterij perpetracione se non cohibent. Alij im-
munes adulterij sunt, largiuntur bona, & à rapina
manus coercent, sed iræ frena minimè imponunt:
ij stimulis furia agitati, vbi incanduerint, proni ad

*Hypocritis
dantur dona
in bonum
aliorum.*

*Nõ sunt tra-
ducenda pec-
cata vsque
ad notam.*

*Solide perfe-
ctum esse
oportet chri-
stianum.*

effundēdū proximi sanguinem ruunt. Sicque fit, vt dum se in quibusdam bonis operibus viuere putent, aliis minus bonis, & quæ mera sunt peccata, se perimāt: aut vno quopiam facinore enecent, vt cæterorum omnium merita perdant. Quicumque inquit Iacobus totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, id est, merita omnium amisit. cap. 2. Ad quorum personā benigna hæc exhortatio dirigitur, Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Ac si diceretur, Si vis, vt in illis, quæ bene gessisti, viuas, ab his quæ malæ gessisti abstine: & euigila, quia si in illis mortuus permanes, in istis nullatenus viues. Hinc Psalmista admonet dicens, Declina à malo, & fac bonum. Nam & in hoc quod dicitur, confirma cætera, quæ moritura erant: subtiliter ostenditur, quia si à peccati somno per pœnitentiā lamenta perfecte quis euigilet, nec illa etiā quæ bene mortuus gessit, post viuens opera amittit: atque ideo illa viuificat, quod ipse à peccati somno euigilat. Sic enim dicitur, Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant: tanquam diceretur, Si ex ea parte qua mortuus es reuiuiscis, cætera quæ adhuc in te vigent, ne moriantur confirma. Dicimus hæc non temerarie, sed ex aliorum sententia. Potest & aliter intelligi. Sunt non rari, qui vitam ab omni crimine immunem custodiunt, virtutibus adhuc inferuunt, sed tamen in his humanam laudem requirunt. Et quia intentio recta non præcedit in cogitatione, parum est omne opus quod sequitur in ostentatione. Per hoc ergo quod procedit in publicum, viui apud homines reputantur, ideoque nomen habent quod viuunt: sed quod interius latet, mortui apud Deum sunt: vnde pia mox consequitur admonitio. Esto vigilans, &c. Quod perinde est atque diceretur. Si viuere voles, caue laudem ab hominibus requiras, ne intentionem operis elatio viciet favoris. Ad hunc sensum loquitur dominus, in euangelio dicens, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, Matth. 5. Forte (& credo sic esse) vt & ad commissum gregem vox hæc pertineat. Et confirma cætera quæ moritura erant. Quia enim erant, qui exemplo malo corrupti, nutare in interitum, id est, ad vitia cæperant, præmonetur Episcopus, vt officio in commissum

Opera mortua posse viuificari.

missum gregem fungatur suo: nec dormitet, sed vigilet, sed omni opere ac industria sataget, sanet moribidos, viuificet moribundos, quatenus dignam laudem simulque mercedem à domino referat æternā: alioqui pastor idolon (vt est in Ieremia) fuerit, foris pulchrum, cæterum nihil ad rem pertinens, necesse est, solo nomine velut simulachrum quoddam, rem forma exhibens, quum alioqui in rei veritate saxum iners sit, aut aui massa argente, quod nec viuuit, nec sentit, nec loquitur: ita autem vno in loco positum, ab infans velut viuere creditum, quod oculos quasi apertos artificum manu habeat, parulas aures, nasum, os, manus, & cætera corporis lineamenta. Sequitur.

✽ Punct. 4.

Non enim inueni opera tua plena coram deo meo.

Illius opera plena coram Deo non sunt, qui virtutes egregias, factaque insignia sequentibus vicis commaculat, vel qui de bonis actibus humanam gloriam captant. Si enim oculus tuus fuerit nequam, totum totum corpus tuum tenebrosus erit. Luc. 11. Et vt iuxta præsentem causam loquar, opera prælatorum plena coram Deo non sunt, quando grex dominicus negligitur, non pascitur, nõ dirigitur, non corrigitur: etiam si alioqui recte viuere per se videantur. Tunc enim opera eorum plena coram Deo fieri creduntur, quando ministerij sacri officium dignis actionibus explēt: vt non solum ad se, sed etiam ad alios potissimum qui subiecti sunt iustitiam seruent, vita, doctrina, & exemplo lumen præstantes, vt videant opera eorum bona & glorificent patrem Deum, qui in cælis est. Dico opera, non ea quæ solum foris hominibus apparent, sed quæ à recte instituta vita, ac moribus integerrimis proficiuntur. alio qui facile reiciuntur, quotiens non in vero persistunt, sed fallaciter mentiuntur. Neque vero ita probe viuere satis fuerit prælato coram Deo, nisi singulari studio, his quoque, quorum curam gerit, vigilanter prospiciat, ne in præceps ruant, ne exorbitent, ne pereant. Neque enim frustra princeps pastorum Petrus amore stipulanti, id est, per legitimam interrogationem, promittenti iniunxit, vt pasceret non modo oues, sed & agnos, id est, non solum eos qui solido cibo sustentantur, sed etiam quibus opus est lacte. Nam apud Ioānem,

Opera dilectiosa.

Prælatorum vitam quam integerrimam oportere.

cuius euangelium Græcè scriptum est, legitur, pasce agnos meos. Quo mandato voluit Christus, vt Petrus pasceret agnos, id est, innocentes & paruulos nouitios in vita spiritali. Cæterum subiūxit & de gubernandis ouibus cum quadam auctoritate dicens: guberna oues meas: quatenus è fonte scripturæ agnosceres non tantum simplicem illi pascendi prouinciam præscripsisse: sed iniunxisse etiã, vt regeret gubernaretque, id est, omne studium impenderet, vt sano eius studio recte proficerentur pasciti greges. Sed ne hoc quidem contentus nisi & tertio loco indolenti planèque iam contristato Petro imperaret pasce oues meas, vt quemadmodum agnos pascere, & ad pascua ducendos esse mandauerit, ita etiam oues ad pascua duceret. Hinc est, quòd apud Hebræos reges (quales erant, Dauid, Cyrus, & reliqui principes multorum) pastores dicti sunt. Eo sensu & Græci regem populorum ducem suum vocant. Nam & Agamemnonem regem populorum dicunt. Docent hoc & aliæ literæ, quia rex à regendo dicitur, sic omnis dux à ducendo. Ex Michæa siquidem legimus in euangelio Matthæi, Et tu Berhlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat, aut gubernaturus sit populum meum Israël. Et Paulus Ephesius loquens. Dicit Episcopos positos esse ad regendum & gubernandum ecclesiam Dei. Sed nolim ita regimen interpretæris, intelligasve, velut tyrannica potestas doceatur. Nunquam enim id docuit dominus, sed nec istæ verborum deductiones id ab vilo Christiano rege pastore fieri postulant: Magis autem curam & sollicitudinem, quæ maximè adhiberi possunt, vt his inuigiletur super commissum dominicum gregem ab omni rege & pastore christiano. In primis autem ab summo illo, qui vicarius est Christi, ne vox illa tremenda Dei in eos competat, quæ apud Ezechiellem in hæc verba legitur, Vt pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastore pascuntur? Ecce lac comedebatis: & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod contractum est non alligastis, & quod

Reges pastores.

Taxantur pastores qui seipos pascunt neglecto grege.

abiectum est, non reduxistis: & quod perierat non quaesistis: Sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset pastor: & factæ sunt in deuotionem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt: errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in inuicso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret: & non erat inquam qui requireret. Propterea pastores audite verbum domini. Vtuo ego dicit dominus Deus, quia pro eò quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuotionem omnium bestiarum agri, eò quòd pastor non esset: neque enim quaesierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant. Et post alia. Vos autem greges mei, hæc dicit dominus Deus. Ecce ego iudico inter pecus, & pecus arietum & hircorum. Non igitur dicat prælatus, pastor ve gregis dominici. Quid mea interest, vtrū quis recte an secus viuat? satis mihi fuerit me integritati meæ consistere, mihi que perspicere: qui volunt sequantur, reculantes ipsi viderint, nihil mea refert. Ita ne? Quid igitur quaeris esse pastor, si ministerium refugis? si minus dignè officio sancto fungeris? nonne audisti, Petro non solum pascendi curam esse iniunctam, sed & regendi gubernandique? An non ad pastum pertinet vigilans custodia? ad custodiam curæ: ad curam labor: ad laborem sollicitudo? alioqui præstaret non pascendi officium suscepisse, si pertinentia hæc omnia defugas. Sic officium quod dicitur suscipiendum, vt quacūque officij sunt strenuè in vniuersum obeantur: aut qua mercede dignum esset pascere, cæterum autem feris lupis derelinquere miseris oues: aut morbo cui occurri possit, pati interire? Sed ais. Nolo esse molestus, nemini acerbus ero. Immo verò neque vnquam molestior, neque acerbior esse potes, quàm quum per incuriam perire finis, quem studio poteras alleruare. Nulla molestia est æqua correptio, nulla acerbitas, disciplina salutaris: vt apud quem periclitabatur Christus, velut res insalutaris, reddatur salutaris: cui frugebant præcordia, ferueant: iacebat iners animus, exurgat: contemnebantur diuina, iam deinceps placeant.

Opus praelati quale placeat Deo.

Tale opus pastoris plenum est coram Deo, quando & propria salus non negligitur, & cura gregis subiecti diligenter procuratur: opus autem ceteri gregis tum plenum erit, quum non in faciem solum pius est, sed interna veritate solidatum, opus vere bonum, ac fidele factum ex fide, quae per charitatem operatur: non iniqua intentione deprauatum, non superstitiosum, quale est opus hypocritarum contemptibilem coram Deo. Porro quum audis, Non inueni, scito quod inquisierit: est enim inuenire, non casus, sed propositi, sed studij: sicut reperire proprietate casus ut grammatici volunt, iuxta illud Poetae Nasonis in Metamorphosi sua. Tu non inuenta reperta es, ut plane verborum differentia constet. Inquisiuit ergo sed non inuenit, nisi ficta bona, fucata, inania, & in faciem apparentia: in quibus nulla veritas, nulla soliditas virtutis inesset.

Christus scrutatur omnia.

Scrutatur ergo omnia etiamnum hypocritarum opera Christus. Iudex est enim constitutus a Deo saeculorum, ad quem pertinet scrutari sicubi quid inueniat, quod aut probeat aut damnet. Quod verò ait, coram Deo meo: innotescit, sane Deo nihil esse absconditum: & quod opera hypocritarum illi exosa sunt, quia misera, vacua, carnalia, mutila, inabsoluta & imperfecta: sola namque plena, id est, perfecta, pia solida & viua sunt Deo accepta. O quam beatus cui dicitur a domino, Inueni opera tua plena: vae autem illi cui e contrario dicitur. Non inueni opera tua plena coram Deo meo. Hoc loquendi modo saepe in hoc volumine videtur Christus, ut homo appellans patrem Deum suum. Sicut & nos dicimus. Pater noster, qui es in caelis, Deum vnus essentiae compellantes patrem, per quem conditi sumus, & adoptati. Aliter tamen noster pater, aliter Christi: Christus enim quum sit persona diuina, naturaliter patrem habet Deum: Nos in homine solum subsistentes per gratiam. Sed iam ad reliqua.

* Punctus. 5.

In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris: Et serua, & penitentiam age.

Iubet reminisci, atque in mente fideliter retinere quaeque acceperit exemplo, aut praeepto audierit: & non solum reminisci, sed pro virili portione adniti ut amuletur, & obseruet: deque admissis penitentiam agat, quod

tam male bonas horas collocat: & vbi pietate gratiam promereri potuisset, iniquitate irritauit iram. Quatuor ergo tamen breuibus indicat. Primum, quod mente complectatur lucida exempla sanctorum. Secundo, ut verbi sancti vim, ac spiritum exquirat. Tertio, ut amuletur. Quarto, quod vitae superioris hypocriticae ipsum poeniteat. Habes hic verae resipiscentiae depictam velut in tabella formam: ut primum verbum Dei sanctum intencis praecordiis auscultetur, aut legatur, & in vero eius sensu capiendi non nihil laboris impendatur: nec verò interim sunt contemnenda & sanctorum exempla, qui formam integritatis praegressere, viamque perueniendi ad exoptatissimam beatitatem ostendere. Ad haec quoad eius fieri poterit, conatus amulandi excitandus: denique poenitendo nequiter gestorum infumenda: alioqui cetera parui momenti futura sunt, quantumuis in faciem videantur esse aliquid. Haec autem forma etsi omnibus, maxime autem praelatis competit. Audiunt omnes apostolum dicentem, Oportet episcopum esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem: non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, suae domui bene praesidentem: oportet illum bonum habere testimonium ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Timor. 5. Audiunt & legem ita exhibentem, Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedat hostias offerre Deo: si coecus fuerit, si claudus, si paruo vel grandi, vel torto naso: si fracto pede, si cedere ad osferendum sacrificium. oculo, si iugem scabien, si impetiginem in corpore, si hermosus. Et iterum, Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad sancta, in quo est immundicia, peribit coram domino. Leuit. 31. quibus omnibus accipimus quam inculparissimus debeat esse per omnem aetate praelatus, quam integer, quam absolutus: quamque purus, modestus, sobrius, studiosus, benignus, nihil indecorum habens: prudens, strenuus, doctus, acri iudicio praeditus, non in vicia ardens, ab omni autem labe alienus: alioqui quo pacto in mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & seruetur.

Penitentia vera forma.

Praelatorum norma.

Maculosus non debet accedere ad offerendum sacrificium.

Penitentia verum medium.

ua, & age pœnitentiã. Multis scripturã in locis inculcat nobis christus deus pœnitentiã: quod non faceret nisi salutatis esset, in primisque potes ad cuiusvis peccati deiectionem. Est enim vnicum remedium infirmitatis nostrã, & sanitas perennis. Proinde quum dominus primũ promulgandę legi cœlesti os sacrum aperuit, ab ea, velut à fonte salutis sermonem auspicatus est: sic dicens, Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, Matth. 4. Hanc & Luc. 13. insinuat, quum dicit, Nisi pœnitentiã egeritis omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo super quos cecidit turris in Syloë & occidit eos. Et Ioannes domini pœcurator, quum sublimiter tonaret aduersus incredulitatem Iudæorum peruicaciãq; extremũ remediũ, quo illorũ morbo mederetur pœnitentiã docuit, dicens. Facite ergo fructũ dignum pœnitentiã: & ne velitis dicere intra vos patrem habemus Abraham. Matth. 3. Iactabant nanque hi velut ex eo pro charis eos haberet Deus, quia Abraham dilexerat patrem gentis suę: & non magis vt corrigerentur à malis: prout & modo putant aliqui ex eo se charos esse Deo, quia authorem sui ordinis amauerit Deus: iamque gloria insignem fecerit. quum longe secus est: amat nanque Deus qui amore digni sunt, hoc est, qui scelere immunes sunt, & qui puro corde quærunt eum & colunt: alioqui omnes pontifices chari essent illi, eò quòd B. Petrum amauerit, ideòque regi fideli pastorem constituerit: quem iam coronauit in cœlestibus. Sed nisi quis Petrus sit zelo quo ille fervebat, sermone quo docebat, tolerantia quam libenter pro Christo obibat, vitæ integritate qua præcallebat charus Deo esse non poterit. Si filij Abraham estis, dicit dominus, opera Abraham facite. Ioan. 8, Facite ergo fructum dignũ pœnitentiã: iuxta peccatorum qualitatem quãtitatẽque: quatenus compar sit fructus pœnitentiã & qualitati & quantitati peccati. Neque enim cõpar fructus boni operis debet illum sequi, qui minus, & illum qui grauius deliquit: aut illum qui nihil, & illum qui aliquid peccauit. In hac itaque re cuiuslibet conscientia conuenitur, vt tâto maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiã, quãto grauiora incutierat damna per culpã. Digna erit pœnitentiã, si is qui illicita meminit commississe, à

*Nemo ab au-
there charus
ipsi Deo, sed
a virtute quã
quisque colit
existet.*

*Pœnitentiã
dignus fru-
ctus.*

quibusdam etiam licitis abstineat: præterea vt actionibus pijs occupetur, compenset erogatione direptiones, cœlibatu scortationes, iniuriam beneficio, asperitate delicias, crapulam ieiunio, aspectum illicitum custodia oculorum auersioneque. In summa, dignum fructum facies pœnitentiã, quum secundum modum culpæ te accommodaueris & pœnã: vt si plus peccasti, plus indoleas: & quot inueneris in te oblectamenta culpæ, tot de te facias holocaustomata pœnã: vt qui amiseras Deum piissimum patrem in peccati oblectatione, inuenias eum in peccati dolore, execrationeue, recogitando omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ: non spem amittendo, sed veniam precando. Punct. 6.

Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.

Graue horrendumque nimium est, quod hic hypocritis, aliisque sine fine peccantibus comminatur dominus: cui diuersum omnino sancti precantur, & cupiunt, dicendo. Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi. Psal. 38. Ac si dicant, Illustra me domine spiritu tuo, vt semper finem meum in mente habeam, & intelligam quã breues incertique sunt dies mei, cito euanescentes, atq; instar bullæ aquatilis, instabiles, vt memor sim transitus mei semper, semperq; adornem me dignis fidei operibus ad perfectũ. quoniã ita mones, vt similes simus hominibus expectantibus dominũ suum, quãdo reuertatur à nuptiis, quia qua hora nõ putaremus tu aduenies. Luc. 13. Attende ergo in hac sacra electione Christus, Si nõ vigilaueris veniam ad te tanquã fur: & nescies qua hora veniã ad te. Ac si diceret, non veniã ad te sicut ad illos qui vigilat, & qui expectant diem aduentus mei: sed aliis atq; aliis intentus curis, dũ nec sperares irruã super te, vt iudex, & vt ultor scelerũ in iudicio, & in æquitate. nec erit qui de manu mea possit te eruere. O tremendam increpationem. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur. Sic & Paulus loquitur dicens. De temporibus, & momentis fratres non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte ita veniet.

*Sanctorum
desideriũ de
cognitione fini-
um vitæ.*

In seculi amatores inuestio.

Quum enim dixerint, pax & securitas, tunc repētinus eis superueniet interitus, & sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. 1. Theff. 5. O amatores seculi, audite quid iudex dicat, veniam tanquam fur: & nescies qua hora veniam ad te. Ad vos est hic domini sermo, quem modo non diligitis, vt sequeremini: cuius proposita legem contemnitis & in malo securi estis, spem in longum protendentem, crassos dies agitis, nemini non graues estis, ventri indulgetis, voluptatibus inseruitis, & stupetis in vitiis, oculos clausos tenetis, nec in diem aduentus domini magnum & terribilem aperitis, velut perpetuo victuri: sed veniet veniet hora qua non speratis: veniet, veniet horrenda mors, quam non expectatis: tunc rugient circa vos aduersarij vestri: tūc clamabitis, & nullus exaudiet: opem postulabitis, & nemo feret: nemo vobis succurret. O filij hominum graues corde, quæ vos tenet vefania? vt quid rebus perituris tanta auiditate seruitis? cur vanitati tanto studio confiditis: pereunt cuncta, & cito pereunt, nec vos ab exitio liberare valebunt. O legum improvidi temeratores, reuertimini ad cor, sumite consilium, rebus vestris ocyus consulite, quando omnes mundi promissiones fallaces sunt, & seductoriae, omnes blandiciae eius venena mortifera, cūctæ delectationes pocula venenosa, aconito nocētissimo permixta, viæ autem eius sempiterna & amarissima mors. Cui nanque dilectori suo dedit quod promisi: quem diu regnare permisit: cui stabilis fuit? Nonne vno eodēque tempore sublimat, & humiliat: statuit & deicit? Vbi modo quæso potentum gloria qui terra marique imperium dilatabant? vbi varia suppellex? deaurata vestis? clientium numerus? diuitiarum copia? & odoramentorum diuersa genera? deliciarum gaudium? & cætera huiusmodi: nunquid profuerunt hæc omnia sæculi amatoribus? transferunt cuncta, & transiunt: reliquerunt, & relinquent alijs atque alienis diuitias suas, quas cum magno labore quaesierunt, & quaerunt: dormierunt, & dormient somnum suum, & nihil inuenerunt, nec inuenient omnes viri diuitiarum in manibus suis. Cur hæc non aduertitis? cur non aliorum exemplis erudimini? vt quid pereuntium casus vos non deterret? Diues erat cui horrea plena frumento erant, redundabant cellaria vino:

sed stultus. Quare stultus? quia dum lōgam sibi promitteret vitam, & ea quæ parauerat suffectura in multos annos putaret: subito audit, Stulte, hac nocte animam tuam repoſcunt à te, & ea quæ paraſti cuius erūt, Luc. 12. Stultus, & purpuratus ille epulo fuit, qui dum splendide apparat conuiuia, instruit mensam, purpura & byſſo se exornat, gaudia miscet, summa voluptate fruitur, replet ingluuiem, saginat ventrem, breui hora raptus ad pœnam didicit post mortem, quod viuens discere noluit: cui ficienti postea nec extremi quidem digiti guttula aquæ data fuit. Luc. 16. Sexcenta sunt id genus meræ stultitiæ exempla, quibus præmonemur, ne in hoc mundo spem defigamus, ne cum stultis & mundo pereamus: semper autem vltimum expectemus diem: in horas nos præparemus, vt nos ad subitum domini aduentum exanimemur pauefacti. Expectas si vigilas, vigilas si à peccato abſtines, si somnū peccati ab oculis tuis excuties, si insigniter strenuēque saluti prospicies: alioqui nec vigilas, nec expectas, vt veniat super te omne verbum, quod loquutus est dominus in zelo suo dicens, Veniam ad te tanquam fur. Fur veniet, vt perfodiat domum, & diripiat bona & miserum faciat. Et nescies quando veniā. Quare nescies? quia non vigilas. Quare non vigilas? quia non expectas. Quod si expectares, vigilares vtique, & non fineres perfodi domum tuam, neque diripi bona, neque miserum fieri: & caueres ne malum incurreres. Optimo igitur conſilio vltima semper expectanda dies, expectandus & domini aduentus. Pauli vox est. Non sumus filij noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri: sed vigilemus, & sobrii simus. qui enim dormierunt, nocte dormierunt. & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus sobrii sumus. indui lorica m fidei & charitatis, & galeam spem salutis: Quoniā non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuiamus. 1. Theff. 5.

Punct. 7.

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua: et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

Quem antea durius reprehendit, modo blandius lenit

ac consolatur: ne videlicet perpetua reprehensione frangatur, ne desperet, ne pereat. Sic enim cōsuevit & in aliis epistolis, vt vbi acrior interim intercedit correptio, nonnulla temperie leniatur: quo commodius remedium, quod salutare est, subeat, agat virtute intra viscera dilapsam, expellat morbum reuocet sanitatem. Per nomina ipsos intellige homines. Ideo autem nomina ponit, vt ostēdat non solum tenere numerum electorum suorum, sed etiam nomina, qui Moysen nouit ex nomine, & suorum scribit in caelo nomina sanctorum: quemadmodū dicit. Gaude q̄ nomina vestra scripta sunt in caelo. Luc. 10. Idem oues suas nominatim vocat, Ioan. 10. vtitur ergo loquutione suo more, dicēs, habes pauca nomina, id est, paucos nominatos, cognitos ex nomine, scriptos in libro vitę, eo quod munda seruauere vestimenta sua. Vestimenta hæc holoserica baptismatis sunt, fidēq; semel susceptę indumenta. Possunt esse & immortalitatis innocētīęq; que, quibus diabolus primum hominem in paradiso expoliavit, quum sibi hunc per peccatū consentire fecit: quibus iterū vestimentis tunc homo vestitus est, quum per immolationem vituli saginati, qui est Christus, inuictior filius patri reconciliatus fuit, & prima stola indui promeruit, Luc. 15. Huc pertinet quod Paulus Coloss. scripsit. Expoliantes vos veterem hominē cum actibus suis, & induētes nouū, eum, qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginē eius qui creauit eum, Coloss. 3. Item. Ephes. 4. deponite vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autē spiritu mentis vestrę, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Ecce qualia sunt vestimēta, quę seruāda sunt ab immundicia, & corruptione peccati. Ille hæc corrumpit qui concupiscētīę suę prauo opere commaculat. Quia verō perpauci sunt qui concupiscētīa nō seducantur, aut qui à cognitione criminis post susceptum baptismi sacramentū se obseruent, recte pauca nomina in Sardis se habere dicit, qui vestimenta sua incoinquinata seruauerint. Præceptum extat. Eccl. 9. Omni tempore vestimenta tua candida sint. Et infra in hoc lib. cap. 16. beatus fore prædicatur, qui custodit vestimenta sua. Nisi enim

*Vestimenta
baptismatis.*

*Vetus homo
occidendus.*

quis illibitatum se custodiat ab hoc sæculo, vestimēta eius candida non sunt, nec promissa illi beatitudo obtinget. De piis ac modestis dicitur, Et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Illi quippe ambulabūt cum Christo in albis, qui fidem, & innocentiam baptismalem, ac denique sanctitatem omnem totius vitę custodiunt: quique sequuntur vestigia Christi, iuxta verbum Petri apostoli, Christus (inquit) passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius. Hi enim soli digni sunt vt in albis cum Christo ambulent. Cur in albis ambulabunt? Quia lauerunt stolas suas, & dealbauerūt eas. Magnū mysterium. Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas. Quomodo lauerūt: aut quomodo dealbauerūt? Sed lauerunt in morte Christi, & passione eius, quando in fonte baptismi sese consecrarunt. Dealbauerūt quando piis actibus & bonis studiis sese in lege domini, & viis eius exercuerunt in charitate Dei & proximi. hæc est vestis illa nuptialis qua ad domum nuptiarum intromittimur, nec intromissi vltra eiicimur, sine qua nemo intromittitur. Nam & angeli post domini resurrectionem in albis visi, Ioan. 20. Act. 1. Et Paulus prim⁹ eremita niueo candore in sublime conscendere ab Antonio visus. testis est Hiero. Quo cōtra peccati vestis nigra est: in qua ambulat omnes impij virtutibus vacui, & quibus placet iniquitas. Sed quid dicemus? Nunquid desperādum illi fuerit, qui post baptismi gratiam, vitam peccatis inquinat? Non vti que, quia & illi, si pœnitētiam egerint, si lacrymis nequiter facta eluerint, candorem sibi conciliāt. Hoc nanque alterum genus baptismi est, quod scelera mire ac potenter deiicit, conscientiam abluit, vitam restituit, iustitiam reddit, vt non minus candorū congaudeat. Hęc itaque vestimenta in quibusdam immaculata seruantur, in quibusdam post maculas dealbantur: quia alij post lauari vndam nullum facinus admittunt, alij admissum fletibus tergunt, vnde admonendi hi ne admittant, ij vt sine protelatione tergant. Puros nanque in ministerio suo amat Christus, quos ad beatitudinem recepit, nec ad punctum in mali proposito stare vult. Ait enim. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat,

*Qui ambulant
in albis.*

*Vestimentorum
ablutio
& dealbatio.*

*Puri debent
esse electi.*

Psalm. 100. Et iterum. Beati immaculati in via, qui ambulat in lege domini. Psalm. 118. ut recta consequentia ij candore gloria: sese adornent in patria, qui candorem innocentiae tenuere in via. Sequitur. Quia digni sunt. Quare digni? Aut quomodo digni? Iustitia digni, & imitatione vestigiorum Christi digni. Iustitia inquam, quam asseruit nobis Christus, immo & donauit, ut effemus iusti, & immaculati, sancti in conspectu Dei, qui nos fecit reges & sacerdotes, ideoque digni: Vnde etiam datum ut sequeremur vestigia eius, cuius virtute melius regimur: ut iam non noster sensus, sed illius spiritus sit in nobis, cuius virtute reconciliatus est mundus: alias pannus menstruatae sumus omnes, & opera nostra immunda erunt omnia, tam aberit ut digni sumus velut iniusti, & peccatores. Dupliciter igitur hic mihi considerabis hominem. Primo in suo esse naturali, sine gratia, sine spiritu Dei: quo pacto omnes iustitia nostra: sunt perinde ac pannus menstruatae, olidae, inquinatae, & tæpæ, quibus vilitas in preciositate est, hoc est, quantumuis pulchrae sint ac preciosae ad hominum conspectum, ad Dei tamen aestimationem viles & reiectae, & abominabiles: tantum abest ut ex his digni sumus. Deinde in esse gratiae, ut est inritus Christo, membrumque eius est in corpore mystico, quod est, ecclesia: hoc pacto tantum dignus quantum à Deo acceptus, in dilecto filio suo, in quo etiam habemus remissionem peccatorum, per sanguinem eius accessumque ad Deum, ut præclare sanctus Apostolus non in vno loco epistolarum suarum docet, in quo & gratificauit nos, & in filios adoptauit, hæredes constituit regni sui, ut depulso mortis & inferni metu, cæterum spem vitæ habeamus. Namque hæredes sumus in Christo secundum spem vitæ æternæ. Ti. 3. Idem Romanos docet, Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Rom. 8. Ecce quia digni secundum operationem Christi in nobis: Indigni autem ex nobis, secundum quod peccatores constituti, aduersarij Deo. De pijs ergo & iustis lo-

*Christi virtute
et opera munda
Christiana-
morum.*

*Homo dupliciter
consideratur.*

quitur Christus, quum dicit, Ambulabunt mecum: cum filio virginis, cuius caro virginea continentiae dedicauit exemplum, qui est virgineus flos, candens virginitatis lili-um & corona. In albis, id est, in corporibus immaculatis: ambulabunt autem conspicui in morem solis fulgentes, quando resurgent ad vitam gloriae ex mortuis: & velut agni nouelli, quocumque ierit incunctanter agnū Dei sequentes. Da domine ut agnus nouellus ipse te sequar: sequar autem in albis, te collaudans in magnitudine virtutis tuae, qua potens es & beatus usque in sempiternum. O qualis erit honor, quanta gloria sequi dominum in patria caelesti, vbi defectus nullus, honor amplissimus, claritas aeterna, & semper florens. Inuenta ibi sardia pulchritudo immarcescibilis, ibi diuitiae nunquam deficientes, ibi satietas plena ac sempiterna ut sit quod amplius expeti possit, aut cogitari saltem. Esaias dicit. Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris subintellige caelestium bonorum, & redundantiae gloriae beati Dei. Idem. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quae præparauit deus diligentibus se. cap. 64. & 1. Corinth. 2. ✠ Punctus 8.

Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis: & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius.

Victoribus, hoc est, qui mundum & peccatum, & infernum vincunt: & tunicam casti corporis, innocentiaeque, fidei ac virtutum, morum quoque sanctissimorum regulas inuiolabiliter custodiunt: siue qui in medio nationis prauae, atque peruersae integri continuo studio persistunt, domino plena fiducia in verbo eius adherentes, & candidum pectus illi consecrantes, tria hic promittuntur. Primum quod vestientur cum Christo albis. Secundum quod non delebit nomen eorum de libro vitæ. Tertium quod nomen eorum magnifico quodam titulo, quod vicerint, confessurus sit coram patre suo, & angelis eius, testificans quod ex suis sint. Prima promissio de vestimentis albis, qua proculdubio ad id potissimum prouocamur

*Victoribus
tria promittuntur.*

omnes, vt vnusquisque holoseruicam sui baptismatis pro virili seruet, vtque quā castissimè viuat. hi præter id quod fidem habent in christum, carnem edomant ieiuniis, subigunt rationi rebelles sensus, vitant malas cupiditates, excubant, orant, student, legunt, meditantur, auscultant scripturæ sacrae præcepta prædicata. In summa Dei beneplacitum custodiunt. Res admodū præclara est studere virtutibus, vitare vitia, dæmonis depellere suggestiones, excutere iugum tyrannidis peccati, liberū fieri ab eius nexibus: sed non minus præclara res est ad sinceram æmulationē traducere quæ sacris Dei mandatis tradita sunt, id est, ad exercitium bonorum operum accingi strenuè, quæ fūco careant, nec sint corrupta hypocriſi, nec famę gloria diluat: vegetet autem Dei spiritus, in quo solo robur omnē veritatis consistit, & præmia meritorum posita sunt. Contra quisquis innocētiam baptismalem minus custodit, sedetque tepidus, & languens, nec operatur bona, exors promissionis huius sit necesse est, quod non inter victores computetur: hos infernus excipiet suis cruciatibus implicandos vt non elabantur, sed vt semper miseri sint, & lugeant semper. Ad quos est sermo Dei per Esaiam dicens. Ecce serui mei comedent, & vos esuriētis: ecce serui mei bibent, & vos sitiētis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. ecce serui mei laudabunt præ exultatione spiritus, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Esa. 65. vt dissimilis quam longissimè fiat exitus impiorum ab exitu piorum, sicut & vita fuit dissimilis. Secunda promissio quod nō delebit nomen eorū, qui vincunt, de libro vitæ. Liber vitæ propositum diuinum est in mente Dei, seu ipsa mens Dei, in quo hi soli scribuntur, qui fide vincunt, nec prosternuntur superati à vitis: qui sunt electi, hoc est perfectè boni, fortes in fide. Sed venit in quæstionē, vtrum semel ascriptus deleatur? & econuerso. Et quid sit deleri? scribiue in vitæ libro? An ergo fallitur diuina præscientia? Non equidem. Sed eo sensu dicitur. Non delebo, ac si diceret, Scribam. Qui enim vincit, non delebitur: qui verò non vincit, non scribitur. Deleri ergo nō scribi est. Nouit enim Deus qui sunt eius. 2. Timo. 2. & hos solos scribit, qui non delebuntur, quia vincunt. Quo sensu de reprobis, qui non

*Liber vitæ
quid sit.*

*Scribi in li-
bro vitæ aut
deleri quid
sit.*

vincunt, dicitur. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Psalm. 68. Neque enim impij cū piis, hoc est, iustis scribuntur, quorum opera mala sunt, & fides in impietate. Victoria ergo certissimum æternæ prædestinationis signum est. Volunt nonnulli duplicem hūc librum esse. Alterum æternæ prædestinationis, alterum præsentis iustificationis. In libro prædestinationis quicumque semel inscriptus fuerit nunquam delebitur, in quo nemo reprobatorum inuenitur. Quia verò ille qui præsentis iustificationis est, secundum statum præsentis vitæ dirigitur, statque cum conditione humanæ mutabilitatis: toties inscriptus delebitur ex eo, quoties peccasse cognoscitur: & rursum toties inscribitur aliquis quoties iustificatur, eo quod sit, appellaturque liberis iustificationis præsentis: iuxta quod dicitur in præsentis scriptura, Et non delebo nomen eius de libro vitæ. Quo contra dicitur. Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur. Huc pertinet illud quoque. Ezech. 18. Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet. De recedentibus quoque ait, Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominatio- nes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur. Tertia promissio, quod eorum nomen sit confessurus in laude multa coram patre suo, & angelis eius. Confessio hæc contestatio fidelitatis est, meriti quoque. Quippe illius nomen pollicetur se coram patre suo confessurum, cuius probat opera de præfenti, placētque ei, quæ sunt, fiuntque in fide. Sicut de viro iusto scriptura sacra loquitur dicens, Omnia opera eius in fide, quæ non possunt nisi iustificati facere, per patrem cælestem benedicti: quibus dicturus est in fine non dubium quin ipse idem Christus qui iudicaturus est orbem, Venite benedicti patris mei. Matth. 25. Ideo alibi ait, Qui me confessus fuerit

*Victoria se-
cundum prædesti-
nationis.*

*Liberi duo
vitæ.*

*Confessio
Christi co-
rā patre suo
quid sit.*

coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo, Matth. 10. Luc. 12. Sed quare addidit, Angelis eius, hanc videlicet orationis particulam? Nunquid satis erat dixisse, coram patre meo, nisi & angelos nominaret? Cur hoc voluit? nisi ut plenitudo honoris in illa confessione insinuaretur. Neque enim parua res est, honorificari coram angelis Dei, & non ab alio quam horum creatore, quos constat semper astare Deo. Hos in tres hierarchias diuidit Dionysius, ternos in singulis ponens ordines, tres superiores, tres inferiores, tres medios. Superiores, sunt Seraphim, Cherubin, Throni. Medij sunt, Dominationes, Principatus, Potestates. Inferiores sunt, Virtutes, Archangeli, Angeli. Porro ordinis vocabulum multitudinē eorum indicat, qui inter sese aliquo munere gratiæ simulantur, sicut & in naturalium virtutum dono conueniunt, verbi gratia. Seraphim dicuntur qui præ cæteris ardent charitate. Seraphim enim interpretatur ardens vel succedens. Cherubin, qui alios præstant scientia, nam ea vox scientiæ plenitudinem latinis sonat. Thronus dicitur sedes: throni autē vocantur (vt. D. Gregorio placet) qui tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis velut singulariter sedere dicatur Deus, & per eos iudicia decernat. Dominationes vocantur, qui principatus & potestates transcendunt. Principatus, qui subiectis sibi quæ agenda sunt demandant, quibus ad explenda diuina ministeria principantur. Potestates nominantur, ij qui hoc cæteris potentius in suo ordine acceperunt, vt virtutes aduersæ eorum frenentur potestate, ne homines tantum molestet tentatione quantum cupiant. Virtutes illi appellatur, per quos singulari privilegio miracula eduntur & signa. Archangeli, qui maiora denunciant. Angeli qui minora, utpote ad solius personæ commodum: sicut frequenter legimus angelos apparuisse singularibus personis, tum in veteri, tum in noua lege. Id verò obseruandum fuerit, quia hæc nomina illis non propter se, sed propter nos data sunt.

Qui enim sibi noti sunt contemplatione, nobis innotescunt cognominatione. Nominantur autem singuli ordines, à donis gratiarum, quibus excellunt, quum alioqui omnia in omnibus sint: non tamen æqualiter, quia alij alia nobilitus potentiusque aliis possident: sicque ab excel-

*Hierarchia
nouem.*

lentiori dono, videlicet charitate superior nomē accepit. Excellentius enim donū est charitas, quam scientia: scientia iudicio, quum & id ab ipsa scientia illustretur. Dixi omnia dona omnibus esse communia: omnes enim ardēt charitate, & scientia pleni sunt, & iudicium habent: sed superiores inferioribus præclarior, à quibus nominantur. Hoc est quod, D. ait Gregorius, In illa summa ciuitate quisque ordo eius rei censetur nomine, quam plenius accepit in munere. Coram his testaturus est dominus nomen eius, qui vicerit, vt non parui momenti videatur esse victorum gloria. ✽ Punctus 2.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

Auris, vt docet Firmianus, ab hauriendis vocibus nomē habet: quæ sic sinuosa concauitate ab authore Deo condita est, vt voces hausta ad cordis interiora miro dilapsu conueherentur, quatenus auditu perciperet, quæ humanis procul distita essent sensibus: qualia sunt: fides, & articuli eius, resque spirituales, mysteria cœlestia, & id genus alia. Iam itaque aurem non habet qui fortissimos verbi Dei sonitus non audit, non sentit virtutem eius, neque sanctissima Dei præcepta aduertit, sed manet obrectus nihil sentiens, vt saxo potius similior sit quàm homini. Quid enim homo est, nisi animal rationis capax ad Dei imaginem similitudinēque formatus? Hic verò adeo rationis expertus est, vt abiecta Dei similitudine, in peccatis formam abierit: Amplius dico, infra pecudem esse ceperit. Pecus actoris sui voce excitatur: it̄ celerius: flecitur vectat onus, aut graue trahit iugum: homo autem, & qui vix homo est, vixque pecus, nihil ad Dei vocem aures arigit, nihil excitatur, nihil flecitur, nihil subit, immemor totius beneficij misericordis Dei, vt iam non aliud sit quàm immane saxum, enormēque & iners, & informe lignum, quod desiccatum est. Hæc promissa fides: sic te in sceptrâ Deus reponet: Hæc de malis dicta sunt. Econtra studiosus, bonus & integer, hominem quodsmmodo transcendit, & in cuiusdam diuinitatis sorte abibit, vt diuinus sit, fortissimo videlicet Dei verbo demutatus: qui auditâ receptamque fidem vsque in finem seruabit, quæ Deus minime suis promissionibus fraudabit.

Auris vnde.

DE PRÆCEPTIS ANGE-
LO PHILADELPHIÆ EC-
CLESIAE SCRIBENDIS.

Secl. 2. Punct. 1.

Philadelpbia



T Angelo Philadelphiæ ecclesiæ scribe. Philadelpbia ciuitas est in Mysia, regione Asiae, terramotibus concussa, cuius incolæ in agris olim magna ex parte degebant: cui ab oriente exusta regio patet, stadiis longa quingentis, quadringentis lata, vbi nullæ arbores præter vitem inueniuntur, quæ exustum vinum fert ita elegans vt nulli cedat, summa camporum facies cinerulenta est: môtana, petrosa, & nigra. Quidam ex crebro fulminû ictu id contigisse arbitrantur: sed credibilius est subterraneum igne, qui postea defecerit, regionem exussisse. Sed iam ad mysteria vocis redcamus. Philadelpbia nanque latinis fratris amorem sonat. Id quod plausibiliter vniuersali ecclesiæ competit, quæ tota in amore Dei est & proximi. Nam qui amat deum, amet & fratrem necesse est, amat autem Deum qui illius præceptis obsequitur, dicente domino. Ioan. 14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Diligit idem & fratrem, cui precatur salutem. Alioqui nec Deum diligit. Nam si quis dixerit, quoniam diligo deum, & fratrem suum oderit mendax est. 1. Io. 4. vt rectè per Philadelpdiam ecclesia designetur: sicut & in cæteris: quæ perfecta dilectione cõnita est. Quid enim ecclesia in vère credëtibus est, nisi fratrum ex corde mutuo sese diligentium congregatio? Proinde summus huius ecclesiæ rector, idemque caput, ait fidelibus. In hoc cognoscent omnes quòd mei discipuli estis, si dilectionem ad inuicem habueritis, Ioan. 13. Ibidem. Mandatum nouû do vobis, vt diligatis inuicem. Nouû non nouitate præceptionis, quia dudum præceptû erat, sed nouitate in-stitutionis. Nam præceptum erat, sed non seruatum: sed neglectum, sed ipsa vctustate obsoletû: vt nemo charitatem coleret, nemo obseruaret, eo quòd à minimo vsq; ad maximum studerent auaritiæ. Sic & aurea vasa obsoleta fractaue solent refici: vt nihil sit, quòd maiori studio inculcare, penitusque conetur defigere hominum mëtibus

Ecclesia congregatio se diligentium mutuo.

Mandatum nouum.

Dominus Iesus sicut dilectione. A quo si quæras quomodo debeat proximus diligere: incunctanter tibi respõdebit, sicut (inquit) dilexi vos. Hoc nanque est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Ioan. 13. Modum quæris quo dilexit ipse nos. Si summam vitæ eius perspiciam, occurrit nobis in eius erga nos dilectione summa illa sapientia, quæ illi est ita propria vt nihil magis proprium dixeris. Ipse nanque est Dei sapientia, qui & Dei verbum est, & sermo, per quem Deus pater loquutus est nobis.

Dilectionis modus.

Heb. 1. Quid enim aliud erat eius prædicatio nisi mera & vera sapientia, & lux fidelium, & vita: vt benè Ioannes dixerit de eo. Et lux in tenebris lucet. Et iterum. In ipso vita erat. Insequit enim in nobis & lucem fidei, & gratiam vitam in sua sapientia, qua ita sese attemperauit ad omnes: vt hos benignus instrueret, illos corripere salutaris, & omnibus æquare sermonem. Quumque ita sapienter summam & ineffabilem dilectionem erga nos exhibuisset: memor sabinde dulcedinis suæ, qua in primis fouendi essent infirmi peccatores, quos latan pœne in baratrum desperationis abduxerat, sua dulcedine eos deliniebat confouebatque. Ad hæc, quia scriptum est.

Fortis est vt mors dilectio, fecit ex nimia dilectione vt etiam moreretur pro nobis. Sic & nos vt diligamus inuicem oportet, primo sapienter, deinde dulciter: tertio patienter. Sapientia nobis opus est in erudiendo proximo in rebus fidei. Dulcedo in conuersando. Patientia autem in sufferendo infirmitates proximi. Quibus omnibus vnumur erga nosmetipsos: proinde debemus vti & erga proximos nostros, iuxta Dei præceptum. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Leui. 19. Quæ etiam nosmetipsi ab aliis nobis exigimus impendi. Ergo æquè vt nos diligere debemus proximum, vel hac sola ratione, quia ad Dei imaginem creatus est æquè vt nos, cuius similitudinem refert. Quod si amas Deum, illum qui ad eius imaginem creatus est odisse non potes. Ioanne dicente, Qui dicit, quia diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt: Deum quem non videt quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. 1. Ioan. 4. Sed nemo est,

Christi in peccatores dulcedo.

qui quum queritur vtrum diligit Deum, non protinus diligere se respondeat. Quod tamē odium vitij in primis arguit: nanque nisi oderit vicium, Deum diligere nō potest, nec se. Scriptum est enim, qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Psal. 10. qui autem nec se diligit, proximum minus multo diligit. Principio ergo se diligenter exquirat homo vtrum diligit se, quod si nosit se diligere, tuto committendus illi proximus, quem diligere debet scire se. Quod si non nouit se diligere: non est proximus illi committendus. Si enim diligit se quispiam vt perdat, proculdubio perditurus est & proximum, quem diligit sicut se. Nolo ergo vt quemquam diligatis, quatenus solus pereat in sui odio, & iniquitate quam diligit: & non proximus. Diligere denique debemus proximum affectione quam habent membra ad inuicem. Nam multi vnū corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius mēbra, Rom. 12. Membra autem inuicem sibi compati manifestū est, & mutuis succurrere præsiidiis. Manus pro capite sese exponit, vim propulsat armis, ne membra, quibus cōpacta est, lædantur. Pulchra sane res est dilectio, egregia est: hac alitur pax, firmatur concordia, Deus possidetur, nutritur spes, charismata augentur: & nihil est aduersi, quod non æquanimiter toleretur: hęc capessamus omnes fratres dilectissimi, hac vniamur, hac firmemur: hac muniti tuti erimus: hac non errabimus, hac ad portum salutis pertingemus, hac promissā gloria potiemur: quam definit Paulus de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 1. Timo. 1. His enim tribus ad charitatem opus est nobis: videlicet, corde puro, conscientia bona, & fide non ficta: hoc est nō hypocritica, sed solida, vera, ac perfecta.

*o Punctus 2.

Hęc dicit sanctus & verax, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit.

Dominus Iesus, amabilis valde, filius dei preciosus, & nunquam satis commendatus, qui eruit nos de potestate diaboli, & transtulit in regnum adoptionis filiorum Dei: qui est benedictus super omnia, tria de se dicit. Primum, quod sit sanctus, secundum, quod sit verax: tertium, quod Dauidis clauē habeat. Sanctus, quia sanctis scribit: quo nomine agnoscant eum veræ sanctitatis fontē esse. Etenim

*Dilectionis
cōmendatio.*

vnique talem se exhibere solet, qualis est apud illos, qualesque apud quemque erga se competit affectus. Sic cū peregrinis peregrinus apud Lucam ambulat. Marię Magdalene hortulanum se exhibet, sic exilis apud exiles fide: grandis apud grandes: infirmus & impotēs, apud infirmos & incredulos: robustus & omnipotens apud fortes & credulos. Sanctum ergo se dicit: & ad se, & ad illū cui scribit, & quibus scribit, veritatis enim assertores erant, & vita inculpabiles: id enim est sanctus quod iustus, id iustus quod sine crimine est, & iniuria Dei immunis. Nam si sanctus à sancto verbo venit, & iustus à iuxta secundum philosophum, s. Metaphysicorum, profecto is erit iustus, qui iuxta præscriptam dei legem, ac voluntatē eius viuat: hoc & sanctus est, quod sanctam Dei legē custodiat, in qua exprimitur voluntas dei sancta & iuxta. Proinde: hęc dicit sanctus, & verax. Qui sanctus est, idem sit & verax oportet. Sanctus per essentiam Deus: ordinatus est enim in se, vt origo maneat apud patrem, generatio apud filiū, spiratio apud spiritum sanctū: & ij non tres sancti, sed vnus sanctus: sicut vnus incoatus Deus, immanus, omnipotēs, idem & verax. Quum enim immutabilis sit Deus, & natura verax, promissio eius neminem fallit, sed nec fallere potest. Et quia sanctis ac veracibus, hoc est, his qui veraces se in omni vita piōsque exhibent, promissit mercedem copiosam & amplam in cœlestibus, reddet: vt promissio eius non sit irrita, sicut nec potest, dicentē Christo, Cœlū & terra transibunt, verba autem mea non transient, intellige, irrita. Nanque quod dicit verbo, implet effectu. Si quidem verbum Dei manet in æternum. Esa. 40. Manet inquam suōsque effectus producet: malos male perdet in tempore suo. Sequitur. Qui habet clauem Dauid, Quia enim in posterioribus dicturus erat, Ecce dedi coram te ostium apertum &c. rectē in principio de clauē meminit: clauē enim ostium aperitur. De hac clauē scriptum est. Esa. 23. Dabo, inquit, clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat: cui prophetia hic Christus allusit, quem prælusit figura Eliachim, cui hęc dicta sunt. Eliachim namque resuscitans, siue firmans, siue erigens Deus interpretatur: ab El, quod deum exprimit: & chom

*Sanctus idē
quod iustus.*

Domus Dauid ecclesia.

Clavis dauid

Sine clauē Christi nihil poteris in scriptura sacra efficere.

vel chim, quod suscitauit, vel resurrexit, vel erexit, vel firmavit interpretatur: Christum sane exhibens, qui surrexit à mortuis secundum carnem, qui & resuscitat, & erigit, & firmat: cui iuxta hominem data est clavis domus Dauid. Domus hæc ecclesia est, quæ & regnum Christi veracissima appellatione dicitur, & templum Dei: cuius clauem ipse idem habet, ad quem pertinet claudere & aperire, qui est sanctus, & verax: per quem sanctitudinem habemus & veritatē. Clavis hæc gratia spiritus sancti est, quæ præstat facultatem penetrandi mysteria Dei, in prophetis abdite signata: inter quos principatum tenet Dauid, è cuius stirpe progenitus est Christus: cuius propheta Christi est dispensatione patefacta, ac si dicat, Qui habet clauem omnium prophetarum, ad quorum intelligentiam, quos vult intromittit. Posuit ergo vnum pro omnibus, utpote qui primus in ordine prophetarum filij Dei mysteria prægesit, notauit & cecinit. Tanta quippe sunt in dictis & factis eius sacramenta prophetica, ut cuiuscumque referata ea fuerint, à cæterorum sensibus prophetarum exclusus esse non possit. Sufficiens ergo ad causam suæ intentionem sermo hic est. Qui habet clauem Dauid. In eo namque & splendida nominis autoritas inest, quod secundum carnem Christus è Dauide duxerit originem, qui post legem primus scripturam propheticam edidit, rexque fuit. Vide quàm nihil possis sine hac clauē in scripturis sacris, etiam si omnem philosophiā habeas: hac autem omnia, Christus est clauiger: hic petendus tibi est ut aperiat: nam cui aperit, introibit is in potentias domini, memorabitur iustitiæ eius solius. Psal. 70. quia veritas iam in eo est, & ad lumen eius prospicit: nec erit qui claudere officiis possit erroris, mendaciæ uel ueritatis obferare: quando ueritatis sensus proteget eum, in quo scrutatur magna Dei, pacitur delictis eius, abundabit diuitiis. E contra cui clauerit nemo erit qui aperiat. Hinc infra habetur cap. 5. quod nemo poterat, neque in celo, neque in terra, neque sub terra aperire librum, & respicere illum, nisi solus agnus. Legis quippe diuinæ abdita mysteria, solius Christi potestate referantur: ipse suo arbitratu quibusdam aperit, quibusdam claudit: aperit dignis, indignis claudit, ne preciosissimas sensuum margaritas

ritas proculcent: neque enim sanctum dari canibus dignum est, aut margaritas spargi ante porcos, eò quod astimare nesciant, inque reuerentia habere. Hoc nõ ideo dico, ut non & indigni aliquando scripturas intelligent: intelligunt utique, & donum prophetiæ habent: quod tamen non tam ad eorum quàm aliorum salutem accipiunt: nec pro se cognoscent uias domini, sed pro aliis, quibus prædicant: neque enim ipsi introibunt in requiem eius, nec gustu sermonis eius sentiunt: & ideo quantum ad id clauem est eis hoc ostium usque adhuc: qui etsi ueram lucem ab ostio copioso lumine intelligentiæ spirantem uideant, non tamen introibunt in potentias domini, ut memorentur iustitiæ eius solius quantum ad imitationem: negat enim se ueritas illis qui obstinato sunt corde erga illam, ut non amulentur, etiam si lumen eius uideant, & prædicent. Quo fit ut externe solum ad literæ ostium sedeant, & pulsent, pulsusque ipso quicquid ueritatis effusum sit, hauriant. Hi sunt canes circumeuntes ciuitatem famelici, & tabescentes, languentes ad carnem, & ad ollas ægyptiacas respicientes, ut saturentur carnaliter. Potest & aliter clavis hoc loco accipi, ut sit potestas ligandi atque soluendi. Est namque in ecclesia Dei clavis ligandi atque soluendi, cuius summa penes Christum uersatur, qui solus in signiter audit. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Psal. 109. quod sane dictum de Christo intelligimus, qui primus & maximus sacerdos omnium est, à quo omnes habent potestatem. Hic quia perpetuo inter homines uisibiliter uersari non poterat, ut per se tali inter eos fungeretur officio, reliquit locum sui unum, ad quem ceteri attenderent, cui regimen externum ecclesiæ tradidit (nam internum, solus ipse habet, nec unquam alicui tradidit) Dixit enim, Petro. Pasce oues meas. Ioan. 20. Namque illud quod Matt. 16. habetur tibi dabo clauem regni cælorum, promissio sola est, sicut & Ioan. 1. de primatu eius dictum est, Tu uocaberis cephas. Hæc enim, id est, primatus, & usus clauium, post resurrectionem collata sunt ei in uerbo, Pasce oues meas. Quid uero causa sit, ut pluraliter eadem uox afferatur apud Matthæum, quæ hic singulariter nominatur, ibi enim clauis pluraliter dicitur: hic uero clauem

Prophetia donum interduci & immerentes accipere.

Clavis ligandi atque soluendi.

*Sacramenti
penitentiae et
baptismi dif-
ferentia.*

à baptisimi sacramento: eò quòd in baptisimo tòta simul eluitur & culpa & pœna, & ois reatus pœna: vt nihil pœnitentis remaneat à baptisimo. Cuius rei ratio est. Quando quidem in baptisimo fit regeneratio noui hominis, qua quisq; nouus homo fiet, nempe spiritalis, ex Deo natus, & altissimi filius: proinde nec præcedentia illi imputantur peccata, quæ cæterum sunt illi quasi nò ab eo facta, quia mutatus sit in alium hominẽ, videlicet, ex veteri in nouũ noua intercedente generatione. In sacramento autem pœnitentiæ, post peccati remissionẽ remanet adhuc pœna, siue reatus ad pœnã: virtute tamen clauis hæc in temporalem incunctanter cõmutatur. Hac ratione, quia in pœnitentia, nò fit regeneratio sed sanatio, in qua sibi imputantur scelera, velut ab eo facta, & si nò ad culpã quæ abolita est in confessione sacramentali, tamen ad pœnã temporalem, quæ subeunda est ex debito. Neq; enim certũ habemus quantum dimittatur in pœna, credimus tamen pro qualitate contritionis dimitti, in qua fit preparatio ad gratiam: quæ quanto copiosior abundat, tanto vberior indulgentiæ vis exuberat. ✽ Punctus.;

Scio operata tua.

Scientia gratiam includens.

Scientia hic pro notitia capitur, quæ includit gratiã, vt sit sensus, Noui opera tua, & placet: opera quippe fidelium, quæ ex fide sũt, bona sunt, & Deo grata, virtutibus minusq; habetia sũt. Christi enim, & fidei virtute, quicquid inest eis imperfectionis, id totũ corrigitur, vt & ipsi operatores placeat gratiq; sint Deo. quibus peccatũ non imputatur. Nemo tamẽ velim ita capiendũ existimaucrit, vt si quis enormiter sceleratus sit, aut adulter, aut sacrilegus, aut ebriosus, aut alienæ rei raptor, aliis id genus grauib; flagitiis horreat: dũ in eis est, & antequã respiscat, ipsa crimina ei nò imputentur: imputantur vtique, quãtũlibet christianus sit: & iudicatur, & cõdemnatur in eis. Impossibile enim est simul quẽquã esse piũ & impiũ, iustũ & iniustũ, & iniquũ, legifragũ, & legis custodẽ, bonũ & malũ, esse in gratia & in odio apud Deũ. verũ alterũ si relinquitur, redibit alterum. nec vltra ea mala ei imputantur, si vera succedat respicientia, domino Deo in scriptura dicente, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præ-

cepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. In iustitia sua, quam operatus est, viuet. Ezech. 18. Quo fit, vt iam non sceleratus, nò impius, nò malus sit: sed studiosus, sed pius, sed bonus. Quæ sunt ergo illa peccata quæ in horas non imputantur fidelibus? Respondet. Ea quæ nolens facit, quæ nec vitari quidem possunt, quales sunt morus veteris Adam à vitata natura prodeũtes. Item dum benefacere volumus, carnis impedimento minus facinus quàm conatus esset in spiritu Dei. Item minus fidimus, minus oramus, meditamur minus, minus operamur: studemus, legimus, docemus, & ita de reliquis. Neque odio istorum, nam id in crimine esset, sed ob impedimenta carnis. Id quod interim odimus, quia sic minus efficere valemus, nec conatum tam foeliciter producere prout vellemus possumus. Item quis paulo plus quàm par sit manducamus, bibimus, citra tamen crapulam, & ebrietatem, quæ cauit Christus Luc. 21. quũque immoderatus ridemus, loquimur, diuagamur, vestimur, citra tamen fastum ac superbam ostentationem, & sic de similibus. Sæpe subeunt animum improba consilia, sensuum tentigines calefcunt: quibus si consentiatur, crimen sunt: iusta tamen eiicit, vt non consentiatur eis, etiam si paululum delectatio cõperit sensum occupare. quòd si nulla infuerit complacentia, materia exercendæ potius virtutis erunt quàm vitium. His autem nemo annumeret contemptum docendi proximũ ignorantem, Christi abnegationem per impiam vitã, hypocritism in orãdo, ocium perpetuum, ignauiamq;, auaritiam, rapinã, furta, homicidium, vsurã, fornicationem, ardorem per libidinis consensum, aspectus immundos, cõtractus illicitos, oscula, lasciuos arrisus, munuscula constantiam expugnantia, literas seductrices, colloquia corrupta, pollicitationes: & alia quæ sunt arma diaboli: detractiones quoque, ebrietates, & crapulas: quæ nisi sacramento confessionis, ac digna pœnitentia eluantur, semper imputantur, semper damnant. Summa verbi est. Ea sola peccata perpetuo fidelibus remitti constat in Christo, vt non imputentur, quæ nolentes faciunt, & odiunt, & quæ vitari nequeunt. Ab his enim peccantes

*Peccata quæ
non imputantur.*

liberi sunt in Christo, & in virtute fidei eius, vt nihil damnationis sit his. vt habes manifeste, Rom. 8. Alia verò peccata, Dei verbo interdicta, quorum quædam commemorauimus, & quæ cum fide stare nequeunt neque cum gratia Dei: tunc remittuntur, quando sacramentali absolutione deiiciuntur. Sed mirum valde est quum in reprobis omnia sint impietas, & odium: in electis nescio quid latens operatur Deus, mysterio sancto, nobis tamen incognito. Nam quum cadunt ij etiam in maioribus criminibus: seruatur, ne Deum, aut veritatem eius ex animo abnegent: vt Dauid qui permiscuit adulterium cum homicidio. Petrus derestando peterauit: & modo non rari qui hæreditatem capiunt salutis, cadunt interdum à syncretitate sua, quum peccatū committunt. Sed nescio quid latens in eis operatur etiam inter peccadum Deus, ita vt post lapsum mox ad respiciendum corda eorum moueantur: Id quod alios deficit, vt non resurgant: hi sunt qui oderunt Deum, & quorum superbia ascendit semper, vt scriptura testatur. Cadunt iusti in tempus, & iustitia reuiuiscunt: Nec tamen infeliciter existimes iustos esse, quum peccant: sicut quidam execrabili temeritate putauere. Neq; enim quum scortatur, tum iustus est quispiã, quumque inebriatur, quum mētur, sed quum ex his resurgit iusti nomen habet: Scriptum est enim, quia septies in die cadit iustus, nec tamen iusti nomen amittit, quia cadens resurgit: cadit per carnem, surgit per fidem. peccato cadit, fide resurgit, vt non imputetur sibi casus, propter fidem. Iustus enim ex fide uiuit. Abac. 2. Rom. 1. & Ierem. 5. Oculi domini respiciunt fidem. propter quam manum cadenti supponit Deus, vt non percat. Ego nihil dubito quin Dauid periisset, nisi Deus cadenti manum supposuisset, & nisi ipse à crimine resurrexisset. Petrus quoque, & Maria peccatrix à magdalo dicta, & Paulus, qui omnes reddita eis gratia rectè deinceps vsi sunt, vt non perirent, quocirca datū est illis vt resurgerent. Contra nefariam eiusmodi hominum assertionem est illud quod scriptum est, Ezech. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid uiuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præ-

In electis peccantibus latentem operatur Deus.

uaricatione sua qua præuicatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur. tam iniustus est electus quum peccat. nemo enim ex peccato eligitur, sed ex pietate, & virtute, vt electionis lux fructu felicius potiatur. Opus est ergo probitate & virtutibus, & fide, qui iustitiæ coronam, ab agonothera Christo cupit promereri, & ab eo commendari.

¶ Punct. 4.

Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & seruasti uerbum meum, & non negasti nomen meum.

Hoc ostium introitus in regnum Dei, & mysteriorum eius est: quod alicui aperiri dicitur dum ad illud misericorditer admittitur: claudi verò, dum non admittitur: Porro ad ipsum regnum admittitur is, qui fide Christi membrum fit, & digna Christo operatur. Ad eiusdem autem regni mysteria admissio fit, dum gratia ad intelligentiam scripturarum datur: qua sola ad solidam veritatem pertingitur. Nemo est enim qui ingenij viuacitate ad id pertingat: nemo qui studiorum præsidis id assequatur. Gratia sola est, quæ ad immensam lucem aciem dirigit figitque, quæ imbecillitatem naturæ corroborat. Dicit ergo: Ecce dedi coram te ostium apertum, quod gratia referauit, quæ sola mysteria ingenii pandit. Proinde (si sapias) fac, contemplare, intentusque sis: vide tamen quibus armis te instruas, quo ornato ingrediaris: hoc enim plurimum refert, alioqui audies forsitan, Amice, quomodo huc intraisti non habens uestem nuptialem? & eiectus ludibrium cæteris fias. Paruulum oportet esse ingredientem, quia Christus intellectum dat paruulis, Psal. 118. reuelat sua magnalia paruulis, Math. 11. Luc. 10. quorum est regnum cælorum. Nisi enim conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum, Math. 18. vbi paruulus maior reputatur. & horum angeli semper vident faciem patris cælestis. ibidem. Huic nemo elaudit, quisquis is inuenit erit, eo quod electus sit, & ostium dignè inuenit. Inuenit autem sibi, quia se humiliare nouit: inueniet alius, sed non sibi: neque enim ingreditur: sed forsitan neque ideo inuenit, vt ingrediatur: aliis inuenit, demonstrat aliis, vt alij ingrediantur, postantur alij voluptatibus spiritus, & diuiciis eius inenar-

Ostium apertum aut claudere in mysteria Dei.

rabilibus, quæ intrinsicè latent. O infœlicem hanc eiusmodi inuentionem: ô stultam diligentiam. Quid prodest aliis peruigilare? aliorum vtilitati infudare? quarere aliis hæreditare, alios claros efficere? Tibi cura primis vsui sis, deinde aliis: hoc est, vt tuæ principio omnium saluti consulas, hinc aliorum quoque. Orat primum pro sua claritate Christus, exinde discipulorum constantiæ atque perseverantiæ prospicit: & pro eis qui credituri erant in ipsum vsque in finem. Ioan. 17. Qui in præsentî lectione ait, Ecce dedi coram te ostium apertum, hoc est, mysteria scripturarum tibi aperui, qui soleo superbis resistere, humilibus dare gratiam. Gratia clauis ostium apertum dedi, & quidem coram te, vt ingrediaris: & prospice, hoc est sentias quàm dulcis sit dominus in fidei vita, quatenus soli mihi placeas, soli mihi charus sis. O eximium diuinæ munus clementiæ, ô largitatis amplifiæ diuitiæ, thesauri inexhaustibiles, honores clari. Aperi mihi domine hoc ostium, vt ingrediar, & cõtempler magnalia tua, abyssum iudiciorum tuorum exquiram: experiarq; quàm dulcis sis his qui recto sunt corde, qui te vnicè amant, sequuntur, & laudant. Si queras quid in re sit ostium hoc: incunctanter respondeo, Christus est ostium, per quem patet aditus ad regnum perbeati Dei, qui ait, Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur. Ioan. 10. Hoc autem gratia fidei aperitur: quod quia demissum est & humile non nisi demissi & humiles subingrediuntur: tam difficile est per ipsum gibbosos transire camelos. Clausum est ostium perfidis Iudeis, clausum quoque cunctis alienis, solis autem credentibus patefactum, quod soli humiles solent subintrare. Istud ostium nemo potest claudere semel apertum. Conabatur olim impietas apostolis claudere, sed non potuit: cædebantur ij vt à confessione ostij huius cessarent: at tanto ardentius confitebantur, quanto cæderentur vehemētius: vnde est illa eorum vox, Non possumus, quæ vidimus, & audiuius non loqui. Act. 5. Ingressi iam erant ostium hoc apostoli, iam Dei magnalia contemplabantur: & ideo fieri non poterat, vt cessarent: vt verum sit quia nemo potest claudere semel apertum. Apertum est mysterium fidei, & non claudit hæreticus. Ritus sacrarum cõremoniarum publicatus est,

*Ostium
Christus.*

& non abrogabitur. Patrum nostrorū sanctiones firmatæ sunt, & non cassabuntur. Ingressi sumus per ostium, in domo Dei habitamus, cultum diuinum didicimus, sacrificio vero litamus, peccata confitemur, sacramētis expiamur, preces fundimus, Gloriam Deo acclamamus: Gratiarum agimus, Deo viuimus, cuius beneplacitum in nobis est, populo fideli & sancto. Et cui iniuria: diabolo, & angelis eius, quorum superbia ascendit semper. Verum agant ij vt volunt, nos nostra probitate consistamus, cõstantissime cæpta peragamus, finis doceat ambos, quæ quis mercedem meruerit. Sequitur, *Quia modicam habes virtutem.* Quid modica hæc virtus est: fidésne, an humilitas: vtraque in faciem modica sunt, & fides & humilitas. Vnde dominus in euāgelio, humiles apostolos, paruulos vocat. Matth. 11. Luc. 10. & fidem grano synapis comparat. Luc. 13. Habes ergo modicam virtutem: tenes fidem in humilitate sensus tui, vt nõ superbè sentias, nec tu te supra alios euehas, id quod ego probo in te. Vel certe modicam habes virtutem in doctrina fidei, quam & ipsam libenter in aliorum vtilitatem expendis. Nam hoc est veraciter habere, in proximi vtilitatem expendere. Contra verò non expendere, non habere est. Hoc sensu dominus in Euangelio loquitur dicens. Omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet auferetur, Luc. 19. Matth. 15. Dicatur ergo, quia modicam habes virtutem, ac si diceretur, virtutem quam habes, & si modica sit, non abscondis, immo erogas, vt ingentem facias erogatione: talentum domini non defodis in terram, non abscondis sub modio lucernam, sed profers, sed communem facis: hoc mihi placet in te. Et seruasti verbum meum, verbum fidei, verbum nouæ gratiæ, verbum promissionis æternæ, id est, inter turbines sæculi huius, inter varias perturbationes eius, inter persecutorum sæuitiam, minimè defecisti, noménque meum non negasti: quod in signis tuæ constantiæ, dilectionis ac fidei in me præclarissimum est indicium. Hæc ex sententiis aliorum posita sunt: nunc meâ quoque audite: quoniã licet vnicuique abudare in sensu spiritus Dei. Aliud ergo mihi est ostium hic quod aut regni Dei introitus sit mysteriorumque eius: aut quod sit scripturarum intelligentia sacrarum. Aliud etiã modica virtus, quæ fides cum ha-

Virtus modica.

militate. Eo ergo sensu accipiendum ostium hic puto, quod
vultur Paulus. 1. Cor. 16. de Ephesis loquens. Ostium, in-
quit, mihi apertum est magnum & euidens. vbi per ostiū
non aliud vult intelligi, quam corda animosque paratos
ad sibi obediendum seque recipiendum in euāgelio Dei.
Quod ergo dicitur hic. Ecce dedi coram te ostium aper-
tum, intellige de preparatione animorum philadelphi-
ensium, id quod sine Deo non fit. Nam & in sequenti-
bus simili sensu ostium ipse dominus intelligit cum di-
cit. Ecce sto ad ostium, & pulso. vbi consensu omnium
cor ostium est. Confirmat hæc & verba mox consequen-
tia. in quibus promittit dominus de synagoga satanæ se
daturum illi qui veniat ante pedes eius, quibus iam ani-
mos preparauerat vel preparaturus erat. Ipse enim est,
qui corda preparat, per gratiam suam. Gratia ergo clavis
est. hac aperit vbi vult, & quomodo vult. hac dabit & in-
telligentiam prophetici. Ideo in primis clauem Dauidis
se habere dixit. Quid hæc clavis Dauidis sit, obscu-
rum non est his qui scripturas sciunt. Dauid quippe pro-
pheta fuit & rex, acceptus apud omnes & gratus: omni-
um enim corda aperuerat illi Deus vt amore reciperetur. Id
quod huic quoque episcopo tamen non satis erudito,
pio tamen promittit. Nam modicam eius virtutem in
aliud interpretari non ausim: nisi quod fuerit simplex &
rectus, ac timens Deum. Id quod illi sufficiebat coram
Deo, & pro magna scientia computabatur. vt qui minus
valeret in subtili intelligentia scripturarū ac eloquentia my-
steriorum magnorum: valebat simplicitate, ac morū mo-
destia in exemplum aliis. Plus nanque sæpenumero mo-
uent exempla quam verba. vt testis est Lactantius Fir. in
diuinis Insti. Sequitur.

* Punct. 5.

*Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse &
non sunt sed mentiuntur: ecce faciam illos, vt veniant, & ado-
rent ante pedes tuos: & scient quia ego dilexi te.*

Fidelis dominus & verax sic artemperat promissionē,
vt liberaliter impleat illam: constans est, non variatur:
non fallit, non mentitur, sed nec mentiri potest: potens
est virtute vt faciat quod vult Psalmodographo dicente,
Deus noster in cælo omnia quæcunq; voluit fecit, Psal.
113. Et iterum Psal. 134. Omnia quæcunq; voluit domi-
nus fecit

Dei potentia
in omnia.

nus fecit in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus a-
byssis. Vult quod dicit, dicit quod vult, implet quod vult
& dicit. Psal. 148. Quia ipse dixit & facta sunt. Dixit
Deus, fiat lux, & facta est lux. Gen. 1. Et, Faciamus homi-
nem ad imaginem & similitudinem nostram. Quid verò
ad hanc voluntatem consecutum sit adiungit Moyles, di-
cens, Et creauit Deus hominem ad imaginem suam. Qui
autem hæc voluit & fecit, idem nunc ait. Ecce dabo de
synagoga satanæ, &c. certum id est, quia quum veritatis
ostium perfectè aperitur, fieri nō potest, quin in Dei ec-
clesia ex synagoga satanæ aliqui transferantur, nempe
prædestinati ad vitam: & tum maximè, quum tēpus cæ-
citaris ipsorum fuerit impletum: quo nondum impleto
minime ad veritatem pertingunt, minime pietatem se-
quuntur, eo quod nondum eis gratia data sit, nondum
lux diuina cæcitatem eorum rupit, nondum potenti vir-
tute corda eorum illustrauit, nondum traxit, nondū im-
mutauit. Pertinent autem ad hoc tēpus omnes cæcitaris
dies, qui conuersionem præcedūt. qui quum impleti fue-
rint, fieri non potest, vt nō verbū Dei capiat in ipsis, ope-
rerūtque. quod receptū sine fructu nunquā erit. Esa. 55. sed
in electis dico. Nam id quod supra petram cecidit, natum
exaruit. Et quod inter spinas suffocatum est: Quod verò
secus viam, a cæli alitibus comestū est semen. Solum au-
tem quod cecidit in terram bonam exortum fecit fructū
centuplum, Luc. 8. Ergo quoties suo tempore verbū Dei
syncere ac veraciter prædicatū fuerit, absq; vllō omnino
fructu non erit. Semper enim ex auditoribus sunt aliqui
in vitam prædestinati in quibus fructificet: sic & Christi
tempore erāt in quibus caperet Dei verbū: sic modo sunt
nonnulli, & vsque in finem sient, tum maxime quando
omnis Israel saluus erit. Ro. 11. Proinde his, quibus ostiū
aperit Christus, dat aliquos ex eis qui prius erāt ex syna-
goga satanæ vt obediant sermoni eius. Ex eis autem
promittit se daturum, qui se dicunt Iudæos esse & non
sunt, sed sunt hypocritæ, qui difficiliter longe conuertun-
tur, vt maius miraculum appareat, quia eos subiugaturus
est illi, qui difficiliter conuertuntur. Quid Iudæi, nisi se-
men Abrahæ sunt? Quid autem verum semen Abrahæ,
nisi qui fidem Abrahæ imitantur? ij nimirum sunt veri

Prædestinati
ad vitā con-
uertuntur.

Iudæi semen
Abrahæ.

*Iudæi desce-
runt à magni-
fico patriar-
chi nomina-
ri.*

*Iudæi à Iu-
da proditore
modo dicun-
tur.*

Iudæi, Israëlita, filij promissionis, & populus peculiaris domini. Rom. 4. & 9. Iudæus ergo nomen est religionis plusquam generationis, hoc est, qui singularem cultum erga Deum habent, ob id & confitens Deum interpretatur: quod nomen sæpe impietate calcatur. Ideo Iudæi carne, postquam contra dominum erecti sunt, nec susceperunt promissionem, à via veritatis aberrantes, deserunt nomen ducere ab illo magnanimo & sancto patriarcha Iuda, filio Iacob, à quo descendit Christus secundum carnem: sed à proditore Iuda Ischariotis: qui occidit Christum Dei filium. Unde factum est, vt omnes Iudæi carne in hoc vno parricida constitueretur, à quo pacto precio mercati sunt Christum, postquã venalẽ eis impius negociator fecit. Tantum erat odiũ erga benemerentem, tanta impietas erga saluatorem, quem promiserat olim Deus illis: vt impium carnificem, & pientissimi magistri proditorem, in principem generis, olim antiqui ac nobilis, pro illo vero principe ac sancto Iuda, qui forti robore persepe foeliciter pro populo Dei pugnavit: cuius tribus primum omnium audaci pectore diuisionem maris rubri ingressa est, vltro reciperent, ipsis pro hoc facinore infœliciter à Deo relictis. Quo (oro) spectabat illa eorum vox? venite circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis: & contrarius est operibus nostris. Et sequitur, Conumelia, & tormento interrogemus illum. Et iterum, Morte turpissima condemnemus eum. Sapient. 2. Quo & illa? Eradamus illum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Ierem. 2. Nepe vt agnosceres quantis odij facibus illum sint persecuti: qui sibi ducem nati Iudam proditorem perfecerunt omnia, quæcumque voluerunt occidendo Christum: nec tamen, vt conabantur, nomen eius de terra eradere potuerunt: nec memoriã eius delere: quin potius eo ipsorum conatu atrocisq; parricidio clatum ac memorabile vniuerso orbi multo amplius reddidere. In quorum catalogo seu congregatione sunt vniuersi hypocrita, & hæretici, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur: quia aliud mête gerunt, aliud sermone prætendunt. Ex his promittit quosdam venturos, atque adoraturus ante pedes eius, hoc est, tradere se illius voluntati & imperio. Ac si diceret, Ne præ-

multipitudine aduersantium tibi perturberis, neve exanimis, Video, gloriam tuam, quam habes splendidam, in apertione ostij ad diuitias meas, comes consequitur inuidia: vrgeris quidem, sed minime deiceris, quia ego tecum sum: & dabo tibi insignem triumphum super eos, qui modo funesto ac parricidalis animo tibi aduersantur. Immo plerique conciliatis animis propius tibi accedent, seque humiliter submittent, penitentiam nequiter factorum suorum agentes, & confitentes peccata sua, ceterum autem parati obedire voluntati tuæ: quemadmodum mecum quoque actũ est, vt quos antea hostes haberem, postmodum nactus sum amicissimos, mihi que per omnem modum obsequetes. & tales quidem, qui quum omnia mala mundi mea causa tolerant, ipsam quoque vitam dependere pro me minime in finem addubitant. En vides Paulum quã infegnitè rem meam gerat: En vides & alios quã fideliter negotium fidei exequatur, quã strenui sint, qui olim mihi, hostes erant atrocissimi, palamque in omnibus aduersabantur, subfannabant, iridebant, quum dicerent, Nonne hic est filius fabri? & contemnebant: palam me reiicientes ac dicentes, Nolumus hunc regnare super nos sed regnum vtique meum adimplerum est in eis, iuxta illud. Ecce puer meus intelliget, & exaltabitur, & eleuabitur: & sublimis erit valde, Esa. 52. Abiici primum debui & contemni, vt postmodum exaltarer in hanc gloriam, quam modo auctoritate regendi possideo in cœlo & in terra. Iudicãdus eram ab omnibus, futurus iudex omnium & super vniuersum mundũ, redditurus vnicuique iuxta opera sua. Porro de synagoga tum erant plerique eorum qui modo mei sunt, qui se astruebant Iudæos esse & non erant: clamabãt ex semine natos Abraham, ob idque ad Abraham pertinere, sed mentiebantur. iidem temere iactabant, vnum patrem se Deum habere, sed tamen ex patre diabolo erãt, Ioan. 8. Fier igitur, vt post hanc tribulationem gloria te sequatur, quæ tibi aduersarios sub pedes ponet, quatenus tibi parent: & tanta virtute id fiet, vt omnes decernant. Der potius virtute id effectum esse quã hominis, simulque sciant te in primis dilectum à me: qui ad tantam gloriam te euerxim. Sequitur.

Punct. 6.

n. ij



*Quoniam seruasti uerbum patientiæ meæ. & ego seruab
te ab hora tentationis, quæ uentura est in orbem uniuersum
tentare habitantes in terra.*

Verbum suum uerbum patientiæ suæ dicit: id est, æ-
ternæ ueritatis: quod ideo facit, quia pro eo passus sit in
carne, actus in crucem: & nunc pro eodem membra pa-
tiantur: oportet enim semper pati. propter uerbum eius,
ferre crucem, eo quod uerbum crucis sit, uerbum passionis,
uerbum eius. Crucis inquam, & passionis: non delictarum,
non molliciti. Quare? Quia uerbum ueritatis, & non
mendacij, non assentationis est. Veritas enim odium pa-
rit, amicos assentatio. Proinde opus est, ut ea ipsa in ma-
gna constantia persecutioni se exponat, & assertores
suos tentari à mēdiocorum filiis patiatur. Bene ergo uer-
bum patientiæ uerbum Christi est, uerbum ueritatis,
uerbum constantiæ, uerbum admirandæ uirtutis, ro-
boris, patientiæque. Quocirca annuntiatores ueritatis in
multa patientia sese instruant oportet, si diuturni atque
admiratissimi ministri ueritatis esse uolunt: siquidem plu-
rimum aduersi ferendum est eis. Potest & ipsa res patien-
tiæ hoc loco uerbum patientiæ fore: quemadmodum in
Euangelio quoque apud Matthæum cap. 19. uerbum cas-
titalis pro ipsa re castitalis capitur: ubi dominus ait. Nō
omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Vir-
tus quippe castitalis singulare donum Dei est. Est ergo
sensus uerbi, O fidelis & constans uerbi mei assertor, quia
seruasti uerbum patientiæ meæ, id est, in tribulationibus
tuis patiens fuisti, nec defecisti, sicut & ego patiens fui,
nec defeci: pro hoc officio in me tuo uicē tibi præstabo:
nam & ego seruabo te ab hora tentationis magnæ, ut nō
pressuris eius subiiciare, neque iactere: non tu gladio fun-
des sanguinem: nec grauibus tormentis excruciarum red-
des spiritum, sed facili placidæque admodum morte sol-
ueris à carnæ: mecum pari fœlicitate gauisurus, quam tu
ardenter desyderas, pro quo nihil non in uita subire de-
bes. Potest & aliter sensus accipi, ut polliceatur dominus
inconcussum cor, solidum, & stabile in tentationibus,
quæ uariæ occurrerent: maxime uerò quæ ab hypocritis
excitarentur, & hæreticis. Oportet enim hæreses fieri, ut
qui probati sunt, manifesti fiant. 1. Corinth. 11. Non au-

*Verbum Chri-
sti crucis &
passionis.*

*Predicatores
patientes esse
oportere.*

tem ab his solum, sed à tyrannis quoque, sæpe etiam à
dæmone, & quot inferorum portæ sunt: à quibus omni-
bus seruatum iri cum polliceatur Christus, ut in his om-
nibus uictor existat: tantum aberit ut succumberet.

Punct. 7.

*Ecce uenio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam
tuam.*

Dicit sanctus Petrus in secūda canonica sua. cap. 2. No-
uit dominus pios eripere de tentatione. Idem in seq. ca.
ait, non tardat dominus promissionem suam. Quum igitur
dominus promittit cito se uenturum, propinquam illi,
cui hæc scribit, mortem subindicat: uenturus autem in locis
datur intelligi. Ille uenturus, de quo scriptura dicit, Ecce
merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Esa. 62. Ac
si dicat, non longum tempus abest, quo tentationes illæ
grauis superuenturæ sunt: proinde neque præsidium meū
tibi diu protelabitur: cito ueniam, succurram cito, cito te
eripiam ab his laqueis, priusquam sauua tonitrua ac pro-
cellæ uehementes tribulationum ueniant, facili te mor-
te resoluam, cito te ad me in beatam sedem recipiam:
ut mecum deinceps sis, & mecum pari gloria fruatis, com-
muni mecum fœlicitate beatus. Obserua. In uerbo, cito,
accipimus omnes dies uitæ nostræ breues esse, sicut scri-
ptum est. Breues dies hominis sunt Job. 14. Porro in ten-
tationum pressuris id nobis consolationis est, quo scimus
in eis transitum quendam esse, non statum. Cito nanque
erit omnium malorum finis. Cito uenturam se pollice-
tur, quasi iam accinctus sit, ut est, ut à malis liberet nos.
Ecce uenio cito, quo dicto suos cōsolatur, terret alienos:
uult enim pius dominus, ne quis inani pernitiosaque fi-
ducia dicat, diu uinam, post aliquot annos respiscā, par-
cam interim mihi, aliquandiu pro meo libito liberius ge-
nō indulgebo, fruam uoluptatibus, experiam moles carnis
delectationes: num ante tempus me exedam? Aut quid o-
pus poenitudine perpetua? incedere sacco, ieiunijs atteri,
vigilare, orare, gemiculari, toties pectus tondere: gemere?
suspicare? illachrimari: mœstam uitam ducere, obstipo-
capite incedere, angere? Erit tepus quando his vacare lice-
bit, modo minus licet, sed nec libet quidem. Ita ne? Chri-
n iij

*Christus in
mortem cui-
que uentur⁹.*

*Dies hominis
breues.*

stus qui est iudex viuorum atque mortuorum constitutus à patre Deo dicit. Ecce venio cito, & quando non expectares. venio tempus illud à te excogitatum preoccupaturus. Arguam, arguam te, & statuam contra faciem tuam, disperdam te nisi cito conuertaris, & facias omnia quæcunque postea te facturum tibi blandiris. hodie esto quicquid postea futurus es, hæres adhuc: nec audes bona aggredi: aggredere, nanque in solo tantum aggressu labor est, aderit tibi mox præsidium aggredienti, quod te adiuet. At quia in hoc episcopo virtus commendabilis erat, qua se placitum domino holocaustum offerret: cuique dominus se veterum pollicetur vt amico ad eripiendum eum de malis, qua ventura essent, nihil horum illi comperit que in crassos dicta sunt, cui loquitur vt amico, Ecce, inquit, venio cito ad te eripiendum: interim autem tene quod habes. *Quid habes: modicam virtutem habes, & illam tene. Erogando magis possidet donum Dei, quam avarè retinendo. Non possidet Dei donum nisi erogando. Sed neque is aliquid habere putatur qui non erogat: dicente domino: Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. Matth. 25. Quis est habens, & abundans: nisi erogans? Quis non habens: nisi avarè retinens, & occultas pecuniâ domini sui? à quo auferetur & quod habere videtur: quia nimirum fructum non capiet ex eo: eo quod datum erat illi, vt vsuram faceret ex sorte, & sortem faceret ex vsura: in quod omni ope, studio & industria illi inoumbendum erat. Habuere illi qui sortem fecerant ex vsura, quisque duplicatam domino in euâgelio pecuniam obtulere: & ita habuere vt & sortem & vsuram sint à domino assequuti. Sic enim dictum est, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Pigro autem illi pusillanimiti quid dictum est: hoc scilicet, Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit, & c. vt non ab re dicatur episcopo huic, tene quod habes: quasi diceret, acceptum à me donum, siue etiâ comparatam per te virtutem in commodum proximi expende: operare cibum qui non perit: labora sicut bonus miles, fidei fructus carpe, nec de-*

Donum Dei erogandum.

ficias, vt non alius tibi præripiat honorem: alioqui velut negligens, & piger, & inutilis, & malus seruus condèneris. Sed cur addit, vt nemo accipiat coronam tuâ: Quia nimirum sanctorum numerum, qui apud Deum fixus est, impossibile est zizaniorum perfidia breuiari: cadente namque alio alius sufficitur, qui locum & coronam cadentis capiat. Sic in passione. Quadraginta martyrum, quibus vnus defecisset, alius suffectus est, qui amissam illius coronam percepit. Ergo fallitur diuina prædestinatio in illo qui cadit: Minime. Sæpe enim deus alta sua sapientia quosdam vocat ad coronam visibiliter, ad quam non prædestinavit eos, quos sciebat indignos, quam sic vocati amittunt sine præiudicio infallibilis scientiæ Dei. Vocat alios quibus certus cõtinget euentus, quia digni sunt: quo pacto indignos nunquã vocat, verbi gratia. Vocauit Iudam Christus ad apostolatam, quem tamen ad coronam non prædestinauerat, quia indignum fore præsciuit. Vocauit & Petrum, quem ad coronam prædestinavit. Ille perdidit coronam, hic accepit. Illius alter, hoc est, Mathias præripuit honores: huius nemo, quia dignus fuit. De illo quippe scriptura loquitur. Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Psal. 108. Perro autem dixit Iesus. Tu me sequere. Ioan. vlt. id est sequeris, ad capiendam videlicet coronam per martyrium, quam nunquam amissurus es.

¶ Punctus 8.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius.

Ex his quæ diximus in aliis epistolis, palam est, quis *Victor colū-* sit victor: nempe vere fidelis, & permansens in veritate & sinceritate cordis sui: is denique perfectus est *na in templo Dei.* qui eluctatis noxiis cupiditatibus carnis, & mundi lenociniis spretis, continentissimè viuit, irridet quasi ex arce malas suggestiones aduersantium dæmonum: tali victori mercedem robustissimi spiritus promittit Christus: munus non vacillabit vsquam, nec de ecclesia quoquam egredietur: manet autem, æternumque manebit ceu columna firmissima, cui totum ædificium possit inniti. Templum ergo sanctam dicit ecclesiã, per illud Hierosolymorum templum figuratam. Propter quod in Psalmis mysticis & in Ezechielis visione vltima,

u iij

domus ac templi Dei nomine ecclesia capitur. In hoc templo columnæ fuerunt apostoli, eminentes virtute ac doctrina in omni plebe. Eo sensu Ieremias dicitur factus vt columna ferrea. Ierc. 1. Expresse dicit Paulus. Gal. 2. Apostolos columnas, hi enim sustinebant totum adificium ecclesie, multa virtute consistentes in ea. Similem illis gratiam promittit hic Christus victori. Obserua, Templi Dei sui vocat ecclesiam Christus vt homo: patrem simul, ac seipsum iuxta diuinitatem, & spiritum sanctum, Deum suum appellans. Hæc ecclesia corpus Christi est & sponsa, & regnum caelorum. Eph. 1. Ipsum, non dubium quin Christum, dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius: qui omnia in omnibus adimplet. Item. 1. Cor. 12. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Sponsa eadē ecclesia dicitur, Apoc. 21. sub typo sanctę ciuitatis nouę Hierusalem de celo descendētis, quæ ornata erat sicut sponsa viro suo, figurata. Eadem & regnum caelorum. Matth. 20. 22. & 25. quæ aptissime designata est per arcam Noë, extra quam nulli salus contingit aquis infidelitatis omnia operientibus. 1. Pet. 3. Caret hæc macula & ruga, id est, errore falsitatisque. Nam quicumque tenet ecclesie vnitatem, nõ errat in his, quæ sunt vnitatis ecclesie: tamen si pro sua quis persona sepe errat: vt plane indigeat reconciliatione, quod nondum, donec viuat, confirmatus est à peccabilitate. Ideo Paulus hortatur, Obsecro vos fratres per nomen domini nostri Iesu christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. 1. Cor. 1. Et in epistola ad Ephesios, vnitatem spiritus precatur in vinculo pacis cap. 3. vbi vnū corpus astruit ecclesiam: vno spiritu vegetatam, quæ est vna spe vocationis vocata: cui est vnus dominus, vna fides, vnum baptisma. vnus deus, & pater omnium, qui est super omnes, & in omnibus nobis. Hoc est templum Dei, & ecclesia, de qua non egredietur firmatus spiritu Christi. Quomodo non egredietur: Non egredietur ad extranea fidei, erroris habitu super se inducto, quasi diceret: manebit semper fidelis, & strenuus. Poterit id & de religiosis exponi, sic. Qui vicerit, id est, perfectè se abnegauerit, nec secundū suam voluntatē vixerit sed secundū

Ecclesia corpus Christi mysticum.

Fidelis quomodo non errat.

dū superioris sui præcipientis, vtrique professionis obseruauerit: obediendo, castè viuendo, & sine proprio: is non egredietur foras per apostasiam: sed erit columna in templo dei. Patientia ergo vobis est necessaria ò viri religiosi, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Hebr. 10.

✽ Punctus 9.

Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ descendit de celo à Deo meo, & nomen meum nouum.

Calamus quo nomen istud inscribitur, gratia spiritus sancti est, per quam filij Dei efficiuntur: hoc est enim scribi nomen Dei quod efficit filium Dei. Quod Paulus manifestat dicens. Misit Deus spiritum filij sui, in corda vestra clamantem, abba, pater: & ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij dei. De hoc nomine Ieremias præclare testatur, dicens: Nomen tuum inuocatum est super nos, ca. 14. Scribi ergo nomen dei super victorē, est annumerari electo populo dei, vt ex eo sit sepe, & dicat, ego sum homo dei. Spiritus namque sanctus in id testimonium fert spiritui meo, quod sum filius dei. Porro ciuitatis nomen scribitur super eum, vt videlicet pro ciue nouæ hierusalem coram deo habeatur: noua inquam, nõ illius antiqua, quæ per carnem corrupta erat, & antiquata, & tota carnalis effecta: hæc autē electorum est, spūalis & sc̄ta sup Christū solidā petrā ædificata: cuius ois decor & pulchritudo ab intus est, intra conscientia, quā inhabitat deus, quaque pulchri sumus apud illū oēs quotquot sumus eius, qui nomen dei sup nos in baptisate inuocatum præclarius gestamus. Obserua, horū triū nominum inscriptio indiuisibilis est. Nam qui dei est, ille & christi, & ecclesie est, idē & ex populo dei est, è ciuibus videlicet ecclesie & ex veris ouibus Christi: habet tamē in ratione intelligēdi quodlibet propriū manna absconditum, quod nemo scit, nisi is qui accipit: vt quū reputes, ego sum dei, ego sum ciuitatis dei, ego sum Christi, non sine dulcedine reputes. Meditare, & videbis: gusta, & senties quā suavis sit dñs in in verbis istis. Sūma rei est, hic promittitur victori quod erit perpetuo ex electis dei, cuius ecclesie sc̄te, & ouis veri pastoris Christi. Obserua denique, quā oia quæ ad Christū pertinent noua sunt, vt nomen nouū, canticū nouum, ci-

Calamus quo scribitur nomen Dei super electos.

Decor omnis electorum intus. psal. 44. Omnis gloria eius filie regis ab intus. &c.

Electorum consolatio cum delectatione.

*Nova oia ad
Christi per-
tinentia.*

Ciuitas noua

*Hierusalem
spiritualis
qualis.*

*Hierusalem
noua spiritualis
figurata per
berrenam.*

uiras noua, nouus homo. Nouū enim & admirabile quod deus homo factus est, per quem innouata sunt vniuersa. Sed quid est, quod hæc sc̄ta dei ciuitas primū noua dicitur, secundo Hierusalē, tertio descendisse de celo à Deo? Hæc enim scire conuenit. Itaq; Primū dicitur noua, quia ex antiquitate renouata, & quod iuxta morē aliarū haud quaquā sit: illa enim vno in loco positæ, muro circumdita, lapidea, lateritiæve, aut lutea: humanis gubernatq; legibus, plenæ criminibus: in quibus sæpe plus dissidij, quā concordia: plus litis, quā pacis: plus lioris quā amoris, plus odij quā beneuolentiæ: permixta fraudibus, adulteriis conspercata, vsuris, ac rapinis notæ, in quibus nulla nisi iuxta carnē gloria. Illa verò nihil taliū habens. Est enim sp̄ialis cunctis orbis spacijs dilatata, diuinis legibus cōmunita, plena pietate & innocētia, vbi vno spiritū est: nullū dissidium, nulla lis, nullus liuor, nullū odium, mutua autē dilectio: vbi veritas sine simulatione: puritas sine macula, cōmunicatio sine auaritia: gloria præter carnē & sanguinem, hoc est, solida, & immarcescibilis: impolluta, sc̄ta in vniuersum, gloriofa & admirabilis, quæ sub sp̄sæ typo in Salomonis Cantico figuratur. Hæc est ciuitas illa dei, cuius nomen, Dñs ibidem. Ezech. vii. Secundo dicitur noua Hierusalem, nihil simile habens cū illa veteri & terrena: præterquā quod eius nomen idem sit cum illa: & quod illa carnalis in nōnullis typum gessit huius sp̄ialis: in eo quod perpetuos hostes habuit gentium populos: & tēplum Dei in ea fuit. Nā & ecclesia incircumcisos patitur aduersarios, id est, incredulos: & tēplum Dei, gratum Dei habitaculum in ea est, vbi iuge sacrificium illi offertur, candidum pectus mactatur, orationum thymiamate adoletur. Tertio denique loco ipsa noua Hierusalē e celo à Deo descendisse memoratur: eo quod ex Deo nati sunt filij eius, & verbo dei ipsa ciuitas constituta sit, dum illi credit & acquiescit: verbum autem dei cœleste est, q̄ à Deo sit, quem in cœlis esse federēque scripturæ sacræ nō raro testantur. De filiis & ciuibus huius ciuitatis dicit Ioannes. Qui nō ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, ac viri, sed ex Deo nati sunt. Vt igitur nō putaretur ecclesia originē duxisse è terris, sed è celo: recte è cœlis atque à Deo descendisse dicitur, cuius spiritū, & verbo vegetatur

& alitur. Quo sensu apostolus loquitur, Gal. 4. Illa autē (inquiens) quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra. Vnde & rex eius de supernis dicitur, Ioan. 8. & quotquot ad eum pertinent de supernis sunt: quum alij ex infernis ibidem memorentur. Illi cœlestes, ij terrestres. Legis Apostolum. 1. Cor. 15. Factus est primus homo Adam in animam viuētem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem: primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Quod autem suum quoque nomen inscripturū super constantem fortēque fidem hoc magna gloriæ est: vt scilicet, filius dei & ipse sit, qui iam est ciuis Hierusalem, à se christianus dictus.

✽ Punctus 10.

Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesie.

Vt ostenderet dominus illius verba esse, qui in euangelio dum in parabolis loqueretur dixit, Qui habet aures audiat. Luc. 8. nempe sua: eo quod similiter & hic loquitur dicens, Qui habet aurem audiat: quasi qui habet donum intelligentiæ intelligat, quid in mysterio diuini spiritus velit ecclesiam docere: hoc enim generosi cuiusdam spiritus est, intelligere voluntatem Dei, & meditari in lege eius die ac nocte. Psalmo. 1. Iob dicit, Auditū auris audiui te domine, ca. 42. Et Esaias, Dominus Deus dedit mihi aurem. Quanto igitur quāque tremendo iudicio condemnaturus eos, qui quum egregiam aurem habeant, hoc est intelligentiæ acumen, nec tamen in legem Domini aperiunt, non meditantur, non exquirunt, satis sibi fore arbitantes intelligendi vim à natura, siue à Deo nactos esse, & prompte ingenia acuta in quoduis posse applicare. Quod perinde est ac si ingentem vim auri argentiue sibi quis comparet, nec eam tamen in vsum conuerterat, abundè satis sibi putans comparasse, etiam si hisdem minus vtatur. Aliter, hic persuadet dominus, qui monet, vt cœi donum intelligentiæ in rebus scripturæ contigerit, exquirat, scruteturque, expendat voluntatem Dei: quandoquidem ea est summa philosophia, eæ summæ diuitiæ, summa gloria, summus honos: scire Deum, & nosse voluntatem eius, Scriptum est enim, Non gloriatur sapiens in sapien-

tia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur diues in diuitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me: quia ego sum dominus qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra. Ieremias 9.

DE PRÆCEPTIS ANGELO LAODICIAE ECCLESIAE SCRIBENDIS.
Sect. 3. Punct. 1.

Laodicia
vrbs Asia.

Heri hereditatem
populo diuisit.

Laodicia in
mysterio

ET Angelo Laodiciae ecclesiae scribe. Laodicia vrbs est celeberrima in Asia Lyco flumini imposta, primum Diospolis, deinde Rhos, postea Laodicia à Lyco flumine appellata: quam insignem fecit & loci virtus, & ciues fortunati: primum Hiero, qui hereditatem populo diuisit supra duo millia talentorum, & plurimis donis ciuitatem in immensum exornauit, ditauit & ampliauit: postremo Zeno orator, & Polemo filius: qui ob res egregie ac fortiter gestas prius ab Antonio, postea ab Augusto ad regiae dignitatis fastigium euectus patriam scepro illustrem fecit. Hæc igitur vrbs ad fidem conuersa, sed ob rerum copiam (vt assolet) diuitiasque corrupta, non in seruore spiritus Christum imitabatur. Et ideo iuste à domino obiurgatur, vt in sequentibus patebit. Nunc autem quo pacto nomenclatura hæc toti ecclesiae competat exquiramus. Laodicia tribus amabilis domini est: & de ecclesia scriptum est, quoniam dominus omnium dilexit eam. Quod si è Græco traducis, populum iustum Latinis reddit. Populus iustus, populus christianus est: nimirum ea pars ecclesiae, quæ sine ruga est. En vides quam aptè ea vox competat ecclesiae vniuersæ: sed & in gestis suis hæc Laodicia ecclesiam proximè exprimit, quod plerique ex hac ecclesia essent, qui specietenus sanctitatem prætendebant, cæterum autem corrupti & Deo abominabiles, subdoli, & malicia pleni: hi sunt hypocritæ, in sinceri verbi Dei ministri: qui quoniam iustos se aestimant, rectè etiam Laodiciae nomen vsurpant.

* Punctus 2.

Hæc dicit Amen testis fidelis, & verus: qui est principium creaturæ Dei.

Amen hebræa vox est, hanc autem hebræi dicere solent vbi aliquid fieri cupiunt: significat autem vere, aut fideliter, aut fiat verum. Eo sensu ponitur in fine. Psalm. 40. & 71. Amen & Amen, quod interpres vertit, fiat fiat. Puto autem hic pro verè, vel in veritate poni, atque debere accipi: vt sit sensus, hæc dicit, & in veritate sic est, testis ille fidelis ac verus: non dubium quin dominus Iesus: quem esse fidelem & verum: testem habes supra, cap. 1. Quo autem pertinuit talis descriptio hæc? Eo videlicet, vt quisquis bonorum sibi est conscius operum, prout iste Laodicensis angelus, sciat & recogitet quòd non sibi opus sit testificari ante tempus de semetipso, quòd diues sit, & locupletatus, immò nec ad se pertineat huiusmodi testimonium, sed ad illum qui & testis, & iudex omnium est constitutus, in tempore suo reuelandus: cui relinquendum esse nouerit bonorum actuum omne testimonium & iudicium: atque vt de malis tantum testificetur contra se, & accuset seipsum: nam iustus in primis accusator est sui, vt scriptura ait, Prouer. 18. Et dominus in euangelio. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite serui inuiles sumus, Luc. 17. Siquidem mali duntaxat: ex nobis sumus, Luc. 11. vos quum sitis mali. Ex solo autem Deo omnis bonitas nostra. quippe nemo bonus nisi solus Deus, Luc. 18. Et rursus. Vnus est bonus Deus. Matthæ. 19. Deus ex se est, & bonus ex se est: nos ex nobis non sumus, ita nec boni sumus ex nobis. Rupertus abbas. Amen, refert ad ipsam summam & ineffabilem veritatem: sic dicendo. Amen, id est, ipsa veritas, quæ falli vel quippiam ignorare non potest testis fidelis, quia mentiri non nouit, vt dicat bonum malum, & malum bonum. Verus in promissione, fidelis in impletionem. Magnū mysterium quòd iudex omnium seculorum debuit esse Deus & homo: Deus qui nude cognoscat omnia, etiam abscondita cordium: homo qui testificetur in veritate sic esse, iuxta quòd dicit, Iere. 29. Ego sum iudex & testis. Porro quo, & illud quoque quòd dicitur. Qui est principium creaturæ Dei: Eo certe, vt intelligeres Christum qui est in diuinitatis essentia veritas, per incarnationis mysterium

Amen hebraea vox.

Christus testis fidelis & verus.

Boni actus iudicium domino relinquendum.

Christus verus & fidelis.

Christus principium creaturæ Dei.

factus est utiq; principium creaturæ Dei, quum in eo renouetur omnia, ut sunt iam in parte renouata. Est ergo sanctæ nouitatis principium Christus, nunc quoad animam, in fine etiã quoad corpus. Reformabit namq; corpus humilitatis nostræ, conseruatũ corpori claritatis suæ, secundũ operationẽ virtutis suæ, Phil. 3. Id quod & Rom. 8. significauit dicẽs, Expectatio creaturę reuelationẽ Dei expectat: vanitati enim omnis creatura subiecta est. Et post pauca, Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatẽ glorię filiorum Dei. Quo inquam, pertinuit, ut diceretur angelo huic de isto teste fideli & vera ei q̃ ipse sit principium creaturę Dei, nisi ut sciret. totũ suum bonum esse ab hoc principio nepe domino nostro Iesu Christo, Deo vero, & homine, teste fideli, & illi attribue- re totũ bonum suum, nõ sibi: quemadmodũ hic episcopus stultẽ faciebat. Ille namq; dominus noster Iesus Christus & nouus homo est, ut probatur. 1. Cor. 15. & sanctæ nouitatis nostræ principium, & cõsummationis finis. Nam de morte ad vitã certus nobis per ipsum est trãsitus, quia in ipso iam pridẽ translati sumus de morte ad vitã. 1. Ioã. 3. Et ab operibus mortuis emundati, quatenus in sanctitate seruiamus Deo vero & viuo secundũ beneplacitũ voluntatis eius. Vel principium creaturæ Dei, quia omnia p̃ ipsum facta sunt, Ioan. 1. quantũ ad diuinitatẽ: renouata autem quantũ ad humanitatem in qua sumus redẽpti. Nã virtus fusi sanguinis eius lauit nos à peccatis nostris, & cõiuuicauit. Dicamus ergo dñm Iesum Christum & principium esse creaturæ Dei, & testẽ fidelem, & veracẽ conscientiarum nostrarũ perspectorem, adeoq; operũ omnium cognitorem, vr nõ alieno egeat testimonio, qui prospicit omnia etiã quantumuis abstrusa: cuius obrutũ nec tantilla res effugiet: in cuius lucidissima cognitione sunt omnia. Quo maximẽ intelligãt cœci & nudi, dico illi, quib⁹ hæc diriguntur, se conuincendos fore parato eius iudicio, nisi in tẽpore conuertantur ad eum totius boni fontẽ: atq; ab eo petant quibus indigent, vt illi soli sit honor & gloria in sæcula sæculorũ amen. Obserua, Principium se dicit, hoc & Iudæis percontantibus astruxit. Ioan. 8. propter quod Paulus Colossensibus scribens appellat ipsum primo genitum omnis creaturæ: quem ne creatum putaremus,

*Per Christũ
transitus ad
vitam.*

*Christi ocu-
los nihil effu-
giet.*

adiunxit, In quo condita sunt vniuersa. Vnde liquet Arrii error, qui insanissimẽ de filio apud semetipsum disputans aiebat. Erat tempus quando non erat. negans eum ante virginem Mariam fuisse. Nam si verum est, vt est, quod per Salomonem ait, dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, negari non potest eum ante sæcula fuisse: alioqui grãde nefas de patre suspicandum erit, veluti stultus permanferit antequam sapientiam generaret. Si stultus erat, vnde ergo tam sapienter condidit vniuersa: dicente scriptura, Omnia in sapientia fecisti. & nos quomodo sapientes statuit insipiens ille? Non ergo ipsa sapientia creata est à patre, sed antequam cuncta fierent, erat cum patre: neque ex alia substantia Deus pater genuit filium, sed ex seipso: quo pacto consilium generaretur in te: neque extra se genuit, sed in se, vt vnitas essentia consistat in personã diuersitate: quod si extra se generasset, iam alia esset essentia generata: & ex consequenti sicut in persona, ita & in essentia alius esset filius. Illud verò quod modo adductum est è scriptura sacra, Dominus possedit me ab initio viarum suarum, taliter est intelligendum, quod Deus pater ante omnem creaturam tam humanã quã angelicã, suam hanc genuerit sapientiam sibi coquam, à seq; personaliter distinctã in substantiã vnitate. Soller enim scriptura sacra hoc modo loquendi & alibi vt, quẽadmodum Gen. 4. habetur, vbi Eua mater quum primum genuisset filium, dixit, Possedi hominẽ per Deum: vt rectẽ possedit, pro genuit positũ sit: hoc sensu, ac si diceret filius: Dñs pater genuit me filium sibi consubstantialẽ, & coquam ante mundi exordia: quatenus plane intelligeres Arrii in hoc principio errorem. Si verò (vt certi codices habet) loco possedit, creauit inuenias: ita intellige, quod antequam quicquam faceret, suam hanc sibi coquam sapientiam prædestinauit incarnandã: quatenus sua passione & morte genus hominum redimeret: & in se restauraret omnia, tunc utiq; in principio suarum actionum in diuinitate suã hanc possedit sapientiam, vel creauit (vt alibi legis) sibi æqualem: quam postea carnem suscipere voluit: creauit ergo, id est, incarnati statuit, vt coqua illa & coeterna sapientia adueniente temporis plenitu-

*Arrii error
de Christo.*

*Pater genuit
in se filium ab
eterno.*

*Possidere pro
gignere.*

dine, in qua nos prædestinauerit ante mûdi cõstitutionẽ carnẽ assumeret. Si ergo Deus oẽs electos ante mûdi cõstitutionẽ elegit in Christo, quid mirũ si ipsum caput electorum, id est, Christum, in sua prædestinatione antequam quicquam faceret, ordinauit, vt fieret caput electorum? De quo idem Apostolus dicit. Ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, & primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenes. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in idipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. Col. 1. Et in Ecclesiastico de eadem sapientia dicitur, quod in omni populo & in omni gente primatum teneat, cap. 24. vt merito principij nomine in hac scriptura gloriatur testis ille fidelis & verus Iesus Christus dõminus noster.

*Punctus 3.

Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vt inam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es: & nec frigidus, nec calidus, incipiam te enomere ex ore meo.

Opera hypocritarum nouit ille, cui resecta sunt omnia, etiam quantumuis abstrusa, verum non sunt illi placita, neque accepta ea nanque non secus ac satanam nouit, quem interim execratur. Quæ verò sunt illa opera quæ nouit quidem Christus, sed execratur? Respondeo, quæ non sunt ex fidei seruore viuacitateque, siue etiã puritate conscientiæ pro gloria Dei. Puritatem voco conscientiæ, quæ non subest alicui malo proposito, & quæ exuerit iniquationem peccati: alioqui impura erit conscientia & opera quæ hinc prodeunt impura: quæ Deus nouit quidem: sed non placeat illi: summa nanque puritas illa, quæ est caridior lucis æternæ, & speculum sine macula. Sap. 7. nepe Dei filius Christus, nõ nisi puris delectatur & ea approbat: tam abest vt opera acceptet hypocritarum: quæ tantummodo externæ sunt & in faciem pulchra, cæterum autem fordida & abominabilia Deo. Quod si à sine denominantur opera quæ in genere bona sunt, & finis imponit operibus apud Deum æstimationem: fieri non potest, vt cuius finis malus sit illud sit bonum quantumuis videatur bonum: intentio autem finis est in operibus oculi nomine intellecta, Luc. 11. Si oculus tuus fuerit

Caput electorum Christi.

Hypocritarum opera Deo odibilia.

tuus fuerit simplex, &c. Et hæc ipsa dico intentio, in hypocritis semper mala est, id est, non in Deum directa, neque in eo fixa: sed reflexa, & ad seiplos cõuersa, ideoque mala. Nõ enim simpliciter ij colunt Deum: nec Dei amore faciunt bonũ: sed proprie laudis cõmodo, & sui causa, vt iam nõ Deus glorificetur in ipsis: sed ipsi met in semet ipsis: atque ideo semetipsos colere cõuincuntur, quos veluti idola quædã sibi met erexerit: & hi neque frigidi sunt neque calidi, id est, non quidem ex toto fidẽ abnegãt: sed nec fidei virtutẽ imitantur. Sunt enim & non sunt. Sunt fidei inani professione: nõ autẽ veritatis imitatione. Loco calidus, Græci habent feruidus. Proinde hoc loco calidus notat feruidũ, in fidei scilicet viuacitate charitatẽque feruentem: quia fides iuxta Apostolum per charitatẽ operatur. Gal. 5. Et quia hypocritæ carent tali seruore, ac fructibus bonis: neq; frigidi, id est, non omnino à fide alieni, cui vel in faciem subscribunt: neq; calidi sunt, sed tepidi: quod proprium est hypocritarum: qui secundum externum hominem ostendunt quidẽ pietatem, vt fatue virgines, cultum virginitatis: secundum autem: internum, pietatem abnegant: & tamen mira interim sibi vana aplaudunt, & sibi gloriantur: perinde ac veræ solidæq; pietatis scopum artigissent, & vera solidæque facerent pietatis opera, quum non sint ea nisi vacua & vana. Qui cuiusmodi sunt, id est, qui mendacium loco veritatis amplectuntur, vix vnquam sincere veritati consentiunt, vix vnquam verbo Dei acquiescunt. Quia non ardent salutem, neque regnum cælorum: quod in acquisitione gloriæ beati Dei possidetur. Profecto quamuis omnia Deo sint possibilia: tamen facilius ad veritatem conuertitur, qui omnino frigidus, id est, incredulus est: quàm qui semel pro veritate mendacium admisit. Nam quis difficilius hypocritis conuertitur: propter quod subdit: Vtinam frigidus esses aut calidus, ac si diceret, bonum tibi esset quod esses calidus, id est, vere fidelis, fidem habens, quæ per charitatem operatur: aut frigidus, id est, prorsus incredulus: tum enim paratior fores veniendi ad veritatem, quàm sic vacillans: es enim & non es, deceptus proprijs sensus impostricibus persuasionibus. Nolim hic arbitris dominum velle quempiam prorsus frigidum, hoc est

Oculus intentionem exprimit.

Hypocrite neque frigidi neque calidi.

Hypocrite hostes veritatis difficile conuertuntur.

à fide alienum, aut malicia obstinatum, atque in vniuersum malum: sed hac ratione sensum accipe, quia apertè mali, ignominia adusti nominis concussi, & confusi, facilius ocyùsque conuertuntur, quàm hypocrita, qui sub pio nomine nequitiam exercent, seducendo se: veluti sub specie pietatis salutem, quam solis veris bonis Christus comparauit, assequantur, etiam si à malis suis interim minus abstineant. Talia ergò opera scio, iudico, & execror. En vides quàm graue malum sit hypocrisis: vt aperta sepe peccata occasio quaedam sint ad capeffendam Dei electionem plus quàm hypocrisis, hoc est, vafra simulatio sanctitatis, inanisque ostentatio. Sanè quemadmodum leuioris culpæ est, corrupta esse corpore virginè, & exinde humiliari: quàm integram: & pro conscientia integritatis inflari: semperq; in tacita sui damnatione consistere. Proinde consequenter ait. Sed quia tepidus es: & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. In Græco habetur, euomam te: sed parum refert, immò in verbo, incipiam, longe amplior diuinæ clementiæ mansuetudo subluceat: quòd non simul hypocritam reiiciat, auferatque de medio iustorum: sed pie per tempus & tempora sustineat, expectetq;, sensim ad vindictam sese promouens, nisi resipiscat insanus. Quis (oro) hic non expauescat, in negotiis regni Dei tepidus ac piger esse: tepidos euomet Christus, & adhuc tibi in ignauia places: excute socordiam, quoniam non somnolentibus obuenit regnum Dei, sed vigilantibus, sed strenuis, sed impigre agentibus. Virget ergo, & sugillat socordem episcopum dominus, cui nec calido admodum nec frigido irascitur: vt notius fiat, quàm grauis sit erga ociosos, vanèque sibi præsumentes, quos arguit sub vnius nomine: quemadmodum & apud Mattheum ociosos increpat dicens, Quid hic statis tota die ociosi: Mallet enim non esse in amphiteatro regni sui, hoc est in medio sue ecclesiæ, quàm sic ociosos, solòque fidei nomine sibi blandientes: quorum leges nostro hoc æuo permaxima est, qui sufficere homini in salutem, passim iaculant semel initum fidei sacramentum, etiam si cæterum torpeat, sibiq; mollius indulgeat: quibus penitentia acrimonia pro ludibrio habetur: apud quos, nec ieiunium quippiam mo-

menti est: nec orationes valent: nec alia eiusmodi, sed fidei solum inane nomen: tam argute impositum est illis. Nonne aduersum hos fremit hic in scriptura dominus virtutum dicens, Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, hoc est (vt iam dictum est) nec à fide prorsus alienus, quemadmodum ethnici sunt à fide alieni: nec fidei feruore bulliens: vt virtute splendidus sis apud me: sed tepidus, id est, fictus quidam & mendax fidelis hypocrita: & quia eiusmodi es incipiam te euomere ex ore meo. Allusio est ad humanum morem: facile nanque per liquorem tepidum vomitus excitatur, vbi aut frigidus aut calidus etiam cum suauitate quandoque bibitur. Porro in vomitu corpus conturbatur, & cum horrore nimio perficitur. Quod non aliud præterdit, nisi quòd id genus homines exhorreat, & cum abominatione (vt in vomitibus fieri solet) de suis visceribus reiiciat, repudièque. Illorum enim abiectio vomitus quidam est, rectè huic operi comparata. Incipit autem Deus illos euomere, quum incipiunt apparere quod non sunt: sancti uò sunt, & sanctos sese ostendunt: quando veritatis lumen ab eis auferre incipit, vt non videant, nec resipiscant: ceci enim sunt: verum eorum cæcitas sensim augetur, quousque nihil prorsus videant. Item tum plenè euomuntur, quum in perpetuum abiiciuntur: quibus iam graue est etiam si quid salutiferum audiant: de quibus ex Esaia apud Mattheum dominus pronunciat dicens, Incrassarum est cor populi huius, & auribus grauitè audierunt, & oculos suos clauerunt, ne quando videant oculis, & audiant auribus, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos, Esaia. 6. Matth. 13. De his & Paulus ait. Voluntariè peccantibus (id est, in voluntate & proposito peccandi permanentibus, desertis à gratia Dei) post acceptam noticiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccatis: terribilis autem quaedam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Sequitur dicti adstructio per exemplum, Irritam quis faciens legem Moyfi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti polluerit, in quo san-

Vomitus per tepidum liquorem.

Contra renes gatos.

stificatus est: & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Hebraeorum. 10. Hinc non improbè Petrus censet melius fore illis non cognouisse viam veritatis, quam post cognitionem retrahere. 2. Per. 2. Adeo cautum, infatigabilem, & strenuum, impigrum, sibi que prospicietem, & excussum oportet esse fidei sectatorem: nihil alienæ fecis habentem, erroris nihil: sed nec peccati, etiam si minus interim caueantur humanæ quædã labe, quæ cum hac vita cohereat. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate: aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuëctio Christi ad Belial? Tanta conuentione tum animi tum vitium veritas tibi tenenda est vt sis fidelis, vt non veritatem in mendacio derineas: reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & mendacium, & iniustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Rom. 1.

* Punct. 4.

Quia dicit, diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser: & miserabilis: & pauper: & cæcus: & nudus.

*Hypocrita
in ore iactantia.*

In ore hypocritæ semper iactantia & gloriatio operum: tumet enim vesana mens eius: & in virtute sua gloriatur: sed vnde stultè tumet, inde inaniter cadit. Vnde gloriatur, inde confunditur. Semper enim superbiam casus consequitur, & vanè gloriantem excipit ignominia, iuxta illud. Contritionem præcedit superbia, & ante ruina exaltabitur spiritus. Prouer. 16. Superbus erat Goliad, & pulchris in armis inaniter cõfidebat, procedebat, filios Israël pauidos territabat, quibus se minaci ac toruo vultu subinde exhibebat: & quum parem sibi minime inueniri posse in toto agmine filiorum Israël crederet, ab humili Dauid è funda missò lapide vno ictu percussus cecidit, ad casum eius tellure concussa: quatenus spectantibus ludibrium cæterum fieret qui antea erat pauidor. Ita & hypocrita sæpe à celsitudine sua cadit: qui in se inaniter attollitur, qui rectè Goliadis istius personam exprimit. Ingens enim externè videtur hypocrita, cui internè nulla virtus inest: pulcher ac spectabilis, & grandia sinuoso in pectore voluens, ore loquens grandia: verum quis illum exitus maneat docet exemplum Goliadis. Quem in modum & hic episcopus Laodicensis quum gloriatur

*Hypocrita
proprietatis.*

bundus prodit, valde mirum quantis qualibúsque feriat ictibus: donec assidua rotatus vertigine in imis stratus iaceat: quatenus ab ignominia sensum capiat, qui splendenti famæ titulo desipere cæperat. Nescis, inquit, nescis quia tu es miser, & miserabilis: & pauper, & cæcus, & nudus. Hi sunt quinque limpidissimi lapides de torrente per humilem Dauid sublari, quos dominus in Dauide figuratus contra Goliadem hunc mittere curauit, non sine profundo suo iudicio: quatenus his percussus intreat id quod erat, resurgat quod non erat: superbus erat, & in hoc interire eum dominus cupiebat: humilis non erat, in quo resurgere & viuere eum volebat. Proinde congerit aculeos, non vt in finem eum perimat, sed vt feruet. Acioribus etenim puncturis excitandus erat: qui altissimo sopore vanitatis mersus iacebat, præsertim quum ex electorum numero fuerit in vitam destinatus. Multis quippe electis contingit casus, in quo dum remanent stimulantur, vt resurgant, agantque vitæ opera: & tanto actioni punctione quanto plus stupent in insania sua: & quanto se minus agnoscunt. Nunc vide inter has hypocritarum desperationes quid primo quocquè tempore tibi agendum sit, quo maxime placeas Deo. Primo igitur opus est, vt quàm rectam fidem habeas. Secundo, vt legibus diuinis subiectus sis. Tertio vt vitam inculpam agas. Quarto virtutibus locuples fias, faciásque quæcunque ad Dei iustitiam pertinent ac pietatem: quoniam dominus virtutum est, idem & rex gloriæ Deus noster. P. salz, & 67. Sed iam ad reliqua. Nescis, inquit, quia tu es miser & miserabilis, & quæ sequitur. Est autè miser, flebilis, calamitosus. Miserabilis, malis sic circumuallatus: vt merito qui eum videant queant illi indolescere. Pauper, qui inopia rerum angustatur. Cæcus, cui lumen ademptum sit. Nudus, cui deest amictus. Quæ omnia ad spiritualia referuntur: vt miser sit qui à Deo abiectus est, & pœnis inferni iam pridem destinatus. Miserabilis, quem multa mala & offensa Dei circumdant, cuius merito misereri queant omnes. Pauper, cui nulla probitas, nullæ virtutes adsunt. Cæcus, qui salutis suæ non prospicit, iudicio consilioque orbatus. Nudus, decore gratiæ nunc, & in futuro gloriæ spoliatus. Quid nunc his calamitosus: Quid despe-

*Lapides qui
quæ è torrente
sublari.*

*Electi dum
peccant stimulantur vt
resurgant.*

ctius tu vide. Obserua. Res contemnenda est iuxta mundum, paupertas. Quam ut quis ab sese auertat currit ad extremos Indos, vagatur, inuisit loca extera, & gētes incognitas adit: mutat merces, rumpit somnum, non parcit labori: omnia quantumuis graua, sibi facit reputatione lucri leuia: maris se periculis obicit, & nihil non facit. Sed quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animę verò suę detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Matt. 16. Magis autē spiritualibus bonis nobis opus erit: ditari virtutibus, quę nequaquā pereūt, quibus etiā quisq; abundē felicis esse poterit. Id quod quidā ita carminib; cōplectitur,

Diuitiis nemo felix: nam copia rerum

Quamuis assiduo parca labore perit.

Incluta sed virtus animum perfectius ornans

Durat, & ad celi tecta recludit iter.

Huic omnes igitur totis incumbite remis,

Sic erit æternus, credite, partus honos.

✱ Punctus 5.

Suadeo tibi à me emere aurum probatum, ignitum, ut locuples fias & vestimentis albis induaris: ut non appareat dedecus nuditatis tue: & collyrio inungas oculos tuos, ut videas.

Nullus ab ore Dei prorsus euomitur, nisi reprobus ac insanabiliter malus, cui mederi amplius nequeat: electi quia virtute prædestinationis seruantur, nunquam pœnitus euomuntur: & si quando euomi incipient, non tamen pereunt, sed sanati intra os domini reuertuntur, ut nō prorsus euomantur. Magnum mysterium, magna iudicij ratio: qui sic euomitur, perire illū necesse est. Neque verò vllus ita euomitur, nisi filius sit perditionis, hoc est, in spiritū Dei blasphemus, nihilque in finem correctus. Proinde & hypocritis, sanęque hæreticis, donec eos prorsus euomat Christus, spes esse poterit salutis: respicere enim poterunt, tametsi haud facillē respiscant, ob mendacem eorum persuasionem: qua semel & grauius impositum est eis, ut abirent in reprobum sensum. Admonentur ergo & ij hic, ut donec pœnitus euomantur, redire satagāt, inque ore domini se firment, ut non eiciantur, eō quōd iam laborare cæperint ad dilapsum reiectionemque.

Neminē reijcit dominus nisi obstinate malus.

Hocque ut faciant, & qua arte faciant insinuat: quum dicitur. Suadeo tibi à me emere aurum probatum, ignitum, ut locuples fias: aurum in quam christianæ sapientię ac charitatis æternę, alioqui prorsus euomeris. Quinque præcipuis malis pauloantē episcopum hunc Laodiceum circunuallatū dixit. Quia miser esset, & miserabilis, pauper, & cæcus, & nudus: contra hæc tria illi remedia salutaria persuadere consequenter nititur, & contēdit. Primo ut aurum à se emat probatum & ignitum: contra miseriam & paupertatem ne vltra miser sit, aut miserabilis, aut pauper, qui auro hoc possit abundē ditescere. Deinde ut vestimentis albis induatur contra nuditatem. Tertio ut collyrio inungat oculos contra cæcitatem. Rectē enim à se aurum probatum & ignitum emi suadet, quippe quia ipse est fons totius sapientię ac charitatis diuinę, simul & vitę. Psalm. 35. Quoniam apud te est fons vitę: vbi vita, ibi sapientia, ibi charitas. Christus est vita, Christus sapientia, Christus charitas: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, Coloss. 2. Qui factus est nobis sapientia, & iustitia. 1. Cor. 1. Item Ephes. 3. Det vobis pater scire supereminentem scientiã charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Sed quale hoc genus emptionis est: Quo præcio ista inestimabilis emitur merx? Non equidem perituris nummorum sumptibus: neq; enim hic de pecuniaria emptione res agitur: spiritualia spiritualiter comparatur. Nemo est qui comparare sibi hanc mercem nequeat, domino Deo in scriptura dicente, Qui non habetis argentū, properate, emite: venite emite abiq; argento, & abiq; vlla commutatione, vinum & lac, Esa. 55. Quod de vino audis lactęque, hoc idē de auro probato & ignito intellige. Neq; enim precium requirit temporarium, quia inestimabilis est merx, & supra omnē commutationem quicquid parauit ad spiritū. Fide fiat accessus, properetur affectu, interno cordis desyderio ematur. Aurū est, quia preciosum est Dei donū, probatū, id est, fuci ficti; nesciū, quōd; admixtionē alieni non patiat: & ignitū, iuxta quod scriptura dicit, Ignitū eloquiū tuū vehemēter, & seruū tuū dilexit illud. Psalm. 118. Et rursum. Eloquia dñi, eloquia casta, argētum igne examinatū, probatum terrę, purgatum septuplum.

Aurum sapientia & charitatis.

Quo præcio emitur collesis merx.

Donū Dei auro comparatur.

Pſalm. 11. Ex eloquijs domini prouenit omnis ſapientia, quod eſt domini lex immaculata, conuertens animas, teſtimonium fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Pſal. 18.

Aurum & argentum eſt diuina ſapientia.

Obſerua, Aurum hic ignitum dicit, ibi argentū igne examinatum: ſed de vtroque metallo idem ſentiendum. Eſt nanque præcioſitas, & vtilitas in vtroque. Quid enim vtilius magiſque neceſſarium humanis vſibus his? Auro atque argento parent omnia: omnia præcio horū aſtimantur, & verbū ſapientia: vtile eſt, atque neceſſarium, quod deſyderabilius eſt ſuper mundi aurum argētū vè, & lapidem præcioſum multum. Hoc igitur ignitum aurum verbū ſapientia: probatum multis vſionibus, ac ardens emi cōſulitur: de quo apud Ieremiā dicit dominus, Nōne verba mea quali ignis ardens. Ierem. 23. Ardet ſemper verbum Dei: & inflammat. ſicut ſcriptum eſt, Eloquium domini inſlāmauit eum. Pſal. 109, vt rectè de eo in Cant. dicatur, lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Cant. 4. Hoc aurum emittit per ſtudium vehemens, ſcripturarum aſſiduam meditationem: quo beatus ac diues quiſque fiet. Pſalm. 1. Beatus qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Ideo & in Prouerbijs ſcriptum eſt. Veritatē eme, & noli vendere ſapientia & doctrinam. cap. 2. Notā triplici de cauſa aurum hoc diuina ſapientia: emere perſuadet. Primo vt locupletes ſiamus: deinde vt veſtimentis albis induamur: poſtremo ne nudi appareamus in conſpectu Dei. Sane ex nundinatione diuina ſapientia: fiet, vt ſpiritus mundicijs naſcatur in nobis. Ioan. 15. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Fiet & hoc vt admirabili decore omnium chariſmatum ornemur, remiſiſ ac tectis peccatis, vt non impotentur nobis. Super hæc miris eius gazis ditēſcimus, iuxta illud quod dicitur, Theſaurus deſyderabilis requieſcit in ore ſapientis. Sapientis, non eius, qui iuxta mundum ſapientis eſt, aut inani turget philoſophia: ſed qui iuxta Deū. hoc eſt, quæ Dei ſunt ſapit: quod ſit ex verbo crucis Chriſti: in quo ſunt omnes theſauri ſapientia: & ſcientia: absconditi. Ideo Apoſtolus. 1. Corin. 1. ait. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum: gentibus autem ſtultitiam: iſtis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam:

Aurum diuina ſapientia: triplici de cauſa emi perſuadetur.

quam reuelat pater paruulis ſecundum ſuum beneplacitum: paruulis inquā, non ſenſu ſed malicia, & qui ex corde diligunt illum, & faciunt quæ placita ſunt ei, & abſtinent ab his quæ diſplacent. Sunt equidem & hypocritarum ſua veſtes, quibus ad conſpectum hominum in faciem ſolum induuntur, vt videantur pij boni & iuſti. Proinde quod hic habes, vt non appareat dedecus nuditatis tuæ: non ad conſpectum hominum referendum eſt, ſed Dei, ante cuius conſpectum ambulamus, qui aiebat Abraham, Ambula coram me, & eſto perfectus. Genef. 17. Peccatrix anima priuata iuſtitia ac bonis fidei fructibus nuda eſt: cuius nuditatis confuſio apparer, primo coram Deo, ac deinde coram ſanctis angelis eius: ſape etiam coram hominibus, quibus ad conſpectum inſamiam confunditur peccator. Iuſtitia veſtis candida eſt: peccatum ſordida. Legis in Zacharia, quia Ieſus indutus erat veſtibus ſordidis, & ſatan ſtabat à dextris eius. Proinde & ſi ſis, & quantumcunque ſis Ieſus facerdos magnus, niſi habeas iuſtitia candorem, ſatan tibi imminet: vt opera tua, quantumuis bona ſint in faciem, euacuet, & perdat. Quo contra de bonis dictum eſt ſupra, Ambulabūt mecum in albis: De malis autem, Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem: Matth. 22. Scriptū eſt de Aſſuero, quod nemo indutus ſacco intrabat aulaſ eius. Heſter. 4. ſic in regnū beati Dei nemo veſte peccati intrabit, regnum, inquā, verè beatū ac felix: & in eccleſia militante nemo hac veſte acceptus incedit, nemo merito eſt numero incedit: & forſitan neque numero incedit: Eccleſia nanque fidelium congregatio eſt: qui ſoli apud Deum computātur pro eccleſia, vt dicat huic Chriſtus, Volo vt tu induaris veſtimentis albis, ne coram me appareat confuſio nuditatis tuæ. Peccatum priuatio gratia: eſt: & iuſtitia, virtutumque exinde progenitarum. Hoc eſt ergo confuſio nuditatis quod peccatum: nam iuſtitia cæteræque virtutes habitus ſunt animæ ſuper ſolem candidi. Et contra peccatum priuatio iuſtitia: & gratia: & omnium virtutum, vt recte nuditas ac dedecus ſit: Peccatum priuatio. caret enim honeſti ratione peccatum. Refert igitur magno opere indui albis, aſſueſci iuſtitia: virtutibus, ac morū probitate ornari, ne nudi ac dedecoroſi ante Deum ap-

Peccatrix anima nuda.

Iuſtitia veſtis anime.

Iuſtitia veſte incedenti in Dei eccleſia.

Peccatum priuatio.

pareamus. Visuri enim sumus regem nostrum Christū in decore suo. Petri doctrina est, Cū igitur hæc omnia dissoluēda sint: quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentū diei domini. 2. Petr. 3. Obserua, Quia enim dixerat hypocritam pauperem, ideo suaserit à se sibi comparari aurum: non feculentū, id est, feces permixtū: sed probatū, sed ignitum, quo locuples fieret. Deinde indicauit eundem nudum: propterea candidis illum induiuis vestiri nunc iubet, ne probum nuditatis eius appareat. Postremo cæcum: cui vt perfectè mederi possit, collyrio inungi oculos iubet. Est autem collyrium vnguentum medicorum, quo feces oculorum tolluntur, ab initio nonnihil pungens, mordēnsque vsque ad lacrymas: quod tamen deinde visum clariorem reddit. Magnum vitium est cæcitas in homine, non tam ea quæ carni inest, sed potius quæ menti inhæret. Cum illa quandoque bene christiani sumus: hac nequaquam. Infidelitas asiduus morbus est illi, qui fidei lucem non habet: quantocyus itaque medēdum malo huic, atque ad rectum intuitum acies purificanda. Collyrio vitio oculorum medetur: hoc & ipsa animi interna acies purificatur. Collyrium verbum fidei est, quod quoties menti imponitur sanguis carnalis intelligentiæ ab ea remouetur: feces tolluntur errorum. Perfrictoria est verbi Dei vis, perfringit enim & pungit pœnitentia admissorum: & mordet, cietque lacrymas. Hoc collyrio Dauid utebatur, quum sanguine interim eius oculi obuoluerentur, fluerent & lacrymis, vt diceret. Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratū meum rigabo. Psal. 6. Et rursum Turbatus est à furore oculus meus, ibidem. Quare: Quoniam (inquit) iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper. Psal. 50. Ecce sanguis oculis incretus. Quid est sanguis? Peccatum est sanguis conscientiam ledans & commaculans. libera (inquit diuus Psaltes) me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Est & Christi nomen collyrium. Collyrium diximus esse vnguentum ad feces oculorum tollendas commodum: hoc inunguntur, quoties peccati albugine obducimur: vt rectè de hoc in Canticis dicatur. Vnguentum effusum no-

Collyrium.

Cæcitas magnum vitium in mente.

Collyrium verbum fidei.

Collyrium Christi nomē

men tuum, & ideo adolescentulæ dilexerunt te. Cant. 1. Quid enim aliud Christi vocabulum quàm vnctionem sonat: vnctionem, inquam, misericordiæ, fauoris, & gratiæ. Tu ergo quisquis es, quoties te vides, oculorum animi tui aduersam incurrisse valetudinem: accede ad Christum, vt sacri omnis istius vnctione te perliniar: fieri non poterit quin illumineris. Quia ipse est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. cuius charismata omnia sunt ad illuminandum. Item collyrium poterit esse & ipsa emūdatrix pœnitentiæ, quæ per compunctionem clarificat oculos cordis, sicut collyrium per lacrymarum effusionem oculos carnis. Pœna enim oculos aperit, quos culpa claudit, dixit Quiritij ille sanguinis Pontifex Maximus Gregorius. Hinc Ieremia. 4. fidei animæ dicitur, Laua à malicia cor tuum, vt salua fias. Est deniq; ipsa tribulationis permissio collyrium, cuius mordaci acrimonia intelligentiores efficimur. Sicut scriptum est. Esa. 28. vexatio dabit intellectum. Ideo Tren. 1. dicit Propheta. De excelso misit ignem tribulationis, & erudiuit me. Nihil æquè edocet patientiæ virtutem, ac tribulationum permissio. Non mentitur Paulus qui ait. Scientes quòd tribulatio patientiam operatur. Rom. 5. Ideo Iacob. 1. Omne gaudium existimate fratres mei, quum in tentationes varias incideritis: scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Et iterum, Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Vides quia tribulatio per collyrium intellecta, primum sanitatem animæ in nobis operatur, deinde robur ad ferendum aduersa: hinc perfectionem integritatēque: præparat etiam ad capiendam coronam vitæ: vt iam non solum toleranda sit, sed etiam expectanda: tantum abesse debebit à nobis eius expositulatio. Sequitur.

Collyrium pœnitentiæ.

Collyrium tribulatio.

¶ Punct. 6.

Ego quos amo, arguo, & castigo.

Mira sententia æterni decreti Dei: cui parandū est semper ab omnibus quoniam sic beneplacitū est Deo, vt fla-

Deum quos diligit castigat.

gellis castigationum interim interroget exciterque electum, si parum probus sit, piger, somnolentusve, aut minus strenuus: immo etiam si strenuus sit: ut magis strenuus fiat adhuc, quatenus studio exæquet coronam, quam illi praparavit Deus, & ad quam illum prædestinavit: ac si dicat, Ea quæ tibi loquor arguens & corripiens te, velut amantis gratiam suscipe. Non enim est hic mos Dei sapientiæ, ut eum quem diligit filium permittat iuaculiter insolescere, sed castigat, & premit lasciuientem: & quem lactauit infantem, eundem nimis coerecet verbo sum inconconsultum virga percutit, exasperat quandoque: diligit & exasperat, exasperat autem ut erudiat: quatenus pharmaci huius amarioris gustu vitium tollat stomachi, id est, mentis. Ait ergo, Ego quos amo arguo, & castigo. O diuinæ dilectionis eximium indicium, O summæ bonitatis studium, O magnæ clementiæ verbum: nisi enim summe nos amaret, non argueret: nisi salutem dare etiam interim nolenti cuperet, non castigaret. Scriptum est enim, Quem enim diligit Deus, corripit, & quasi pater in filio complacet tibi. Prouer. 3. Maxima hinc veræ consolationis datur occasio tribulationum angore oppressis: sequitur enim quod hi, quos arguit & castigat Deus, ab eo electi sint. Ne igitur reformides pati aduersa, ne refugias subire graua, quod hoc sit insignis dilectionis indicium: Nam flagellat omnem filium quem recipit. Heb. 12. Facit autem hoc dominus (si humana diuinis comparanda sunt) more piissimi parentis duos filios habentis, quorum alterum hæredem subscribit, reuicit alterum: illum castigat quem subscripsit hæredem, etiam si nihil peccet, aut si parum peccet: hunc liberæ voluntati suæ permittit, edere, bibere, scortari, aliâque eiusmodi perpetrare, sic Deus bonus iustos electosque suos per innumeratas afflictiones, ac varias tribulationes interrogat, affligit: ut postmodum beatiore reddat. E contra: reprobos in suis voluntatibus relinquit, ut postmodum acius puniat, iuxta illud, Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuationibus suis. Psal. 80. Et iterum, Desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Sequitur. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascēdit super eos. Psal. 77. Reprobos itaque qui nunc desideriis ac volupta-

Bonos castigat Deus, malos liberius permittit.

tibus dediti sunt, æterna expectant supplicia: iustos præmia consequuntur beata. Sic & vitulus, qui occisioni præparatur, liberi in pascuis saginari permittitur, magis quàm qui futuro tempore referuatur. Proinde rectè monet Apostolus, Heb. 12. Fili mi noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quis enim filius, quem non corripit pater? itaque in disciplina perseuerate, id est, patientes estote fratres: per hanc enim tãquam filiis vobis offert se Deus, quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, quicumque Deo placuerunt: ergo alieni, & non filij estis? pares quidè carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: & nunc multo magis patri spirituum obtemperabimus ut viuamus: illi quidem in tẽpore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est, in recipiendo sanctificationem eius: omnis autem disciplina in præsentia quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum excitatis per eam reddit iustitia: propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autè sanetur. Suscipienda igitur est toto animo Dei castigatio, haud secus quàm ab optimo patre profecta. Etenim suspectum nimium est, quod is Deo charus sit, qui argui castigarique refugit. Sed nũquid solummodo dilectos corripit Deus? Non utique: corripit & reprobos, tamen non æquè ij ut electi admittant correptionem, neque enim emendantur correptione: fitque ut his potius in iudicium cædat correptio, quàm in emédationem: sed neque tum quidem propriè rationem habet castigationis, eorum correptio: magis autem iudicij, & punitionis: id quod verius diuini odij nõ amoris signum est, Deo dicente in scriptura, Castigabo te in iudicio, ut non tibi videaris innoxius, Quia hæc dicit dominus, insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. Iere. 50. Rursum in eadem scriptura ait, Te non consumam, sed castigabo te in iudicio. nec quasi innocenti parcam tibi. 46. cap. Proinde quum primum flagelli vim sentiunt electi Dei & dilecti: promunt id quod Thob. 11. didicerunt, Be-

Per castigationem offert se nobis deus.

*Electi amant
castigationem,
quam non a-
mant reprobi.*

*Electi signum
certissimum.*

*Electorum ac
reproborum
differentia.*

nedico te domine Deus israel, quia tu castigasti me. Item illud, Psal. 112. castigans castigauit me dñs, & morti non tradidit me, id est, quia ex suo beneplacito castigauit semel & iterum: factum est, ne morti traderer pct̃. Amant quippe electi ipsam castigationem, & propter eum qui eam immittit, cui in vniuersum parere student, & quod ea non parum erudiantur. Ideoq; continenter dicit, Castigasti me dñs, & eruditus sum, quasi iuueneculus indomitus, Iere. 31. Si diligenter velis intruere, reperies sane apud eundem Ieremiam ca. 30. & ca. 46. impiorum punitionem, eorum consumptionem dici: dñi interim seruatorum Dei punitio castigatio vocatur: ergo impiorum afflictio punitioq; illorum, perniciēs ac consumptio. Verum quia nemo in ecclesia Dei tuto & certo de alio definire potest, reprobos ne sit an electus in fine: ideo nemo potest certus esse, quis in bonum castigetur: & quis in malum, hoc est, quis tum ferat amorē Dei quum castigatur, & quis indignationem odiumque: tamen si quisque apud se, nisi sit cæcus, & omnino iudicio carens, facile deprehendet, si flagello emendetur in melius: quando semp̃ certum signum presentiae gratiae Dei est & amoris, flagellum ipsum à Deo immissum: si verò eo fiat quis deterior, signum est odij, & punitionis ex indignatione proficiscentis. Hæc dicimus verisimilia, non temerariè, sed coniectanter: quoniam iudicia Dei abyssus multa: & dñs solus nouit sua consilia. Ex quibus omnibus palam est, quod qui à deo non castigatur, ab eo minimè diligitur. Ecce enim dicit, Ego quos amo castigo. Vt igitur his quos deus non arguit, non castigat, non sollicitat ad se: sed secundum desideria cordis eorum ire in adiuuentionibus suis dimittit. Qui eiusmodi sunt, infrenes sunt, malis concupiscentiis feruientes, in impudicijs & contaminationibus viuentes, & omni impietate, & auaritia, quod est idolorum seruitus, gula, & amulatione, ceterisque vicijs: quæ si fuerint perpetua, proculdubio certissima diuinæ reiectionis sunt iudicia. Non quod vel electi quandoque in suis desiderijs relicti non peccent, sed non perpetuo: respiscunt enim. Hoc nanque vno iudicio electi à reprobis discernuntur, quod dum peccant, student conuerti tacti nonnullo dolore conscientiae: secus de reprobis, quod ij malint semper peccare, nec à prauis suis se desiderijs corrigere. Pec-

cat ergo electus, sed conuertitur: peccat reprobos, sed permanet obstinatus. *o Punctus 7.

Emulare ergo: & poenitentiam age.

Hactenus supercilium depresso angelo Laodicensi gloriabundo vanèque sibi diuiciarum copia blandienti: nunc deinceps instat vehementer & urget, ut ad se eundem pigrum excitet, sibi que faciat consentire, dicens, Emulare ergo. Græci habent zeloson quod est sectare, imitare, sis zelans, à verbo zeloo quod præter hæc significat etiã beatum voco. Hinc zelotes zelans, imitator, sectator: & zelotes beatus, amabilis, desiderabilis. Vult igitur dominus ut languens ac tepidus cum odio desidia sit excitetur, in imitationem virtutum, suique in primis, ut beatus sit ac amabilis, dignusque, quem alij quoque imitentur. Ac si dicat. Amantem amandoque castigantem, tu fac redamando bono animi seruore imitere: & qui tepidus eras: per zelum hoc est acutam affectionem, & vehementem per zelum mentis commotionem, incalcesce: de que eo quod hactenus per ignauiam neglectum est, quodque non reddita amoris vicissitudine ingratus fuisti indolesce & age poenitentiam, sine qua nemo errorum suorum veniam consequitur. Ad poenitentiam autem requiritur. Primo dolor de peccatis commissis, Secundo, ut nunquam iterandi propositum infumatur, sine quibus duobus poenitentia vera non est, eo quod sine his nec Deus peccata remittit, nec sacerdos absoluere potest. Vera nanque poenitentia est sine intermissione temporis de pct̃is malis dolere, & sic plangere admissa, ut non admittat plangenda. Iustus nanque est, & non poenitens, qui adhuc agit quod poeniteat. Vis itaque verus poenitens esse, & sic in conspectu dñi reuelari? desine peccare: & nunquam propositum habeas ultra peccandi. Quandoquidè inanis est poenitentia quam sequens coinquinat culpa: nec profunt lamenta, si iterantur pct̃a: & certe nihil prodest pro malis veniam poscere & mala denuo facere. B. Aug. dicit. Si verè poenitentes estis, & non irridentes, mutare vitam, reconciliamini. Idem. Poenitentiam agis, genua figis, & rides, subannas patientiam Dei, si poenitens es poeniter te, si non poeniter, poenitens non es. Si ergo poeniter, cur facis quod male fecisti? si fecisse poeniter, noli facere, si adhuc facis, poeni-

Quid ad poenitentiam requiratur.

tens non es. Nanque Pœnitentiam agere est & præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere, dixit. D. Gregorius, nam qui sic alia plangit, vt tamen alia committat: is adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Idem. Emulare ergo, id est, sis zelus, ama iustitiam, legem Dei in te exprime, eamque imitere. Age pœnitentiam, infume dolorem de peccatis malè admissis, nec amplius peccare velis. *oPunet. 8.

Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cenabo cum illo.

Post admonitionem pœnitentiæ docet fiduciam veniæ: & promittit consolationem refectionis interna: Ecce sto (inquit) ad ostium. Ostium hoc loco cor hominis est: ad quod dominus stat, & pulsât: stat paratus iuuare, & ideo non debes diffidere, si velis penitere. Pulsât quia intrare desiderat, dicens, Aperi mihi soror mea. Cann. 5. Nūquam cessat, nunquam ôciatur dominus, ideo stat, ideo pulsât. Nam & Stephanus protomartyr à dextris virtutis Dei ad aperto celo stare eum vidit, quasi paratum ad adiuuandum, Act. 7. Sic & ad cor nostrum stat, paratus semper intrare, iuuare, illuminare, erigere, confortare &c. Cœterum ad ipsum cordis nostri ostium pulsât, dū inspirat, dum verbum suū mittit: cui ille aperit qui ex animo credit: qui verò non credit, claudit, & aditum negat. Aperit & is qui sanctis eius monitis obtemperat, spiritum concipit, seque illi ad nutum donat. Porro dominus ad eū, qui fide, qui obedientia cordis ostium illi aperit, vocemque eius audit: cum verbo suo, ac interna inspiratione ingreditur. Sed quid facit postea quàm ingreditur: cenat cum illo, & ille secum. Quid putas hanc cenam esse: spiritus consolationem: gaudium, pacem, delicias cœlestes: quæ Deus, his, quorum mentes inhabitat, communia facit. Magnum igitur meritum est fides credentium, qua Dei quisque habitaculū efficitur. Magna consolatio consensus inspirationi diuina: ampliflua virtus dilatans cor, & mentem totam imbuens. Magna res obedientia præceptorum Dei, per quæ deo voluntas creata conformatur. Huc pertinet illud verbum saluatoris, Si quis diligit me,

Ostium cor hominis ad quod pulsât Christus.

Cœna spiritus consolatio.

me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eū, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14. Ideo in Psalmis scriptū est. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, Psal. 94. Hodie, id est, in presenti tempore: si vocem, id est, monita & præcepta, internamque inspirationem eius audieritis: nolite obdurare, repugnando, obstruendo inobedientiæ malo corda vestra. Agat nunc pro suo more liberi arbitrij destructores: sed prophetæ vox est, Nolite obdurare corda vestra, alias quid refert dixisse. Nolite obdurare corda? Cui simile est, quod hic dicitur. Si quis aperuit mihi ianuam, quasi diceret. In arbitrio hominis est aperire, non aperire: alioqui dixisset. Ego aperiam mihi ianuam ad cor. Est ergo sensus. Ego qui hætenus corripuens te monui, similis factus sum tibi, itanti ad ostiū cuiusdā diuitis & pulsanti: quatenus admissus hospicio carnem. Cū illo Christus apparat canam quocūque intrat, bonus hospes, actiuus est, non grauat, sed adiuuat, sed solatur, sed exhilarat passiuū hospitem, seque libenter suscipientem. Dicitur ergo, Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, &c. Quid est audire vocem dñi, nisi obtemperare præceptis eius, & mandatis eius, quæ afferuntur libinde nobis per seruos eius indefessos annuntiatores verbi eius: Et quid est, quod maius offerre deo possumus, quàm nostras voluntates: Ecce insensibiles creaturæ quæ vniuersaliter deo famulantur, legi eius obsequuntur, eius mandata custodiunt. Terra germinat, Aqua fluuiat, Aer circūquaque voluitur. Ignis ardet, Sol lucet, stellæ nitent, Luna pallorem renitet, & nunc plenis cornibus impletur, nunc imminuta vanescit. Rationis quoque expertia, tam quæ in aquis, quàm quæ in terris sunt absque delicto sunt: nisi quæ miserè aliquando propter peccata hominum puniuntur. Quod si aliquando fera immanes persequuntur nos: hoc quoque vitio nostro fit, quas plus persequimur nos: quarum loca occupauim, postquam expulsi de paradiso sumus. Quid dicam de calorū agminibus, angelis, qui omnes administratorij spiritus sunt, missi in ministeriū propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: Hebr. 1. Intuetur nanque legem Dei ipsis propositam, fixam, iubentem sine voce. æternam, imperantem sine scriptura, sine syllaba

Liberi arbitrij assertio.

Deo obedire docent omnes creaturæ.

Docet Christus obedientiam de se.

Obedientiam commendatio.

bis, semper tacentem, & semper loquentem: & ex illa faciunt quicquid lubet illi aeternae menti, nec in puncto praetergrediuntur iubentis imperium. Parua haec tibi sunt paulo maiora canamus. Dominus noster Iesus Christus, qui est vnus essentiae, vnus diuinitatis cum patre, secundum quod deus, suo nos docuit exemplo obedientiam semper prestare deo: qui vsque ad mortem patri deo obediens fuit. De quo Paulus apostolus loquitur dicens. Factus obediens vsque ad mortem. Phi. 2. Et Heb. 5. Quum esset Dei filius, didicit ex his quae passus est, obedientiam: vt fieret omnibus sibi obtemperantibus causa salutis. Haec autem obedientia primo ex eo commendationem accipit: quia hominem eam obseruantem efficit fratrem Christi, sororem & matrem. Matth. 12. vnde etiam eius dignitas vehementer commendatur. Secundo, quia hominem gratum deo reddit. Scriptum est, Quia melior est obedientia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum: quam quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatiae nolle acquiescere. 1. Reg. 15. Abraham obediuit deo, & praecipis eius, vnde etiam summe deo placuit. Abel ite obediens sacrificium obtulit & dominus respexit ad eum, & ad munera eius. Breuiter nemo non vehementer meruit obedientia, in qua propria voluntas maclatur, & Deo offertur. Tertio quia deum glorificat, hominem quoque excellentem facit, scriptum est in Esaia. Si glorificaueris Deum tuum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua: susto illa te super altitudinem terrae, ait dominus. Et in Deut. Si audieris vocem domini Dei tui, faciet te dominus Deus tuus excellentiorem cunctis gentibus. Quarto petita impetrat. Ioanne attestante, qui ait, fiduciam habemus apud Deum, quod quicquid petierimus impetrabimus, quoniam mandata eius custodimus. Et certe non potest vere obedientis repelli oratio, quae de corde puro & deuotionis pleno profertur. Nam quemadmodum hic seipsum totum tradit Deo, voluntatem propriam (qua nec charius quicquam habetur, nec tenacius retinetur) abnegando, immolandoque: sic ab ipso bono & maximo Deo omne quod poposcerit impetrabit, vel pro voluntate, vel pro vtilitate. Quippe & Christus Iesus quum per obedientiam se in ara crucis immolaret, & oraret, exauditus est pro sua reuerentia, vt Aposto-

lus ait. Heb. 5. Quinto, immunem seruat a peccato: nisi enim quis excolat Dei praecipia, immunis esse nequit a peccato. In summa, Obedientia ornat virtutibus, caelum referat, felicitatem cumulat, & omnia bona redonat.

¶ Punctus 8.

Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius.

Quia thronus est sedes iudicis: per thronum igitur iudiciaria potestas intelligitur, in qua venturi sunt sancti ad iudicium cum capite suo Christo. Dicatur ergo, Qui vicerit tentamenta videlicet diaboli, illectamenta mundi, & desideria carnis suae: faciam illum sedere in throno meo, id est, faciam illum regnare, & in iudicio iudicare, sicut & ego vici. Quid vici: diabolum, peccatrices eiusdem suggestiones omnes repellendo: confutando argutias eius, sed & mundum quoque ipsum vici, splendorem eius omnem auersando, operaque immunda, & per se detestabilia: proinde vos, o mortales confidite, quia ego vici mundum. Ioan. 16. Vicit & carnem, quae naturaliter perhorrescebat mortem, mortisque angores: vnde & transire a se calicem precabatur. Et quia omnia sibi aduersantia vicit Christus Iesus, seder nunc in throno patris, coequalis illi & coaeternus, manens in eadem potentia. Nec te moueat quod vnus thronus hic dicitur, per quem iudiciaria potestas intelligitur: in Euangelio autem duodecim numerantur, Matth. decimonono. Et in sequentibus quoque libri huius sermonibus vigintiquatuor, throni sunt. Cum enim vna sit potestas iudiciaria, dicuntur duodecim sedes propter perfectionem electorum, qui iudicaturi sunt. Dicuntur & 24. propter eos qui in vtroque testamento perfectionem fidei & vitae sunt imitati. Quare Abbas Rupertus. Cum constet, quia non omnes qui vincunt in iudicio cum domino lesuri sunt, sed tamen perfectiores, quare hic dominus promittit victori throni sessionem: Sed quod id apertius fiat, ponamus duos homines sub exemplo, quorum alter passus sit pro Christo: alter duntaxat diabolum, ac carnis sanguines sit eluctatus, conpresserit calcibus mundum. Nunquid ij duo equaliter remunerabuntur, qui non aequaliter meruerunt? Non

Subditi computantur in suis prelati.

vtique. Nam sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. 1. Cor. 15. Sed id scire conuenit, quia quod ij tales minus in se habent, habebunt in suis prelati: ideo qui per se non iudicabunt, iudicabunt in illis, tanquam vita perfectioribus. Nec inuidia, quia tanta erit charitas in eis, tantus in alterutrum affectus, vt suum quisque deputer, quod vider in altero. Sicque omnes electi potestatem iudicandi habebunt in se, vel in suis prelati: quemadmodum totum corpus habet loquendi potestatem per os, videndi per oculos, audiendi per aures, odorandi per nares, operandi per manus: quum singula membra habeant sua officia: & quod aliquod membrum non habet in se, habet in altero. Vt autem ad hanc dignitatem pertingat ecclesia, interim in hac peregrinatione gemit compressa, nec quatit celsitudinis culmen, vbi tota vita sanctorum humilitionis obtinet nomen. Dicat ergo Christus. Qui vicerit diabolum, & mundum, & carnem, & peccatum, & infernum, dabo ei sedere mecum in throno meo. Magna promissio, magna merces, magnus honos, & gloria magna: qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo: forti igitur pectore opus est dimicare aduersus hostem, promissionem speranti, spectanti mercedem. Quam mercedem? hanc de qua sermo habetur, vt sit dominus & iudex aliorum. Quid hoc potest esse honorificentius? Sed (vt dixi) opus est ad hoc peruenire satagenti, forti pectore & infatigabili: quia & ipse qui hæc dicit fortissime dimicauit. Quomodo? Aut quibus armis? cæli nondum vtebatur potestate: nec mundi regnis potiebatur, de quo Apostoli vox est, Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: in similitudinem homo factus, & habitu inuentus est vt homo, Phil. 2. Arma ergo illius erant humilitas, & habitus infirmus in patientia multa: his ille dimicauit, his hostem profligauit, his vicit. Quia quod infirmum est dei, fortius est hominibus. 1. Cor. 1. immo & toti mundo & aëris potestatibus. Videte miraculum fratres, videte & obstupescite. In forma Dei erat Christus, æternus Deus erat, vnum cum patre erat, regnabat cum patre: in multa gloria amplissima virtute potens erat: noluit tamen his vti, noluit

hoc apparere, quin potius inglorius, & velut impotens: & qui saluare non possit, hoc modo vicit, his vsus est armis: quæ tibi quoque corripienda reliquit, vt his dimices, his vincas. Nam vt superbū sequitur ignominia, ita è diuerso humilem gloria excipiet, qui non in virtute sua, sed Dei confidit potentia: timet semper, & præcepta eius custodit. ✽ Punctus 9.

Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

Pete huius loci enarrationem ex prioribus epistolis, & autè omnia adnitere vt spiritu sancti mentem habeas: habebis autem si castificatus ab operibus mortuis, & carnis illecebris, meditationi cælesti, ac pariter orationi te accommodaueris: nec non iugi scripturarum sacrarum lectio-

Oratio ac meditatio scripturarumque sacrarum lectio frequens commendatur.

Spiritu sancti dictamina spiritualiter sunt requirenda: nam caro non prodest quicquam, nec carnalis intelligentia quippiam afferet momenti. Spiritus est Deus, & in spiritu potius querendus, & colendus, & eius sensus spiritualiter examinandus. Huc pertinet miraculum, quo dominus aquam vertit in vinum: siquidem ipse idem aquam frigidæ & inspidæ literæ vertit in vinum spiritus,

Aqua literæ versa in vinum spiritualis: qualis erat Paulus, qui aiebat, Nos autem non intelligentiæ spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex scripturis.

animas inebrians vsque ad vitæ huius carnalis contemptum: quo facto nos quoque docuit similiter facere, ne filij litteræ potius quàm spiritus sumus. Spiritualis equidem diiudicat omnia. 1. Corint. 2. Sed quis est iste spiritualis? Apostolus docet, ita dicens. Si quis spiritum christi non habet, hic non est eius. Ergo spiritu Christi sit quisque spiritus: qualis erat Paulus, qui aiebat, Nos autem non intelligentiæ spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

Spiritus Dei dari possumus. Primo legendo Dei verba in scripturis factis, deinde audiendo: sic autem in vtriusque coniungantur contemplatio, fides, & amulatio: alioqui quid vtrumque illorum vtilitatis afferat non video.

Dupliciter autè spiritus Dei hauritur, quo spirituales fieri possumus. Primo legendo Dei verba in scripturis factis, deinde audiendo: sic autem in vtriusque coniungantur contemplatio, fides, & amulatio: alioqui quid vtrumque illorum vtilitatis afferat non video. Nam hac conditione beatus est & is qui audit, & is qui legit verba prophetiæ huius, vt supra memoratum est. Illud in calce accipe. Siquidem dominus in singulis epistolis primo suam in-

Nota.

dicauit potentiam : deinde opera ecclesiæ vel laudanda vel vituperanda , modesta semper admonitione proposuit. Postremo mercedem vtrique parti pollicitus est: unde audiendi studium in nobis, & in his, quibus dirigebatur epistola, exaucit. Nunc vides quam vtiliter traditæ sint ecclesiis epistolæ hæc, in quibus insertæ sunt vniuersæ viæ domini. Nemo certè est credentium, qui non in his abundè inueniat quod fugat, quod præcipuè imitetur. Tu ergo ex his contice quæra sit in sequentibus doctrinæ profunditas, qui paucis multa accepisti: quanta vtilitas, sequitur.

CAPVT. IIII.

**DE OSTIO APERTO, ET
SEDENTE SUPER SEDEM, ET
XIIII. SENIORIBVS, ET
MARI VITREO.
Sect. I. Punct. I.**



Ost hæc vidi, & ecce ostium apertum in celo.
Hic incipit secunda visio principalis libri huius Apocalypsis, in qua sunt sigillorum mysteria, vbi principio omnium aduerte prophetis esse prope peculiare, visionis suæ tempora per reges describere; ponere etiam numerum annorum, & mensium, itidem dierum quoque. Sic Ezechiel, Sic Daniel. Hic autem nouus propheta nequaquam tempus suæ prophetiæ per reges describit, nec numerum annorum ponit, aut mensum: sed tantum mentionem facit vnius diei, quum dicit: Fui in spiritu in die dominica, unde datur intelligi, quia omnem hanc prophetiam vna die vidit. Ideoque quod dicitur, Post hæc vidi, non ad vicissitudinem temporum referendum est, sed ad ordinem visionum: post superiora scilicet, quæ sequuntur. Descriptis quippe ecclesiarum septem operibus, descendit ad volumina casuum; ecclesiæ vniuersalis in communi, quæ in hac vita præsuram grauem, & robustos nemrotos venatores pati debet, à qua conditione non liberabitur quoad finiatur orbis. Premitur ergo, rotatur, tunditur ac retunditur: sed felicissime in fine exaltabitur. Nouerca est enim illi mundus, plus alio es quam mellis habes: plus fel-

Ecclesia tribulationem habebit usque in finem.

lis quam lactis : plus amaritudinis quam dulcedinis, eò quod de mundo non sit: nec mundus nunquam mater fuit ecclesiæ, de quo non est ecclesiæ: si enim esset de mundo, vtrique mundum quod suum erat diligeret: sed non est de mundo, ideo odit eam mundus, hostili persequens eam animo: suscitatur aduersus eam bella, pacem perturbat, diuinitatem foedus, concitat arma: nec est vniquam ei pax à mundo mundi que filiis adiuratisimis pertinacissimisque eius hostibus: qui modo occulto, modo aperto Marte diuincant aduersus sanctos Dei: siue ut probatiores fiant: siue ut non terrenis hæc teneantur affectibus. Præterita iam sunt multa, quæ in hac sacra Apocalypsi traduntur, ventura plurima: quatenus miles Christi semper se aduersus ea prænuiciat, semper futuris malis se præparet: fixum namque est ecclesiæ multis impeti lacessitque iniuriis, agitari turbinibus. Vidi ergo, non corporeo intuitu, sed mente: & ecce ostium apertum in celo. Cælum hoc loco ecclesiæ præsentis temporis est, ostium apertum, bene reuelatio mysteriorum hic est, quæ clausa erant. Est alibi ostium ipse, Christus: qui de se ait, Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur Ioan. 10. Mira res, Ioanni aperitur ostium, cui reuelat Christus omnia, quæcunque ecclesiæ obuentura erant, singularius quam cæteris, quem singularis prærogatiua castitatis ampliori dilectione fecerat dignum: ut semper videat, agnoscat semper, semper gloriam domini speculetur, siue quum in montem Tabor esset, siue quum in cana supra dominicum pectus recumberet, siue quum in mari post resurrectionem compiscaretur, ut merito dicat, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre. Ioan. 1. Quare igitur beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Cæteri euangelistarum quum in imo quasi serperent in homine Christi diuinitatem contemplantes: & natiuitatem humanam eius stylo pertextentes, & quæ in humanis gessit actibus: Ioannes solus supra hominem euectus verbum in principio apprehendit, quod non fecerit, sed distinguit, quando hoc apud Deum esse dicit, & hoc ipsum carne induit, & inter homines ponit: cuius gloriam vidit, quando cæcos illuminauit, excitauit mortuos, leprosos purgavit, aliæque supra facultatem hominum fecit: qui subita cruce & morte,

Sancti Dei electi persequuntur.

Cælum ecclesiæ.

randem rediniuus multis apparuit, & exactis diebus qua draginta, palam ad conspectum omnium ingenti luce & gloria caelos ascendit. Sequitur.

✠ Punct. 2.

Et vox prima, quam audiui, tanquam tubae loquentis mecum, dicens, Ascende huc: & ostendam tibi quae oportet fieri cito.

Nunc incipit audire voces, contemplari Dei magnalia ubi primum aduerte, quia haec locutio, Et vox prima &c. significat eum postea complures audisse voces, quarum prima similis erat tubae clangori, hoc est magna & vehemens. Excitatrix sanguinis atque animi est tubae vox, ita & Dei: vnde dicitur praedicatori, Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Esa. 58. ob hoc in lege iusserat dominus Deus Moyse ut faceret sibi duas tubas argenteas, Num. 10. Item dum legem pronuntiaret audiebatur sonitus buccinae. Exod. 20. Iosue quoque. 6. praecipuum fuit ita. Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum usus est in iubileo, & praecedent arcam foederis. Deinde. Sacerdotes clangent buccinis. sequitur. Quicumque septem sacerdotes septem buccinis clangent ante arcam foederis domini, omnisque populus praecederet armati exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur: ac buccinis omnia concrepabant. Praeterca usus tubae fuit ferè ab initio in bellis, ob signum, & quia eius clangore sanguis in praelia accenditur: ut non mirum sit si vocem audit horrifona tubae persimilem, quatenus experrectior animi sit, habeatque signum, quia è caelis dominus seruo loquatur, erudies illum deuentibus persecutionum, in quibus quasi in bellis exercenda foret fides & virtus, & constantia multorum: proinde dictum est ei, Ascende huc. Domini vox haec est quae testantur euangelia subinde in suis sermonibus clamauisse: siue dum salutem annunciaret orbi, siue dum mysterium redemptionis expleret, cum clamore enim valido exauditus est pro sua reuerentia. Heb. 5. Quare clamauit: aut quare & hic quoque in sono tubae loquatur: In promptu est ratio. Ingenium quippe nostrum per se torpens est, & ignauum, praesertim ad capienda caelestia: & nisi fortiori virtute excitetur iacebit iners, ignobilisque, ut nihil egregij faciat: quum verò excitatur, accenditur, sitque vegetius, ut iam acumen eius, & virtus & effi-

*Duae tubae
argenteae le-
gis veteris.*

*Christi cla-
moris ratio.*

racia valeat in omnia: ut & caelestium quoque iam capax sit mysteriorum: quod antea vix humilium naturalium rerum rationes odorare volebat. Dicatur ergo. Et vox prima quam audiui, &c. Facta est haec vox non tam propter Ioannem quam propter nos: qui dum prophetiam libri huius legeremus, audiremus, veluti sonantis tubae classico vehementius excitari expectesceremus: atque ad perscrutanda mysteria, quae in hoc volumine recta redundant, nos accingeremus: ne videlicet frustra signis clausa delirescerent. Sed quae erat ea vox? haec erat, Ascende huc. Quid est ascende huc? nisi eleuare supra te. Terribilis fuit haec domini vox & potens: sed cui? dico carni, quam statim compressit, & virtutis suae terrore repleuit. vtilis tamen ac conueniens spiritui, qua subito effectum est, ut altius à carne, & eius sensibus eleuaretur: non quod haec tenus in his confederit, quum ab initio dixerit fuisse se in spiritu in dominica die: sed quia altiora visurus erat, quam haec tenus, non immerito sublimius ascendere iubetur. Erant (fateor) optima, erant salutaria, quae vidit & audiuit haec tenus Ioannes: sed maiore sensu necessaria, quae post haec visurus auditorusve esset: utpote admirabilibus tropis adumbrata, quae non nisi spiritu purgatissimo capiuntur. Hinc nanque vniuersalis ecclesiae cursus, ordo, & fortuna proponitur: nec vnius temporis sed seculi totius quoad finiatu orbis. Moraliter Semper iusti ascendere debent in virtutibus, non lassari, nec deficere, donec mortale hoc circumferunt corpus. Nam qui non ascendunt, descendunt, quasi qui non proficiunt deficiunt: quandoquidem in via domini non proficere deficere est: Id quod in naui remis aduersus flumen impulsam videre licet, nanque ubi manus remigantium remissae cessauerint, nauis à fluminis impetu repellitur, ut nec ibi se firmare valeat ubi erat: ita nisi in via domini semper in anteriora nitatur, relapsus fiat necessè est. Tendamus igitur in anteriora semper, semper sursum nitamur donec perueniamus ad palmam, nec deficiamus. Christus vocat venite (inquiens) ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11. Adeo non est deficiendum, proinde dicitur. Ascende huc, & ostendam tibi quae oportet fieri cito. Quo verbo aperte monstratur quia in

*Profectus in
via domini
ascensus est.*

præsenti tempore hæc omnia, quæcunque reuelata sunt fore implenda. Omne enim præsens tempus æternitati comparatum breuissimum est horæ momentum, ideo etiã quæ in eo fienda sunt cito fieri oportere dicuntur. Cita nanque volubilitate decurrunt tempora: & omnia cito in eo transeunt. Quod non mediocri consolationi est credentibus scientibus cito transire omnia: & sic continuo cursu ad æternitatem eos pergere. Item quia cito ab his vitæ ærumnis liberabuntur quicunque pro æternis sustinent.

*O Punct. 3.

Post hæc statim sui in spiritu: Et ecce sedes posita erat in caelo: & super sedem sedens.

Post hæc particula, in aliquibus codicibus coniungitur fini præcedentis sententiæ, sic: Et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc. Sed communis lectio est, vt caput sententiæ sequentis sit. Non est autem ita intelligendum quod in hac visione spiritus eius fuerit seingatus à corpore: sed sicut Paulus raptus in spiritu per imaginarias visiones vidit arcana Dei: vis enim spiritus sancti eleuauit eum, vt iam non corporeis vteretur sensibus: sed solum viuere sibi & esse videretur in spiritu, in quo & positus erat. Quo in loco moraliter docemur nos recolligi debere in spiritu, quicunque contemplari caelestia desyderamus, & illa discere. Docemur item spiritualia magis quàm amare carnalia: caelestia quàm terrestria, Apostolo exhortante, Si cõsurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, non quæ super terram, Coloss. 3. Et alibi, Spiritu ambulate: & desyderia carnis nõ perficietis. Gal. 5. Et ecce sedes posita erat in caelo, &c. Ex hinc quæ sequuntur vsque ad principium cap. 6. multa præclarissima ponuntur: quæ non mediocriter faciunt ad libri sigillati excellentiam. Primum est mirabilis Dei maiestatis apparitio, quod in hoc capite traditur. Ostensus nãque suam maiestatem dominus conuenientissimis in hoc ipsum typis vtitur: vbi primum obiicit Ioanni sedẽ positam in caelo, quemadmodum & in Ezechiele quoque; visa est sedes in caelo, ecclesiæ sanctæ significans sublimem ac caelestem conuersationem. de qua re loquitur Apostolus dicens, Nostra cõuersatio in caelis est. Sive vt alij vertunt, Nostra ciuilitas caelestis est. Phil. 3. Item. Illa autem

Cælestia desyderantem oportet recolligi in spiritu.

quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra. Dicatur ergo. Et ecce sedes posita erat in caelo. Ecce, demonstrantis est dictio, qua solet aliquid repentinum in speratumque, & insigne quippiam demonstrari: & reuera insigne erat quod videbat. Quid videbat? Sedem positam in caelo videbat: & super sedem sedentem. Cælum sedes Dei est, Esa. vlt. Et Matt. 5. Cælum thronus eius esse dicitur. Et propheta ait. Dominus in caelo sedes eius, Psal. 10. Et rursum, Psal. 102. Dominus in caelo parauit sedem suã, &c. Sed quando hæc sedes posita est? Si Christi regnum consideras, videbis plane, tunc sedem positã esse quando à mortuis resurrexit Christus (qui non soluitur à diuinitate. 1. Ioan. 4.) In hominibus tunc quippe regnum Christi cepit: nam extunc & fides eius orbi inclauit, & omnes Christo initiati sunt fideles: prout eleganter exprimitur Psalm. 92. Parata sedes tua Deus extunc, id est, ex resurrectione, quando dominus indutus est decorem gloriæ regni sui: & in fortitudine virtutis suæ præcinctus: nam & aduersarios suos strauit: & heribum spoliavit. Tunc ergo parata positãque fuit sedes illi secundũ quod homo: secundum quod Deus sedẽ semper habuit, quia eius potestas æterna semper fuit. Hanc sedem promissit angelus diuæ mari virgini. Et dabit ei (inquit) dominus Deus sedem Dauid patris sui. Luc. 1. Ergo Dauid prius sedit super sedem hanc: Sedit, sed in figura. Nam omnia in figura contingebant illis. 1. Cor. 10. Tunc autem Dauid sedit sedem hæc, quum regnum Israëlitici populi obtinuit, qui regnauit in figura Christi in populo Dei: qui secundum carnem factus est ex semine Dauid, vt inquit Apostolus Rom. 1. Nam sicut futurum erat, vt destructo regno peccati regnaret ille iustitia rex Christus: sic factum fuit, vt depulso Saule, Dauid habenas imperij arriperet, quasi tenerrimus ligni vermiculus, humilis in oculis suis, vt diceret. Ego sum vermis & nõ homo. Psal. 21. recto sane supernæ dignationis ordine, vt prior filio pater, rex sederet in regni folio: cuius imperij conditio apertius hinc exponitur in sequentibus.

*O Punctus 4.

Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis & Sardij.

Comparatur Christi diuinitas lapidi, quod in se firma sit perpetua soliditate: stabilis, quæ natura immutabilis est. Iac. 1. Apud quem non est transmutatio: nec vicissitudinis obumbratio. Est idem lapis angularis duorum parietum, totius ædificationis connexiuum, quem reprobauerunt ædificâtes: Lapis, inquam, iustificationis, vniõnis, & gloriæ nostræ. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum. 1. Petr. 2. Et infra, Propter quod continet scriptura. Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, probatum, electum, præciosum: & qui crediderit in eum non confundetur: vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificâtes: hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali. Psal. 117. & Esa. 28. Locum Psalms citat & dominus Matth. 21. Nunquã, inquam, legis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, A domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris. & qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem verò ceciderit conteret eum. Quod perinde est atque diceret, Læderet quidem credens peccato, quum cadit, sed non penitus conteretur, comminueturque: quia per pœnitentiam spes est resurgendi illi, donec virtus fundamenti sustinet illum: sed is qui incredulus est, pondere lapidis desuper cadentis oppressus comminuitur, cui virtus surgendi nulla à fundamento tribuitur. Per pondus accipe grauitatem iudicij, quo iam iudicati sunt increduli, in eo quod fidem Christi non habent. Comparatur autem, non solum lapidi simpliciter, sed præcioso lapidi Iaspidi & Sardio. Et quod eo præciosus Deo: Virtus inest Iaspidi, Sardio quoque, & Deus virtutē habet incomparabilem. Iaspis aquatici, Sardius ignei dicuntur esse coloris: quia nimirum Deus olim per aquam orbem iudicauit, in futuro per ignem hunc eundem iudicaturus est. Sed quia inter vtrunque iudicium, propitiatio paternæ cuiusdam miserationis intercedit. rectè Iridem quoque, quod propitiationis est signum, per sedis circuitum ponit. vnde sequitur. Punct. 5.
Et iris erat in circuitu sedis similis visioni Smaragdine.
Hic qui iudicandi potestatem in virtute sua tenet sedem

suam propitiationis signo ambit, eo quod ecclesia tota in propitiatione sit posita. Nam & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. Ioan. 2. Ecce Iris. Item. Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius: vt nihil sit vsquam in Dei ecclesia, quod non Iride permixtum sit. id est, Dei propitiatione, vbi toties sit remissio quoties peccatur. In quod Petro interroganti dominum vtrum peccanti fratris septies, remittendum sit: responsum est ei, Non septies tantum sed septuagies septies: id est, toties quoties. Matth. 18. Ecce iterum Iris, Dei videlicet miserentis magna propitiatio, magna in nos gratia. Pærus iuxta humanam existimationem magnum quid reputabat septies remitti noxam proximo peccanti. Sed Christus vberiore indulgentia compressit eam illiberalem reputationem, à quo quicquid in nobis est, nõ nisi mera propitiatio est: vt tute dixeris rectissime in reuelatione tantæ gratiæ, tãti in nos fauoris Iride eius sedem ambiri: quia in circuitu regni Christi vbique propitiatio est. Græca vox est Iris, Latine Iris Latine
Arcus.
Arcus interpretatur. hic diebus pluuiaribus aduerso sole, id est: ex opposito existente curuo tractu per conuexum cælum apparet. Iridis causam conati sunt reddere philosophi radium solis cauæ nubi immissum, qui repulsa acie in solem refringitur. nubes enim formam arcus discoloris efficiunt, dum aliæ partes earum tumidiores sunt, aliæ summissiores, & quædam crassiores, quàm vt solem transmittant, imbeciliores aliæ quàm vt excludant: quæ inæqualitas alterius lucem vmbraque commiscet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem. De quo Vergilius in 5. libr. Aeneidos sic scriptum reliquit.

Cum nubibus arcus

Mille trahit varios aduerso sole colores.

Iouianus quoque Pontanus, poeta nostri æui, haud contemnendus author.

Obliquus quum se radiorum impegerit ardor

Nubila per conuersa acies in fronte resultat,

Flectuntur retro radij: sit protinus arcus.

Ille quidem varios ducens e nube colores.

Idem.

*Et quoniam obliquum ad solem, aduersumque parentem
Apparet longe oppositus in partibus Iris,
Idcirco non in gyrum, non cogit in orbem
Se se audaci neque enim est ipsi circumdata soli,
Vnde referre queat speciem toto ore rotundam.*

Iris Dei factura.

Refert Aristoteles noctu aliquando visam Iridem. Hanc positam esse à Deo post cathaclysmum in signum fœderis sacra docent literæ. Scriptum est enim Gen. 9. Dixit Deus. hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus cæli: & erit signum fœderis inter me & inter terram. Cumque obduxero nubibus coelum apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei: quod pepigi vobiscum: & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erit ultra aqua diluuij ad delendam vniuersam carnem: eritque arcus meus in nubibus: & videbo illum: & recordabor fœderis sempiterni. Et post pauca verba, hoc est (inquit) signum fœderis quod constitui inter me & omnem carnem super terram. Vnde habetur non coarctamundo Iridem esse, vt putauerit philosophi, sed nouo opere post diluuium primum positam pro signo fœderis inter nos & Deum, vt non disperdat ultra aqua diluuij omnem animam viuam. Ille ergo creat eam, quoties apparet tam mirabili multiplicium colorum varietate obiecta oculis, qui pactum constituit cum homine in eiusmodi causa: quatenus sciamus illam modo esse propitiationis signum. qua etiam ratione ambire visa est sedem in circuitu. Per allegoriam vt quibusdam placet. Iris fides est, in qua quia misericordiam consequuti sumus, iustificati à peccato, rectè ecclesiam ambit, quæ fidei custodia circumdatur, vt pro muro cæterum nobis sit fides ipsa contra demonum vafrias, & omnes portas inferni, ne nocere possint: est eadem gloriæ quoque corona. Quo in loco & illud accipe, quia Iris hæc in hac scriptura similis Smaragdine visioni dicitur, quandoquidem sola Dei misericordia effectum est, vt peccatis mundati cæterum iustitiæ viuamus: quæ etiam ratione nos mire afficit ac delectat ipsa Dei misericordia. Idem facit & fides, in

Iris fides.

qua iustificationem à peccatis ex sola Dei misericordia promeruimus. Smaragdus teste Plinio lib. 37. Naturalis historix ca. 5. lapis est admodum præciosus: atque oculis intuentium gratissimi viroris: cuius viriditas tantæ est potentia, vt cui rei proximæ adhibeas inficiat colore: atque omnem circa se aërem viridem reddat. Viror inest misericordiæ Dei qui imbuir omnia: nã, Misericordia domini plena est terra. Psal. 32. & hæc gratissima oibus, omnes afficiens, ac mirè delectans. Tam verò quæ Iris varij sit coloris, per hoc exprimi arbitror, quia varia sunt dona gratiarum, per misericordiã, Dei que propitiationem, humano generi collata: enumerat Apostolus. 1. Cor. 12. Præsertim verò duo sunt in eo colores excellentiores, viridis, & rubeus: in quibus aperte designatur, aqua baptismi, & sanguis redemptionis nostre: intermedij colores, virtutes sunt, quibus ornatur baptismus, & redemptio in nobis, hoc si falsum est, falsum sit necesse est quicquid tradidit Paulus, aliue post Christum: qui omnes velut classico hortantur ad exercitia virtutum: sed per illa primum iustificamur ab impietate atque immunditia peccatorum, quæ erant in nobis antequam delerentur: & ideo illis præsertim cingitur ecclesia: inque nouitatem vitæ pulchro velut ore assurgit. Possumus non inconcinne per eosdem colores, & duo Iudicia Dei intelligere, de quibus mox supra diximus. alterum quod factum est per aquam, alterum quod futurum est per ignem. * Punct. 6.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: super thronos xxiiij. seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis: & habebant in capitibus suis coronas aureas.

Sicut in sede regnum Christi & Dei, sic in sedilibus sanctorum eiusdem iudiciariam intelligim⁹ potestatem. Iudicabunt (inquit Apostolus) sancti nationes. 1. Cor. 6. Nunc in quæstionem venit, Cur dominus in euangelio duodecim thronos, super quos Apostolos duodecim testatur sessuros in iudicio dicēs, Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel: hic autē Ioānes viginti quatuor cōmemorat, duplicato videlicet numero super quos xxiiij. seniores ponit. Aut quæ diuersitatis ratio? Verum in veteri lege numerantur & duodecim. Patriarchæ & xiiij. duodecim tribuū origines: & duodecim iudices. Seniores xxiiij. Patriarchæ & xiiij. Iudices.

Smaragdus lapis præciosus.

In Iride color viridis & rubeus excellent.

Patriarcharum nomina habes infra cap. 7. Iudas, Ruben, Gad, Afer, Nephthaim, Manafes, Symeō, Leui, Iſachar, Zabulon, Ioseph, Benjamin, oēs filij Iacob, qui & Israel dicitur. Iudicum vero nomina hæc sunt. Primus Othniel, filius Cenez, frater Caleb. Secundus Aioth filius Gera, filij gemini. Tertius Sangar filius Anath. Quartus Barach filius Abinoen: de Cedus Nephthaim. Quintus Gedeō filius Ioas, Sextus Iair Galaadites. Septimus Iepthe Galaadites. Octauus Abeſſan de Bethlehem. Nonus Ahilaō Zabulonites. Decimus Abdon filius Hellel, Pharaonites. Vndecimus Samſon. Duodecimus Samuel. Sunt ergo duodecim throni Apoſtolorum. Sunt vigintiquatuor ſeniorum: cum quibus ad iudicium venturum dominū Eſaiās prædixit cap. 3. Est & thronus vnus, prout circa finem capituli præcedentis dictum est, magna ſaris calculi ratione. Siquidem numeri hi ſecum ſua myſteria ferunt. Scimus vnitatem principium numerorum eſſe: & hæc ad vnitatem diuinæ eſſentiæ refertur. Duodenarius verò vel eò perfectus eſſe prohibetur, quod & tria contineat & quatuor: nã ſiue ter per quatuor: ſiue quatuor per tria numerū duodecim conſtituunt: vbi & trinitas ſuper benediſta, & quatuor mundi partes, in quibus per Apoſtolos fides trinitatis extitit prædicata relucent. Vigintiquatuor conſtant, ex ſenario, & quaternario: quater enim ſeni vigintiquatuor faciunt. ſenarius refertur ad dei operationem ſex diebus perfectam: nam & ſexto die hebdomadis & ſexta hora diei eiufdem hominem deus in carne redemit. Aut certe illorum perfectionē numerus hic exprimit, qui ſex opera miſericordiæ clara euangeliorum prædicatione, ſiue etiã obſeruatione conſummant. Aliis placet intelligi in ſenioribus hiſ vigintiquatuor magna ſaris ratione iudices duodecim veteris legis, nulla patriarcharum ratione habita: & totidem noui teſtamenti Apoſtolos, quos iudices per ſe futuros appellauit dominus: quatenus ij quaſi ante & retro circumſedere ſuis circumpoſitis ſedilibus viſi ſunt ſede domini: id eſt, regnū Chriſti quod eſt eccleſia. Sunt ergo in circuitu ſedis ſedilia. xxiiij. & ſuper ea totidem ſeniores: quia nimirum in eccleſia Dei ſunt, qui illorum. xij. iudicum locum obtineant, vt ſunt ſæcularis fori iudices: qui duplici perfectione, ſpi-

*Seniores 24.
12. iudices veteris legis xij
apoſtoli.*

*Iudices tam
ſæculares quã
eccleſiaſtici*

ritali ſcilicet & externæ operationis, in adminiſtrãdo iuſtitiam, ornari debent: id quod per geminatum ſenarium intelligitur. Alij ſunt eccleſiaſtica poteſtatis iudices, qui forum conſcientiæ iudicant: & ij ſpirituali perfectione, ac externæ operationis d. core lucere debent, quibus iniungitur: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & gloriſcent patrem veſtrū qui in cœlis eſt, Matth. 5. Et iterū, Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter perfectus eſt. Qua etiã ratione hos ſeniores appellari puto, quia videlicet perfectionis maturitatem internè externæque habere debent, quo æquius populum Dei dirigant, ſape iuueniliter laſciuientem. Non ergo in anis ſenectus hic computatur, de qua ſcriptum eſt, Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & gr̃as ſenectutis vita immaculata. Sap. 4. Et quidem vehementer opus eſt populo Dei prudente ac perfecto iudice, qui regat dictis animos, & pectora mulceat: dirimat coortas lites: ſeruat pacem, concordiam firmet, expuret admixto celere conciliabula populi Dei: malitiam coerceat: quatenus placatus Deus benignis oculis e cœlis reſpiciat, foueat, protegat: & omnia ſigna eximij amoris oſtendat. Scriptum eſt de iudicibus ſuſcitauit dominus iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus, ſed nec illos audire voluerunt, fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos. Deinde ſequitur, Cũmq; dominus iudices ſuſcitaret in diebus eorū ſteſtebatur miſericordia, & audiebat aſſictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium: poſtquam autem mortuus eſſet iudex, reuertebantur, & multo maiora faciebant, quã fecerant partes eorum ſequentes deos alienos, & ſeruientes, & adorantes eos. Proinde ſeniores eſſe debent omnes, qui præſunt, graues pietate & meritis: vt ad cõſpectum eorum cætera plebs, etiã ſeditione inter dum mota compeſcatur, arreſtiſque auribus adſtet. Idcirco & albis veſtiti dicuntur, geſtariſque in capitibus ſuis coronas aureas: non ſimiles auro, quemadmodum hypocritæ & hæretici omnes, de quibus infra dicitur cap. 9. Verè enim reges ſunt ij, qui fidei candore, ac vitæ innocentia prænitent, ſapientiam in mente habentes: hoc eſt enim caput, quod mens: & hoc corona, quod ſa-

*Iudex ſiue
pralat⁹ quiſ-
que qualis eſ-
ſe debet.*

Caput mens.

piencia, præminet caput corpori, & mens animæ: corona capiti imponitur, & mens sapientia decoratur. Mens ibi per caput intelligitur, vbi dicitur. leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, Luc. 21. Nihil æque in populi iudicibus flagitat Deus, ac sapienciam cum morum integritate & iustitia iudicij. Ergo coronæ auræ in capitibus iudicij visa sunt qui circumamicti vestimentis albis erant, quia videlicet sapientia singulari populi rectores prænitere debent, & vitæ castimonia. Ad hæc vt iustitiam teneant in iudicando, in quo casti esse debent, cautique vt non deprauentur. Hoc & Romanis olim consuetudo erat, vt candidis induti magistratus peterent. Sic enim scriptum est. Si delectamini sedibus, & sceptris o reges populi, diligite sapientiam vt in æternum regnetis. Sapient. 5. Et iterum, diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis. Et in Ecclesiastico legis, Sapientis oculi in capite eius, cap. 2. Ecce habes, quid sedes, quid sedilia circumposita, quid seniores, quid vestimenta alba, quid coronæ in capitibus sint. Quia regnū Dei & Christi ambiunt iudices iusti, candidi ac sapientes. Sed hic vnum aduerte diligenter. Nam cum primum sedilia, xxiiij. circum sedem posuisset, hæc eadem statim thronos appellauit. Nūquid hoc sunt sedilia, quod throni? Respondeo, idem esse possunt, sicut & debent. Siquidē iste sedes sunt singularis eminentiæ, quæ solis apostolis, apostolicisque viris, iudicibus & doctoribus conueniunt, ambiētes sedē tribunalis iudicij, quæ est solius Christi & Dei, cum quo apostoli, apostolicique viri iudices quoque & doctores consentiunt: vt quum authoritatiue penes Christum stet definitio iudicij; approbatiue tamen & apostoli, & apostolici viri, iudices & doctores iudicaturi sunt in extremo illo iudicij die. Donec autē in terris manet ecclesia, hi omnes exercent in subditos ministerialiter & quasi subauthoritatiue sua iudicia. Quocirca & sedes eorum throni vocari promeruerunt. Sequitur. † Punct. 7.

Et de throno procedebant fulgura & tonitrua, & voces: Et septē lampades ardētes ante thronū, quæ sunt septem spūs Dei.

Postquam seniores nostri in sedibus eorū circa sedem Dei sunt collocati, protinus de throno fulgura, & tonitrua, & voces erumpere capere. Quia nimirum simular-

que apostoli iudices orbis authoritatem à Christo accipere, & simul cum iudicibus veteris testamenti computari vno catalogo sunt: statim fulgura miraculorum, & tonitrua prædicationum, itēque voces exhortationum subsecuta sunt, vbiq; domino cooperatē, & sermonem confirmante sequentibus signis. Marc. vii. Nonne Petrus fulgura, & voces, & tonitrua edebat, quando accepto spiritu sancto in igneis linguis ignea in omni potestate & virtute fulguraret, tonaret in magno audientium stupore Dei eloquia: de quo in Actis apostolorum dicitur, Stans autem Petrus cum vndecim eleuauit vocem suam, & loquutus est eis, &c. Ad cuius prædicationem, & terribilia tonitrua, fulgura & voces, tria millia hominū sunt conuersa ad fidem. Nam & claudum ex utero matris in pedes subito erexit, vt diffiteri non possent, quia hic est Iesus orbis saluator, quem pater misit nobis è cælis, secundum scripturas prophetarum cuius nomine hæc fiebant. Nonne & Pauli vox tonitruum erat & fulgur, quando post sui conuersionem intrans & exiens, tanquam fortis bellator armis præcinctus fulgidis, vt heros admirabili potentia prædicabat quoniam hic est Christus qui solus imitandus esset: quem etiam prolatis testimoniis scripturarum confirmabat: cuius nomine multas in plebe virtutes faciebat: certabat cum rebellibus Iudæis: & aduersus improbos diras sententias pronuntiabat dicens. Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnū Dei possidebunt. 1. Cor. 6. Illud quoque, secundum duriciam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique secundum opera eius, Ro. 2. Item. Qui alij doces, teipsum nō doces: qui prædicas non furandū, furaris: qui dicis nō mœchandū mœcharis: qui abominaris idola sacrilegiū facis: qui in lege gloriaris, per præuarcationē legis Deū inhonoras. Et ne cuncta ex eisdem epistolis citē loca, in quibus vsque modo sonantia tonitrua mugiunt terrētque. Sic alij quoque: vt est illud Iacobi. Agite nūc diuites, plorate vlulantes in miseris vestris, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta

vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum eruginavit, & erugo in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis: thesaurizastis vobis irā in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui mesuerūt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorū in aures domini sabaoth introiuit: epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra. Iacob. 5. Terrifica hæc tonitrua sunt, corda quatiētia, voces admirabiles. & fulgura, quæ iam tum prodita quidem fuere de throno. Sed & modo quæcunque sublimiter de Christo annunciatur, & vocatione regni, & peccatorum damnatione, non nisi tonitrua sunt, & fulgura, & voces de throno Dei prodeuntes. Iam verò quid lampades sint ante thronum ardētes, exponit per se Ioannes dicens, Quæ sunt septem spiritus Dei, ij videlicet à quibus idem autor ab initio gratiam pacemque optauit. hi sunt & septem oculi vnus lapidis. Zachar. 3. & 4. Et septem oculi agni infra eod. cap. Item septē lucernæ vnus candelabri, Zachar. 4. Hæ igitur ardentes lampades sunt vniuersa charismata Christi, quæ perpetuo ardent ante thronum Dei: nunquam enim sine eis thronus Dei esse potest, immo absq; eis nullatenus caret ecclesia, quarum splendor multo amplius, latiusque post Christi passionem, & resurrectionem, inque cælum ascensionem emicuit. Lucent hæ septem lampades ex vno candelabro, id est, septem spiritus ex vno eodem Christo, quorū splendor quinquagesimo post resurrectionem die super discipulos longe copiosius in linguis ardentibus illuxit. Hos spiritus super vnum florem requiescere testatur Esa. cap. 11. de radice Iesse ascendentem, qui Christus est. Semper enim Christus flos florēs charismatibus gratiarum fuit, habens super se hos spiritus septem, qui sunt sapiētia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, & timor: hi sunt septem spiritus lampadēque ardētes ante thronum Dei, hoc est, ecclesia sanctorum, vt hi omnes eosdem spiritus in se habeant, quos Christus super se habuit: quatenus sapore Dei quisque eorum repletus sit, vt intelligentiam rerum spiritualium habeat, vt cōsilio præluceat, fortis sit aduersus vicia, nouerit quæ agenda sunt in re salutis, pius sit in proximum: & timeat Deum. Qui idcirco

Lampades
ardentes spiritus Dei.

Christus flos
super quem
requiescunt
septem spiritus.

spiritus Dei sunt, quia ab ipso creantur dona hæc, & prodeunt ab ipso, & in his ipsis suam virtutem exerit in nobis. In sapore & gustu habeat oportet Deum, quisquis ad vere beatitudinis brauium festinat, intelligat voluntatem eius, & mirabilia mysteria eius vim natura excedentia: eligat meliora, & quæcunque in salutem sunt ordinata amplectatur: resistat fortiter malis cupiditatibus: sciat vitā in ambiguis rebus dirigere. Ex ordine disponat vniuersa, succurrat necessitatibus proximi egentis, timeat dominum semper, & amet: vt nulli dubium sit quenque egere his spiritibus. Breuiter, lucere debent in conspectu throni dona hæc in quocunque electo: non intellectu solum aut in voluntate, sed in opere & sermone: vt totus ardeat christianus, sitque vt lampas accensa & lucēs: domino dicente, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est, Marth. 5. Sic ergo vitæ sunt septem ardentes lampades ante Dei thronum, vt hisdem ardeat luceatque in cōspectu Dei pius christianus, placeat illique. Equidem quicūque his lampadibus, id est, spiritibus Dei arserit, is demum placet Deo. hoc enim est ante thronum Dei esse, quod placere Deo.

Deo quis
placens.

Punct. 8.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. Quid per mare nisi baptismum intelligimus? quod bene in conspectu sedis, tanquam mare vitreum, quod simile erat crystallo, perhibetur: quia omnis qui vult in illam sedem ascendere, introire in regnū Dei, oportet vt transcat per illud mare, illuminetur lucido lampadarum lumine. Mare appellat luterem. Legimus enim. 3. Reg. 7. quod Salomon fecerit mare: id est, luterem in templo domini, quod fusile dictum est, ad sacerdotū abluionem, orbiculare sursum: cuius semidiameter quinque cubitorum, circumferentia autem triginta cubitorum erat. post duos verò cubitos à labio superiore descendendo vergebat de rotunditate in quadrum: & iterum dilatabatur, & distendebatur iterum, & crescebat eatenus, vt decem cubitorum fieret latus quodlibet quadraturæ subtus. Sustētabatur autem opus totum æneum duodecim æneis bobus, ad singulas orbis plagas tribus respicientibus bobus: & ex ipsorum ore, dum opus esset, aquas effundētibz si-

Mare bapti-
smus.

Mare fusile.

fulis, posterioribus boum partibus subtrus mare æneum absconditis. altitudo vasis quinque cubitorum erat, spissitudo aris palmatis, quasi labium calicis, & repandi liliij folium. capiebat vas totum duo millia batos aquarum.

Baptismus quid. Per mare ergo hoc, intelligere debemus baptismum, qui est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum,

vt tradit Magister in 4. Sent. dist. 3. Recte autè baptismus per mare figuratur, videlicet ad similitudinem maris rubri, per quod populus Dei ab Ægyptiaca seruitute liberatus, immolato agno, tránsiit, Pharaone submerso cum curribus & equitibus suis, prout scriptũ est, Exod. 12. De hoc meminit & apostolus. 1. Cor. 10. dicens, Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari. Vitro autem comparatur quod perspicuum est & purum, quia in baptismo mundiciam recipimus spiritalem: vitrum enim intus & foris claret, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit in salutem. Obserua, Idem mare crystallo dicitur persimile. Crystallum ex aqua nascitur,

Crystallum.

& multo frigore durefcit in lapidem: & fides ex aqua baptismi in homine christiano solidatur fomite vrcunq̄ refrigerato. Septem ergo lampades ardentes, quę sunt septem spiritus Dei: & mare vitreum simile crystallo videbantur ante thronũ, & in conspectu sedis: quia in ecclesia ardet spiritus sanctus, & fidei firmitas ex baptismo prodit. Purum est crystallum, & baptismus purificans est, de quo in Ezechiele dicit dominus, Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Ezech. 36. Et Paulus Corinthiis scribens, quũ enormia peccatorũ genera numerasset, deinde subiũxit dicens, Et hæc quidem aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. 1. Cor. 6. Item Act. 15. fide purificans corda. Quæris vnde hæc sit tanta virtus aquar, vt corpus tangat, & cor abluat? Respondeo, Ex verbo Dei, quod efficax est & potes: non quia dicitur sed quia creditur, vt tradit Aug. super Ioan. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. In duobus itaque consistit sacramentum baptismi, videlicet in verbo & elemento: aliis in decorem adductis,

Baptismi sacramentum in duobus consistit.

etiam si sint significatiua mysteriorum, faciãtq; ad præparationem suscipiendi sacramentum: quæ si desint interrim, non minus est sacramentum verum & integrum, vbi verbum inest & elementum. Lege de baptismo copiose Magistrum sententiarum lib. 4. dist. 3.

*DE QUATUOR ANIMALI-
LIBVS OCVLATIS ALATISQVE,
TER SANCTVS PROCLA-
MANTIBVS.
Sect. 1. Punct. 2.*



*E*nim in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro. Quid in medio sedis, & in circuitu animalia ante & retro oculis plena designant, nisi quod omnipotens Deus intra ecclesiam, & in circuitu constituit homines doctissimos, ac intellectu perspicacissimos qui ante cernant, & retro: rebusque ecclesiarum consulant: qui insigniter animalia sunt, quod ratione vtantur, prudentesque sint. Homines namque docti & illustres, qui ad clauum Reipub. christianarum positi sunt, oculati sint ante & retro oportet, excubentque & peruideant, & quæ præterita sunt, & quæ futura: quatenus ex his præsentia vtilius componant. Namque idcirco prudentiam rectam rationem agibilium dixerit philosophi, quæ vna est ex virtutibus primis, quas cardinales vocant: vtiliore tamen fructu hæc aliis probatur, quod sub hac catere cadant: nec vlla reliquarum possit carere prudentia: nam si iustitia iubet reddi unicuique quod suum est, prudentia rationem dat, atque adeo reddendi normam. Si temperantia nihil peccitandum omnino appetat, nec legem moderationis transgreditur: prudentia sane in homine temperante præstabit, quo laudatissimè id efficiat. Si fortitudo agit animum supra corporis periculi metum, prudentia moderatur, ne quid temerè fortis agat, & vt vno verbo cuncta complectar: Prudentia, spiritus quidam vitalis est virtutum omnium, cuius officium est peruide-re quid, quando, & quomodo sit agendum: qua etiam de causa fit agendũ. & in hoc reddit quocũque oculatũ, hoc est

*Prudentia
laus inter om-
nes virtutes.*

*Prudentes par-
tes quæ sunt.*

acri iudicio perspicacem, vnde prudens ne id solum con-
siderat vtrum res illa quam proponit honesta sit, sed etiã
vt habeat efficiendi potestatem : & ideo considerat , ne
aut temere despiciat periculum propter ignauiam: aut ni-
mis præsumat propter zelum. Intueti ergo debet, ne plus
debito afficiatur, vt quum præceps irruat, ne aut proiciẽ-
dum sit onus, aut in procarfu oneri succumbẽdũ. In om-
nibus ergo rebus antequã fiant adhibenda est prudentia.
Eiusdẽ prudentiẽ & illud est vt peruideat, nõsq; edoceat,
vt quæque agimus quæq; dicimus, quæque meditamur,
deo sint grata in primis, ac deinde nobis proficua. Eius-
dem est & res, secundum veritatem , & non secundum
multorum opinionem æstimare, vnde quisquis prudentiam
sequi desiderat, omnia prius rationis æquilibrio pẽ-
ser examinẽtque: atque dignitatem rebus nõ ex opinio-
ne vulgi, sed ex earum natura constituat oportet. Quid
vltra dicam? prudentia facit continenti studio inchoata
perficere, vt non ante finem debitum dimittantur, quæ-
cunque prudens intentio visa est suscepisse : Quando-
quidem sicut perfectam laudem conciliant quæ perfici-
untur. ita vituperationem inducunt, quæ in mediis con-
natibus imperfecta deseruntur : defectus enim hic aut
consilium errasse, aut voces arguit defuisse. Denique pru-
dentia ipsa aptat constantem tempori, vt non mute-
tur. Vir enim integer, & constans manet fixus in tempo-
rum varietate, nec mutatur sicut sol: stultus autem vt lu-
na muratur. In primis verò laudatissimum illud est in
prudentia, quòd turpia in occulto sicut in publico vitat.
Prudenti enim viro nihil turpe est faciendũ, etiam si om-
nes lateat: etiam si omnes homines celare possit. Qua-
propter nihil à nobis auarè, nihil iniustè, nihil libidino-
sè, nihil incontinenter est faciendum, vt prudẽtes simus:
quippe sapientis est nihil pœnitendum facere: sed splen-
didè, sed constanter, sed grauitè, sed honestè cuncta di-
spouere. Prudentia docet potius in prosperis quàm in
aduersis consultè agere. Proinde viri sancti, qui virtute
prudentiæ pollent, quum sibi cernunt prospera mundi
suppetere, pauida suspitione turbantur: cautèque se ge-
runt quia timent, ne hic laborum suorum fructus reci-
pian: ac iuxta ne diuina iustitia latens in eis delicti vul-

*Prudentia in
prosperis con-
sultè agit.*

nus aspiciat, & externis eos muneribus cumulans ab æ-
ternis repellat. Non potest homo actus rationis sine hac
prudencia ordinare: nam prudentem virum quicquid pu-
det facere, pudet & cogitare. Postremo prudentiæ est,
non solum cogitationes, sed etiam intentiones ad bo-
num finem dirigere: propterea in Ezechiele, Alata hæc
animalia ire dicuntur ante faciem suam, nec reuertit.
Ezech. i. Quod perquam necessarium est ad vitam cur-
renti, id est, vt per bonam intentionem rectè agat: Quia
si cor imprudentis semel noxia intentione corrumpitur,
sequentis actionis medietas & terminus ab hoste calido
occupatur. Sic & arbor quos parturit fructus amittit, quæ
morbi veneno in radice vitatur. Summa igitur cura, &
prudenti discretione vigilandum est, ne bonis operibus
occupata mens nostra reproba intentione deprauetur.
Ecce tibi oculata animalia.

✽ O Punctus 2.

*Et animal primum simile leoni, secundum animal simile
vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, et
quartum animal simile aquile volanti.*

Animalia hæc facie & nomine iam dudum sanctæ ec-
clesiæ cognita sunt, quæ sanctorum figuram præstant in animalib⁹
euangelistarum, vt Marcus sit leo, Lucas vitulus, Mar-
thæus homo, Ioannes Aquila volans. Idcirco autem
Marcus Leonis nomine designatur, quòd terribili quo-
dam rugitu prædicationem suam à pœnitentia orsus in
comminatione iudicij finiuit: subito enim quum dice-
ret, Initium euangelij Iesu Christi, filij Dei, adiunxit.
Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptis-
mum pœnitentiæ, &c. In fine autem. Qui, inquit, credi-
derit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non credi-
derit, & baptizatus fuerit, condemnabitur. Quia ergo tam in principio, quàm
in fine terrorem peccatoribus rugitu incutit: rectè
pro intentione sua terrificam Leonis faciem exhibet, ad cu-
ius vocem rectè consternari vniuersi peccatores, & ad
meliorem vitam expurgare debet: eo quòd supremum
iudicij examen nullus effugiet. Quod si verum est Leo-
nem rugitu lucis exortes excitare suos à partu factus, ne-
mo eo præclarius scripsit voce patris à morte dominum
excitatum: propter quod ecclesiæ vsus habet, in die Re-
surrectionis domini vbique in ecclesiis decantari publicè

*Marcus leo
est.*

Lucas vitulus.

cu angelium eius. Lucas vituli specie adornatur, vitulus quippe immolaticium animal est: namque olim pro peccatis vitulus rufus cedebatur, ut praescriptum legis erat: eratque sacerdotum hostia vitulus, & in templo offerebatur: & Lucas ipse in sua narratione tam in principio, quam in fine, circa templum Dei versatur, qui a sacerdotio coepit in hunc modum. Fuit in diebus Herodis regis sacerdos quidam &c. & in hoc finit. Quia erant, inquit, semper in templo laudantes, & benedicentes Deum. Denique quod Lucas aperitius & plenius narrat de Christi passione, in qua ipse dominus noster Iesus Christus ut animal immolaticium castus est pro nobis, vitulus ille saginatus, de quo idem Lucas meminit cap. 15. Breniter, Apud eundem sanctus sanctorum prout vincus sit, & de spiritu sancto conceptus, fidei narratione refertur, ca. 1. Item ad Iordanem quomodo spiritus sanctus super eundem descendit verum sacerdotem in specie columbae: quem tanquam sacerdotem demonstrans, generationem eius non descendendo, sed ascendendo depinxit. Ascendens namque transit ad Adam, & peruenit ad Deum: cui per expiationem sacerdotij Christi, puri mundi que adstamus. Proinde & principium, & finem genealogiae sanctae eius, quam digessit, fecit de adoptiuis patribus filiiisque. Air enim, Iesus erat filius Ioseph (ut putabatur) qui fuit heli: In fine autem de Adam, qui fuit Dei. Sed neque Ioseph Iesum, neque Heli Ioseph genuit, sed adoptiuum habuit: neque deus Adam genuit, sed plasmauit. Etenim quia sacerdotalem domini personam texere volebat, recte sic processit. Siquidem sacerdotalis genitura, qua nos Christus regenerat, tota adopticia est: & non ex carne, sed ex spiritu descendit. Hic pius sacerdos Christus apud eundem euangelistam factus in agonia cum sudore sanguineo prolixius orat, formam dans sacerdotibus suis orandi prolixius obnixiusque & in fine latronem suscipit penitentem: hodie (inquiens) mecum eris in paradiso, ut nusquam non in tota serie descriptionis suae vituli faciem exhibeat, sacerdotem nostrum, & sacrificium attentius consideras intuensque. Ideoque & post resurrectionem, remissionem peccatorum omnibus ubique praedicari genibus iubentem dominum introducit: In cuius figura o-

Sacerdotes prolixius orare debent exemplo Christi

lim (ut diximus) vitulus rufus cedebatur in sacrificiis: a quibus scribendi euangelij petit originem, & sine in domini sacrificio occupat. Matthaeo os humanum est, quod ab humana generatione christi, euangelij sui fecerit initium: & in humanis christi actionibus plus occupetur, nonnulla operi suo legis ac prophetarum interferens testimonia. Proinde percrebre Christum filium hominis appellat, ut ca. 16. & ca. 17. vbi christus didrachma ut homo dependit exactoribus, & ca. 18. & ca. 25. Ioannes quia celsus omnibus subuolauit cum filium apud patrem deprehendit, iure exactoribus, & ca. 18. & ca. 25. Ioannes quia celsus omnibus subuolauit cum filium apud patrem deprehendit, iure *Matthaeus homo.* aquilae speciem tenet, & etiam quia solus singulariter de diuinitate christi commemorat, aciem obtutus aquilae prope peculiariter sibi usurpat. Tradunt aquilam inconuenientibus oculis iubar solis intueri, & hoc iudicio pullos si proprii sint in nido probare solere hiulco simul atque excusserit ouo. Quo in loco non incōcinne quaritur, Cur in hoc libro Ioannes animal primū leonem posuit, quum Ezechiel faciem hominis praeposuerit. Sed ad hoc responsio in promptu est. Quia nimirum prophetia non semper seruat historiae ordinem, alioqui iam non propheta, sed historia videretur. Proinde non est ibi requirendus ordo historialis, sicut in libro Geneleos, vel Regum, & ceteris historiis: sed prophetae, id est, mystici. Alij hunc artificialem dicunt pro commoditate sermonis, mysteriique: etenim si ordinem natiuitatis requiritas, primum hominem, hominisque formam statuas necessum est. Si vero rationem fidei, leo primum locum occupabit. Primum ergo Ezechiel faciem hominis ponit, ab ordine historiae auspiciens rem: alioqui non faciem hominis, sed Leonis & ipse primum posuisset: in qua Christus non nascens, sed resurgens figuratur: qui nobis in resurrectione factus est primus, & primogenitus mortuorum. Quapropter bene Ioannes primum leonem ponit, quia Christus vicit leo de tribu Iuda, vnde etiam principaliter fides nostra roboratur: non quia natus ut homo: aut quia passus ut vitulus: sed quia resurrexit a mortuis excitatus voce patris, ut leonis catulus. Catulus leonis dicitur in scriptura dominus. Gene. 49. vbi sic scriptum est. Ad praedam filii mi ascendisti: requiescens accubisti, ut leo & quasi catulus leonis: quis suscitabit eum? Scribunt qui de oculis dormit.

Ioannes aquila fortis visus.

Leo primus in ordine est.

Leo apertis oculis dormit.

natura bestiarum disputant, leonem apertis oculis dormire: & Christus vigilans, obdormiuit in cruce, vigilans erat in diuinitate, obdormiens in humanitate, vt rectè diceret, Ego dormio, & cor meum vigilat, Cant. 5. Iam verò & id quoque probatur, quia dormiens leo nascitur, & ad vocem patris excitatur. Hinc Paulus dicit, Et si noueramus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus. Secundum carnem erat Christus ante passionem & mortem, quia mortalis erat: sed posteaquam voce patris excitatus est, mortalis non est, sed æternum viuens. Quia ergo inde creditur vnde surrexit, bene Ioannes primum leonem posuit. Primus itaque est in ordine historiarum Christus vt homo, sed in fidei virtute leo. Cæterum figurant non illepidè hæc quatuor animalia ipsum quoque dominum nostrum Iesum Christum, qui natus est vt homo, passus vt vitulus, surrexit vt leo, ascendit vt aquila. Designantur præterea per hæc eadem animalia omnes sancti, id est, fideles: neque enim aut solis quatuor euangelistis, aut aliis quibusuis tam propria esse possunt, quæ de ipsis animalibus hic & in Ezechiele dicuntur, vt non cæteris quoque conueniant. Qui ergo per hæc animalia figurantur, veri ac constantes & intrepidi veritatis assertores sunt per quatuor mundi partes, id est, in vniuerso orbe diuisi. Omnis nanque Dei seruus, seu vnusquisque electus, in quantum rationabiliter secundum voluntatem Dei viuit, homo est, Quia homo est rationale animal. In quantum verò aduersà istius sæculi æquanimitè & fortiter tolerat leo. Scriptum est enim, Iustus quasi leo confidens absque terrore erit, Prouer. 28. Denique in quantum se mortificat cum viciis & concupiscentiis, vitulus. In quantum per mentis contemplationem perit cælestia, aquila. Ex hinc collige quali argumento filij ecclesiarum: filij electionis & gratiæ cognoscantur. Primum si quis vitulus sit, hoc est: qui se non nit macitare, veterem hominem, hoc est sensualitatem noxiam, & pari pro veritate non recusat. Secundo si leo sit: id est, intrepidus assertor veritatis, & fortis in aduersis. Tertio si homo, hoc est ratione vtens: & si sit in eo iustorum prudentia. Quarto si aquila, hoc est, desyderio simul ac contemplatione perat cælestia. Ex diametro facili coniectura per-

Christus in quatuor animalibus figuratus similiter & sancti

Electiois argumenta.

spicies quotquot pertinent ad synagogam satanae, Si nec vitulus est, nec leo, nec homo, nec aquila: sed sibi plus satis indulgens, timidus, impatiensque, rationis expers, terrenis inhians. Duo de his animalibus præmissa sunt. Primum quòd in medio sedis & in circuitu erant. Secundum quòd oculis plena erant, quia nimirum fideles veritatis assertores, sunt & in medio ecclesiarum, & in circuitu eius. In medio, dum credentes publicè docent. In circuitu, dum eosdem circumeuntes à lupis defendunt. Lupi sunt hæretici, quos scriptis ac vociferationibus, virtutèque arcent, ne irrumpant, ne rapiant, ne moribus appetant, ne lacerent, ne dissipent. Denique pleni oculis ante & retro sunt, dum cognitionibus abundant. Oculus enim cognitio est, cognitio visus animæ: hanc supra ad prudentiam regulimus. Pluralitas oculorum cognitionum copia est: veritatis siquidem professores, si integri sunt multa cognoscunt, multa vident, antè & retro, id est, vndique: circumspècti enim sunt, & oculati: tot ferè habentes oculos quot veritatum noticiam assequunt: spirituales quippe facti, & idcirco omnia diiudicant: sicut & omnia norunt: & præsentia quòd momentanea sunt: & futura, & stabilia. Ipsi verò à neminè iudicantur, eò quòd bene sibi prospiciant, nihil ab integro declinantes. Porro nomine aquilæ depingitur, siue ipsius Ioannis, siue alterius cuiusuis nobilitas: qui igne diuini amoris incensus quiescere nequit: semper enim aut contemplatione sursum nititur: aut in rebus proximi versatur, quo saluum illum faciat. Nec solum autem animalia hæc oculis sunt plena, sed insuper & alas habentia sunt, propterea sequitur.

Reprobatio in signa.

Quare oculis plena animalia.

✱ Punctus 3.

Et quatuor animalia singula eorum habebant alas ferias: Et in circuitu & inuis plena erant oculis.

Singula quæque animalia feris instructa *Animalia cur alata.* erant, quia nimirum veritatis fortissimi assertores spirituales esse debent, & volucres ad contemplationis sublimitatem, quatenus longè amplius cælestia illis cordi sint, quàm terrestria: qui dum perfectione vitæ aliis admirabiles sunt: & diuini: per quatuor mundi partes sex opera misericordiæ quatuor primis virtutibus compleat oportet siue apostoli, siue etiam alij, quos dominus in

hoc munus delegavit. Iunctim copulantur in eis alæ, alterius ad alterum, ut ex Ezechiële magis discimus: id quod fraternæ charitatis glutinum in eis indicat. Triplici autem ordine composita: ut binæ clatæ essent à scapulis, binæ enatæ à latere, reliquæ duæ à femore. In Ezechiële quatuor pennæ unicuique animalium tribuuntur, duæ extentæ desuper, & duæ singulorum corpora velabant. Illæ quæ desuper erant, & iungebantur alterius ad alterum, indicant nos proximis iunctos debere esse charitate, & proximi saluti in primis consulere. Quod verò aliis duabus tectis essent latera: intelligimus & nostrum curam habendam. Superat autem præsens scriptura alis duabus Ezechiëlis animalia: quod his & de femore exeant aliæ duæ alæ. Quæ in re aliud non intelligo, nisi illud quod dominus dicit in euangelio, Sint lumbi vestri præcincti: vbi. D. Gregorius ait, lumbos præcingimus, quum carnis luxuriam per continentiam coartamus. ut bene hic & in fœmore animalia alata sint, id est, spiritualia continentiaque, quod non erant veteris legis prædicatores, quibus licebat contrahere. Aliis videtur per sex alas intelligi debere sex leges, quibus veritatis alterior quisque præmuniendus est: harum prima est naturalis quæ iubet facere quod tibi in primis fieri velis, vitare quod aueraris. Secunda Mosayca in Pentateuco tradita, in his, quæ potissimum Deum concernunt & proximum. Tertia prophetica, in qua vult Deus impleri voluntatem suam, utque populus electus timeat iudicia eius. Quarta euangelica, quæ Staeten, id est, unguentum misericordiæ Dei perpetuo sudat, in qua & gratia data est, & promissio impleta in redemptione, instituta & sacramenta, Christo domino à mortuis resurgente. Quinta apostolica, euangelium suppletiva. Multa enim sunt, quæ de perfectionis consilio præcipit Apostolus: iuxta quod dicit, Nam cæteris ego dico, non dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, 1. Corin. 7. Præterea vbi dominus non præcipit, in spiritu Dei apostolus fideliter consulit, ut est illud, De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do, bonum est si sic permanerint. ibidem. Arque ut breuiter dicam, multa post Christum apostoli sancti ordinaue-

Alæ sex animalium sex leges.

runt iuxta temporis exigentiam, in adificationem ecclesiæ: quod nisi fecissent, res ecclesiæ minus processisset. Sexta canonica: dum enim inter membra Christi lites oriri capissent, cumque suo iure alij ab aliis fraudaretur, opus fuit condere leges, quibus controuersia dirimerentur componerenturque. His ergo alis oculata animalia cincta esse debent, quæque in medio sedis, & in circuitu versantur: Ad quæ pertinet prospicere ecclesiæ. Hi sunt prælati iudicis que, doctores, fortissimi verbi Dei ministri: qui quidem quia cognitione singulari præditi esse debent, & spiritalem vitam ducere, idcirco per animalia oculata signari debuerunt. Verum quia non solum cognitio, sed & Dei maiestatis rerumque celestium contemplatio ad hos specialiter pertinet: factum est, ut non solum oculata, sed & alata essent. Diximus quid ante & retro oculi in eis sint. Nunc quia & intus hisdem oculis plena erant, & in circuitu, miraculo nobis forent mirabile: nisi in promptu esset sanctos prædicatores maximè intelligentes intus esse debere, & quo ad eos qui circum eos stant circumspectos.

✠ Punct. 4.

Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia, sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.

Quia sedes in celo posita est, hoc est, destructo peccati regno, iustitiæ regnū per passionem Christi stabilitū est, in quo celestem vitam agunt sancti filij Dei: & dñs in hac sede defedit, quia regnat in ecclesia sua Christus, sicut scriptū est, Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est dñs fortitudinem, & præcinxit se. Ecce iam firmavit orbē terræ, qui non commouebitur. Parata sedes tua Deus ex tunc: à sæculo tu es. Psal. 92. Hinc est quod sancta hæc animalia nō cessabant die nocteque cantare fortissimo spiritu, dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus dñs, & c. & hoc in figura nostri, eò quod sanctum prædicare debemus ^{Trinitatis, cō} semper dominum Deum nostrū. Aut si per allegoria, dies sit prosperitas, & pax ecclesiæ: nox tribulatio: nō in prosperis, nō in aduersis cessare debemus, semp autē cantum nostrū celebrare. Notandū autē, quia quæ sc̄ta animalia tunc dicūt, sanctus, sanctus, sanctus, & inde ad singularem numerū redeūt dicentia dñs Deus omps, trinitatē personarū in

vnitate substantiæ præclarissimè cōstitetur. Quia licet trinitas sit in personis, vnitas est in maiestate, & in essentia. Hic est dōminus Deus omnipotens, qui erat ante secula, est in præsentia, est etiam futurus, qui venturus est ad iudicium, vt reddat vnicuique iuxta opera sua, Psal. 61. Sed quid est quòd hæc sancta animalia, quum trinitatè præmississent: subiungunt, Qui venturus est. Fides quippe habet ad iudicium solum Christum Dei filium venturum: qui ea forma iudicabit, qua iudicatus est: & pater nō iudicat quemquā, sed omne iudicium dedit filio. Ioan. 5. Respondeo, licet persona filij duntaxat in iudicio videatur, tamen illic cum eo erunt pariter & pater, & spiritus sanctus, in vnitate diuinitatis: & ipsa inuisibilis trinitatis natura per assumptam filij humanitatem iudicabit reprobos. Sed ne illotis (vt aiūt) manibus præteruisse videamur sanctorum animalium canticum, quæ clamare non desessabant non noctes, ad quorum exemplum modo sancti fideles Dei in Missarum sacrificiis hoc idem ter replicant dicendo. Sanctus, Sanctus, Sanctus, dōminus Deus Sabaoth: vbi id in primis velim aduerte quòd participiū hoc, sanctus, est præteriti temporis, (vt à grammatica initium tantæ rei sumamus) à verbo sancio, quod est ordinis, vnde etiam leges ac plebiscita, id est, plebis statuta, sanctiones appellantur, quòd rectè humanos actus ordinent: & sanctum dicimus rectè ordinatum, videlicet qui iuxta sanctitas Dei leges vitam instituit, & moderatur. Quod autem sanctus, hoc & iustus est. Si enim iustus à iuxta (vt Aristoteli. 5. Ethicorum placet) dicitur: eò quòd iuxta legum ordinationem agat viuātque, & sanctus à sancto, quod est ordinis: idem duo nomina hæc importent necessum est. Sanctus ergo & iustus is est, qui pro virili parte contendit vitam dirigere iuxta præscriptum legis diuinæ, cauēs omnino ne quid offendatur ex actione sua Deus, ne quid summæ voluntati contrarium sit. Ideoque cogitat semper ac studet efficere quæ beneplacita sunt illi. Non est sanctus neque iustus quis apud Deum, nisi voluntate & vita conformis sit volūtati eius, quæ per se iusta est & sancta, & prima omnium legum regula & finis. Nam omnes leges iuxta suum beneplacitum instituit Deus, ad quod etiam vltima referuntur, cui oportet omnem voluntatem creatam conformari ad hoc vt fiat iusta & recta: nanque exinde rituli promanāt omnis iustitiæ sanctitatisque: quæ est etiam prima reū omnium causa. Nam omnia quæcumque voluit fecit dōminus in cælo & in terra & in omnibus abyssis. Psal. 154. Ex his collige quia sanctitas dicit quendam ordinem ad Deum, ac iuxta conformitatè ad voluntatem eius. At verò quia quū in Deo sc̄titas, itidè & iustitia summè reperiantur supra omnes: eò q̄ sit fontale (vt dicunt theologi) principium totius sanctitatis iustitiæq̄: proinde Deus est primus sanctus, & iustus in se eminēt: vt nō ab re sancta animalia ter illum repetitio sermone sanctum acclamarēt. Est pater sanctus in se: filius sc̄tus à patre: spiritus sanctus ab utroq̄: æquali emanatione sanctus: nō tamen ideo tres sancti, sicut nec tres dñi, nec tres omnipotentes: sed vnus sanctus, vnus dōminus, vnus omnipotēs, sicut & vnus Deus. Enimvero in diuinitate est ordo cum vnitate: ordo, inquātū pater est à se, fili⁹ à patre, spiritus sanctus ab utroq̄: vbi ordo coit in vnitate essentia. Omnes enim personæ cōmunicant eandè essentiam, quatenus ordo maneat in personis cum vnitate essentia: æqualis in maiestate, vt nō tollat ordo vnitate in illis, nec vnitas ordinem. Sed forsitan sc̄ipulū tibi moueat, cur tertia persona specialiter sancta vocetur: sic enim dicimus, Spiritus sanctus: Quod ideo fit, quia est finis totius ordinis, & cōplementum eius: nō quia perfectior aliis personis, sed quia in ea tota perfectio cōsummata consistat trinitatis. Nanq̄ & beatitudo Dei & gloria tota in hoc ordine versatur, cui⁹ consummatio est Spiritus sanctus. Deus enim pater nouit se in filio, & simul cum filio diligit se in Spiritu sancto. Proinde rectè sancta animalia volēdo, & intēdedo pro beneplacito laudare Deum, sicuti est, explicāt istum ordinē, in quo tota beatitudo Dei & gloria (vt iam dictum est) cōsistit. Sanctus, sanctus, sanctus, dñs Deus omnipotens. Neq̄ enim pleniorē laudem illi tribuere poterant, nisi pro gloria eius illum laudaret, trinitatem confitendo in summa vnitate. Ac si dicerēt, licet sit sanctus pater, sanctus filius, & sanctus spiritus, nō tamen nisi vnus Deus, & vnus dñs hæc tria sunt: & ideo vnus honor, vna laus, vna gloria debetur patri, filio, spiritui quoq̄ sancto. Vt autem

Filius solus iudicabit.

Sanctus Sanctus Sanctus.


Sanctus idē qui & iustus.

Sanctus quis realiter sit.

cui oportet omnem voluntatem creatam conformari ad hoc vt fiat iusta & recta: nanque exinde rituli promanāt omnis iustitiæ sanctitatisque: quæ est etiam prima reū omnium causa. Nam omnia quæcumque voluit fecit dōminus in cælo & in terra & in omnibus abyssis. Psal. 154. Ex his collige quia sanctitas dicit quendam ordinem ad Deum, ac iuxta conformitatè ad voluntatem eius. At verò quia quū in Deo sc̄titas, itidè & iustitia summè reperiantur supra omnes: eò q̄ sit fontale (vt dicunt theologi) principium totius sanctitatis iustitiæq̄: proinde Deus est primus sanctus, & iustus in se eminēt: vt nō ab re sancta animalia ter illum repetitio sermone sanctum acclamarēt. Est pater sanctus in se: filius sc̄tus à patre: spiritus sanctus ab utroq̄: æquali emanatione sanctus: nō tamen ideo tres sancti, sicut nec tres dñi, nec tres omnipotentes: sed vnus sanctus, vnus dōminus, vnus omnipotēs, sicut & vnus Deus. Enimvero in diuinitate est ordo cum vnitate: ordo, inquātū pater est à se, fili⁹ à patre, spiritus sanctus ab utroq̄: vbi ordo coit in vnitate essentia. Omnes enim personæ cōmunicant eandè essentiam, quatenus ordo maneat in personis cum vnitate essentia: æqualis in maiestate, vt nō tollat ordo vnitate in illis, nec vnitas ordinem. Sed forsitan sc̄ipulū tibi moueat, cur tertia persona specialiter sancta vocetur: sic enim dicimus, Spiritus sanctus: Quod ideo fit, quia est finis totius ordinis, & cōplementum eius: nō quia perfectior aliis personis, sed quia in ea tota perfectio cōsummata consistat trinitatis. Nanq̄ & beatitudo Dei & gloria tota in hoc ordine versatur, cui⁹ consummatio est Spiritus sanctus. Deus enim pater nouit se in filio, & simul cum filio diligit se in Spiritu sancto. Proinde rectè sancta animalia volēdo, & intēdedo pro beneplacito laudare Deum, sicuti est, explicāt istum ordinē, in quo tota beatitudo Dei & gloria (vt iam dictum est) cōsistit. Sanctus, sanctus, sanctus, dñs Deus omnipotens. Neq̄ enim pleniorē laudem illi tribuere poterant, nisi pro gloria eius illum laudaret, trinitatem confitendo in summa vnitate. Ac si dicerēt, licet sit sanctus pater, sanctus filius, & sanctus spiritus, nō tamen nisi vnus Deus, & vnus dñs hæc tria sunt: & ideo vnus honor, vna laus, vna gloria debetur patri, filio, spiritui quoq̄ sancto. Vt autem

Deus primus sanctus.

Spiritus eius specialiter sanctus dicitur.



*Trinitatis
explicatio
realis.*

profundius quiddam de deitate dicamus, ausculta. Deus est primum ens, & verum, & summum bonum, à quo omnis bonitas, veritas, & entitas (vt ita dicam) profluunt, vt scilicet entia dicantur vera, bonaque, ab illo summo & vero bono: nostra etiam veritas & bonitas ab illo (vt est) appellationem sumat. Proinde Deus in quantum primum ens est, & actus purus (vt volunt Theologi mystici) intelligit: deinde in quantum est verum ens seipsum intelligit, & intelligendo producit verbum de tota sua substantia, communicando eidem totam suam substantiam siue essentiam, & quia eiusmodi productio fit secundum naturam, ideo verbum productum dicitur filius patris dicentis generantisque. Præterea quia pater nouit se in filio non solum esse verum ens sed etiam summum bonum: ideo diligit se in filio, cui per generationem communicat totam suam diuinam essentiam. Deniq; pater & filius diligunt se mutuo diligendõq; se spirant in summa virtute spiritum sanctum, comunicando eidem eandem essentiam per spirationem, quæ comunicata est filio per generationem: & sic manet ordo iste in diuinis personis cum vnitæ essentia. Nam eadem essentia, quæ est in patre à se, & quæ est in filio à patre comunicata per generationem, est & in spiritu sancto comunicata ab utroq; per spirationem, verum quia pater non est Deus per paternitatem, sed per diuinam essentiam, quam habet à se: & filius non est deus per filiationem, sed per substantiam siue essentiam, quam habet à patre per generationem: nec spiritus sanctus est deus per spirationem passiuam (vt vocat) sed per substantiam, quam habet ab utroq; sibi æqualiter comunicatam. Itaq; sicut in patre & filio & spiritu sancto est vna sola diuinitas & substantia: ita pater & filius & spiritus sanctus, licet tres sint personæ ratione suarum proprietatum, per quas realiter constituntur: Attamen omnes tres personæ non sunt nisi vnus deus per vnã eandemq; essentiam in eis existentem. Quia & si multiplicetur personæ propter tres relationes: non tamen multiplicatur essentia propter naturam identitatem. Vnde fit, vt nec essentialia multiplicentur: vt sunt deus, omnipotens, dominus, creator, sanctus, &c. Namq; sicut deus essentialiter est deus, ita & dñs, & sanctus, & omnipotens, & creator: vt non plures sint domini, aut sancti, aut omnipotentes, aut creatores: sed vnus deus,

*Personarum
in diuinis e-
manatio.*

*Pater Deus
per diuinam
essentiam.*

*Essentialia
non multipli-
cantur in di-
uinis.*

vnus dominus, vnus sanctus, vnus omnipotens, vnus creator. Et quum ter sanctus acclamatur, non ideo tres sancti, sicut nec tres domini, nec tres dii, aut tres omnipotentes, aut tres creatores. Sed vnus sanctus, vnus dñs, vnus Deus, vnus omnipotens, vnus creator: eo quod sint nomina hæc essentialia vnus naturæ appellationes. Hinc modo prospicies quàm verissimè sancta hæc animalia iungi vociferatione acclament ter repetito sermone, sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus omnipotens: eandem videlicet diuinam essentiam in proprietate reali trium personarum. Rursumq; distinctionem reale trium personarum in identitate essentia astruentes: Quo fidei nostræ veritas per reuelationem hanc in primis claresceret, quam in carne dominus tot modis studuit inculcare. Sequitur.

*O Punctus 5.

Et quum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum. procedebant. 2.4. seniores ante sedentem in throno: & adorabant viuentem in secula seculorum.

Iam scimus quid sint hæc sancta animalia quia primum sancti euangelista, & ipse Christus, deinde viri mere spirituales, spiritu viuentes, & quæ Deo placet facientes, viri ecclesiastici, ministri verbi sancti dei, quorum interest astare deo pro omnibus creditibus, & dare gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, hoc est super omnem ecclesiam potestatem exerceri, qui est viuens in secula seculorum. Porro per seniores intelliguntur iudices populi, siue ecclesiastici sint, siue (vt vocat) seculares, qui audito dei verbo, & cætico singulari, proci dentes adorant ante sedentem in throno, hoc est, ante Christum Iesum, qui regit ecclesiam, & iudicat, deferentes soli illi gloriam & honorem, sicut & sancta animalia, & benedicunt deum pro omnibus operibus eius. Non solum autem qui primi sunt hæc facere debent, sed etiam omne credentes, qui ad primos attendunt, in quibus isti comprehenduntur. Quum enim simplices populi vident seniores, hoc est primores sic affici deo, ad auditum sanctum dei verbum ab ab ore prædicatorum, confestim & ipsi sese ad similitudinem præparant, cupientes eadem facere, quæ à primis vident. Neque enim in hac sacra Apocalypsi fit, quod non ecclesie negotium prægeret.

Nos igitur gloriam damus Deo, quum super omnia eum colimus & adoramus, vt solus super omnes sit: damus ei honorem, quum prædicamus beneficia eius in nos collata: benedicimus, quum gratias ei agimus, qui nos idoneos fecit, vt ipsum colamus & adoremus, qui dedit gratiã glorificandi se nobis in omni tribulatione nostra, dicentes cum apostolo Paulo, Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: 2. Cor. 1. Cõsidera nunc mihi optime lector, siue etiam auditor, prioris sæculi animalia, id est, eos, qui coram Deo iugiter versabantur, quantis animi facibus gloriam Dei quærebant, ardenti studio honorem debitum illi tribuebant, benedicebãt, & de acceptis beneficiis gratias illi agebant: & deinde confer illis nostra tempora: statim quum animo hæc contuleris tibi occurrit quantum absumus ab illis. Jam enim non multi sunt qui gloriam tribuant Deo, qui honorem, qui benedictionem. Quod si quis lingua intem id agat, sed forte cor longè discrepat à lingua: aut non eo feruore quo olim id agat: vt verum sit illud quia nos sumus in quos fines sæculorũ deuenere, quoniam refrinxit charitas multorum, & abundauit iniquitas. Potest & ad martyres referri, qui gloriam dabant Deo, quum occiderentur: honorem, quod fidem semel susceptam non abnegarent, sed constanti fortique pectore inter eculeos, & laminas candentes palam confiterentur. dabant ergo benedictionem, ceu pueri apud Danielem in medio fornacis incense. Porro dant gloriam Deo, qui carnem suam crucifigunt cum vitis & concupiscentiis eius, dicente Apostolo, Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. Corin. 6. Et iterum. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 2. Corin. 4. Dant honorem Deo & qui fidem prædicant: qui verò laudibus diuinis insistant Deum benedicunt, in hymnis & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes illi in cordibus eorum. Obserua, tria dabant sancta animalia Deo sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum: videlicet gloriam, honorem, & benedictionem, magnã simul haurientes sanctę & indeficientis spei cõso-

Qui dāt gloriam Deo.

lationem, quod dum paterentur ob Christũ, Christo darent gloriam & honorem, & benedictionem: dũnq; occiderentur, viuentem tamen illum relinquerent & sedentem super thronũ: viuentem inquam in sæcula sæculorum, qui eo ipso q̄ viueret in sæcula sæculorum, curare posset plagas mortis eorũ: & vindicare sanguinẽ ipsorum. Hoc & nobis inuictissimæ spei robur, magnãq; cõsolationis poterit esse causa: scientibus habere dñm, qui sedet & viuit calcans omnẽ mundi virtutẽ & potentia, qui requisitus est sanguinẽ nostrum qui pro gloria nominis eius fusus fuerit, nõsq; glorificatur. Proinde rectè sub hæc viginti quatuor seniores procidisse memorantur, atq; adorasse sedentem in throno, & viuentem in sæcula sæculorum. Summa ergo causa adorationis eorum fuit gratia, & misericordia, in gloriam & honorem eius, & benedictionem. Ad illa nanque hæc omnia sequuntur. Illa gratis impendit, hæc nos per gratitudinem rependimus illi. Paratus est nobis Deus gratiam & misericordiam in horas cõferre: nos quoque gloriã & honorem vicissim illi tribuere, quicunq; ad vitã electi sumus, debemus esse parati. Quia misericordiam & veritatẽ diligit Deus gratiã & gloriam dabit dñs. Nam adorari pro bonis temporariis vt videlicet ea ab eo assequamur, minus gratum est illi: vnde nec Israëlem reputauit: tamen pro his quoque gratiã habenda sunt illi, magis tamen pro spiritalibus æternisq; bonis, vt non carnales simus cum filiis Israëlis, qui ob temporaria solum seruiebant Deo, eoque pacto adorabant eum, & fideles erant illi, eò quod diceret eis, Dabo tibi terram fluentem lacte & melle: qui in carceris quoque huiusmodi dictis, non nisi terrenas capiebant promissiones. Carteri autem sancti & perfecti patres, vt Moyses & Aaron, & quotquot erant de Dei spiritu, non tam pro terrenis, quàm pro æternis, & quia dignus esset, adorabant eum. Dabãt ergo sancta animalia gloriã & honorem, & benedictionem: & nos demus oportet eidem sedenti super thronũ viuenti in sæcula sæculorũ: eò q̄ gloria & honore, & benedictione in amplissima gratia eius ornati sumus, promissam hæreditatẽ in spe viuã assequuti. Aut quæ maior gloria? Quis honor dignior? Quæ benedictio copiosior: quàm esse filiũ Dei, & in regno gratiã

Indei ob carnalia Deo seruiunt.

eius consistere: panēque cælesti pasci: Deniq; procidebāt, 24. seniores aute sedentē in throno: quia videlicet vbi fidei sacramenta per sanctos Euangelistas pernulgata sunt omnium genua curuātur. Vide hic admirabilē Dei præordinationē: antequā casus variis ecclesiæ ostēderet, se dignū adoratione exhibuit: & qui electi essent plane figuravit: q̄ hi nunquā à laude Dei deficerent etiā in medijs tribulationibus, ignib;sq;. Sciunt nanque sancti Dei electi, quia quicquid fit à Deo, is bonum eorum fit: & ideo semper dant illi gloriam, & honorem, & benedictionem, qui est æternus: vnde etiā credunt, quod ipsos possit conseruare, & glorificare, & honorificare. * Punct. 6.

Et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: dignus es domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter tuam voluntatem erant, & creata sunt.

Quid est coronas mittere ante thronum, nisi quicquid est in eis virtutis, quicquid meriti totum Deo tribuere & Christo, nihilque propriē sibi vsurpare, sicut scriptū est. Psal. 113. Non nobis domine nō nobis, sed nomini tuo da gloriā. Et prima Tim. 1. Regi autē sæculorum immortalis, inuisibili soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorū amē. Aut quo pacto nobis quippiā tribuamus: quum non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est: vt præclare docet Apostolus. 2. Cor. 3. Vbi duo obserua. Primū, quia isti considerantes, quod non suis meritis: sed gratia præuenientis & subsequēntis misericordiæ Dei coronam gloriæ & honoris atque benedictionis sunt assequuti: perpendentes quia, is, propter quem, & per quem sunt omnia, qui etiam multos filios in gloriam adduxerat, auctor salutis eorum per passionem consummatus est: merito ipsi suam dignitatem paruifacientes, totum quod meruerunt, sicut debebant, cum humili gestu & reuerentia illi tribuunt. Secundum, Quia dicunt, Tu creasti omnia: & iterum idem repetentes dicunt, adstruuntque dicentes. Et propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Nisi alio mysterio hæc eiusmodi repetitio facta sit, exquiramus ergo & videamus. Duas creationes creaturæ rationalis videtur mihi indicare. Prima nanque facta est in esse na-

Nota.

Coronas ante thronum mittere.

Nota.

turæ: secunda in esse gratiæ. Harum posterior longè prima excellentior vtiliorque. Quid enim nasci poterat nisi redimeremur, inque regnum gratiæ Dei assereremur, & de filiis iræ essemus filij gratiæ: & de vili mancipio diaboli in filios Dei adoptati sublimatique? De prima meminit in Genesi Moyses. Creauit (inquens) ad imaginem suam hominem Deus. De postrema extat apostoli testimonium, Ephes. 2. dicentis. Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus: creati, id est, recreati, vt simus initium aliquod creaturæ eius, Iacob. 1. Et. 2. Cor. 5. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transferunt, ecce facta sunt omnia noua: omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: vt dicamus illud Esaia. Omnia opera nostra operatus es in nobis domine. Esa. 26. Item Philip. 2. Operatur in nobis velle & perficere, & hoc propter voluntatem suam. Locus iste indicat, omnia idcirco à Deo facta esse, vt eius voluntatem ex creaturis suis peruideamus, & eidem obsequamur, glorificantes & laudantes cum in omni virtute, & sapientia, & misericordia eius, etiam si creaturæ ad nostrum interim vsum corporalem iuxta beneplacitum Dei factæ sint. Haymo. Quia coronam victores accipiunt, non immerito hic per coronas sanctorum triumphum, & victoriam debemus accipere: hoc est itaque coronas ante thronum ponere, quod in faciem cadere & adorare. Ante thronum quippe electi suas coronas mittunt, quia quicquid virtutis & fortitudinis habent, ipsi in secreto mentis suæ tribuunt: à quo vt vincere possent diabolū, & tentamenta suæ carnis, fortitudinem per ceperunt. Hoc figuratum est, quando domino Hierosolymam venienti: turba quæ illi obuiam venit, palmas quibus victoria significatur, ante eum strauit. Quod enim per palmatum ramos in via stratus, hoc per coronas ante thronum missas significatur. Dum autem coronas viginiquatuor seniores mitterēt, dicebant. Dignus es domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Gloriā, inquam, nostrorū honorū actum, quum oīa tu operatus sis in nobis. honorē domini super oīa: & vir-

In Christo noua omnia.

Coronas suas electi ante thronum mittunt.

ritem, id est, potentiam, qua tibi subiciēs omnia. Obserua. Gloriam Christus accepit, quando tertia die resurrexit à mortuis: honorem quando quadragesimo resurrectionis die eleuatus est ad dexteram paternæ maiestatis virtutem, quando omnia subiecta sunt ei, sicut ipse testatur. Data est (inquit) mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. Quod verò in sequentibus dicitur. Quia tu creasti, &c. ratio planè redditur quare dignus sit accipere gloriam, &c. Ac si dicant, Idcirco cuncta tibi, quæ à tuis geruntur, adscribenda sunt: quia vt esse possent, & ea quæ tua sunt agerent, à te acceperunt. Sed mirum videtur illud quod sequitur, propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Si enim erant, quomodo creata sunt? Sed erant in prædestinatione inuisibili omnipotentis Dei: & creata sunt in opere visibili: & quæ erant prius in artificis voluntate sine tempore, creata postmodum sunt, secundum quod in arte creatoris disposita erant, in tempore.

CAPVT V.

*ODE LIBRO SIGILLATO.

SECT. I. PUNCT. I.

E T vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem. In præcedenti visione ostium apertum fuit in cœlo: & vox tubæ audita sedesque posita, & supra sedem sedens non dubium quin Deus in tribus personis subsistēs, qui mirabili aspectu apparuit: cui in circuitu Iris erat, & seniores xxiiij. circumsedebant singulis suis sedilibus, Lampades ad hæc ardentes ante thronum visæ sunt, & animalia plena oculis ante & retro. Nunc hic primum liber signatus sigillis septem offertur scriptus in tergo & intus, hoc est, in vtraque parte membrana. Igitur in primis quærendum, quid sit liber iste tam insignis, tam præclarus, tam admirabilis, quæ aperiri, & in eo legere tam angeli, qui in cœlo, quam omnes sancti Dei homines, qui in terris sunt legere desiderant, & ij qui subter terram. Liber hic tota sacra scriptura est: qui idcirco intus & à foris scriptus dicitur, quia

Liber scriptus intus & extra.

habet internum & externum sensum, mysticum & historicalem, quem nos literalem dicimus: illum spiritualem, & arcanum, secretiore quodam thesauro recòditum. Habet enim sacra scriptura & parabolas, habet & mysteria, habet figuras, habet & veritates. Quumque figuris veluti stellulis quibusdà interlucetibus micat, quid aliud quam à foris liber scriptus fore videretur? Qui verò internè veritatem mysterio còtinet, scriptus liber intus perhibetur: quem librum nemo respicere poterat, neque qui in cœlo, neque qui in terra, neque qui subter terram erat: tantum aberat vt quis illum aperiret. Solus Christus erat qui id facere poterat, hoc est, qui aperiret respiceretque, qui solus mysteria scripturæ sacræ tum dictis tum gestis aperuit, præclarissime ea respiciens intelligensque. Videbant quippe olim libri tergum homines, & quòd aliquid in eo scriptum esset suspicabantur, nec tamen sciebant ad plenum quid intus scriptum esset, quousque agnus venit, & librum aperuit: à quo iam patent mysteria eius, vt intus & in tergo liber legi possit, & intelligi. Sigilla sola obstabant ne intus liber legeretur, hoc est, ne veritas in figuris latēs perspicuè intelligeretur: sed his refractis ademptisque legitur, dum Christus figuras in se impleuit: & abdita mysteria faciendo reclusit. Iam verò quid septem huius libri sigilla nisi fortis admodum clausuræ sunt typus. Quia enim septè sigillis res aliqua fortissimè clauditur, magna & fortis clausura seu absconditio septem sigillis figuratur. Mira alij de septem sigillis commentantur. Hugo Card. ad septem obscuritates refert. Quarum prima est profunditas sententiarum. Secunda multiplicitas intelligètiarum. Tertia velamen figurarum. Quarta incomprehensibilitas rerum. Quinta obscuritas mysteriorum. Sexta dulcedo tropologiarum. Septima ineffabilis veritas omnium eorum quæ in scripturis traduntur. Quumque idem, librum signatum Christum intelligeret: aliter sigilla, & ipsa mox exponere coactus fuit. vt videlicet sint. Incarnatio, natiuitas, passio, resurrectio, ascensio, spiritus sancti missio, & aduentus in Iudicium. Adducerem plura, nisi & hæc adduxisse superuacaneum esset. Multa enim coniectant alij, quæ magis cerebri opinione, quam veritatis assecutione facta pbatur. Haymo

Septem Sigillorum mysterium.

episcopus, per septem sigilla plenitudinem obscuritatis & mysteriorum, quæ in vereri latebant testamento intelligit: & hoc quidem probabiliore argumento, quod septenarius numerus ad vniuersitatem referatur: idem septiformem spiritum sanctum ad hoc inducit, quia videlicet omnis scriptura per gratiam spiritus eiusdem, & data est, & referata: vnde, inquit, Et lex digito Dei, id est, spiritu sancto descripta legitur. Et ne alia atque alia fastidiosiore prolixitate percenseam, prior mihi sententia probatur: vt septem sigilla fortissima clausura internum præpediens sensum sint, qua abstruse tenentur omnia, ab eis quibus agnus non aperit, quem misit pater doctorem in mundum, cui credere fas est, & opere precium: à quo & sensus scripturæ flagitandus. Porro, sunt qui propositum diuinum per hunc librum capiunt: quod quia reclusum est atque abditum, & procul ab humanis sensibus distitum, septem sigillis signatus liber memoratur. Sunt & qui visionis sequentis seriem, librum hunc sigillatim autumat signorum literis à foris plenum, intus mysteriorum intelligentis redundantem: cuius sigilla septem, septem visiones sunt, quæ in hoc libro continentur. Sigillum quippe ponitur semper in fidelem custodia abditorum, eorum, quæ intus reposita sunt: & res quæ obuenturæ sunt ecclesiæ sanctæ, sub visionum signis fideliter custodiuntur, vt non cuius obuia sint, sed his solum, quos ipse agnus voluerit. Hic est liber Apocalypsis, quem Christus accepit de dextera patris manifestum facere seruis suis, vt in principio dictum est.

Punct. 2.

Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius?

Angelus hic fortis simplici intelligentia nuncius Dei est, nempe spiritus cælestis, qui in hoc missus erat, vt præconis officium ageret, de quibus scripsit Paulus Hebr. 1. Quia omnes sunt spiritus administratorij, in ministeriū missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Quauis per allegoriam conentur alij referre ad patres veteris testamēti quod sit eorum figura, qui singulariter (vt Hugi card. placet) dicuntur vnus angelus, propter vnitatē fidei. Fortes autem erāt patres ipsi ob expectationis longanimitatem: qui anxie requirebant, quis posset legem

Angelus fortis quis sit.

spiritualiter referare: (vt Haymo dicit) His anxietatē pariebat magni desyderij ardor, in quo & vociferabant, vt recte Ioannes angelum fortem voce magna prædicatē viderit. Gestat ergo typum, immo exhibet, partum præcedentium fortis hic angelus clamans, & dicens, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius: Nō prius aperitur, quàm signacula soluantur: necesse enim erat prius solui signacula libri, postea librum aperiri. Est ergo præposterus ordo in verbo, quo prius de libri apertione meminit, postea de signaculorum resolutione: & tamen ita factum est, quādoquidem prius dominus librum aperuit, id est, scripturam veteris testamenti in se impleuit, qui dicit, Non veni soluere legem sed adimplere, Matth. 5. Et in Luca scriptū legimus venisse in Nazareth dominum, intrasseque secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogā: vbi traditus est ei liber Esaiæ prophete: quem quum reuoluisset, inuenit locum, vbi scriptū erat, Spiritus domini super me, &c. & confestim plicuit, reddiditque ministro, & assedit, Luc. 4. Aperuit ergo librum factus homo, dum mysteria eius in se compleuit: postea verò quum resurrexisset à mortuis, sigilla referat, quando aperuit discipulis suis sensum vt intelligerent scripturas, simul memorās ea quæ scripta erant de eo in lege & prophetis, & Psalmis, vt dicitur, Luc. vlt. Quod non medio-criter ad fidei nostræ robur, ac iuxta fidelium cōsolationem pertinet: quod nemo sit præter Christum in quem potissimum sperare debeamus, qui omnem veritatem diuinæ promissionis, figurarum quoque mysteria in se impleuit. Potest angelus hic fortis, qui magna voce prædicabat, typus quoque fortium, ac fidelium verbi Dei ministrorum, hoc est, prædicatorū esse: qui in magna cōstantia testificari debēt & persuadere populis fidē Iesu Christi ex scriptura iam referata, excitareque corda eorum ad querendum hunc dominū solum, & insistentem vestigijs eius, iuxta quod Petrus dicit. Christus passus est pro nobis: vobis relinquit exemplū, vt sequamini vestigia eius. 1. Petr. 2. Hic enim solus prædestinatus est cunctis in salutem: vt sicut nihil est creatū sine eo, ita nihil saluabitur sine eo, quem solū iussit pater audiri, sequiq; in omnib; quū dixit. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi com-

Aperitio libri reuelatio mysteriorum eius.

Christus solus diuinæ promissiones impleuit.

Angelus fortis prædicator res sancti.

placui, ipsum audite. Matth. 3. Solum dico, & non alieni
 aliena ab ipso predicantem. Namque & in Deuteronomio
 scriptum est cap. 18. Qui verba eius qui loquitur au-
 dire noluerit, ego vltor exiltam. Sequitur. * Punctus 3.

*Et nemo poterat, neque in celo, neque in terra, neque sub-
 terram aperire librum: neque respicere illum: Et ego flebam
 multum, quia nemo inuentus est dignus aperire librum: neque
 videre eam.*

Mira verba, sed mirabilior sententia quia occulta, te-
 taque nobis: demus ergo operam quomodo palam fiat.
 Et nemo poterat neque in celo, neque in terra, neque sub
 terram aperire librum, & que sequuntur. In celo erat
 simplices spiritus, qui angelorum vocabulo solent appel-
 lari. In terra homines mortali cincti corpore. Subtus ter-
 ram, animae expianda, vt communiter dicitur quae igne
 purgatorio indigent ob scoriā peccati, quam fragilitas
 vitae contraxit in illis. Alij referunt ad antipodas qui cō-
 uersis pedibus ad nos feruntur, vt sit sensus. Nemo in ce-
 lo, quia neque angelus humanae salutis dispensationem
 implere poterat: homines enim redempturus filius Dei,
 vera humanitate assumpta cuncta per se in carne adim-
 plere voluit. Hinc Esaias ait, Non angelus, non legatus,
 sed ipse dominus saluos facit eos. Siue iuxta vulgatam ad-
 ditionem. Angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione
 sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, cap. 63. Quasi id
 peculiariter sibi ipsi vendicari Deo. Neq; in terra, quia
 neque homo viuens in corpore. Redimendus enim erat
 homo, & ideo auxilio egebat alieno, id est, solius creatoris
 Dei: ipse enim redemptionis dispensationem implere
 non poterat pro se. Neque subtus terram qui essent, quia
 neque anima: exuta a corpore. Si enim homo viuens in
 corpore, qui vtiq; potest tanquam victima mori, hoc
 implere non poterat: quanto minus anima a corpore se-
 iugata quae mori iam non poterat. vt nemini nisi Christo
 dispensationis munus debeat: & ideo rectè dicitur, quod
 nemo librum aperire potuerit, neque angelus, neque mor-
 talis homo, neque vlla anima, ad quorum neminem red-
 emptio pertinuit: & per consequens, neque mysteriorum

*Christus solus
 redemptionis
 munus obire
 debuit, Et
 mysterium im-
 plere.*

ecclesiae Dei reuelatio. Sequitur. Et ego flebam multum.
 Quid est quod Ioannes dicit se superinde multum fle-
 uisse? Nonne iam Christus impleuerat mysterium redem-
 ptionis nostrae? Nonne aperuerat sensum discipulorum
 suorum, vt intelligerent scripturas? Aut nūquid sine my-
 steriorum intelligentia haec videbat? Quomodo ergo fuit
 in spiritu? Quomodo ascendere iussus, si sine intelligen-
 tia fuit: ergo minime propheta fuit? Aut si cum intelligen-
 tia mens eius erat, cur fiebat quia nemo inuentus sit di-
 gnus aperire librum scripturae sacrae, quem sciebat per
 Christum iam per passionem & mortem apertum? Sed
 verius forsitan fletum antiquorum patrum ex desiderio
 expectationis hic Ioannis fletus exprimit quam propriū.
 Aut si proprius illi fletus hic sit, incunctanter adstruimus
 librum sigillatum, hanc Apocalypsin fore, quae in typo
 tum ipsi Ioāni exhibita fuit: cuius mysteria nemo dignus
 fuit aperire, nisi is qui aperit, & nemo claudit: qui que po-
 testatem accepit super omnia: qui agnus occisus fuit pro
 peccatis nostris, quam (dico Apocalypsin) dedit illi Deus
 palam facere seruis suis, supra cap. 1. Vnde etiam liquet
 verius librum sigillatum Apocalypsin hanc esse quam
 nescio quid aliud: hoc est eorum significationem quae o-
 portet fieri per totum tempus ecclesiae. Quae quia nondū
 intelligebat Ioannes, flebat quod nemo fuisset inuentus,
 qui ea retereret. Breuiter, vnus liber fuit ostensus Ioanni
 intus & extra scriptus, & fortiter signatus tot sigillis quot
 in eo recondita essent mysteria principalia: quem quia
 nemo aperire potuisset, nec intelligere ipsius arcana fle-
 bat: putabat enim (vt res erat) diuinitas incomparabiles co-
 gnoscibilem in eo fore. Locus offert pro qua re sit luge-
 dum, quia non pro aegritudinibus corporum, aut aduer-
 sis, mortē parentum, aut liberorum: sed pro veritatis i-
 gnoracione, proque cecitate nostra, pro salutis dilatio-
 ne, atque impedimentis eius, quae in libro dei scripta sunt,
 grauib; saepe mysteriis intus ac foris. Nam sicut infinita
 bona a veritatis noticia prodeunt, ita ediuerso a cecitate
 mala infinita accidunt. Quocirca nihil tam desiderant e-
 lecti Dei & dilecti: & pro nulla re tam languent, dolent,
 ingemiscunt, sicut dum vident librum Dei minimè ape-
 riri: proinde inspirant continuè, praecatur vt videant ve-

*Ioannis fletus
 fletum anti-
 expectationis hic
 quorum patrum
 exhibet.*

*Pro qua resis
 flendum.*

luntatē Dei in libri scripti apertione, quam vident se suo sensu assequi non posse: fient quod legere pro desiderio animi in eo nequeant. legit in eo, qui aperte dei voluntatem capit: videt qui lucidē speculari, & piē viuūt: quorū etiam Ioānes typum gerit in suo fletu, quod nemo satis dignus eiusmodi reperitur. Perpauci enim capiunt, prædicantque verba salutis ad sensum Dei, quod iam ea ita aliquorum nube obducta sunt, vt vix illis natiuus vltra super sit color, genuino sapore diluto deprauatōque.

* O Punctus 4.

Et vnus de senioribus dixit mihi, ne flexeris: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.

Fieri non potest vt iuxta Christi promissionē non cōsolentur qui sancte lugent. Matt. 5. Ideo Ioanni præ sancto desiderio lugenti mittitur de senioribus vnus, & hic eximius, qui lugentem solatur, ita dicens, Ne flexeris. Ecce vicit leo de tribu Iuda, &c. Qua voce eum senior non solum solatur, verum etiam intentum docilēque reddere conatur: quatenus eorum rerum, quæ sub imagine offerrentur, diligentior inspector, & scrutator fieret prudentior. Vbi non incongruē quæritur, cur fortis ille angelus, qui nunc primum clamauerat dicēs. Quis est dignus &c. non fuit solatus Ioannem, sed senior vnus de. xxiiiij. Sed certe Ioānes hic typum præ se fert ministrorum verbi dei, quorum est secreta Dei mysteria sollicitē perscrutari: angique sibi nequeant ad eorum veritatem penetrare: optare autem sibi doctorem qui ea referret ex scripturarum testimoniis, magis quam ratiocinationibus proprii cerebri: qui & ipsi dum Christum prædicant & quæ Christi sunt non nisi id scripturarum testimoniis tentare debent, quæ à sanctis senioribus recte veraciter sunt. Ea itaque causa non angelus, sed vnus de senioribus solatur Ioannem. Hinc Apostolus Gal. 1. Licet, inquit, aut, angelus de cælo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus anathema sit. Quis verò is senior fuerit non constat, neque enim nominatur, nisi quod vnus de senioribus fuerit: nec multū refert de hoc inquirere: satis sit per mysterium hunc tenere. Semper enim seniores, & qui in scripturis exercitati sunt, in dubiis obscurisve rebus sunt cō-

Perpauci vere prædicant Dei verbum.

Senior consolatur Ioannē.

fulendi: quemadmodum & in causis forensibus magis practici iureconsulti consuluntur. Sed vide, Leonem nominat, quem mox agnum visurus erat. Quare hoc? Nimirum quia hic per mansuetudinem & patientiam in sua passione agnus erat, coram tondente se obmutescens, & non aperiens os suum: ipse idem consummata passione mox vt catulus leonis ad prædam ascendens heribum spoliavit. Quique in sepulchro accubās vt leo & quasi læna in cubili suo, ipsam quoque corporis mortem in semetipso primum, deinde verò in nobis superas: tertia die magno rugitu diuinæ potentæ excitatus fuit, vehementius ipse rugiturus quando ad iudicium veniet cum senibus populi, sicut dixit Esa. cap. 3. circumdante eum valida tempestate, Cum potestate enim magna & maiestate venturus est, vt testatur Luc. 21. Ad cuius rugitum mortui omnes euigilabunt. Omnes enim qui in monumentis sunt audient tum vocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala, in resurrectionem iudicij. Ioan. 5. Ait ergo. Ecce vicit leo de tribu Iuda, id est, homo ille, qui iuxta prophetica veritatem quam Iacob prædixit, nasciturus erat summa omnium expectatione de tribu Iuda, vicit sua fortitudine principem aduersæ potestatis diabolus: & is talis ac tantus, vt pote quem stemmata Dauidica in primis commendant: immo qui seipso claram alioqui Dauidis familiam insigniorem planeque reddidit heroicam, solus dignus fuit aperire librum, & soluere septem signacula eius. Sed cur ita sermonis ordo digestus sit, vt diceretur. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. Nonne luculentius dici poterat, vicit leo de tribu Iuda, de stirpe Dauid: Christus enim vt de tribu Iuda, ita & de stirpe Dauid extitit oriundus. Quæ est ergo in hunc modum digesti ordinis ratio? Magna utique. Nam si dixisset, de stirpe, vel de semine Dauid, causam suo merito minus explicuisset, vnde videlicet Christus leo sit: & vnde vincere potuerit. Etenim secundum quod de tribu Iuda est, & ex semine Dauid, Deus non est Christus: neque hinc mortem proffigauit aut tartara defregit, neque resurgere potuit. Magnificentius ergo & sublimius quiddam de eo dici debuit. Cum itaque dicit. Radix Dauid, magni-

Christus leo est & agnus.

*Christus cur
radix Da-
uid dicatur.*

ficè loquitur de Christo: quippe abundè magnificum est ac sublime, eius esse radicem, de cuius stirpe descendit. Si ad carnem Christi respicias, sic non est Christus radix Dauid, quia non radicem arbor sustinet, sed radix arborem. Proinde iuxta diuinitatem radix est, non humanitatem: etenim habent radicem in Christo quæcunque fecit Deus Dauidi. Est enim Christus radix, & causa omnium promissionum, & in eo solo perfectè adimplentur, quæ de semine, & throno dauidis multis scripturæ in locis promittuntur. Quin potius in typum illius est, & ipsum Dauidis regnum, & sapientia Salomonis, & templum ædificatum, quod omnium electorū congregatio est: quorum firmum fundamentum quod totum ædificium sustineat Christus est, propter quem à Deo in æternitate sunt præsciti & prædestinati cuncti electi, in quo & vocati, & iustificati, in honorem gloriæ eius. Qua etiam ratione non solum Dauidis, sed & cunctorum electorum Christus radix esse perhibetur, tamen si Dauidis specialiter recensetur: quod ex eius semine sit, ut erat promissus, qui cultum Dei amplificauit, illustrauit, & in summo honore collocauit: & multis ac variis modis Christum in vita expressit, sermonèque depinxit. Proinde aliquando ipse Christus dominus in scriptura Dauid vocatur ut Ezech. 34. & 37. Osee quoque. 9. Porro ad quid uicit leo iste? radix Dauid: nempe ut aperiat librum, & soluat septem signacula eius, hoc est, vincendo promeruit, ut uniuersis ex corde amantibus, diuini propositi ac scripturæ sacræ mysteria pandat, auferens impedimenta quibus acies humana acerbaratur, ut non liber inspicere possit: hæc sunt, cæcitas, & peccatum: quorum utrunque gladio fidei à nobis abscidit Christus. Docet Paulus. 2. Cor. 3. ita dicens, Moyses ponebat uelamen super faciem suam, ut non intenderent filij Israel in eam, quod euacuatur: obtusi enim sunt sensus eorum, usque in hodiernum diem id ipsum uelamen in lectione veteris testamenti manet nõ reuelatum, quoniam in Christo euacuatur: sed usque in hodiernum diem quum legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum: quum autem conuersus fuerit ad Deum auferetur uelamen. Nos verò omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate

*Christus cū-
etorum ele-
ctorū radix.*

claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu. Ut bene dictum sit, quia nemo poterat legere in libro mysteriorum Dei, in quo deus mentem suam occultius in seuit, præter eum, cui Christus aperuerit, ablata cæcitate mentis eius, & dederit intelligentiam ad capiendi mysteria. Quod ubi datum sit, mirum quantum animus veri boni cupiens gaudeat, satieturque: est enim pabulum suauè illi ac delectabile, virtutem præstans & fortitudinem, ut ià præter id cupiat nihil: quo robustior contra aduersa exurgit semper.

DE AGNO CORNYTO: ET
OCVLATO.

Sect. 2. Punct. 2.



T vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium: & in medio seniorū, agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septē, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Quum dicit, vidi, non ad corpora

visio mentalis Ioannis tota.
rationalia uiuonem referendum est (ut sæpe dictū est) sed mentis, in qua tum temporis sibi uiuebat Ioannes, cui imagines tales occurrabant, ut solet in somnis. Quid autē thronus, quid quatuor animalia, quid denique seniores sint, plus satis ià explicatū est supra. De agno nemini dubiū, quin sit christus orbis seruator, qui in medio idcirco stare dicitur, quia considerat uniuersumque opus quale sit: aut de qua radice prodeat: ut aut remuneret, aut puniat. Scriptū est in Esaia, Stat ad iudicandum dominus, stat ad iudicandum populos, Esa. 3. Quamuis & ad opitulationem stare nonnullis existimetur: circumspiciens quippe suorum vires adiuuat infirmas ad explendos conatus, si sint optimi inque Dei cultum ordinati. Stabat & in medio suorum discipulorum, ideo aiebat, Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Lu. vicesimosecundo. Et iterum Matth. 18. ubi sunt duo vel tres congregauit in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et cap. 28. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque in cōsummationem seculi. Ideo & in hac scriptura in medio throni

*Christus in
medio stat.*

& animalium, & seniorum videtur: nam & post resurrectionē in medio discipulorum suorum sterisse legitur Ioa. 20. qui ab aeterno in trinitate medius fuit: etenim filius inter patrem medius est & spiritū sanctum. Ideo vbiq̄ medius fieri voluit medius inter animalia, medius inter latrones, medius inter discipulos: iam videlicet hoc clario præsiginamine ostendēs sese esse mediatorem indubium dei hominūque, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testatur Apostolus. 1. Timo. 2. vt merito in medio throni, & animalium, & seniorum, constituisse memoretur: quod libenter versetur cum filiis hominū, postquam homo factus est, maxime spiritualiū, qui in spiritu viuunt. Nā & animal vocabulū hoc sermonis proprietate id præ se ferre videtur: hi sunt, quos nō tāgit cura carnis, puri innocentēque. Stat autem tanquam agnus occisus, qui paulo ante leo erat. Est enim & agnus & leo christus, Agnus in immolatione: leo in resurrectione. Equidem is, qui tempore, quo mortem pateretur, vt agnus immolati-
 cius fuit: sed in resurrectione fortis vt leo rugiens exiit. Nam & custodes circa sepulchrum eius exterruit, & velut mortuos constravit. Infirmus ergo, & veluti impotens mortem subiuit, ideo agnus: sed fortis vt leo eandem superavit. Vtrumque horum testimonio scripturā roboratur. Nam quem leonem Iacob grandauios pater Gen. 49. prædixit, hunc per agnum Moyses in Ægypto figuravit. Exo. 12. Expressit agni nomen Esaias pluries, siue dum emitti præcæretur, cap. 16. dicens. Emitte agnum domine dominatorem terræ: siue dum inter sēquissimos statuit tortores, Quasi inquit, agnus coram tondente se obmutescet, cap. 13. Ab hoc agno agni vocantur & ipsi fideles, qui vere fideles sunt. Esa. 40. In brachio suo congregabit agnos. Christi ergo seruatoris, propriissimus typus est agnus, quia mansuetus, & sine malicia, tonsus, & multis modis in carne afflictus, ductus ad victimam & cæsus. Qua etiam ratione, agni sunt ipsi sancti, quemadmodum prædicta scriptura testatur. Et in psalmo. 43. legis expressè, Quoniam, inquit, propter te mortificamur tota die astimati sumus velut oves occisionis. Cæsus est agni⁹ Christus: cæsi & sancti plurimi: ille pro his: hi pro illo, diuersa tamen in causa. Cæsus est Christus vt multorum

*Christus leo
est & agnus.*

*Sancti agni
sunt.*

scelera expiaret: sancti vt gloriā Christi dilatarent, fide roborarent. Iam si fideles agni sunt, quā non deceat illos à proprietate agni discedere vides, id est, vt mansueti sint, humiles, propriis contenti: & ea communicantes sicubi proximi necessitas flagitet, continentes, candidi, virtutibus pleni. Nanque hoc ipso agni esse desinunt quo moribus à vero agno desciscunt, nec quæ agni sunt faciunt, hoc est, si noxie viuunt, eorum omnimodis induentes nomen quorum mores æmulantur. Rapax es: in lupum abiisti. Ferox? leonem exprimis. Itacundus? vrsus es. Cæno luxuria: immundus? sus. Piger? asinus. Dolosus? coluber. Elata ceruice superbus? equus benè pastus ac recalcitrans. Proinde opus tibi erit, vt moribus agni te conformes, si Christum propinquius exprimere voles, qui tanquam occisus in exemplum imitandi tibi occurrit. Iam vero videamus & hoc. Cur in contextu verborum, tanquam, hæc particula apponatur: Aut quid velit ibi, tanquam? nempe vt plane caperes, quia agnus, qui pro eluendis sceleribus mundi immolatus erat, nunc viueret: nec mors illum continuit à vita: quem Petro asseuerante Deus suscitauit solutus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Actū. 2. Et idem Paulus magnifice attestatur quum dicit. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, nec vltra mors illi dominabitur. Quædam tamen certissima argumēta mortis adhuc sublucent in eo, hæc sunt vulnerum cicatrices insigniorum, quæ palpada à resurrectione præbuit discipulis, dicens, Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Luc. vlti. Et Ioan. 20. Thomæ dicit, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: affer manum tuam, & mitte in latus meum: vt planum esset ipsum occisum quidem fuisse, & mortuum: sed iam viuere: ergo tanquam occisus agni Ioanni visus est, qui etiam septem cornibus munitus decoratusque fuit: septemque oculos habuit, quo præclarius sapientia illi regnūque deputeretur. Quid enim cornu nisi regni typus est: Legis apud Zachar. cap. 4. & infra cap. 17. expressè. Oculi autem summā ac perfectam eius sapientiā designant septiformi spū super ipsum requiescentē, qui supra in septē lampadibus

*Christus tū
quā mortuus
cur dicitur.*

*Christus cur
cicatrices vul
nerū retinuit.*

ob gratiæ pinguedinem lucemque est designatus. Etenim apud ipsum est fortitudo, & sapientia Iob. 12. pluries iam dictum est septenarium perfectionis rationem obtinere. Est ergo sensus verbi. Vidit Christum regnantem, & dominantem in medio sanctorum in fortitudine grandi & sapientia, & iudicio: quod omnia viuacissime transpiciat; nihilque sit quod eius obtutum effugiat, qui tot oculis respicit: & ij sunt septem spiritus dei missi in omnem terram. quorū vehicula apostoli sancti erant, per quos christus spirituale suum regnum in terrarum orbe dilatauit, tradens eisdem suam sapientiam, quādo misit à patre spiritum veritatis, cuius ductu & auspicio ipsi ibique liberè egerunt, vt impleretur quod scriptum est, Spiritus domini repleuit orbem terrarum. Sap. 1. Oculi ergo ij spiritus dicuntur, siue dona spiritus, quia electos illuminant, vt videant, & intelligāt. Dant enim cernere illis, vt probent potiora ac sequantur.

*Pun. 2.

Et venit, & accepit librum de dextera sedentis in throno.

Quum pater & filius & spiritus sanctus, in diuinitate vnus eiusdemque sint natura & essentia. Cur dicit agnū accepisse librum de dextera sedentis? Respondeo, Quia qui agnus factus est tanquam occisus, id est, ipse homo assumptus à verbo: non solum à patre accepit & spiritu sancto, sed etiā à diuinitate ipsius verbi videlicet auctoritatem implendi, quæ in lege erant scripta de se & prophetis: nec sic accepit, vt non proinde maneret liber in manu deitatis. Habet ergo deitas librum, habet & homo Christus, auctoritative habet deitas, dispensatiue Christus. Venit ergo & librum accepit: non sic accepit quemadmodum nos solemus aliquid ab alio accipere, vt apud illum vltra non sit: sed sic, vt & apud illum, à quo accepit remaneret, & qui accepit eo potiretur. Apud illum à quo accepit auctoritative: dispensatiue autem apud illum qui accepit, id est, secundum quod adimpleuit quando hominem redemit. Voluntate venit, vt librum acciperet, id est, vt voluntatem patris impleret. In capite inquit libri scriptum est de me vt facerem voluntatem tuam Deus meus: volui, Psalmo 39. Hic quid liber sit nisi decretum diuinū, quid caput libri nisi summa omnium contentorum in libro: in cuius principio per æternam prædestinationem

Cornu typus est regni.

Librū habet diuinitas & humanitas.

Christus erat positus, qui in vniuersum patris præcepto obtemperaret. Sic ergo accipe: Eadem est patris & filij in diuinitate voluntas, sicut & natura: alia tamen hominis christi, sed nihil ab illa discrepās: quia in capite libri scriptū erat vt faceret patris voluntatē. Proinde quū in passione instantius calicem deprecaretur, dicebat, Non mea voluntas, sed tua fiat pater. Luc. 22. Et alibi, Non veni facere voluntatem meā, sed eius qui misit me patris. Prima sius vetus explanator, per librū ipsam dispensationem intelligit: cuius verba hæc sunt. Librum de dextera ipsam dispensationem à patre & à seipso dispositam, accepisse filius hominis dicitur, quia vterque cum spiritu suo in throno habitat. Denique dexteram, inquit, hic etiam pro felicitate victoriæ debemus accipere: nec carnaliter intelligi debet, tanquam de alia patris dextera librum dicatur accipere, quum idem filius patris, idemque sit ipsa dextera. Sed quum semper vincit in suis, qui dicit, confidite, ego vici mundū, suamque ecclesiam victicē fecit existere, de ipsa declaratur librū accipere. Hæc ille alto satis sensu, declarans Christū esse dexteram patris, iuxta quod deus, & ipsam dexterā victoriam designare, quā efficit in electis. Grande verbum efficere victoriam in electis, quo discimus eos solos fore electos, in quibus vincit christus: tam ardentem flagitandum est à nobis, vt vincat in nobis, qui alibi ait, Sine me nihil potestis facere. Rursum. Sicut palme non potest facere fructum à semetipso nisi manserit in vite. sic nec vos, nisi in me manseritis. q. d. Inde habetis virtutem fructum faciendi Ioan. 15. Hæc dicta sunt secundum eos, qui librum, dispensationem redemptionis intelligunt: aut sane totam ipsam sacram scripturam. Sed ne prioris quoque sensus obliuisceremur quo librum spectatum in hanc Apocalypsin supra retulimus: sic accepisse librum de dextera sedentis in throno agnum intellige, quemadmodum dictum est in principio datam esse Apocalypsin Christo homini à Deo palam facere seruis suis. Sequitur.

*Punctus 3.

Et quum aperisset librum: quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt corā agno habentes singuli citharas, & psalteria aureas, plenas adorationum, quæ sunt orationes sanctorum.

Christus efficit victoriam in electis.

Christo reuerentiã debemus omnes.

Agnus librum aperuit, quando ea quæ multo ante de ipso fuerant prænunciata opere impleuit: unde omnes sancti ecclesiarum Christi, agnoscetes illum suum benefactorem deum & dñm, de quo tot oracula prænunciata sunt, quique mysteria impleuit oraculorum, cuius auspicio salus omnibus obtigit: merito cadunt coram eo, tanquam summa veneratione dignissimo, qui supra omnes singulariter diuinos honores promereatur. Idẽ aperuit & hoc decretum dei, librum scilicet Apocalypsis, quando oblati significationibus, mysteria quoque eius Ioãni reuelauit: in cuius gratiam & aialia ipsa & seniores procidere: quia & sancti prædicatores, & omnes dignitates potestatisque superinde gratias Deo & christo agere debent, ornatumque suauissima odora menta offerre: quia Dei decreto, quicquid eueniat ecclesiæ, fieri norint, cui in primis cura est de ipsa. Duo in hac veneratione obserua. Primum humiliationem sanctorum. Secundo meritum præconium. Humiliationem in eo quod ceciderunt, nõ quidem vulgarem, sed quæ ex fide est, post summam maiestatis recognitionem. Sic & cæcus ille natus postquam illuminatus est christumque benefactorem agnouit, procidens vt deũ adorauit, Ioa. 9. Et Magi procidentes adorauerunt eum. Matth. 2. Meritum præconium designatur in citharis & phialis. In citharis nanque solent modulari panegyrici cantus heroum: & phialis aureis in mensis regum conuiuæ exhilarantur. Et certe frequẽs est in scriptura sacra vt cithara, tuba, decachordum, lyra, organum, aliisque huiusmodi typus sint spiritalis cuiusdam ac veræ christiane harmoniæ: conuenit ad hanc harmoniam sanctus & expurgatus hominis sensus, vt iam nolit aliud quam quod diuinam conspicit affectare mentem, cui per omnia consentit, vita contraria. Sunt in hac harmonia Dei voluntas, & Christus, fidelis mens, cor, & opera cum ceteris virtutibus, ac noticia mysteriorum libri dei. Hanc citharam habuerunt omnes seniores sancti, qui aduentum, tempusque victoriæ agni præcesserunt: habemus & nos nouæ gratiæ perceptores, qui gratiarum melodias edimus in templo Dei. Habuerunt & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: sicut per se declarauit. Phialæ parte infima angustiores

Cithara quid in sacra scriptura designent.

Phiala sancti sunt Dei.

sunt, suprema lata: & certè sancti sunt phialæ, qui ad carnem sese coangustant, ne quid in mundo concupiscant: ad spiritum amplitudinem immodicam sese dilatantes: qui exhilarati spiritu Dei dicunt, Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. Psalmus. 118. Angusti sunt ad seipso, etiam necessaria à seipsis abstrahendo. Lati ad proximos, necessitatibus eorundem liberaliter succurrendo. Nec solum phialæ, sed etiam aureæ sancti dicuntur, quia charitate præciosi: hæc sunt vasa aurea in domo magna boni odoris, Christi suauitate fragrantia: de quibus meminit Paulus. 2. Timot. 2. Orationes porro sanctorum sunt gratiarum actiones congratulantium pro mundi salute, & intercessionis pro paruulorum stabilitate. Item de beneficiorum percepta collatione diuinæ bonitatis commendationes. Aitis cithara crux Christi est, quam in mysterio accipere & tenere debent fidei professores, qui in ea diuersimode tenduntur, vt chorda: referunt tamen eundem fidei sonitum. Quando igitur, qui sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vicis & concupiscentiis, tanquam citharis concinunt Christo, in carne sua adimplentes quæ defunt præsurarum Christi. Quasi enim cithara Paulus Christo concinebat: quum diceret, Mihi mundus crucifixus est, & ego mudo. Et rursum. Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Habent ergo sancti citharas in passionis Christi æmulatione: habent & Phialas in præceptorum charitatis obseruatione, qua se effundunt orantes a que pro amicis vt inimicis, quemadmodum acceperunt à Christo dicente, Orate pro persecutibus vos. Id quod insigniter exequutus est sanctus protomartyr Stephanus in Actis apostolicis cap. 7. Qui positis genibus pro lapidantibus orauit dicens. Domine ne stituas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Bene autem aromatis comparantur ipsæ orationes sanctorum: quia nulla magis grata potest esse oratio, quam quæ pro inimico funditur, vt domini præceptum impleatur. Item etiam orationes sanctorum aromata sunt, quæ suauis & grata Deo, quibus corda eorum plena sunt: quia semper plena bona voluntate sunt, qua cupiunt misericordiam dei, & sibi & aliis puenire. Cõsidera, Omnes

Cithara crux Christi.

Orationes sanctorum aromatis comparantur.

dicuntur habere & citharas, & phialas. nec vnum sine altero: quia nec spiritalis harmonia sine oratione, nec oratio vera sine harmonia, hoc est cordis concentu iubilōq; suavissimo esse potest. Proinde sequitur. ✠ Punctus 4.

Et cantabant canticum novum dicentes, Dignus es domine accipere librum: & aperire signacula eius: quoniam occisus es: & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnū, & sacerdotes: & regnabimus super terrā.

Quo pertineat id quod mox premissum est de citharis & phialis, exprimit dicens. Et cantabant canticum novum, &c. vbi mentis eorum iucunditas in summa gratitudine declaratur: quādoquidem beneficia redemptionis nostræ facta per Iesum Christum dominum nostrū commemorantur. Canticum novum, novū est testamentum, in quo nova omnia sunt. Noua est Christi incarnatio, noua passio, noua mors, noua resurrectio, noua ad cælos ascensio, noua spiritus sancti missio, noua peccatorum remissio: noua mortuorum resuscitatio, & id genus reliqua omnia noua. Ideo & propheta hortatur. Cantate domino canticum novum: cantate domino omnis terra. Psalm. 95. Hoc canticum sancti iugiter cantant in ecclesia: quia iugiter recolunt, & talia Christum pro se gessisse recognoscunt. Nihil est in nouo testamento quod ad veterem hominem pertineat: & ideo quicquid in eo est, carni ac sanguini novum est. Nouum sui contemptus: novū terrenæ cupiditatis abdicatio: novum crucis anplexus: novum carnis mortificatio: novum dilectio inimici: & ideo non nisi ab innouatis cantatur. Cantabant ergo, nō iam exitum de Ægypto: non transitum maris rubri, neq; agnum paschalem, aut quid aliud tale: sed gratiam factā per Christum: abolitionem peccatorum: virtutem sacramentorum sub spe futurorum celestiumque bonorum, quæ promissa sunt in ipso Christo Iesu domino nostro renouatis per fidem & baptismum. Vbi aduerte, Quinq; ex ordine de domino nostro Iesu Christo dicuntur. Primum quod sit dignus accipere librum, & aperire signacula eius. Secundum quod reddatur causa quare dignus sit. & hæc est occisio eius. Morte ergo sua id promeruit: hac dignus fuit: non quod prius fuerit indignus, sed pro-

*Nova omnia
in nouo testa-
mento.*

pter inuariabile decretum altissimi, quo suæ morti id tribuitur. Tertium quod redemit nos Deo per sanguinem suum, ex omni tribu, &c. Nullum enim aliud piaculum sufficiens erat delendo peccato, quo misere omnes inuoluebamur. Sola igitur mors & sanguis Christi in fato erāt, quibus deleteretur peccatum, nobilique vita restitueretur.

Extat filij illud verbum ad patrem. Sacrificium & oblationem noluit: aures autem perfecisti mihi. Et iterum. Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi ecce venio. Psalm. 39. Qui itaq; sponte pro nobis cæsus est, fudit & sanguinem: ille idem nos ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, sicut erat prædestinarum redemit: ac hæredes cæli subscript, constituitque e. Sensus ergo verbi est. Tuæ passionis merito (ô Christe) collecti sumus omnes in vnum Dei regnum, ex omni natione, quæ sub cælo est. Vides hic per animalia, & seniores totam dei & Christi ecclesiam in suis summaribus figurari: vt miserorum quorundam argutia concidat, qui ad singula indiuidua reducere eam pertinacissima nituntur concertatione: nec decretum aliter vllum sanciri posse, nisi ad sint & cerdones, cloacarique. Quartum est quod facti sumus omnes per illum sacerdotes Deo absque discrimine. sed quomodo: dictum est supra. cap. 1. Sec. 2. Punc. 10. Quo sensu & in Petri canonica legis. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, Hoc est, qui in lucrum accessit: vt annuncietis virtutes illius, qui de tenebris vocauit nos in admirabile lumē suū. 1. Pet. 2. Si nanque omnes ex æquo dicuntur consortes vñctionis Christi, qua vnxit Deus illum præ participibus suis. vt Psalmus testatur. 44. Nec tamen proinde æque omnes externa functione sacerdotes, sicut nec omnes externè reges: in quod aliis vñctionibus aliisque consecratione vtuntur. Spiritualiter ergo tantum sacerdotes sumus, in quod sacerdotij genus non requiritur consecratio externa per episcopum, sed solum spiritualis, qua vnxit Deus pater Christum suum, in quo omnes spiritualiter sacerdotes sumus & reges. Quum enim ex æquo per baptismum illi insiti sumus omnes, fieri non potest quin participes simus simul & vñctionis eius, dignitatis quoq;: ideo

Christi morte redempti eramus.

Ecclesiam in summaribus figurari.

Sacerdotes in Christo sumus omnes.

etiam vngimur quum baptizamur vnctione chrisma-
 externa: quæ designat internam illam vnctionem, quæ fit
 per spiritum sanctum. Facti ergo omnes sacerdotes in Chri-
 sto spiritualiter sumus: nec tamen confectarium est, vt om-
 nes ministerio sacerdotali fungamur in Dei ecclesia, in
 quod specialis ordo requiritur solemnibus ceremoniis in-
 stitutus. Quintum est, quod dicunt se factos regnum: nõ
 dubium quin spirituale, quod est ecclesia, siue multitudo
 credentium in vnitare fidei congregatorum: ideoque glo-
 riantur se regnatos super terram, non in terra. Quid en-
 nim in terra ista habent sancti, nisi tribulationes, ango-
 resque, tum multos tum maximos? Super terram autem
 gloria eorum manet in æternum, hoc est, in cælo, quod
 est super terram. Aut certè super terram regnabunt sancti
 non obnoxij cupiditatibus eius. Haymo episcopus. Om-
 nes inquit electi reges appellantur, quia tyrannidem vi-
 ciorum in se consurgere non sinunt, luxuriæ appetitum fre-
 nant, ignem furoris extinguunt, & cætera huiusmodi tẽ-
 tamenta in se consurgere volentia obruunt. Sacerdotes
 quoque dicuntur: quia seipos quotidie in ara cordis sa-
 crificium contribulatum offerunt, vt hostia viua fiant: se
 cum viciis & concupiscentiis mortificantes. Hinc Paulus
 dicit, Obsecro vos per misericordiam dei vt exhibeatis
 corpora vestra, hostiam viuam, sanctam, Deo placen-
 tem. Rom. 12. Dùmque hoc faciunt, super terram reges
 existunt: quia carnalia in se desideria, terrenaque compri-
 munt, & veluti super subiectam terram lege virtutis reg-
 nant. Quod autem dicunt. Et redemisti nos, ex omni tri-
 bu, & lingua, & populo, & natione: volunt intelligi, ex o-
 mni gente quæ sub cælo est colligendam fore ecclesiã
 dei. Horum nominum pete expositionem infra cap. 7,
 Sect. 3. Punct. 1. Tribus: distincta familia collectio est se-
 cundum origines suas: vt tribus Iuda, tribus Benjamin,
 & c. linguæ multæ sunt & variæ. Initio quot gẽtes tot lin-
 guæ: deinde plures gentes quàm linguæ, quia ex vna lin-
 gua multæ gẽtes sunt exortæ. Populus propriè ad Iudæo-
 rum gentem refertur. nationes tot sunt quot linguæ. Ita-
 lica, Gallica, Hispanica, &c.

*Sancti sunt
Dei regnũ.*

DE ANGELORVM TOTIVSQVE

CREATVRÆ APPLAUSV.

Sect. 3.

Punct. 1.



T vidi, et audiui vocem angelorum multorum in
 circuitu throni, & animalium, & seniorum. Et erat
 numerus eorum, millia millium voce magna dicentium.

Quod hæc visio rota spiritualis fuerit, hic manifestissimè Ioannes ostendit, quum
 dicit. Et vidi & audiui vocem angelorum. Neque enim vox vi-
 deri potest: sed videre positum est pro intelligere: sicut &
 in Exodo legis, videbat populus voces, id est, intelligebat
 cap. 20. Totus quippe visus vel auditus Ioannis in spiritu
 fuit, ideoque spiritualis. Quid autem sit quod angelorum multi-
 tudo erat in circuitu throni dei, & animalium, & seniorum:
 nisi hoc quod caelestis militiae copias cincta tuetur ecclesia?
 Omnes, inquit apostolus, administratorij spiritus sunt
 angeli: missi propter eos, qui salutis capiunt hæreditatẽ.
 Hebr. 1. Nisi enim caelestium prædiciis virtutum fulciretur
 ecclesia, inter tot aduersantium in sidias minimè cura foret:
 modo autem, & quia thronus Dei in ea fit, & in circuitu
 angelorum vallatur agminibus, duplici velut munimine
 tuetur. Hinc scriptum est, Super muros tuos Hierusalem
 constitui custodes. Esa. 62. Hoc & si non cernamus cor-
 poreis obtutibus: experimur tamen, & discimus, præter-
 tum ex eò quod tantos spiritualium nequitiarum nacti su-
 mus aduersarios: qui non dies cessant non noctes circui-
 re nos vt incautos decipiant, deuorantque. 1. Pet. 5. Tanta
 tamen est Dei circa nos prouidentia: tanta sollicitudo,
 qui seruari nos magis vult quàm perire, amari à nobis
 vult plus quàm timeri: ideoque beneficia multiplicat
 quo situius afficiamur illi. Scriptum est enim. Quia an-
 gelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus
 vis tuis. Psalmus. 90. Et dominus in euangelio ait, Ange-
 li eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in
 cælis est. Matth. 18. Quorum numerus, quum infinitus
 sit, nobisque incognitus, Danielis supputatione visus est,
 capite septimo, vbi similiter legis, Millia millium mini-
 strabant ei. Nam & in Iob scriptum est: Nunquid est nu-
 merus militum eius? capite 25. Non tamen ita infinitus

*Videte pro
intelligere.*

*Angeli cus-
todes ecclesiæ
Dei.*

*Angelorum
numerus no-
bis incomper-
tus.*

numerus eorum , vt apud Deum infinitus fit, qui omnia fecit in numero, pondere, & mensura: sed quoad nos: nemo enim scit quantus sit numerus angelorū: sed nec sciri potest à nobis donec in via sumus. Audis multitudinem angelorum, præsidij virtutem intellige circa te. Igitur sæuiant licet aduersarij, rugiant circa nos spirituales nequitiæ, sicut vt leo lænaque: sed nos cœlestium virtutū præsidij cincti communitique sumus, vt non præualeat hostis quantumuis sæuus, quantumuis terribilis, ac paratus ad prædam. Fide Deo, & tutus eris, qui tatum angelorum circumfudit ecclesiæ suæ, cui vnus angeli custodia satis forsitan esset. Ne tamen minus sperares, tuo commodo id fecit: pro te ergo circumfudit, quo tutus esles, & pro tauto beneficio gratias illi ageres: ij thronum Dei custodiunt, & animalia, & seniores. Cæterum vox eorum magna, magni ac fortissimi spiritus est typus, & summæ charitatis argumentum quam nobis affecti sunt assequuntis gratiam per Christum: neque enim corporalis est vox angelis, tametsi beato Ioanni sic visum sit, in signum summæ dilectionis, summæq; exultationis, pro gloria Christi nata ex victoria, libri quoque ac signaculorum eius apertione, & nostra redemptione salutæque. Porro fuit hæc vox typus synceræ & constantis professionis veritatis in martyribus, qui pro gloria nominis Christi libeter mortem oppetere: & etiam confessorum eius, quorum non est numerus. Sequitur cantus eorum. † Punct. 2.

Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

Hæc omnia verissime agno Christo comperūt, & virtus, & diuinitas, & sapietia, & fortitudo, & honor, & gloria, & benedictio. Qui alibi leo est propter fortitudinē, hic agnus per innocentiam, & simplicitatem: & quia in sacrificium est oblatus. Nota. Dignus est Christus accipere virtutem: vt eadem virtus, quæ est in verbo, sit & in homine assumpto per communicationem: quatenus omnia possit Deus & homo Christus. Et diuinitatem, quia in ipso habitat omnia plenitudo diuinitatis corporaliter. Coloss. 2. Et sapientiam, vt sicut omnia scit verbum ante secula à patre genitum, ita sciat ipse homo in vnita-

Vox magna magni desiderij typus.

Christus dignus ad omnia.

te personæ verbo coniunctus: nec quicquā sit quod eum latere possit: Ipse quippe est Dei virtus, & Dei sapientia. 1. Cor. 1. Qui etsi crucifixus est ex infirmitate, sed ex virtute Dei. 2. Cor. 13. Et fortitudinem ad debellandum humani generis aduersarium: cum quo velut gigas fortis ac potens conflixit, de quo in Psal. 23. legis. Dominus fortis & potens dominus potens in prælio. Quod nec Esais reticuit, qui in 9. cap. fatidici voluminis ita scriptū reliquit. vocabitur nomen eius, Deus fortis, & quæ sequuntur. Et honorem, & gloriam, & benedictionem, subintellige. Dignus est accipere Christus: honorem in resurrectione: gloriam in ascensione: benedictionem in patris ad dexteram confessione: vbi ab vniuersis benedicitur. Dignum nanque erat vt humanitas filij Dei, quæ tanta sustinuit: post spūta, post alapas, post mortem, ac sepulturā resurgeret: & ad patris dexteram in summa gloria collocaretur: laudaretur ab vniuersis: benediceretur: glorificareturque. Obserua. Acceperat Christus ab hominibus testimonij, quum quatuor animalia & xxiii. seniores magna contestatione acclamauere eum dignum esse, vt acciperet librum, & aperiret signacula eius. Nunc accipit & ab angelis: qui etsi non per ipsum redempti sint: neque enim indigebant redemptione, quia non perierāt. At verò quia per diuinitatem eius conditi erant, & per sanguinem suum nobis reconciliari, dicente Paulo, In ipso condita sunt vniuersa in cœlo & in terra, visibilia, & inuisibilia, sue throni, sue dominationes, sue principatus, sue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, Coloss. 1. Idem consequenter ait. In ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eū reconciliari omnia, in ipso pacificans per sanguinem crucis eius, sue quæ in cœlis, sue quæ in terra sunt. Et Ephes. 1. vt notum nobis faceret sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum. Quid verò sit illud beneplacitum Dei, continuo subiūgit, dicens. Instaurare omnia in Christo Iesu, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Hoc nimirum erat beneplacitum Dei: videlicet impleto tempore ordinationis suæ instaurare in fide Christi, quæ in cœlis semiplena erant, id est, chorum angelicum, qui diminutus erat: &

Angeli reconciliari hominibus per sanguinem Christi.

quæ in terris erāt euacuata, id est, ipsos homines per peccatum protoplasti qui perierant. Proinde quia angeli in ipso conditi erant, & per sanguinem eius reconciliati hominibus, pacificatiq; : & numerus eorum diminutus ex hominibus suppleretur per ipsum, dico Christum : bene ac sapienter in circuitu feruet de ipso testimonium, & quidem voce magna, vt Ioanni videbatur, dicentes. Dignus est agnus qui occisus est videlicet hęc titulis veluti peculiaribus insigniri: vt virtus, & diuinitas, & sapiētia, & fortitudo, & honor, & gloria, & benedictio in æuum conclamerur illi. Hic velim animaduerte mihi præconiij congruentiam : quia enim angeli sancti non perierant, idcirco quum dicerent, dignus est agnus, qui occisus est. nō subiunxerunt, Et redemit nos: particulam videlicet, quæ vsa sunt animalia, senioresq; dicentes, Quoniam occisus es, & redemisti nos: sed tantum dicunt. Dignus est agnus, qui occisus est. Neque enim iungere pariter opus erat: neque enim angeli redemptione indigebāt (vt diximus) quia peccato non perierat: homo solus indigebat, quia peccato non perierat, qui per mortem agni veri redimendus erat. Obserua. Agno olim immolato litabatur Deo: in typum quod verus ille agnus, non dubium quin Christus, ob salutem mundi foret immolādus: quæ etiam ratione adhuc verus illud nomen obtinet typicum figuraleq; quo significatur impletam esse in eo figuram cęsi agni ob peccatum. Cui summa dignitas ex vnione diuinitatis inest. Nisi enim Deus homini vnitus esset, non grandior hæc eius dignitas hominum cæterorum foret. Nunc quia diuina dispensatione factum est, vt diuinam cum homine naturam cōtineat: occisione sui promeruit peccatum reconciliato Deo aboleri, parati salutem omnibus, aditum cœlestis regni patefcere: eo quod in ipso diuinum beneplacitum completum sit. Id quod pro primo cantici verbo videlicet, Dignus es domine, intelligi velim. Hinc septem insignia agni prædicantur, virtus, diuinitas, sapiētia, fortitudo, honor, gloria, & benedictio, atque in isto laudem catalogo pariter intellige vniuersa quæcunque sacris produntur literis de agno hoc. Sunt namque & alia multa maiestatis eius nomina, vt pote. Regnum, imperium, salus, vita, potestas, & his similia: quæ

*Angelorum
cantici differētia
ab hominum.*

*Agni immolatione
litatur olim.*

*Septem Christi
signa.*

agno Christo excellentissime conueniunt, in Iudæorum confutationem. Neque enim quum legeret hæc in libris suis, dignum eum talibus titulis iudicabāt, sed nec modo iudicant, quem maiores eorum vt agnum occidebāt: occidebant & contemnebant: & ideo dicebant, Nōne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Ioan. 6. Indignum ergo iudicabant, quem filium fabri passim clamitabant. Contra quos decertant angeli testificantes dignum esse eum prædictis titulis, veluti insigniis peculiaribus: quæ nemini alteri competere nisi agno Christo cæso ob salutem mundi, qui virtutū rex est, Psal. 23. & 66. Cui pater dedit nomē, quod est super omne nomen, Psal. 2. De quo Esa. cap. 9. vocabitur nomē eius admirabilis, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi. Cōsonat & Psalmi versiculus. Domine dominus noster quàm admirabile est nomen tuū in vniuersa terra. Porro ipse est sapiētia cœterna patris, de quo Ierem. 23. Sulcira- bo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. Et. 1. Cor. 1. Qui factus est nobis sapiētia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Rursum. Prædicamus Dei virtutem & Dei sapiētiā, ibidem. Quem solum super omnes decet honor & gloria, Paulo dicente. Regi autem seculorum immortalī, inuisibili soli Deo honor & gloria, in secula seculorum amen. 1. Tim. 1. Itē alibi. Psal. 8. Gloria & honore coronasti eum. Et iterum, Psal. 2. Magna est gloria eius in salutari tuo. &c. Si salutare Dei Christus est, & gloria iusti magna esse in illo prædicatur: dubium non est, quin maior sit ipse in quo gloriosus quisque est: vt iure benedicendus ab omnibus sit, in quo cuncti benedictionem accipiunt, scriptura dicente ad Abraham. In semine tuo benedicentur omnes gentes, Gen. 22. Quod exponēs apostolus Galatis scribens ait. Non dicit, In feminibus quasi in multis: sed quasi in vno, in semine tuo, qui est Christus. ca. 3. vt clarè caperes, quia in ipso benedictionem omnem sumus consequuti. In quod per Psalmistam dicitur. Quoniā dabis eum in benedictionem in seculū seculi, Psal. 29. Per eum intelligens Christum quem pater Deus dedit in omnium gentiū benedictionē, id est, vt oēs benedicerēt in ipso. Ideo in Ps. 71. dicitur. Sit nomē eius benedictū in secula,

ante solem permanet nomen eius, & benedicetur in ipso omnes tribus terrarum. Item Psal. 44. Quum speciosum eum dixisset præ filiis hominum, gratiamque in labiis eius diffusam subnexuit, Propterea, inquiens benedixit te Deus in æternum. Accipiat ergo nunc agnus qui cæsus est, qui & dignus est, virtutem eiciendi dæmonia ab ecclesia, deique delubris ac fanis gentium, de latebris simulachrorum, ubi colebantur, vnde dabant responsa fallacia, meriendo se Deos esse, quum essent dæmonia, atque inde exturbet ea dominus virtutum & gloriæ rex. De quo scriptum est. Et in veritate brachij tui dispersisti inimicos tuos, Psalm. 88. Accipiat & diuinitatem, iuxta fidem credentium: quatenus expulsis erroribus, verum cultum inserat cordibus gentium, seque illis innotescat: sicut scriptum est, Regnabit dominus super gentes, Psalm. 47. utque decantent vniuersi, Quia omnes dii gentium dæmonia: dominus autem celos fecit. Psalm. 95. Accipiat denique sapientiam, qua regat ecclesiam suam, doceatque: ne quis sicophanta cuiuspiam suorum imponat. Accipiat nihilominus & fortitudinem confundendi huius mundi sapientes, iuxta illud Job. 5. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum. Et 1. Cor. 1. Perdam sapientiam sapientium: & prudentiam prudentium reprobabo. Quo fiet, ut neque philosophorum argutia oculis agni, neque potentum fortitudo agni eiusdem cornibus officiat: sed superet vbique, & regnet agnus. Porro accipiat & honorem & gloriam, quem in templis eius benedicat omnis fidelium turma: quatenus palam præemineat cunctis, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt: cuius virtus in omnia signa ac prodigia: diuinitas nusquam non subluceat: vigeat sapientia: fortitudo vincat in sanctis suis, vnde illi tribuatur honor & gloria & benedictio in sæcula sæculorum amen. O felicia tempora, tanta illustrata gratia. Quis modo non videat diuinitatem Christi, cui parent omnia? Quis virtutem non miretur? Quis dignitatem non adoret? Quis non amplectatur sapientiam? Quis non cantet gloriam? Quis non fortitudini eius congaudeat? Quis honorem non extollat? Quis benedictionem plenis vocibus, non acclamet? Virtus christi miris, tum variis illuxit nobis prodigijs, siue dum mortuos reuocaret ad vitam, siue dum cæcis visum redderet,

deret, siue dum mûdaret leprosos, siue dum claudis gressum solidaret. Sed hæc maxime spiritualiter dū facit vsque modo. Nunc, quod valde mirum est, virtutem suam potentissime in morte exeruit, vt destrueret corpus peccati, vtque potestatem aduersarij cotereret, daret vitam deploratis. Ostendit diuinitatem in resurrectione: in ascensione gloriam & honorem: in prædicatione sapientiam per apostolos: fortitudinem in cōtentione potestatis mundi. Nec tamen pro semetipso tantum hæc accepit: accepit & pro membris suis: dedit enim eis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, Luc. 9. Diuinitatem in peccatorum remissionem, & in eucharistia consecrationem. Sapientiam in noticiam mysteriorum Dei: fortitudinem in tolerantiam aduersitatum: honorem in adoptionem in filios Dei: gloriam in æterna beatitudinis adeptionem. Item benedictionem in laudis perpetuam decantationem: quandoquidem dominus noster Iesus Christus non solum sibi meruit, sed & membris suis, ratione capit. Ipse enim est caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus eius, & plenitudo eius. Eph. 1. Ecce quæ digna fuit commendatio sanctorum angelorum, quæ sapientis, quam mystica: in qua regi suo obsequuntur, quum veritatem non tacent, sed prædicant, sed vulgant. Et quia non solum ab angelis post homines, sed etiam ab omni creatura voluit Christus accipere testimoniū suæ veritatis, ideo Sequitur. Punc. 3.

Et omnem creaturam, quæ in celo est: & quæ super terram: & quæ sub terra: & quæ sunt in mari: & quæ in eo, omnes audiui dicentes sedenti in throno, Et agno, benedictio, Et honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.

Omnia à Deo condita sunt tam animata, quam inanimata: tam rationalia quam rationis expertia, siue quæ laudant in celo, siue quæ in terris, & quæ sub terra sunt: & ideo Deo, & agno benedicunt, quæque suo modo, quo opus laudat opificem, qui fecit illud: soli duntaxat reprobi non recensentur inter benedicentes: maledicunt enim illi semper in cordibus suis, & in operibus manuum suarum contraria agunt ei. Tantum abest, vt inter benedicentes connumerentur. Quæ etiam ratione omnis reprobus inferior infeliciorque est quacunque creatura in ordine vniuersi ad Deum: eo quod omnis creatura laudat illū,

Creatura laudant Deum.

Reprobi execratur Deum.

foli reprobi execrantur. Textus hic non potest accipi de angelis, hominibusve, vt quidam superuacaneę putauerunt: de quibus specialiter pręmisit mox: sed de folis brutis animatibus, insensibilibusque creaturis, quę omnia suo modo laudat creatorem Deum: & illę quę in cęlo sunt, vt sunt sol, luna, & stellę: & hęc quę super terram repunt, gradiunturve, stant aut iacent, qualia sunt: quicquid ambitu cęli continetur: & quicquid sub terra, & in mari. Obserua. Hoc iam tertio dant creaturę testimonium diuini operis: quę idcirco benedicunt Deum & agnũ, quod creata ab ipso Deo incipiant per ipsum agnum liberari à seruitute corruptionis, cui suo pte ingenio gaudet subiici, vt pręclare docet Paul. Ro. 8. ad illorum condemnationem, qui victorię agni non congaudent: nec fatagunt participes fieri redemptionis eius: sed neque legi Dei subiiciuntur, improbissimis interim moribus seruientes. Obserua rursum. Nanque creaturę hęc Deum laudantes & agnum, non vt animalia alata, senioresque: neque vt angeli de occisione agni merionem faciunt: sed simpliciter tantum dicunt. Sedēti in throno & agno, id est, Deo & Christo. Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Neque enim ob redemptionem talium creaturarum cæsus est agnus: sed tantum, quia creatę sunt, suo quęque modo creatori laudem occurrunt: nec quidem rationali vocaliue cõfessione: sed naturali status sui representatione. Denique quum hominũ redemptio, ordinum angelicorũ restauratio per solius agni occisionem sit celebrata: recte homines item & angeli occisionem agni prædicant: creaturę autem reliquę, & quę sensu carent, & quę rationis sunt carentes, tantum sedenti in throno, & agno benedicunt: quod Dei benedictione stat in eis posteritatis vsque in finem continuata successio. Scriptũ est enim, Gen. 1. Benedixit eis Deus dicens. Crescite, & multiplicamini. & id quidẽ quantum ad viuentia. Nam quantum ad inanimata: vt sunt sol, luna, & astra micantia, reliquęque, siue in cęlis, siue in terris, creationis vigore cõseruantur, nec sine Deo auctore vt nõ deficiat. Quapropter ab his in hoc est semper benedicendus Deus. Nam si benedictio est, virtutis siue ad multiplicandum, siue ad cõseruandum collatio: profecto creaturarum quę sen-

*Benedictio
quid sit.*

suum expertia sunt, ac etiã quę sensibus vtuntur, non ratione: vna & prima vox benedictio iustissima fuerit, cuius virtute in multiplicem funditur sobolem, ac cõseruantur. Hęc igitur est prima creaturarũ vox, Benedictio. Secunda, honor. Nam quum benedictionis voce summũ creatorem Deum recognouissent, mox honorem illi tribuere minimẽ dubitauerunt, tanquam domino excellentissimo, & opifici amplissima domus: quam idem tanta arte composuit, vt esset nõ solum amplissima, ornatissima, sed etiam vtilissima, & pulcherrima: patrono enim domus in eadem domo debetur honor: & Deo in mundo. dicente apostolo. Hebr. 3. Ampliori gloria iste prę Moyse habitus est dignus, quãto ampliozem honorem habet domus, qui fabricauit illã. Tertia, gloria. glorificatur enim Deus per creaturas, quę sunt ab eo conditę, id est, gloria eius in his ostenditur. Ideo in cap. 1. supra dixerat. Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum: amen. Et Paulus. 1. Tim. 1. Regi autem sæculorum immortalis, inuisibili, soli Deo, honor, & gloria in sæcula sæculorũ: Amen. Vltima vox, potestas: hac siquidẽ continentur vniuersę, quę nullo vnquam tempore minuitur, nec mutatur: semper autẽ in sese solida consistit, semper durat: iuxta illud, Dan. 7. Potestas eius, potestas eterna. Breuiter: Deo, & agno, non dubium quin Christo domino: concinunt vniuersę creaturę, eo quod agnus per vnionẽ personę diuinę ad Dei immortalis æqualitatem peruenit. Quadruplici autem ordine creaturę laudant & benedicunt Deum. Primo mente solum: sic Angeli. Secundo non solum mente sed & voce: sic homines fideles. Tertio representatiuẽ, in quantum scilicet vestigium trinitatis, diuinęque perfectiõnis subluet in omnibus: sic nõ solum angeli hominẽsque: sed etiã creaturę irracionales & insensatę in sese diuinum opificium representando laudat & benedicunt. Quarto obsequitiuẽ, quod Deo vniuersa obsequuntur ad nutum, parantque volũtati eius. Sic mare rubrum diuisum est per medium. Sic petra virga percussa aquam dedit in abundãtia. Sic Iordanis fluuenta reuersa sunt, &c.

∞ Punct. 4.

Et quatuor animalia dicebāt, amē. Et viginti quatuor seniores ceciderūt i facies suas: Et adorauerūt vinetẽ in sæcula sæculorũ.

Iam dictum est quid quatuor animalia sint: qui dicebant amen. Quid autem est quod dicebant amen? nisi assentiebant veritati laudis. Amen Hebraeus sermo est, & significat vere siue fideliter: quod vera credentia est signaculum. Confirmant autem hoc verbo predicatorum sancti quatuor euangeliorum institutis edocti, agnosque ut sedeti in throno deberi honorem, & gloriam: testanturque etiam verum esse quod creaturae praedicant, & eis congratulantur. Hoc autem faciunt ex officio in quo sunt positi, eo quod praedicatoribus ex officio suo conuenit alios confirmare. unde Petro dictum est, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Luc. 22. Et Episcopo Sardinensi iniunctum est supra cap. 3. Confirma cetera quae moritura erant. Animalia autem typus sunt praedicatorum sanctorum (vt plus satis expositum est a nobis) quia spirituales, quia in spiritu viuentes, magis quam in carne: qui carnalia desideria, respuunt fugiuntque: & spirituales affectus in Deum continuo accendunt, proximis viuunt, & in spiritali certamine semper consistunt: & ij dicunt, Amen, confirmantes assensus sui testimonio bona vt bona, benedicta vt benedicta. Et viginti quatuor seniores, id est, vniuersitas praesidentium ecclesiasticorum saeculariumve, in primis illis iudicibus, siue veteris, siue noui testamenti intellecta, ceciderunt in facies suas. Quid est ceciderunt in facies suas, nisi adorauerunt? id quod sequenti verbo expressum est: id enim est cadere in faciem, quod adorare. Nam qui adorant, humili gestu reuerentiam exhibent illi quem adorant. Sic ipse Christus procidens in faciem suam patrem precabatur. Matth. 26. Sic beati illi Magi venientes ab oriente, infantem Iesum in cunis vagientem cadentes in facies suas adorauerunt. Matth. 2. Et caecus natus, illuminatus a Christo, procidens adorauit eum. Ioan. 9. Leprosus quoque ille decimus mundatus a Christo, regressus cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, vt Lucas testatur cap. 17. Et vt breuiter absolnam: cadere in faciem, magna deuotionis, ac reuerentiae est indicium: qua affecti fideles, semper adorant Christum, & Deum viuentem in saecula saeculorum: non mediocrem ex hinc consolationem capientes, quia semper viueret Deus eorum, qui eis opitularetur: in quo & beati

Amen quid sit.

Praedicatorum est alios confirmare.

Cadere in faciem coram summa reuerentia est.

forent semper, vitam habentes ex eo.

CAPVT VI.

DE EQVO ALBO PROSILIENTE EX APERTIONE PRIMI SIGILLI.

Sect. I. Punct. I.

ET vidi, quum aperuisset agnus unum de septem sigillis: & audiui unum de quatuor animalibus dicens tanquam voce tonitruu: veni, & vide. Primum Ioannes in spiritu factus audiuit post se vocem magnam, tanquam tubae: & vidit septem candelabra aurea, & in medio candelabrorum simile filio hominis, ornatum sibi in mysteria quantum ad nos competentem. cap. 1. & iussus est ea visione septem epistolas totidem ecclesiis scribere, cap. 2. & 3. Post haec cap. 4. ostium apertum fuit illi in caelo: & voce tanquam tubae iussus est ascendere: & iterum fuit in spiritu, & vidit sedem positam in caelo, & sedentem super eam: In idem quoque in circuitu, animalia, & seniores, & reliqua. deinde cap. 5. librum vidit in dextera sedentis, quem accepit agnus qui erat tanquam occisus: nunc vero cap. in hoc sexto apertiones sigillorum videt. Quo in loco nota de reuelationum generibus. Nam reuelationem eam, quae fit in vigilia, quandoque fieri per visionem corporalem externam. D. Ang. contra Adamantium testatur. Sic Ieremias videbat catenam ligneam, in collo regis Sedechiae, quam gestabat ex praeccepto domini: intelligebatque futuram eiusdem captiorem per eam figurari. Quaedamque fieri per imaginariam visionem internam, probat visio Esaii, qui videbat dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum valde: & hoc fit per nouas species formatas in phantasia, & quibus naturalis intellectus sua vi elicere futura signataque mysteria non potest, nisi virtus super irradiet diuina, eo quod naturalis intellectus agens non potest abstrahere ab huiusmodi speciebus oblati sentituis, nisi species imaginarias rei ipsius naturaliter coniunctas accidentibus: verum vbi superna virtus accesserit potentif-

Reuelationum genera.

*Propheta nō
est sine intel-
ligentia.*

simè irradiat super huiusmodi species, representans intellectu mysteria per easdem figurata: quod ubi fiet, tum profecto hominis mens potest intelligere abdita sensa mysteriorum, ut propheta cōstituatur. Neque enim absque visionum intelligentia quisquā propheta fiet, iuxta illud. Intelligentia enim est opus in visione, Daniel. 10. quod est primus gradus visionis imaginariē, in quo primum erat Ioannes, quum diceret, Et fui in spiritu in dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis. Quod vides scribe in libro, &c. quādo vidit septem candelabra aurea: & in medio similit̃ filio hominis discurrentem. Secundus gradus est, quando mens propheta lumine supernaturali sic elevatur, ut nō solum ab exterioribus, verum etiā ab interioribus reddatur profusus aliena sensibus, utendo solo intellectu, ac discurrendo super species intelligibiles abstractas à phantasmatibus, in quibus mire delectatur & conquietur: quod ubi fiet, necesse est simul fieri in homine extasim, in quod secundo vocatus fuit, Ioan. cap. 4. ubi dictum est ei. Ascende huc, &c. Et tunc vidit sedem positam in cælo, & sedentem in ea. Tertius gradus: quando rapitur mens per violentiam à spiritu sancto vsque ad immediatam contemplationē summæ deitatis, quo Paulus gloriatur, dicens. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et iterum. Scio huiusmodi hominem, quoniā raptus est in paradysum, id quod ne quidem Ioanni negatur aliquoties. Nunc in eodem in secundo gradu ipsum potissimū versari permitramus: ut super species occurrentes mysteria perspiciat. Quid autē est quod voce tonitruo persimili hic vocatur: nisi quia in sublimius quoddam à priore visionis genus excitatur? Hic enim incipit ecclesiæ decursus mira ratione per varias species reuelari. Videt autem agnum in primis è sigillis septem vnum aperire, & mox fortissimo clamore vnus è quatuor animalibus in id prouocatur dicentis, veni & vide. quod perinde est atque diceret, accede huc remque propinquius perspice, ut mysterium agnoscas. Neque enim sufficit solam speciem externe intueri, sed mysterium penitus introspicere. Ne

quis calumniatur, nemini vnquam visionum harum notitiam constituisse. Potest autem hoc animal sapientes in lege Dei figurare, eos qui Christum induerunt, in quo & leones facti sunt ob rugitum prædicationis, & constantiam fidei. Porro Ioannes hic typum communium fidelium gerere videtur, qui ad sacramenta Dei nondum ad plenum admissi sunt, tamen si pijs sint & fideles: quibus fortissimi verbi Dei prædicatores reterege volentes hortantur eos ut proxime accedant, mentemque adhibeāt. Propinquitas hic affectu sit plusquam gressu. Sciunt namque prædicatores sancti quā efficax sit veritatis sincera noticia ad aggrediendum quodcumque bonū: proinde hortantur, & dicunt, veni & vide. Similiter loquutus est dñs duobus discipulis interrogantibus eū ubi habitaret: dixit, n. Venite & videte. Io. 1. venit qui credit (inquit Apostolus) oportet accedentē ad Deū. Vider qui intelligit, quod perinde est, ac si dicat, crede & intelliges: fide namq; omnis cognitio nostra constat, qua supra naturam ducimur. Sequitur. Et vidi quum aperuisset agnus vnum de septem sigillis. Septem hæc sigilla, septem tempora signant, quibus variis ac mixis modis exercetur ecclesia. Aperitio sigilli reuelatio est sacramenti: indicat sanè manifestationem earū rerū, quæ sub vno quoq; tempore fieri oportet. *Septē sigilla
tempora septē
sunt.* Aperuit ergo agnus vnum è sigillis septē: non dubiū quin primū, id enim familiare est Iudæis, ut vnū pro primo capiant: quemadmodū Ioan. 20. vna sabbati pro prima die sabbati, id est, ebdomada, ponitur. *Vnū pro pri-
mo ponit con-
suetum.* Qua loquendi ratione ipsum Ioannem hic quoq; vsū fuisse nihil dubitandū. Quumque sigillum agnus aperuit, statim audit vnum è quatuor animalibus forte leonem, quod hic ille depingitur, qui erat de tribu Iuda leo fortissimus inuictissimūsq; agit enim de victoria Christi, & membrorum eius. Obserua. Prius vnus è senioribus loquutus est Ioanni, nunc de animalibus similiter vnum audit loquentem. Mira sane congruentia, ut per vnum vbiunquæ excitetur, qui vnus & singulariter à domino dilectus erat. Simul quo agnosceres minimè ludicram rem esse id quod cerneret, sed primam & seriam, quam sola claritas Christi palam fecit.

¶ Punctus 2.

t iij

Et vidi: *Et ecce equus albus: & qui sedebat super illum, habebat arcum: & data est ei corona: & exiuit vincens, vt vinceret.*

Figura temporis primi.

Et vidi, hoc est, pleno mysterio agnoui imbuente me ac docente gratis fulgoribus suis spiritu Dei. Et ecce equus albus: Apostoli & discipuli priores ij sunt, quos etiã spiritus sanctus equos vocat, Zachar. 10. Posuit (inquit) eos, quasi equum gloriæ suæ in bello. Albi autem dicuntur, quia puri, iusti, mundi, per Christum Iesum, quem portabant, id est, quem profitebatur. Nimirum Christum profiteri coram aliis est illum portare. Sic Paulus equus albus fuit gloriæ Dei, qui nomen Christi portauit coram gentibus, & tribubus, & filiis Israel. Christum autem figurari per eum, qui in albo equo sedebat, certius est quam vt à quopiam inuerti possit. Ipse enim rex est, vt abundè ex præscriptis liquet: ideo sibi competit coronæ mysterium.

Equus albus apostoli.

Christus arcum habet.

Arcus quid sit.

Præterea ipse habet arcum in manu sua. Quia autè arcus sine iaculis inutilis est, indubiè etiam iacula habet: per quæ quid aptius figuratur, quam verbum Dei: Sic enim vocatur, Psal. 44. Sagittæ tuæ acutæ. Et Zach. 9. Exhibit vt fulgur iaculum eius. Sed quid est arcus, quo hæc iacula mittuntur: puto iudicium eius qui tenet illum, cuius chorda misericordia est, quæ incuruat rigorem iudicij eius. Is est arcus, de quo diuus Psaltes loquitur, Psalm. 59. Dediti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Et in Iob scriptum est. Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum areum. Iob. 20. Item Abac. 3. Tendens extendes arcum tuum super sceptrâ, dicit Dominus. Sagittæ huius arcus, quosdam enecant: enecant quos damnat iudicium, Psalm. 119. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Et Deutero. 32. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Ibidem. Inebriabo sagittas meas in sanguine. Item quosdam castigauit. In hanc sententiam scriptum est. 4. Reg. 13. Sagitta salutis domini contra Syriam. Tales sagittas iaculatur Christus contra suos aduersarios super equum album sedens, à quo portatur. Magnum mysterium: portant illi Christum, & ipse Christus iudicij iacula mittit per eos. Illi enim sunt per quos diuulgauit iudicium suum, mittens iacula sua per eosdem. Ambrosio Ansberto placet

*Diversi effe-
Et sagittarum
dei christi.*

intelligi per arcum nouum & vetus testamentum, ex quo tot prodeunt sagittarum iacula, quor sunt testamentorum eloquia. Istis enim sagittis arcu Dei emissis terrena corda transfiguntur, vt sæculi cupiditatibus mortifentur. Est arcus & crux Christi, cuius iacula verba eiusdem crucis sunt, quæ quosdam conficiunt. 1. Corin. 1. verbum crucis pereuntibus quidem stultitia. Quosdam saluant, de qua re mox subiungit dicens. His autè qui salui sunt, id est, nobis, Dei virtus est. Proinde sequitur, Et exiuit vincens, vt vinceret. Nunquam exiuit Christus nisi vincens. Semper enim vincit: vincit autem vt vincat, quia victoriam victoria sequitur. De Christo loquor: nam non sic de omnibus cæteris. Christus autem nunquam non fuit victor. Videtur quidem carnalibus, id est, impiis, quòd dum pij affliguntur, dum occiduntur, vincantur. Sed hoc est vniuersale: Christus semper vincit, etiam si extinguerentur omnes ministri verbi eius, & interdicentur quæcunque Christi sunt: vincit Christus, sed caro non videt: Immo tum est mirabilior Christi victoria, quando vinci putatur. In ciuitatibus plurimis primis fuit annunciatum verbum, demum interdictum: nūquid proinde vincebatur Christus: immo tum maximè vincebat. Mittit verbum suum Christus vt fructum habeat in electis, quod operatur omnia ad quæ mittitur. Esa. 55. Neque enim eos qui dati sunt Christo quispiam de manu eius eripiet. Ioan. 10. O insigne verbum, Christus exiuit vincens, vt vinceret. Multi cæsares fuerunt victores: sed ij subinde victi sunt, aut vinci potuerunt. Solus Christus inuictus est, qui nec vinci poterit. Insanite ergo ò sarupieratis aduersarij, occidite confessores Christi, sed Christus in eis non occiditur: vincite, & vincemini: rapite, mactate, perditte, & vincemini: quia cum suis, & in suis Christus & homo manet in æternum, & vincet semper. Obserua, quamuis hoc mysterium sit in primis de Apostolis & discipulis primis, eorumque diebus ostensum: semper tamen vsque in finem sæculi fideles & constantes ac syncreti ministri verbi sunt velut albi, per quos vehitur Christus. Sancti quoque prophetæ dum Christum annunciant, equi albi erant, & fortes erant, super quibus etiam christus exiuit vincens vt vinceret. Corona autem

Christus semper vincit.

Ministri facti verbi dei equi albi sunt.

data est fessori super equum album, & vincenti: quia prædicatores sancti vniuersi temporis tribuunt gloriã christo, in quo, & per quem salus, vita, & resurrectio nostra conciliata est. Porro quod hic de carne christi & diuinitate adducunt, velut mundissima caro eius sit equus albus, & diuinitas fessor: Alij viderint vtrum mysterio satis congruat, nobis satis fuerit, & hæc & alia admirari, atque interim feruentius stylo singula quæque perstringere: & vterius magna mentis voluprate procedere.

DE APERTIONE SIGILLI
SECUNDI, ET EGRES-
SIONE QVI RVI.

Secl. 2. Punct. 1.

Tempus secundum figuratur.



Quum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal, dicens, veni, & vide. Quia primum sigillum apostolorum diebus conueniebat: secundum hoc, de tempore, quod fuit mox post apostolos intelligendum est: verum de eius initio aut fine nihil certi habemus quod afferamus. Igitur hoc sigillum maximè apertum fuit, quum dominus Iesus christus, sublatis è medio Apostolis, & primis illis discipulis, multos ex his qui ex gentibus crediderant, sic spiritu suo roborauit, vt coram quouis iudice intrepidè illi profiterentur, dånarent errores, pseudo apostolos palam confutarent, eorumque introducta mendacia traducerent. Certum est enim quia sigilli apertio, reuelatio est mysteriorum libri Dei, siquidem ante cuiuslibet libri apertione fuerunt ignorantie tenebræ, veritatis nimirum intelligentiã semper præcessit ignorantio. Christus solus aperit mysteria libri Dei, & decreti eius, & futurorum præscientiam, & veritatem omnem. Ipse enim est veritas & vita. Ioa. 10. Quum ergo aperuisset sigillum hoc secundum, hoc est mysteria secundi temporis, quod erat martyrum, qui pro sacre ac inuiolabilis fidei attestacione cæsi sunt gladio, aut aliter perempti. Per hoc autè secundum animal secundi temporis prædicatores figurantur, qui cõmunem plebem occasione sui docuerunt, quia

Sigilla apertio reuelatio.

apertio secundi sigilli, & equus rufus profliciens designarent. Proinde dicit veni, & vide, id est, intellige dei mysteria & cognosce. Ioannem accersens, qui (vt diximus) formam gerit credentium simplicium, qui minus norunt decreta diuini iudicij ac futurorum mysteriorum eius. Obserua, iidem erant bona in parte tum prædicatores, qui & martyres. Martyr enim confessor seu testis dicitur. Hi enim confitebantur, & magno animo testificabantur quoniam hic est Christus: & occidebantur vt recte horum figura sit vitulus, quod immolaticium animal erat in veteri testamento: sub quo & Lucas intelligitur, quod fidelius versetur circa passionem domini, vt dictum est supra ca. 4. Sect. 2. Punct. 2.

* Punctus 2.

Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, vt tolleret pacem de terra: & vt inuicem se interficiant.

Equus rufus typum tenet eorum, qui sanctos christi confessores, post Apostolorum tempora passim occidebant, qui toti maderant iustorum sanguine, & toti in sanguine erant. Equus albus retulit Apostolos, eiusque teporis discipulos christi: sed equus rufus nõ potest esse hoc loco martyrum typus: Nã oportet vt intelligatur de his super quos sedit ille nõ dubium quin diabolus, cui datum est, vt pacem tollat de terra: sed super martyres, nemo talis, quin potius ille pacis rex sedit, nempe Christus. Occisores ergo sanctorum in equo rufo designantur: quod & sequentia docent. Quemadmodum enim equus albus apostolos, & sedens in eo Christum figurauit: ita equus iste rufus tyrannus, & occisores. Sedens vero in eo, cum qui est rex super omnes filios superbiæ. Iob. 41. Nanque sicut Apostolos Christus ducebat quocunque volebat, ita sathan viros illos sanguinum flectit, stimulat, virget & impellit quocunque volet secundum dei permissionem. Præterea, id genus homines viri sanguinum vocantur, Pla. 25. 54. 58. & 138. aliisque scripturæ locis: ideo sanguineo, seu rubeo equo figurantur, sathan ergo est horum fessor, & ductor, cui datum est, vt tolleret pacem de terra. Quam pacem? Christi: Non, sed pacem terræ, quam non dedit Christus suis vt continuo hic eam habeant, magis autem vt tribulationibus interim exercentur: ideo ait, Pacem relin-

Figura secundi temporis.

Rufus equus tyranni sunt.

*Christi pax
nunquam tol-
litur à san-
ctis.*

quo vobis: pacem meam do vobis. non quomodo mun-
dus dat, ego do vobis, Ioan. 14. Nam pax, quæ de terra
est, tolli potest à sanctis Dei & Christi: quæ vero de celo
est, tolli non potest. Nemo enim potuit auferre cælestem
pacem ab eis, eam scilicet, quæ exuperat omnem sensum
iuxta apostolum. Phil. 4. In medio nanque mortis quò-
que est, modo fides adit inuiolata, & inconcussa, & il-
labefactata, integra, & continuato robore firma. Confir-
mauit hæc Christus in ecclesia sua, vt nemo possit eam
tollere: in semetipso enim confirmauit eam, qui est pax
nostra. Ephes. 2. Proinde quum diceret suis. In mundo
præfuram habebitis. continuo subiunxit dicens. In me
autem pacem. Præfura mundi est ablatio pacis: terra. Da-
tum fuit ergo satanæ, vt auferret terrenam pacem, id est,
vt multos per membra sua premeret, affligeret, & occi-
deret. Sed à quo datum? Respondeo. A Deo, cuius per-
missione fit, vt boni exercentur à malis: sed nequaquam
pax ab eis tollatur. Sic enim dicunt. Quis nos separabit
à charitate Christi? Ac si dicant, Quid possit tollere pa-
cem, quæ confirmata est inter nos & Christum, inter me-
bra & caput? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas,
an periculum, an persecutio, an gladius: sicut scri-
ptum est. Psalm. 43. Quoniam propter re mortificamur
tota die, æstimari sumus, sicut oves occisionis. Sequitur
fortissima pax, Sed in his, inquiunt, omnibus superamus,
propter eum, qui dilexit nos, Rom. 8. Fit ergo vt multo
robustiores euadant dum exercentur, & dum premun-
tur, quia pax Christi firmat eos, cui non prævalent infe-
rorum portæ ullæ, neque vlla vis tyranni. Verum quia su-
blata pace terrena, necesse est, vt terreni diffideant, di-
gladianturque mutuo, ruant in mutuas cædes: idque pro-
curante eo qui sedet super eos, qui bonum non intendit,
licet quandoque Dei præter intentionem occasionem
boni: nam quum excitat tribulationes in sanctos, sancti
ex ea proficiunt, dum constanter tolerant, roborantur, &
crescunt. Permiserit ergo ille cædes, vt extinguat pios: Sicut
enim & inter malos pij. Aduerte. Nunquam iurgia con-
citat nisi vt piis noceret, putans se vincere posse. Sed qui
prius exiit vt vinceret, semper vincit in suis. Hæc itaque
mutua interfectio ad pacis ablationem pertinet, de qua

*Satana datum
vt pacem au-
ferat.*

meminit Christus. Math. 20. Tradet autem frater fratrem
in mortem, & pater filium: & exurgent filij in parentes,
& morte afficient eos. Arbitrantur enim in hoc se obse-
quium præstare Deo, Ioan. 16. Sequitur. * Punct. 3.

Et datus est illi gladius magnus.

Plenissime versiculus iste omnem malorum tyranni-
dem, & quicquid omnino in sanctos molitur, sunt impij
figuraliter exprimit. Et datus est illi: inquit, gladius ma-
gnus. A quo datus? Respondeo, à regni administratore:
ab eo scilicet, qui librum aperuit, nempe ab agno, qui di-
cit, Nolite putare quoniam veni pacem mittere in terram:
non veni pacem mittere, sed gladium. Iunmisit præfuras,
& gladium in terram, & horum potestatem sedenti super
equum rufum tradidit: hoc vbi accepit satan, putare cepit
se continuo victorem fieri. Proinde stimulabat equum
illum rufum, passim affligens per suos tyrannos, milites
proprios, ac seruos sæpe domino crudeliores: & multis
modis torquens, & occidens pios cõfessores Christi. Sed
tum maxime vincebat Christus per eos: quandoque etiã
(quod valde mirum erat) per pueros tenerimos: puellã-
que delicatissimas. Et quis hic enarret gloriam victoria
Christi, quæ sub tyrannis illis fuit? Sed hoc videt hi, qui-
bus agnus librum aperuit, & præter hos nulli. Obserua.
Quamuis mysterium huius sigilli maxime tum fuit, quò-
tot martyres occisi sunt: semper tamen, quouiescumque
iusti pro veritatis confessione, siue alia quacunque vir-
tute affliguntur, & occiduntur, datur gladius sedenti su-
per equum rufum, & vt tollat pacem de terra. Vniuerso-
rum quippe tyrannorum, eorum præsertim, qui sanctos
cruciant, & perimunt, typus fuit equus ille rufus. Ideo di-
citur, datum est, &c. Argumentum habes quòd nemo af-
fligitur, aut occiditur, nec alicubi tumultus suscitatur, si-
ne decreto altissimi: satan est decreti huius primus exe-
quutor, & ad id reprobos milites auxiliosos habet. De-
cretum hoc non cogit, sed permittit fieri talia, suo iudi-
cio, occulto tamen, nobisque incognito, vt plurimum.

*Datur satana
potestas à
Christo vt cõ-
turbet mun-
dum alto suo
iudicio, sed
non iniuste.*

*Rufus equus
tyrannorum
typus.*

DE APERTIONE SIGILLI TER-
TII: ET EGRESSIONE EQVI NIGRI.
Sect. 3. Punct. 1.

Sigilli aper-
tio manifesta
tio secreti est.



*E*t quum aperuisset sigillum tertium, audiui ter-
tium animal dicens, veni, & vide.

In apertione sigilli, manifestatio rei in
mysterio abditę prius, secretęque indicatur,
quemadmodum in signatione occulta-
tio. Aperuit itaque agnus sigillum, quia quod occultum
erat resignauit: in quod mox accersitur Ioannes ab tertio
animali, nempe hominis facię præ se ferente: in quo de-
pingitur Mattheus, typū gerens verorū Christi seruorū,
qui sub sigilli tertij apertione fuerunt. Cur autem dicat,
veni, & vide, habes supra. Et quia post martyrum tēpora
data fuit ecclesię pax utcunq; externę, iam mūdi princi-
pibus bona ex parte ad fidē conuersis, ideōq; à tyrannide
sefe retinentibus: verum fieri nō potuit, vt diu persisteret
absq; cōtradictione veritas, q̄ carnales verbo spiritus ac-
quiescere nequeāt. Ideo passim subortij ceperunt hęreses
pessimę: quę sic increuerunt, vt ferē totum orbem cōfun-
derent. Horum vnū agmen erat Arrianorū, impiē de fi-
lio, spiritū sancto sentientium. Alterum Sabellianorum,
qui vnā tantum patris & filij & spiritū sancti personā
prædicabant, negantes prorsus Christum Dei filium esse.
Erant præterea Nestoriani: duas personas, sicut duas na-
turas in Christo constituentes. Rursum Euthiciani diuer-
sum asserentes: nempe quod in Christo vna sit tantū na-
tura, vna voluntas & operatio. Item Pelagiani: abnegan-
tes gratiam Christi, & viribus hominis tribuentes, quod
soliū ipsius gratiæ est. Et quis enumeret pleno calculo
omnes hęreses, tunc à sarana excitatas, ministros quoque
eius: qui congruo hic typo adumbrantur. * Punct. 2.

*E*t vidi: & ecce equus niger: & qui sedebat super illum ha-
bebat stateram in manu sua.

Equus niger
heretici.

Hi quos excitauit sarana ad eiusmodi hęreses asserē-
das, sunt equus niger. Quemadmodum enim apostoli, &
vniuersi synceri verbi Dei ministri equo albo figurantur:
ita impostores, & errorū assertores nigro. Nigredo enim
typus est immunditię, insinceritatis, & mendacij: sicut

albedo synceritatis, & veritatis. Istius equi, id est, cohortis
falsorum prophetarum, & hareticorum fessor est
sarator eorum sarana, quem scriptura regem filiorum super-
bię vocat, Iob. 41. & patrem mendacij, Ioan. 8. Habet au-
tem in manu sua stateram: non dubium quin dolosam,
Deo abominabilem, sicut scriptum est. Statera dolosa
abominabilis domino. Prouer. 16. Statera, iudicium seu
æstimatio est hoc loco. Sic capitur Iob. 9. Vtinam appē-
derentur peccata mea, quibus irā merui, & calamitas, quā
patior, in statera. Item, 31. Appendar me in statera iusta,
& sciat Deus simplicitatem meam. Et rursum Prouer. 19.
Pondus & statera, iudicia domini sunt. Danielis quoque
5. Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.
Equis ergo ille reter, & immundus fert saranam, cum sua
dolosa statera, id est, reprobo iudicio sensuum scriptura-
rum. Accipiunt enim hęretici ab hoc sarana, iudicium in
scripturis, loquentes mendacium: quos habere dixit Pau-
lus doctrinas dæmoniorum, & cæteriā conscientiam. 1. Timoth. 4. dignus equus sua sarcina. Equus coh-
ors est filiorum mendacij: & hostium veritatis. Sessor
verò & sarcina, diabolus cum suis mendaciis. Is equus
onustus, nedum est typus eorum, qui post tempora mar-
tyrum fuerunt, (quamuis eis speciatim competat) sed etiā
vniuersorum pseudoprophetarum, vniuersi temporis, vs-
que ad mundi consummationem: quum ad idem corpus
pertineant omnes, quocunque tempore sint. Nā & fideles
synceri quique ad vnum corpus ecclesię pertinet, cui in-
sident Christus, qui est caput supra omnē ecclesiam, vt do-
cuit Apostolus Ephesios. 1. Magna gratia, magnum do-
num, à Deo, homines stateram iustam, hoc est, iudi-
cium verum habere ad manum, quo sciant discernere
sensa intelligentiarum bona sint an mala. Hoc (iudi-
cium verum dico) doctrinam quancunque & ingenij
acumen quodcunque præcellit. Sunt homines (fa-
teor) doctrina multi insignes: sunt acri ingenio prædi-
ti multi: sed non iudicio, quos videas subinde falli spi-
ritu mendacij: cui vero illud contrigerit, quodcumque
poterit capere intellectu, iudicat appenditque veriissi-
ma æstimatione, vt non peruersa intelligentia seduca-
tur. Hoc est discretio illa spirituum præcellentissimum

Statera iudicij

Iudicium ve-
rum scriptu-
re sacre domi-
ni Dei.

Dei donū, cuius meminit Paulus 1. Cor. 12. quō probantur vtrum spiritus ex deo sint: vt non omni spiritui creditur. 1. Ioan. 4.

¶ Punc. 3.

Et audiri tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentem, Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno.

Ecclesia columna veritatis.

Equo illo cum suo sessore proniter currente ad obducendum inficiendumque suis offutiis orbem, sonuit vox è medio quatuor animalium, id est ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis, vt docuit Paulus. 1. Timot. 3. Hæc enim in medio quatuor animalium stat, instructa veritate verbi Dei, quod p̄sum̄ euangelistæ quatuor librorum voluminibus prodidere: qui dicitis heresibus constantissimè restiterunt, easque confutarunt.

Chanix mensura genus.

Est autem hæc vox typus omnium qui vsque in finem, mendaciorum parronis, & assertoribus contradicunt. Sed quid protulit hæc vox? hoc videlicet. Bilibris tritici denario vno. Noua translatio habet chanix tritici denario, vbi non ponitur, vno, sed subauditur: quod positum video ab Latino interpretæ vulgatæ editionis. ob sensus plenitudinem. Chanix genus est mensuræ, hoc & bilibris est capiens duas libras, vel quaslibet duas. mensuras, & significat duplicem sensum scripturæ sacræ: historicū

Triticum noui test. typus: hordeum veteris.

scilicet & spiritualem. Triticum typus est noui testamenti: hordeum autem veteris. Nouum quia apertius & clarior est veteri, rectè pulchrici suauiorumque grano figuratur: quod illud figuris sit inuolutum, & veluti aspreddine spicarum horridulum: hoc verbo purum lene & pulchrum. Porro hordei tres ponit bilibres seu chanices, tritici verò vnum: propter tres ordines, qui sunt in veteri testamento, lex, scilicet, & prophetæ, & psalmi. In nouo vnus ordo euangelicæ doctrinæ habetur. Verum vtriusque idem est præcium: quia eadem in vtroque veritas vno denario figurata. vel eadem fides exhibita, quæ per denarium significatur. Denarius perfectionem numeri complectitur: quia ab vno in primaria calculi ratione ultra non protenditur, nec aliquid illi deest: & fides totam scripturæ veritatem in sui perfectione continet. Sunt qui calcent veteris testamenti scripta, quasi minus spirituality, & quasi eius promissiones non sint spirituales. Sed

errant

errant, nescientes præcium eius, quod est eadem fides, vna veritas. Iam quæ tres in illo ordines sint, in hoc vnus, significatur trinitas in vnitatem veneranda, quæ est fides nostra, fides perfecta, fides inuicta, fides inuolabilis. Tu ergo, o fidelis minister Christi, vide ne hordeum, id est, vetus testamentum minoris ducas, quàm triticum noui. Scito, quæ vnus denarius vtriusque est præcium. Crede veritati, & omnia sicut opus est pondera denario vno. Nulla enim veritas in nouo est, quæ ab his, qui vsum scripturæ habent, non conspiciatur in veteri. Est ergo vna vtriusque æstimatione, vna veritas, vnus spiritus, Iesu Christi domini nostri. Nunc itaque currat, vt voluerit equus ille reter, & immundus cum suo sessore: ponderet dolosa sua statera hordeum veteris, & triticum noui testamenti: sed manet hæc veritas concessa ab omnibus, qui piè sentiunt creditibus, quod idem est præcium vtriusque: & quæ ad veritatem inuariabilem arinet, nec vel in minimo vnū de alio discrepat. Hoc & Christus per semetipsum confirmat dicēs, Quia non venerat legem soluere, sed adimplere. Ideo iussit scrutari veteris testamenti scripturas, quæ testimonium perhibent de eo. Ioan. 5. Et in Mathæo ille laudat scriba doctus in regno cælorum, qui similis est homini patifamilias proferenti de thesauro suo noua & vetera. cap. 13. Passim igitur Paulus earum testimonium vtitur: sæpe & Mathæus. Neminem igitur offendat hordei horriditas, id est, figurarum spicosa asperitas, quum absque villo dubio præcium cum nouo idem omnino sit. Tritico verbum sanctum designari habes Osee. 2. & Ioel. 1. hordeo verò Ioel 1. Verum enimvero Triticum sit, an hordeum, dummodo cor hominis confirmet, nihil interesse debet. Nam & dominus vtriusque eiusmodi panibus multa hominum millia paviisse legitur, prædicans in deserto regnum Dei. De hordeaceis scribunt. Ioannis sexto. Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. qui erant quinque: quibus satiati sunt hominum quinque millia. Mathæus solus cap. 15. de alio pascu scribit, vbi dñs septem panibus (quos non nominat fuisse hordeaceos, sed simpliciter panes septem: quos credimus triticeos fuisse) satiavit quatuor millia hominum, & sublata de fragminibus sportæ septem fuere, quum de illis sublata. 12. sunt.

¶ Punc. 4.

Non minoris præcij vetus quam nouum testam.

Non discrepant veteris et noui testam.

*Verbi Dei
multa nomi-
na ob varios
effectus eius.*

Et vinum, & oleum ne laferis.
Sermo Dei variis respectibus, varia sortitur nomina: ut passim in scripturis licet intueri. Vocatur enim vinum, quia hominis cor vera letitia perfundit, exhilaratque: vocatur & oleum quia lenit & oblitum vulnere. utebantur olim oleo palestricę in certaminibus perfuso toto corpore: eo quod corpus consolidet ante iniuriam certamen. Dicunt igitur veri ministri Christi, lesioni equi nigri, & suis: vinum, & oleum ne laferis. Primum docebant, verū de scripturis sanctis iudicium: modo vetant, ne ipsarum sensum, suauemque gustum ac fructum deprauent: qui fructus, ac suauitas deprauantur, quum scripturę lāduntur: hoc est sensu diuerso ac corrupto traduntur interpretantur. Volunt ergo sensum purum proprium & integrum vti usque testamētī. Sensus purus & proprius eius: erit, si nihil alieni admisceatur, sed interpretetur prout spiritus sanctus efflagitat. Alienum voco, quod est contrarium veritati. Porro potest esse vox hæc præceptum Dei, qui in medio animalium descriptus est, supra ca. 4. quod firmum est: proinde conentur licet hæretici deprauare scripturam, sed manet integer, manebitque in quum. Sed quibus? Respondeo. Synceris. Nam corrupta erit, eis solis, qui corruptionem præferunt sinceritati: quod primum fit per versiores ex Hebræo in Græcū; aut viceversa. Item ex Græco Hebræoue in Latinum: ac deinde in alias linguas. Deinde per expositorum commentarios, quibus interdicitur ne læserint scripturę sacrę sinceritatē: aut addēdo aliena, aut mutuēdo, siue etiā veritatē inuertēdo. Quo verbo accipeseuerissimā animaduersionē i eos futuram, qui corrumpunt sacram scripturam, falsis dogmatibus. Edictum enim Dei est hoc, Vinum, & oleum ne laferis, plusquam arę tabulę in eisum. Si iudicium sacularium edictis paremus, cur non magis Dei? Dei verbum est id quod dicitur, Vinum & oleum ne laferis. Ne laferis tu o, quisquis peruerfor es, falsusve expositor, qui non sapias ea quę dei sunt, carnali tuo ductus sensu: ne laferis demendo aliquid: ne laferis addendo aliena: ne laferis immutando: ne laferis falsa immiscendo, & ita populo prædicādo: alioqui manet te iudicium, manet damnatio, manet pœna æterna. Facis enim quod prohibitum Dei

Nota,

sancto mandato est: quod decreto sacrosanctę huius tabulę plusquam arę cautum. Quo fiet, ut multis pro veris falsa commendes, mortem propines pro vita, pro salute eternam damnationem.

*DE APERTIONE SIGILLI
QUARTI ET EGRESSIONE EQVI
PALLIDI Sect. 4. Punct. 1.*



*Et quum aperuisset sigillum quartum, Audiuī
vocem quarti animalis dicentis veni, & vide.*

Quatum animal fuit aquila, quę doctores ecclesię acriori iuridicio præditos quarti temporis exhibet, qui norunt discernere inter verum & falsum, eolque qui veri fratres sunt diuidunt à fucatis. id est eos qui solum Christum spectant, & ab eo nullatenus auertūt visum. Est enim aquila acutissimi visus, quę sola iubar solis inconniuentibus spectat oculis, & eo amplius delectatur, quo ardentior lucidiorque fit. Quo argumento probare dicitur pullos, ut primum hiulco excluderit ouo, proprios nutriendos, discernens acribus vnguibus alienos, ac è sublimi nido deiciens. vbi illud etiam aduerte quoniam ad singulas sigillorū apertiones, singulas audit voces: quo excitatus mens propheta intendat: nosque vnā cū propheta intēdamus. Nostro enim cōmodo aperiebantur sigilla hæc, quatinus sciremus nihil fortuito agi in ecclesiā, sed Dei decreto, quædam cum voluntate, quædam cum odio. Quicquid boni fit cum voluntate fit, & dei auxilio: quicquid mali, Dei quidem voluntate, sed nō approbatione, nec auxilio. Lege scripturā & ita inuenies. Sub hac autem sigilli apertione agitur de quarto statu ecclesię, in quo exercenda erat à paganis incredulis.

¶ Punct. 2.

Et vidi, & ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum nomen illi mors: & infernus sequebatur eum.

Contritis Arrianorum, Pelagianorum, Macedonianorum, Euthicianorū, atque aliorū id genus hæreticorū infantiis, videbatur vicumque externa pax data ecclesiis: nā interna semper adest illis: sed breuis admodum ea fuit. In causa erat Pseudoprophetarum improbum studium: qui perpetuo conatu nitentur statere dolosa appedere

Aquile visus acutissimus.

triticum, & hordeum: lædere vinum, & oleū, hoc est, verum & natium sensum adulterare scripturarum. Increuerunt enim perditionis sectæ homines peruersi, & velut arena maris populus multus adhæsit illis. In primis Mahumetes cum sequacibus suis, qui leges execrabiles sub Dei magni nomine (cuius se iactabat nuncium) cōstituit, post se traxit innumeram populi multitudinem, cōparatam (infra cap. 12. Sect. 5. Punct. 5.) arenæ maris: super quā constitit draco iratus in mulierē, vt faceret bellum cum reliquis, qui sunt de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. De cuius origine, & progressu & fine ita paucis accipite. Sub anno domini sexcentesimo vigesimo secundo imperante Constantino Eraclij filio, Ormusda perlarum rex, Cosdroe filius, rebellauit contra imperium Romanum, contra quem statim misit Constantinus belli duces, vt in Damasco, & in Antiochia conductis milibus auerent exercitum. Hoc audito veniebant multæ ex Arabia nationes, Idumei, Saraceni, Ismaelita, & qui vagabantur per totam Arabiam & Syriam & Ægyptum, rapti viuentes, & latrociniis prædaliis: qui dum stipendium peterent à Romanis. Responsum est eis, Romanorum aurum non esse dandum canibus ac seruis, quales essent Arabes: sed liberis, Græcis Latinisque. Læsi Arabes ex hoc verbo vehementer irati sunt: proinde recedentes diuulgauerunt verbum hoc per omnem Arabiam omnibus nationibus, eorumque societatibus: qui immensâ multitudine congregati in finibus Syriæ iuxta Iordanem castra fixerunt, belli ingentem molem contra Romanos mouentes: qui vastare fines, occupare prouincias, expugnare ciuitates, oppidâque cœperunt. Vt autem res eorum magis succederet, elegerunt sibi in principem Mahumetem quendam, virum in primis callidum, & audacem, inque omne facinus promptissimum: cuius ductu & auspiciis in deditio-nem acceperunt omnes terras, quas Romani in Arabia petrea possidebant. Deinde ingressi Syriam cæperunt Damascum, metropolim Syriæ: & peruagantes totam Syriam & Ægyptum igni ac ferro vastantes omnia: imperio suo adiecere quicquid vsquam ditionis Romanae erat. Horum fortuna accessit & id quoque. Nam ea tē-

*Mahumetes
in regem eli-
gitur.*

pestate variis hæresibus laborabat Arabia, Syria, & Ægyptus: quarum vna erat Nestorij, qui duas in Christo personas prædicabat: quòdque Deus in Christo non personaliter vnitus fuisset homini, sed duntaxat habitaret, vt in viro perfecto. Berylli alia Bosstraneæ ciuitatis Arabiæ episcopi, qui Christum ex spiritu Dei genitum putabat, initium illi vt puro homini statuens à matre: nec absimilem ab aliis hominibus prædicabat, nisi quòd Deus habitaret in eo. Tertia Iacobitarum, à quodam Iacobo hæresiarcha sic dictorum, asseuerantium vnam tantummodo naturam in Christo. Hi simul baptizabantur, & circumcidebantur. Ad hæc erant & Manichæi, qui negabant in Christo verum corpus fuisse, sed phantasticum, & apparens tantum, ex aère assumptum: proinde nec vere mortuum, sed simulate. Quia vero has hæreses Pontifex Romanus damnauerat cum sectatoribus earundē: effectum est, vt in Romanorum iniuriam facilè Mahumæti adhererent. Mahumetes itaque ex hinc vehementer roboratus venit cōtra Hierusalem, & in deditio-nem accepit eam. Syriam quoque & tres Arabias, felicem, petreā, & desertam: & Ægyptum omnem: præbentibus illi introitum hæreticis per omnes ciuitates contra catholicos. Hinc in superbiam ex tor videtionis, rerum fortunis elat⁹, cœpit cogitare quomodo à Christi doctrina gentem abduceret. Erat autem per id tempus Surgius quidam monachus Nestorita, versutus ingenio, & doli plenus: quo sibi adhibito, & duodecim aliis, ex quatuor sectis: Nestorij videlicet & Berylli, & Manichæi, & Iacobi hæreticorum: conflauit suum Alchoranum: in quo mira calliditate, ne protinus contemneretur: confiteretur Christum Dei quidem filium esse, sed nō patri cōeternū: genitum autem ex spiritu Dei, nec Deum sed purum hominē, neque mortuum: nam quū eum occidere vellent Iudæi, raptū fuisse testatur de medio eorum: Illū autē qui comprahensus fuit, negat fuisse Christū, sed quendam alium similem ei, qui in persona eius fuisset occisus. Insuper idē excogitauit nouum modū colendi Deum: quo nunc vtuntur Mahumetani omnes: primumque templū erexit in Damasco, quod melchiritā vocauit. Iussitque similiter fieri per totā Arabiā: & ceteras cruceis exemplis christianorum: calices quoque, &c.

*Mahumeti
hæretici ad-
herent.*

*Alchoranū
Mahumetis.*

*Christū quo
modo confite-
tur Turca ex
Alchorano
eorum.*

Mesquita templum Mahometanorum,

vafa aurea & argentea auferri : campanarum adhec vsum prohibuit. Quicquid vero faciebat, totum per reuelationem Dei accipere homo astutissimus fingeat. Vt autem in primis placeret Iacobitis, præcepit Saracenos suos circumcidi: quos cum Nestoritis, qui se sponte subdiderant, eisque introitum per omnes ciuitates dederant, permisit libere viuere in hæresibus eorum, & libertatibus per totã Ægyptum, & Syriam, & Mesopotamiam, Armeniam, & Persiam, & Mediam : quibus in locis reperiuntur per multi ex eis vsque ad hanc ætatem. Deinde profectus contra Persas, occupauit totum regnum Persarum : Mesopotamiam quoque, & Chaldaeam. Sicque rebus suis confectus versus (vt dicitur) in insaniam, turpiter mortuus est. Labentibus denique suo volumine temporibus, magno exercitu venerunt. turcæ ab hyperboreis montibus, & sectam Mahumeticam graui ac longa pernicie christianorum receperunt: hi (vt dicitur) à Teucris, id est, Troianis orti, qui post Troiæ excidium ad hyperboreas regiones sese contulerant versus septentrionem. Horum pars magna lapsu temporis, Persarum fines ingreditur: vbi licentia impetrata a rege desedit : & quum populosior in dies euaderet, vis ipsorum regi incidit in suspicionem. Expulsi itaque Persarum finibus, vltra flumen Chobar se receperunt, generique adiunxere suo. Tractantesque de rege, ex præelectis eorum omnium ceterum familiis iusserunt singulos tela sua ferre: quæ vbi delata fuere, placuit in sceni manipulum ea lege inuolui, vt ex ea familia rex futurus esset, cuius sots dedisset telû extrahi. Casu euenit vt puer ad rem adhibitus Selduchorum familia telum, in quo Sedulch notatum erat, educeret, ex qua rex institutus est: qui postea ex omni numero viros centum elegit, qui ætate & moribus ceteros anteirent: cuius ductu gens ferocissimi flumen pertransiit, Persasque bello euicit, ac sedibus eiecit: nec contenta his finibus, per orientalem plagã regna occupauit : Arabiam, Ægyptum vastauit. In Syriam denique descendens, Hierosolymam cum finitibus urbibus longa strage imperio adiecit: totam Armeniam, & Asiam minorem, & omnem Greciam, & Traciam, & Bizantium, Europæ quoque magnam partem intrauit, & vsque ad Istrum flumen subegit. De quibus pro sequenti-

Turcarum origo.

bus lege copiosius infra ca. 12. Sect. 5. Punc. 5. & Punc. 3.

Et data est illi potestas super quatuor partes terre interficere, gladio, fame, & morte, & bestiis terre.

Tristibus Mahumetanis data est potestas tremendo Dei iudicio sanctos interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ, super quatuor partes terræ. Nam post mortem Mahumetis Abdalla Motaliph cum parte exercitus venit contra occidentem, occupauitque totam Africam, & Hispaniam, destruens vbique ecclesias, compellens omnes ad sectam Mahumeticam: susceptionem. Ex alia vero parte Iomar gener Mahumetis dux ab vniuersis declaratus, & constitutus, cepit omnes provincias orientales vsque ad Indum flumen, cogens & hic similiter obseruare legem Mahumetis ecclesiis christianorum demolitus, aut in Mesquitas versis. Porro anno Christi millesimo ducentesimo duodecimo, surrexerunt Tartari, & subiecerunt sibi omnes Indias, & totam Scythiam vsque ad Thanaim, & Borysthenem fluuios, & quicquid est vsque fines Rutheniæ, qui & ipsi sectam Mahumeticam susceperunt: vt & hanc orbis partem equus hic pallidus vexet. Superuacaneum est dicere de meridionali parte quod in ea plus Mahumetes regnet, Ægypto à primo exortu eorum possessa. Quæ omnia facta sunt ob peccatum Christianorum præsertim ecclesiasticorum, qui in vniuersum dediti erant auariciæ, superbiæ, ac luxuriæ: vt Hieronymus super Micheam tractat: quibus vitis, & modo seculum in ipsis ecclesiasticis præsertim viris abundat. Dicatur ergo. Et data est ei potestas super quatuor partes terræ, Meridionalem scilicet, vnde Mahumetes exortus fuit. Nam & leges execrabiles in Arabia cum Sergio monacho, & duodecim aliis condidit, & primum eam orbis partem bello afflixit. Septentrionalem, vbi per Tartaros regnat, & Gazareos, per totam oram Caspij maris. Orientalem quam gener Mahumetis Iomar graui manu ingressus post mortem Mahumetis cuncta vastauit, & vsque ad Indum flumen peruenit. Occidentalem quoque quam Abdalla parte exercitus Mahumetis olim occuparat. Sic ergo fuit data potestas abominabili equo Mahumeti, & Mahume-

Mahumetanorum potestas.

tanis omnibus super has orbis partes interficere gladio, fame, & morte, & bestiiæ terræ. vt sit interim gladius hic materialis, fames corporalis, mors, pestilentia: & bestiiæ terræ, leones & vrsi, quibus sæpenumero miseri Christiani in contemptum exponuntur. Sunt bestiiæ terræ, & domestica animalia, vt pote iumenta, equi, muli, asini, oues, cameli, ad quorum custodiã perpetuo deputantur abducti Christiani, & in seruos venundati: circa quos cruciantur sæpe vsque ad mortem. Memini me aliquando interpretari bestias hic in mulieres eorum, quæ seducunt plerosque captiuos Christianos in sui libidinem, cum eis abnegare facientes Christum, vitamque fidei ab eis auferentes. Quicquid sit, tamen bestiarum nomine intelliguntur omnes hi quicumque rapiunt, mactant, & dilaniant, & interficiunt. Hæ autem bestiiæ, sicut & alia mala immittuntur ob peccata nostra. dicente Deo, Deu. 32. Dentes bestiarum immittat in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Et iterum, Foris vastabit eos gladius: & intus pauor: Iuuenem simul ac virginem: lactetem cum homine fene. Vbi simul illud accipe, Quoniam non omnes qui talia ab infidelibus patiuntur in delicto computantur, computantur tamen in pœna: sicut non omnes qui in Sodoma erant, similiter peccabāt: nec omnes deo odibiles erant quos oppressit diluuium. Erāt enim aliqui & innocentes etiam præter illas octo personas, quas arca seruauit. Certum est ergo eiusmodi pœnã bonis cedere in gloriã, malis in cruciatum. Hoc autem quod dicitur, Dentes bestiarum: Et, cum furore trahentium super terram, atque serpentium: simili sensu capiendum est, sicut alibi dicitur. Furor illis secundum similitudinem serpentis. Psal. 57. Nouimus equidem serpentes singulari furore exasperari, quoties irritantur: & nihil etiam sine furore agere, siue quum se nexant in nodos, inque sua membra plicant: siue quum explicant, & longo volumine trahunt: ardent in primis oculis, & sibilla ora retorquent, exertant crebro infestam acumine linguam: vt vix in alium quempiam hostem ita hæc prophetica competant verba: quàm in hunc Mahumeticæ familie turcam. Sunt enim hi ita exasperati, vt nunquam sine furore sint, omni humanitate exuti. his oculi truces sunt, &

vultus crudelitate obductus. Nūquam autem sine sibillo atrocissimæ vocis ineunt prælia, qui in tempus habet potestatem occidendi, sicut datum est eis: sed finem habitura est aliquando potestas eorum. Mysteriũ huius sigilli manet vsque in hodiernum diem. Adhuc enim sæuit hic equus pallidus, & ferox, qui non nouit nisi mortem inferre: quem etiam aperto ore sequitur infernus, vt deglutiat, quos superauerit. Sed aduerte, quia cum bello externo simul habet internum hoc tempus: hoc est, suos nouit hypocritas qui semper pallent velut veræ veritatis vacui, quos dominus ex pallore consignauit dicens, exterminat enim facies suas, Matth. 7. Simul ergo ab hoc tempore capit ecclesia vexari & Mahumetanis hostibus, & internis hypocritis hæreticis, ex quibus illi orti prodire: vt iam dictum est. Mahumetica nanque secta, mera hypocritica est, & ab hypocritis hæreticis confecta. Noui igitur mirum si vtrunque vsque modo patimur, qui occidunt pios quatuor prædictis iudiciis pessimis. De turcis hostibus nihil dubium est, quin occidant gladio, fame, & vario alio mortis genere, & bestiiis terræ. De hypocritis hæreticis, quomodo iisdem occidant palam esse poterit, si considerabimus mendax & peruersum dogma ipsorum, omni gladio acutius, vt penetret ossa medullasque ossium, figat & animam ipsam totumque trucidet hominem: iidem fame gratiæ, quam alienant, nec admittunt, perimunt: morte quoque peccati. Nihil enim aliud docere nouerunt quàm peccatum, sæpe etiam sub pietatis nomine laxantes concupiscẽtiam in luxuriam sensuum, carnalẽque delectationes. Bene ergo per gladium doctrina hic mendax intelligitur: cui dum qui acquiescunt, eorum corda velut gladio transfuerbantur. Verbi enim typus est gladius, aliquando in bonam partem, aliquando in malam, prout locorum circumstantia exigit. Fames defectus sermonum Dei est, seu fidei: Iustus enim ex fide viuit, Abac. 2. sine qua vita non est. Constat enim verbo Dei viuere: & famem verbi fidei mortiferam esse. Significat ergo in hoc loco interfectio ex fame quòd Mahumetani verbi Dei prohibitionem quàm plurimos perimunt. Huius famis figura olim præcessit, Gen. 41. quando vniuersam Ægyptum fames præualida septem annis afflixit:

*Turcarum
sauria.*

*Mahumeta-
ni cum hære-
ticis simul
existit contra
ecclesiam.*

*Spiritualis
expositio.*

cui nisi sanctus Ioseph sua prouidētia occurrisset, actum fuisset de vita mortalium: non enim sola Ægyptus eam famem sustinuit, sed vniuersus orbis. Quam modo patiantur Iudæi in vniuerso orbe, de quibus est illud Psalmiste, Famem patientur vt canes: & circuibunt ciuitatem, Psal. 58. Occurrit tamen huic fami Ioseph noster, nō ille typicus, sed verus, nempe Christus Deus noster, qui per se est panis noster: qui ait, Ego sum panis vitæ. Et iterum. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, Ioan. 6. Non solum autem Iudæi patiuntur hanc famem, sed & omnes quicumque extra ecclesiam sunt, extra quam perpetua fames est. in qua sola saturitas plena ex medulla tritici, Sicut scriptum est, Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos, id est, fideles in ecclesia existētes, Psal. 80. Mors denique peccatum est, bona satis ratione: quemadmodum enim mors separat hominem à vita, ita peccatum à gratia: in qua est vita nostra per Christum: illa priuat vita animali, hæc vita spirituali. Apostolo dicente. Gratia autem vita æterna, Rom. 6. Ibidem. Stipendia peccati mors. Ideo dominus loquens incredulis Iudæis dixit, Vos in peccato vestro moriemini, Ioan. 8. Et Psal. 48. Mors depascet eos. Quid vero bestiarum nomine, nisi impij designantur: de quibus idem Psalmista, in sua preceatione ad Deum ait, Nē tradas bestiis animas cōfitētes tibi, Psal. 73. Sæpe & alibi in Prophetis per bestias impij figurantur, bestiarum more sauentes, rapiētes, matantes, deuorantes, & nihil non crudeliter faciētes. Hæc sunt quatuor iudicia pessima, Ezech. 4. notata, videlicet gladius, fames, mors: & bestia terræ. quibus iam dudum affligimur à Mahometanis, in grauissimo furore Dei. de quibus est illud. Et infecta est terra in sanguinibus: & cōtaminata est in operibus eorum, Psal. 105. Et hoc propter demerita christianorum. Quum enim hi ex professione baptismali sincere ac mere spiritualiter vouerint viuere: velut perfidi & periuri insincere, & carnaliter sicut equus & mulus vitam transigunt, magis in Dei iniuriam quam gloriam. Proinde in eodem Psalmo vindicta conuenienter sequitur. Et iratus est dominus furore in populo suo: & abominatus est hæreditatem suam & tradidit eos in manus gentium: & dominati sunt eorum, qui

Christus famis orbis sublator.

Peccatum mors.

Bestia impij sunt.

oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum: & humiliati sunt sub manibus eorum, ita vt gladio, fame, & morte, & bestiis terræ perirent ab eis. Fit enim vt qui abducuntur captiui, peruersis eorum dogmatibus seducantur & preant: atque inter eos fame verbi dei crucientur, quod eis negatur. Cautum est enim lege Alcoranica, ne quispiã christianus prædicator admittatur, nēve audiat verbum Christi: cuius carentia fames præualida animæ est.

Prædicator christianus non admittitur inter Turcas.

✽ DE APERTIONE SIGILLI QVINTI, ET CLAMORE ET CONSOLATIONE INTER- FECTORVM SANCTORVM. Sect. 5. Punct. I.



Quum aperisset sigillū quintum: vidi subtrus altare animas interfectorum propter verbum Dei: & propter testimonium, quod habebant.
 Resignatio huius quinti sigilli typus est reuelationis mysterij quinti temporis, quod immediate sequi debuit post quartum tempus, cum quo & continuatur, vt intermedium nullum fere sit: ideo nec vox vlla audita fuit: sed tantum quia animæ interfectorum visæ sunt sub altare lamentantes coram Deo, cur nō vlcisceretur eorum sanguinem. Vbi in primis videndum est, sit quid altare hoc sub quo animæ interfectorum erant. An animæ postquã exutæ fuerint corpore maneat sub altare. Quod si sic, quid igitur altare? Sed Christus est altare nostrum, super quo sacrificia nostra Deo sunt offerenda: sub hoc sunt vniuersi pro confessione eius veritatis occisi: quia nimirum dominus Iesus eos omnes sub se habet: in cuius spe dormiūt corpore. Typus autē recte mysterio congruit, vt sub altari (in quo debent offerri sacrificia) eorum animæ dicatur, qui facti sunt victima Christi, quasi super altari Christo cæsi: qui dum cæderent in eius fidei attestacione persistere. Nos super Christum sumus donec viuimus. Ostenditur Matth. 21. Qui ceciderit super lapidem cōfringetur. Et alibi cap. 9. Omnis qui audit verba mea, & facit ea: assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domū suā supra petrā. Petra autē Christus est.

Christus altare nostrum.



1. Corin. 10. super quem est ædificatio nostra. Quicumque autem in sumus, post mortem secundum animas futuri sumus sub christo, id est sub protectione eius. Owendit præfens scriptura. Vidi, inquit, subtrus altare animas interfectorum. Subtrus altare animæ eorum recte videntur, qui sub confessione fidei altaris, non dubium quin Christi, omnipotenti Deo immolati sunt. Alis altare secretarium laudis æternæ intelligitur: quo deposita sarcinæ sancti cupiunt in beato lumine deo omnipotenti laudes offerre. Sed quid illud secretarium sit? cælum est secretarium, à cælando, id est, occultando dictum: eo quod ibi occultentur anime fidelium. Diuinitas etiam cælum est, sub qua animæ quiescunt beatorum, iam in cælum relaxæ. Nunc si cælum est secretarium & secretarium altare hoc: quomodo animæ sunt sub cælo, & non magis in cælo? Sed qui cum Christo est, in cælo est: & sub diuinitate christi est, & in eius protectione est. Sic autem in eius protectione, quemadmodum dignitate inferiores sub superiore esse dicuntur, à quo proteguntur. Non quia aliquid aduersi eis accidere in cælo illo possit: sed quia cum capite sunt, & ab eo accipiunt quicquid sunt, recte sub eius protectione sunt. Dicatur ergo. Sub altare vidi animas interfectorum: ac si diceretur, sub christo, sub quo erant antea: non solum qui ob fidei confessionem interempti sunt aut interimentur: sed etiam quicumque per carnis crucifixionem deo sese offerunt in hostiam laudis & gratiarum actionis. Altare hoc pulchre figurabat vetus illud, quod thymiatis erat siue incensum ante velum, obiectum auro: in quo tantum sanguis ponebatur, & thymiama. Præceptum quippe legis erat, vt dum super altare æreum, id est, ære coopertum, quod sub aperto cælo in atrio erat, sacerdos immolasset, abluendo prius pedes & manus, ardentibus prunas in thuribulo reciperet, & sic ingrederetur primam partem templi, quæ sancta appellabatur: & posito thuribulo ad altare incensum thymiama iniiceret, adoleretque in conspectu domini: quo opere sacrificiorum absoluebatur. Nunc, quid atrium sit, quidve altare illud æreum, quod holocausti dicebatur: quid deinde cetera videamus. Atrium præfens temporis ecclesia est. Altare holocausti, christus, in quo corpora nostra immo-

Altare æreum thymiatis.

Atrium.

lantur deo: siue id fiat per gladii occisionem, siue per carnis in pœnitentia mortificationem: cuius altaris ignis recipitur in thuribulo, quia charitas diffusa est in cordibus nostris per spm scdm, qui datus est nobis: & hæc nunquam excidet. 1. Cor. 13. Merito ignis altaris holocausti in thuribulo receptus in sancta inferebatur: manebit enim nobiscum etiam tum quum tabernaculum nõ manufactum introibimus, & excellenter manebit. Sed vide hic pulchram typi competentiam. Prius æreum fuit altare, postea aureum: quia & christus quædo pertulit martyrium, singulari fortitudine præmunus fuit: quando autem resurrexit per gloriosi corporis reassumptionem aureus, id est, pulcher, & præciosus est. Sic & sancti quæ sunt donec certant, id est, fortes in tolerandis aduersis pro christo, postea aurei erunt in gloria: vt iam nõ sub altari mactationis, sed laudis æternæ, & gratiarum actionis fiant. Qui ergo mortem oppetunt propter verbum dei, & propter testimonium: perpetuo erunt sub hoc altari. Vbi duo genera martyrum describi videntur. Primum, eorum, qui constantissime prædicant dei verbum. Secundum, eorum, qui simplici credentia testimonium ferunt, quoniam hic est Christus, Saluator orbis, qui est benedictus in secula. Qui vero sub altare visæ sunt animæ interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebat: soler ecclesia sancta ex hinc probabili institutione Sanctorum reliquias in altaribus sacris condere: quorum animæ sunt sub christi manu & custodia, à quo & primam iam mercedem meruere, vt nihil sine ratione in nobis geratur. Nam si dum viuerent sancti, ab hoc altari christo nihil recedebant, cui in primis addicti erant: consentaneum profecto erat vt post mortem sub eius protectione constituerentur, cuius præceptionum custodia seruabantur dum viuerent: vt qui chari erant in vita, chari fiat & post mortem. Est & alia ratio. Namque dum viuerent sancti: eorum corpora, quasi altare in christo fuere sacrificiorum: quicquid è nobis sit, in Dei honorem, super his immolatum videatur, & ita cognoscatur. Cæterum, quis neget nos de corpore illius esse, qui hic per altare signatur, nempe Iesu Christi: vt recte corpora sanctorum in altaribus condantur, nec sine reliquiis eorum aliquod altare consecre-

Martyrum dno genera.

Offa sc̄torum cur in altaribus reponatur.

*Mediator v-
nus: interces-
sores plures.* tur: vnde iugiter fiunt gratiarum deo actiones & laudes. Super quod sacrificium illud vnicum & verum corporis & sanguinis domini iugiter consecratur, & offertur Deo in odorem suauitatis. Porro vt sancti intercedat pro nobis apud dominum. Licet enim vnus sit mediator, noster christus per redemptionem, qui solus ipse potuit redimere nos, quia solus sine peccato fuit iustus & sanctus: inter ceteros tamen plures esse creduntur, tot videlicet quot sunt sancti coram Deo. *o Punctus 2.

Et clamabant voce magna dicentes. Vsq̄ue quo domine, qui es sanctus, & verax, non iudicas, ac vindicas sanguinē nostrum de his qui habitant in terras?

*Clamor ani-
marum san-
ctarum.* Magnus clamor animarum sanctarum, magnum earum est desiderium, quo vehementer cupiunt quacunq̄e dominum velle uorunt. Neque enim fas est credere eas contra dominum quippiam cupere ac velle: quum desideria earum propendeant ex domini voluntate. Dicunt autem eum, dum sic clamant precanturque sanctum ac veracem iustissima præfatione, quo propensior fiat eis animique conciliator: vtque meminerit celerius facere iudicium & iusticiam in terra, que illi competunt, quemadmodū produunt sacre literæ. Scriptum est enim Iere. ca. 24. Regnabit, inquit, rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & iusticiam in terra, iudicium in discutiendo: iusticiam in retribuendo. Proinde Deuter. 32. dicit ipse deus. Mihi vindicta, & ego retribuā. Et Psal. 79. Quum accepero tempus ego iusticias iudicabo. Rursum in Deuteronomio loquitur. Si acuro vt fulgur gladiū meū, & arripuerit iudiciū manus mea, reddā vltionē hostibus meis. Idē propheta, Vindicta, inquit, retribuet in hostes eorū, & propitius erit terræ populi sui. Dicūt ergo. Vsq̄ue quo dñe, qui es sc̄tus, & verax, non iudicas, ac vindicas sanguinē nostrū de his qui habitant in terra. Ac si dicerent, illi qui fuderunt sanguinē nostrum sub totū quartum tempus, adhuc in pace sunt in terra, & prosperantur in itineribus suis, multiplicati nimis & roborati contra te & ecclesiam sanctorū, qui in carne sunt. Quæ est ergo hæc patientia tua? Aut quousque vltio protelabitur? Iam quintum tempus adest, &

necdum finiti sunt impij: manent & florent mūdi gloria: tui autem calcantur ab eis, & cōtinue tuū nomen blasphematur. Quandiu igitur sustinebis eos, vt non iudices nec vltionem iumas de effuso sanguine nostro: hortātibz te sanctitate & veritate tua legali, quibus prepolles? Nanque es sanctus, & verax: qui reddes vnicuiq̄ iuxta opera sua. Sanguis noster effusus est, & ob tui nominis confessionē effusus, te enim spreto effuderunt illum. Quum igitur sanctus sis excellenter, & verax implendo promissionem in Prophetis expressam: quare non iudicas, & non vlticeis iniquitatem & sc̄nitiam Mahumetanorum, aliorumque Antichristorum? Aut quousque erit eiusmodi patientia tua? Multiplicantur quotidie, roborantur, eriguntur: te contemnunt, & persequuntur in sanctis tuis, & blasphemant: adeo, vt valde mirum si quomodo tantam iniuriam sustineas, qui potens es & magnificus in maiestate. Tremūt te angeli: cherubin & seraphin vultum tuum expauescunt, qui conturbas mare, caelum concutis, & terram temere facis, etiam si nihil aduersum te hæc peccent: hostes autem tuos negligis impuros & insanos: & quos nulla tua patientia erudit, nec lenit, nec retrahit: qui sunt non aliud nisi vasa iræ tuæ, & furoris tui, vt infundas in eos iram indignationis tue & furoris, & perdas, & deleas eos de terra viuentium: eo quod nemini non noceant, nemini non molesti sint: qui subito vellent nomen tuum deleri è terris, quod admodum sanctum est & terribile. Tua vox illa est. Dens autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis: dico vobis quia cito faciet vindictam illorum. Luc. 18. Vt quid igitur cunctaris? vel quandiu hoc cito fieri: quamdiu protelabitur tempus vltionis tuæ? Quid autem est quod sic precantur sancti? Sitiunt ne vindictam: Respondeo. Vindictam propria minime: sed contemptus dei in semetipsis. Quia enim hostes christi christum potius in eis, quam ipsos occiderūt, dum ob christi confessionem eos occiderunt: postulant vindictam, qua facta letantur: Sicut scriptum est. Letabitur iustus quum viderit vindictam. Psa. 57. Cupiunt ergo sancti vindictam (vt adhuc repetam) non propter se, sed contra impios propter eum, qui calcatus est in eis, nec simplici, sed ve

*Orant sancti
contra impios
& quomodo.*

hementi affectu cupiunt: quorum vehemens desiderium in voce magna & clamore exprimitur. Sed quæ est hæc vindicta quam cupiunt: hæc est vt confundantur & erubescant, & à viis suis pessimis conuertantur: vtque affligantur, donec ad cor redeant, & veritati subiiciantur: & si non sunt reuerfuri, cito dispereant, ac dent locū Dei cultoribus: nec vltra peccent contra dominum, néve calcent nomen eius in sanctis suis: quatenus ex hoc minorem penam in inferno sustineant. Sic non rarum est sanctos orare Deum, quemadmodum & Ieremias orat, confundatur, inquit, qui me persequuntur: & non confundat ego: paucant illi; & non paucam ego: duplici contritione cōtere eos domine Ierem. 17. duplici, id est, forti, & graui, & notoria: quatenus alij quoque timorem habeant, vt non erigantur: non præsumant contra dominum: timore autē humiliantur, vt non similiter pereant. Sic & Apostolus peccantes publice argui iubet, vt ceteri timorem habeāt. 1. Timo. 5. Non proinde putes hæc odio inimicorum, pro quibus in hoc seculo, dum viuerent orauerunt, eos dicere: sed amore æquitatis & iustitiæ Dei: quo ipsam diem, qua peccati regnum destruat: & resurrectio extinctorū corporum adueniat precantur. Id & nos in præfenti quū pro inimicis orare iubemur. dicimus orātes, Adueniat regnum tuum, regnum inquam quando omnis anima subiecta erit deo: & nemo vltra terga verret, nec reluctabitur illi: regnum quando corpus peccati omne destruetur: regnum quando omnes resurgemus: regnum quando piis datur merces gloria, impiis supplicium: vnicuique secundum opéra sua. Quasi diceremus, iuxta præsentem scripturam. Vsq̄ue quo protelabitur domine regnum tuum, & tuæ celsitudinis reuelatio: vt manifestus fias mundo: exeraeque iusticiam: & facias iudiciū: quatenus ij qui modo aduersum te eriguntur: sanctisque tuis multa irrogant mala, & id quidem nullis commentis eorum, sed tantummodo quia pij sunt, & colunt nomen tuum, quod sanctum est ac terribile: & contestantur, laudant, & glorificant, quod oderunt illi. Postulant autem iudicium & vltionem de illis qui habitant in terra corpus mortale circumferentes: nam de illis, qui exuti corpore sunt, amplior vltio postulari non debuit, quàm susti-

Aduenire regnum Dei precamur.

nent æternum. Rupertus abbas locum hunc ad Iudæos refert: qui idcirco dicuntur habitare (vt ipse ait) in terra, quòd amore toti inhæreant terræ: qui etiam christum orbis seruatorem ob terrenorum cupiditatem interemerūt: timebant namque perdere terram, & cælum perdidērunt. Horum primum exemplū fuit Cain, qui iusti Abel sanguinem effudit ob terram, quòd hæc illi vberius fructificaret: & in sacrificio fructus terræ deo esset acceptior. Ideo dominus in euangelio ait, Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, id est, vltio sanguinis, qui effusus est à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiz, quem occidistis inter templum & altare, scilicet holocausti, quod erat in atrio templi foris sub aperto cælo. Matth. 23. A quibus, Iudæis dico, fuit requisitus sanguis iustorum clamantium ad deum, quando sunt exterminati per Titum & Vespasianū bello diuturno ac pertinaci, vt & ij qui cladem euasissent, discicerentur in vniuerso orbe, tanquam puluis à facie vèti, ne certam sedem vsquam haberent, idque præter priuatas singulorum penas. Meminit autem dominus speciatim de Zacharia Abeliq̄ue, quòd horum mors in scriptura celebrior esset, in quibus ceteri quoque intelliguntur, quorum sanguis ab impiis effusus est ab initio. In Abele cæpit persecutio iustorum, & venit vsque ad Zachariam Iojadæ filium, qui Barachias alio nomine dictus est, id est, Dei benedictus, quem Ioas rex inter templum & altare obrui lapidibus iussit. Sed nec hic finis fuit effusioni iustorum sanguinis: post quem multi occisi sunt per reges Iudææ, & principes, præsertim per Manassén regem, qui proprium filium traduxit per ignem: & innoxium sanguinem fudit multum nimis, donec impleret Hierusalē vsque ad os vt scriptura testatur. Tali ergo sensu referri putatur vltio ad Iudæos, vt quasi innocentes martyres, qui in bethleë & in omnibus finibus eius occisi erant pro domino: nec non alij quoque in Abele & Zacharia Ioiade filio intellecti, vociferarent contra Iudæos habitantes in terra, id est, terrenis cupiditatibus inhærentes, quousque fieret, vt vltio sumeretur de eis. Non solum autem hi, sed & Christus homo vociferabat contra hos, cuius sanguinem in omni crudelitate illi impij effuderunt. Veruntamen cla-

Sanguis iustorum requisitus est à Iudæis.

mor hic iustius refertur ad quarti temporis martyres, quibus iunguntur & quinti temporis sancti: quatenus meminerit dominus iam tandem suorum qui calcantur pedibus aduersariorum, qui sunt vniuersitas Mahumetanorum. Nanque hoc tempus hos principalis nunc habet externos hostes ecclesie, alij qui sunt cum his computantur in vno corpore mystico.

✠ Punctus 3.

Et datae sunt illis singule stole albe, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc modicum tempus donec compleatur numerus confessorum eorum: & fratrum eorum, qui interficiendi essent, sicut & illi.

*Stole singule
datae anima-
bus sanctis.*

Singulas dicit stolas, non duplices: quia nimirum sancti primum in anima recipiunt simplicem gloriam cum lumine beatifico suo, sicut & primum per conuersione voluntatis in bonum forti proposito meruerunt. Hoc enim ordo iustitiae dei exposcit, vt quod primum fuit in merito, primum fiat etiam in remuneracione. Stola alba, gloriae est typus: nam & domino in monte transfigurato vestimenta facta sunt alba. Erit quum & corpora nostra suam referant stolam, quando videlicet resuscitantur ad vitam, vt iam tum non simplicem stolam sed duplicem reposeant. Illud autem sciendum, non idcirco datas esse animabus sanctis singulas stolas, quia clamantes peterent vltionem sui sanguinis: sed quia interfecti erant propter verbum dei, & propter testimonium quod habebant. Ceterum, clamor sanctorum martyrum cepit tum temporis, quum occiderentur funderentque sanguinem: & non desit vsque nunc, nec desinet donec finiatur orbis: dicente deo ad Cain, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Gen. 4. De quo Paulus dicit scribens ad Hebraeos, quod defunctus adhuc loqueretur, cap. 11. Tantum malum est, tamque absurdum effundere humanum sanguinem: maximè verò innoxium, quia continue clamat ad deum de terra, donec in parricidas fiat animaduersio. Scriptura dicente. Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Psalm. 78. Apud Ethnicos lex parricidarum erat,

*Parricidarum
lex apud eth-
nicos.*

vt primum sanguineis virgis cederentur: deinde cum cane, & gallo, & vipera, & simia natura contrariis culleo, id est, vtre seu sacco coriaceo insuebantur: & sic in mare

precipitabantur, aut in flumine mergebantur: quatenus negatis illis ante mortem vitalibus ipsis elementis, miserabili tum demum morte interirent: quando ira odioque inuicem exasperata haec contraria natura animantia à mutuis moribus conuerterentur in parricidas, qui cum vna sese damnatos animaduertent: qui & praesens esset, ne se defendere possent. Id quod M. Tullius in quadam oratione mirabiliter tractat, vt solet prudentissime omnia. Meminit loci orationis in oratore suo ad Marcum Brutum sic. Quid (inquit) tam commune, quam spiritus viuus, terra mortuus, mare fluctuantibus, litus electis: ita viuunt dum possunt, vt ducere animam de caelo nequeant: ita moriuntur, vt eorum ossa terram non tangant: ita iactantur fluctibus, vt nunquam alluantur: ita postremo eiiciuntur, vt ne ad saxa quidem mortui conquelescant, & quae sequuntur. Enimuero aura vitalis, quam respirando ducimus communis est viuus omnibus: sed parricidae, qui in vtram insuebantur, non hanc spirare poterant. Item terra mortuis communis est, in qua iacent omnium cadauera mortuorum: sed illorum corpora eam tangere non poterant in vtram inclusa. Mare commune expositis ac fluitantibus, sed ab hoc parricidae non alluuntur, vnde ad eos non penetrante. In littore conquelescunt cadauera electa fluctibus, sed parricidae ne ad saxa quidem mortui conquelescunt, quibus reciproce illi di eos certum est: quatenus agnosceres parricidas mortalium immanissimos ex lege omni poena dignissimos. Fas enim est, vt qui per vini alius crudelissime vitam eripiunt, eisdem vita crudelissime denegetur. Proinde Dominus in Euagelio, Omnes, inquit, qui gladio percutere quaerunt, gladio peribunt. Ioannis. 19. Et in Genesi scriptum est. Quicumque effuderit humanum sanguinem, funderetur sanguis eius pro eo, capite nono. Haec est igitur iustitia dei, vt quum in aliis peccatis Deus misericordia praesto sit: in hoc seuerus existat: vt raro sine vltione euidenter crimen hoc effluat, vt non temerè animas interfectorum praesens scriptura indicet vehementissime vltionem expetere, cum dicunt, Vsq̄quo Domine, qui es

*Parricida non
est sine poena.*

sanctus, & verax, non iudicas, ac vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Vindicas, id est, vlti-
ficeris. Ac si effusio sanguinis earū sine vltione præteriri
nō possit. Sequitur. Et dictū est eis, &c. A quo dictū est?
A domino Iesu Christo, ad quem pertinet cura suorum
seruorum, qui & gubernat totam ecclesiam, rex enim est
Christus. Potest & ad angelum reuelatorem referri, vt ab
eo dictum sit illis, vt requiescerent, id est, quietē sustine-
rent adhuc modicum tempus, per quod compleri debe-
ret numerus conseruorum, id est, electorum vni domi-
no, nempe Iesu Christo seruientium. Bene autem modi-
cum, presens omne tempus dicitur respectu futuri, quod
æternum erit. Vel modicum, quia breue est omne tem-
pus vitę beatis, instans, & momentaneum, ob summam
delectationem quę in Deo est. Locus indicat certum esse
numerum electorum in omni ordine, quem impleri ne-
cesse est: qui soli illi cognitus est, qui in numero, ponde-
re, & mensura constituit omnia: ad quem spectant quot-
quot pro veritate occiduntur, vsque in iudicij tempus;
quos hic spiritus dicit ad inuicem fratres & conseruos esse.
Neque verò ideo occiduntur, quia sciuntur quod
occidendi sunt: sed impietas in homine peruerso, & ma-
lignitas in satana totius boni aduersario, in causa sunt
quare pij occiduntur. Nam Dei cognitio non cogit, sed
scit ita euenturum ex malignitate peruersorum. Est au-
tem vehemens exhortatio sanctis ad æquanimitate tole-
randum, vt expectēt patienter numerum illorum, qui in-
terficiendi sunt pro Christo: vt qui desiderant recipere
sua corpora, gaudeant ex numero colligendorum fratrum
conseruorum suorum.

*Electorum nu-
merus certus
in oī ordine.*

*Vnde est
quod mali
persequuntur
occiduntque
bonos.*

¶ *DE APERTIONE SIGIL-
LI SEXTI: ET SIGNIS EDI-
TIS IN TERRA: ET SO-
LE, ET LVNA, ET
STELLIS.*

Secl. 6. Punct. 1.

ET vidi quum aperuisset sigillum sextum: & ecce
terramotus factus est magnus. Apertio sigilli
huius sexti sextam ecclesię ætatem, quę e-
st sub magno antichristo indicat: quando
vniuersa terra, & totus orbis mouebitur.

*Sexta etas
ecclesie.*

Quod autem illud extremum tempus indicet, declarat
per semetipsum dominus in Mattheo, vbi quum de mo-
tu orbis loqueretur dixit, Statim autem post tribulatio-
nem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit
lumen suum: & stellę cadent de cælo: quę & hic simili-
ter singulatim ponuntur, vt palam est. Tunc nempe
fiet terramotus magnus, quando reuelabitur ille ini-
quus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui,
& destruet illustratione aduentus sui eum: cuius aduen-
tus erit secundum operationem satanę, in omni virtu-
te, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni se-
ductione iniquitatis, his qui pereunt: eo quod charita-
tem veritatis non receperunt, vt salui fierent, Ideo
mitter illis Deus operationem erroris, vt credant men-
dacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati,
sed consenserunt iniquitati. 2. Thessalo. 2. Veritas fides
est, quę per dilectionem operatur. Qui ergo secun-
dum rationem fidei vitam non instituunt, vt secundum
Deum viuant, sed secundum erroris spiritum, vt faciant
mala, vtque pereant: hos ex grauissima sua iracundia
Deus stat tunc reuelari, vt iam non in occulto, sed pa-
lam fiant mali, sequaturque hominem peccati. Scriptum
est enim. Commota est & contremuit terra: fundamenta
montium contrubata sunt: & commota sunt, quoniam
iratus est eis. Psalm. 17. nam pacato deo, pacata sunt om-
nia: commoto omnia commouebuntur. Quod non ita
velim intelligas, quasi passiones eiusmodi in Deo sint, ap-
ud quem non est mutatio, Iaco. 1. sed quia mutationes
fiunt in operibus Dei. Et hoc dupliciter: vel de miseri-
cordia ad iudicium, id est, punitionem: vel de iudicio ad
misericordiam, Deus aut placatus, aut iratus dicitur. Prę-
stat ergo componere mores, optimam fidem in Deo ha-
bere, & charitatem veritatis sequi: vt nō seducamur: quia
veritas sola nos liberabit.

*Tempus
Antichristi.*

¶ Punctus 2.
x iij

Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.

Sol Christus. Prodirum est memoriae solem obscuratum esse in die passionis domini, à sexta hora vsque ad nonam horam. Luc. 23. Similiter futurum dixit saluator sub hoc tempus, quod notat hic scripturae locus, Matth. 24. Quod & si literaliter quoque futurum esse non negemus, spiritualiter tamen sub eo tempore magis. Quis sol, nisi Christus? de quo Mala. 4. vobis Deum timentibus orietur sol iustitiae, & sanitas in pennis eius. Huius pennae, radij sunt: alioqui quid soli, & pennis: Radij autem eloquia sunt veritatis. Impossibile autem est, vt is sol, aut radij eius obscurentur: verum, quemadmodum nubes obiecte impediunt, ne solis claritas videatur à nobis: ita figmenta hominum, & doctrinae demoniorum: quasi nubes crassae efficiunt ne pulchritudo & claritas splendorque solis iustitiae Christi videri queat. Quò enim plus aliquis erroribus tenetur (vt in haesum amatoribus perspicuum est) eò minus Christum & lucem eius videt, & execrator est. Idem vsu venire solet & in obstinatis peccatoribus: quibus qui eiusmodi sunt, sol Christus videtur esse niger: velut saccus cilicinus, pungens, & sepe eruentans: quia iam non est illis speciosus forma patris filijs hominum, Psal. 44. nec candidus, & rubicundus. Cant. 5. nec tanquam agnus mansuetus, Esa. 53. sed deformis, niger, crudelis: qualem his subinde apparere solere Christum dixit Esaias, & non est (inquit) ei species, neque decor: & vidimus eum, & non est aspectus: & considerauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum. Proinde ipsum amare nequeat, malumque aliunde salutem, & lucem, quam à Christo petere: ac sic vnde putat se salutem ac lucem reperisse, inde tenebras & perditionem inueniunt. * Punctus 3.

Et luna tota facta est sicut sanguis.

Luna sanguis facta. Quae est haec luna nisi ea, de qua Cant. 6. dicitur Pulchra vt luna. Maius luminare Christus verus sol: minus ecclesia vera luna, quae à sole Christo lumen accipit. Haec luna velut sanguis facta est: & tota quidem, ex perfe-

quitione Antichristi. Sanguis tum futura erit ecclesia, quando coedibus madebit ex occisione sanctorum. Vel si spiritualiter plus libeat expendere vt debet: tum fiet luna haec, id est, ecclesia, tota sanguis, quando magna pars fidelium deficiet à solari lumine, quòd in sanguinem defluat multi & carnem. Caro & sanguis synonyma sunt: vnde dominus dixit Petro, Caro & sanguis non reuelauit tibi, Matth. 16. Et Paulus. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Pauci nanque tum spirituales erunt: hoc est, verè fideles, & ferè nulli, nec ij palam. Huius futuri mali figura fuit excidium Hierosolymorum, quo ea ciuitas facta est sanguinea. Legant qui nesciunt Iosephum, & miserabilis historiae tragædia intelligunt: quae noua semper legentibus occurrit, vt non lacrymis se temperent, & dicant, Quo abiit lunaris illa pulchritudo tua, Hierusalem? Quomodo versa est in sanguinem? De cuius ciuibus meminit Ieremias Threnorum. 4. denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum, quibus erat pro suauis odore fœtor, pro zona funiculus, pro crispanti crine caluiciu, & pro fascia pectorali cilicium, Esa. 3. Quare: Quia non pepercerunt iusto, sed occiderunt eum: & sanguinem eius fuderunt. Sic senescente mundo, inualecet malitia in hominibus Christianis: propter quod iritabitur Deus vehementer, vt effundat iram suam, & mittat persecutionem grauissimam in omnes, vt conterantur, donec reliquias populi sui consoletur, ac saluet. Quod si Christi gloria perpetuo maneret in nobis, & nos candore vitae fidei nostrae responderemus, vt non iritaremus Deum: quid vltione opus esset nobis? Ideo nec Antichristo villo opus haberemus, nec Turca. Quod verò futurum est ille homo peccati, nostris commeritis id fiet. Sed nec Hierosolyma destructa esset, nisi eorum peccatis irritatus fuisset Deus, vt perderet eos, qui habitabant in ea. * Punct. 4.

Et stelle caeli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit golfos suos, quum à vento magno mouetur.

Quid stella, quid caelum sunt? Stella in lege docti Stellarum ca sunt, quorum officium est ad iustitiam erudire plurimos. sus.

Hierusalem cruentata figura futuri status ecclesiae.

Propter peccata praeterita veniunt mala futura.

Daniel. 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. **Qua** etiam ratione Christus eos lucem mundi vocavit, Matth. 5. Hæ stellæ ceciderunt in terram, id est, cadent, & subito cadent: quia plerique doctores, à cælesti, & spiritali candore deficient, & ad terrena & carnalia defluunt. Sed quo modo? Sicut ficus abiicit grossos suos, id est, fructus, quum à vento magno mouetur. **Ventus vrens tribulatio.** Ventus vrens, typus est tribulationis omnia vastantis, omnia perurentis. Denique vanitas est ventus, Iob teste, Ventus, inquit, est vita mea, ventus, id est, quiddam vanum paruique momenti, ac cito transiens. Eo sensu, omnes huius mundi vanitates, dicuntur transire, vt ventus, Sap. 5. Stellæ igitur illæ, id est, populorum doctores, qui antea cælestes erant, cælumque sapiebant, quorum cõuersatio in cælis est: ceciderunt in terram, id est, cadent: quia terrenis delectationibus inherebunt, & per amorem terrenum ruent ad iniquitatem. **Grossi fici.** Quare? quia grossi fici erant. Grossi enim fici (vt. D. Haymoni placet) appellantur fructus primi temporis, qui antequam perueniant ad maturitatem vento valido concussi cadunt in terram: ita & illi, qui necdum peruenerunt ad maturitatem bonorum operum, & vacui, sunt, concussi vento persecutionis extremæ decident in terram, hoc est, in terrenas delectationes defluent. **Qui** ventus benè magnus dicitur, quia persecutio illa etiamnum electos quassabit, quanto magis reprobos occupatura? De tribus his, sole, luna, & stellis, extat varicinium Ioelis. 2. Sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Cælum ecclesia est, vt sæpe dictum est, de qua dominus dicit, Cælum mihi sedes est. Stellæ ergo cæli sancti doctores sunt, qui in tenebris istius mundi doctrina veritatis & candore vitæ lucent, veluti in firmamento stellæ. Si sancti, quomodo cadent? Si cadent, quomodo sancti? Sed certè post casum sancti nõ sunt sicut nec stellæ cæli sunt, sed nec antea veræ stellæ erant, quod videbatur esse: hypocritæ enim erant, & si stellæ aliis sese exhibebant: ideoque congruè grossis ficis immaturis comparantur. verè sancti non erant, etsi doctrina lucebant. **Quod** si verè sancti fuissent, in vero corde domino adhæsissent, & in vero amore ei seruissent.

Ventus vrens tribulatio.

Grossi fici.

Stella cæli cadent.

Hypocrite fici immaturæ.

sent vt non caderent imputabiliter. Hugo Card. Nullum enim deus permittit cadere, qui ei seruit vero amore: qui ergo cadunt, signum dant præclarissimum, quod nec verè fideles erant, nec Deo vero amore seruiebant: sed erant, & non erant: erant quia hominibus externè sancti apparebant: non erant, quia vera fide, veròque amore carebant: & ideo grossi fici immaturi erant: vt mirum nõ sit à vento magno eos permotos cecidisse, id est, casuros esse, quicumque eiusmodi sunt. Punc. 5.

Et cælum recessit sicut liber inuolutus.

Iam sæpè timero suis in locis diximus, cælum typum esse ecclesiæ, sed & fidelium Christi ministrorũ, vt Psal. 18. dicitur. Cæli enarrant gloriam dei. Verum, quia paulo ante sub typo lunæ de ecclesiâ agit, cur iterum de eadem alio typo agit? Sed hoc ita congruebat, vt posteaquam de Christo sub typo solis, & de ecclesiâ sub typo lunæ dixerat, & de doctoribus seu sacri verbi ministris sub typo stellarum cadentium, ex his que ostenderat, nihil prorsus lucis superesse: denique concludendum erat, cælum recessisse, quasi librum inuolutum, id est, ecclesiæ cælestem statum sic absconditũ, vt nulla ei eiusmodi spes superesset amplius. **Recessus** ergo cæli inuoluti: non est ablatio eius, sed clausio, sicut libri inuoluti, vnde nil videri potest, Significat ergo Christum, ecclesiam, veritatem, & quicquid cæleste est, fore absconditum. Est enim haud fecus, atque diceretur, Ecce Christus iam non agnoscitur, ecclesia tota facta est carnalis. Stellæ quoque, id est ministri sacri verbi Dei defecerunt: & omnes post carnalia desideria, & mendacia sua abierunt. Iam nihil superest spirituale, nihil cæleste, nihil diuinum, nihil sanctum, nihil piuum, nihil iustum, nihil christiana vocatione dignum. Si quid autem est, non videtur: nec illius apparet vel indicium quidem. Sic recessit cælum, dum inuolutum, id est, absconditum est, signatum & clausum. Tunc implebitur illud Esaie. Et erit visio omnium, sicut visio libri signati, in quo non potest legi. cap. 29. **Quomodo** erit visio omnium, sicut visio libri signati? An ita intelligendum, quod videant omnes in actiua significatione? Non. **Quomodo** ergo? Passiuè intellige: hoc videlicet sensu: videbuntur omnes sicut videri solet liber clausus & obfignatus clau-

*
Casus docet infidelitatem

Cælum sicut liber inuolutus.

suris ac fibulis: qui apparet quidem externè liber, sed nihil internè literarum ostendit. Sic erunt omnes quando verbum hoc implebitur, & propheta scripturæ huius, qua dicitur, Et cælum recessit sicut liber inuolutus, cui nihil tum decoris erit, pulchritudinis nihil, nisi quòd cæli nomen verus adhuc retineat. Vel aliter. Haymo. Quod cælum, hoc & liber est, id est, sancta ecclesia: quia habet Deum inhabitatorem, habet & legem Dei scriptam in cordibus sanctorum. Intuedum autem (inquit) quòd ipsa ecclesia sicut liber inuolutus recessisse dicitur. In libro enim inuoluto quid interius contineatur, non videtur, nisi ab illis, quibus voluntariè aperitur: sic nimirum sancti illius temporis, & suis se manifestabunt & extraneis se celabunt. Recedet ergo tum ecclesia in suis electis à reprobis, fide, moribus, & conuersatione, sicut scriptum est, Egredimini de medio eius popule meus, & immundum ne tetigeritis, Esa. 52. Recedent enim tunc boni, videntes abominaciones impietatis: & abscondent se in speluncis ferarum, & antris, vt in tempore martyrum fiebat. De quibus loquitur Apostolus. dicens. In solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. Hebr. 11. Et in Esaia loquitur Deus. Vade popule meus, intra in cubicula tua, & claude ostia super te: abscondere modicum, donec pertranseat indignatio mea, cap. 26. Locus ostendit quàm dira persecutione tum, quum appauerit homo peccati affligetur ecclesia, quando fidelis quisque sese retrahet, & abscondet, nec cultus sanctarum ceremoniarum in templis erit: sed in tristitia, & merore, & luctu, silebunt omnia. Neque verò hac posterior intelligentia priori contraria est: quum cælum inibi in reprobis inuolutum dicatur, qui nec speciè quidem pietatis ultra habere videantur: à quibus secedent electi, & iuxta verbum domini se abscondent vt non videantur. & sit cælum tam in reprobis quàm in electis inuolutum erit.

✽ Punct. 6.

Et omnis mons & insula de locis suis motæ sunt.

Insulas moueri de locis. Frequens est apud prophetas, montes, & insulas in eis habitantes figurare: qui tum de locis suis moueri dicuntur, dum perturbantur, deque suis locis commigrabunt fuga salutis consulentes: domino dicente, Si vos perse-

cuti fuerint in vna ciuitate, fugite ad aliam. Et iterum, Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendant aliquid tollere de domo sua: & qui in agro, non reuertantur tollere tunicam suam. Matth. 24. Aliis montes sunt ecclesiarum prælati, iidem doctores quoque. Montes enim primum à sole illuminantur: sic & prælati ecclesiarum ac doctores à Christo vero sole qui primo irradiat super eos in utilitatem aliorum, qui cæteris autoritate, ac dignitate tanquam alto cacumine præstant: qui tunc mouebuntur non vt à fide desciscant, recedantve: sed vt malorum consortia vitent, secedunt. Insulæ quibusdam sunt viri religiosi, merèque spirituales, qui in medio tribulationum sunt positi, velut insulæ in medio aquarum. D. Hieronymus super illud Esaia: cap. 24. In insulis maris nomen domini Dei Israël. Insulas ecclesias intelligit. Nos simpliciter insulas, in eis habitantes intelligimus. de quibus legis in Esaia, Taceant ad me insulæ: & gentes mutent fortitudinem. Et cap. 60. Me insulæ expectant: expectant vt dominum: expectant vt patrem: expectant vt beneficium: & qui beatos eos efficiat, quæ simili sensu moueri dicuntur vt montes. Sic enim illa vltima tribulatione vexabitur ecclesia: vt penè nullus ad vitam prædestinatus careat tormentis: nullus ad mortem præscitus non fiat negando manifestus. Omnis mōs ergo, & insulæ de locis suis motæ sunt, id est, mouebuntur. Nam quicquid tum erit piorum, vna tribulatio inuoluet vt non potestas aliquem defendat: non scientia: non rerum gerendarum prudentia. Etenim fixum est, tempus illud summæ tribulationi fore obnoxium.

✽ Punctus 7.

Et reges terræ: & principes: & tribuni: & diuites & fortes. & omnis seruus: & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium.

Diuersa pro qualitate dignitatum, officiorumque, ac Tribulatio virium commemorans ecclesiarum membra: nullum ab hoc vltima occu-
persequutionis malo immunem, nullum prædicit fore patura est
alienum, quando diluuium id malorum occupatura sit imes,
vniuersos: nanq; iuxta præsentē scripturā, & reges terræ,
& principes quiq; commouebuntur: & nihil vltimā erit aut

dignitatū aut potentie, siue sit regia sublimitas, siue principatus, siue militaris ordo, siue diuitiæ, aut aliquod robur: aut seruitus, aut libertas, quod immunem faciat ab eiusmodi persequutione, quum vno volumine inuoluat omnes turbo persequutionis. Hi enim dum tot antichristos, & impios omnes, in Christum, & veritatem eius insanire conspiciūt: pro contempta Dei gloria, nimio zelo incensi, dolent: vtque abominationem tātam vitent, consultus sibi fore iudicant, vt in diem abscondantur, quān eiusmodi manifesto sese discrimini obiciāt: quibus omnibus magni æstimatur, & Christi gloria, & salus propria. Huius autem tam atrocissimæ perturbationis exemplum quoddam præcessit in Iudæis, qui (vt Iosephus est author) imminentibus Romanorum copiis exterriti, cæteruatim ad speluncas montiū, & petrarum secreta confugiebant: quando & ipse Iosephus, homo in primis doctus & in prima existimatione apud Iudæos habitus (vt de se testatur) de quadam cauerna destructæ ciuitatis Iothopate cum quadraginta comitibus extractus fuit. Quis nūc calamo superet: Quis enumeret dictis, quoties iam ecclesia Dei, in parte, similia his pertulit? Quoties visum est completam esse prophetiā? Parum tamen quid est quicquid hæcenus passi sumus, atrociora multo expectanda: id quod hic præsens scripturæ locus indicat. Rēstāt enim mirabilia magna, donec vltimus ille dies, plenus formidinis, & terroris, adueniat. Nostra refert piis interim præcibus iratū placare dominum, vt auertat propitiis à cervicibus nostris & capite ea mala, quorum vel sola memoria terret, consternat, & exanimat. Docuit nos Christus in rebus dubiis orationis arma capescere, tanquam potentissima aduersus quæcūque mala vitanda. Cur igitur inertie non pudet nos? cur protinus non exurgimus? Aut piger nos orare? Orauit olim Moyses oratione præualida, & fauorem irati numinis in victoriam conciliauit. Orauit Ezechias rex, & cervici insidentem hostium multitudinē diuina vi depulit. Iudith quoque mulier sancta inermis, oratione patriam ab Holofernis obsidione liberauit: vt nihil sit, quod oratione non impetretur. Orandum ergo vt à malis liberemur.

☩ Punct. 8.

Et dicent montibus, & petris: cadite super nos, & abscondite

Iosephus hystorographus.

Orandum in tribulationis tempore.

nos à facie sedentis super thronum: & ab ira agni, quia venit dies magnus ira illius: & quis poterit stare?

Hierosolymorum excidium præuidēs dominus, dum cruce oneratus de Hierosolymis ad locum caluarie educeretur crucifigendus, simul & vltimi temporis ventura mala subindicauit, quum lugentibus post se mulierculis diceret, Filia Hierusalem nolite flere super me, sed super vosmetipsas flere, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres, quæ non genuerunt: & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere mōtib, cadite super nos: & collibus, operite nos, Luc. 22. Quæ omnia maximi terroris, & extreme desperationis sunt indicia. Id quod hic quoque locus exhibet, qui notat vtūque tempus, Antichristi videlicet & Christi, quādo veniet ad iudicium, quod erit terribile his qui pereunt, qui tribulationibus maximis tunc subiiciuntur: quemadmodum Antichristi tempus electis. De quo sic præsens scriptura loquitur, vt non taceat iudicij quoque tempus: & ex vno aliud in terrore indicet. Erit quidem terribilissima dies iudicij pereuntibus: sed non minus Antichristi persecutio amara bonis, quando & reges, & quique principes, & omnis ordo, turbabuntur: ita vt minus minusque sibi fidentes præsidium quærant fortiorum. Nec tunc deerunt viri, qui instar montium, petrarūque, inconcussi permaneāt, quorum præsidia consternati requirant. Præsidia autē illa non alia quàm consolationes scripturarū in verbo Dei fore suspicor: quandoquidem id solum permanebit, dum omne robur carnis vacillabit. Quod autem dicitur, Et abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: eo sensu intelligo, quo dixit Apostolus: horrendum esse incidere in manus Dei viuētis, Hebr. 10. Cerrum est enim Deum immittere extremam tribulationem in mundum: vt expiet scelere mundum, concutiens valido terrore ac metu omnes: & preparans per hoc corda omnium ad futuram pacem, quæ post Antichristum erit. Timor nanque expellit peccatam, & qui sine timore est, iustificari non potest, vt Scriptura ait. Diu enim memoria huius mali seruabit innocentiam in cordibus hominum. Timor autem tantus erit, quādo hæc omnia sient, quæ hic prædicuntur,

Tribulationis ventura horror.

vt cogitare humana mens nequeat: vt omnes despondere animam videantur. Ideo dicent montibus & petris, cadite super nos: & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, &c. Super thronum sedens Deus est: est & homo Christus Iesus, qui ad æqualitatem Dei patris peruenit: qui habet iudicare omnes secundum diuinitatem: & secundum humanitatem. Cui pater dedit omne iudicium, Ioan. 5. Et Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra. qui iudicat semper, sed alio tempore magis, alio minus: seuerissimum tamen excuturus est iudicium sub hoc tempus, quod erit sub aperiione sexti sigilli: nam nisi breuiaretur dies illi, non fieret salua omnis caro, Matth. 24. Vnde habem⁹ quia breuiabitur hoc sextum tempus, quod Antichristi erit, alioqui Christus non diceret, nisi breuiarentur dies illi, &c. Siue ergo iuxta literam sensum capias, siue iuxta spiritum, sed profecto magna erit tribulatio: tum magna cõsternatio omnium, vsque in desperationem: vt nemo electorum vltra viuere velit super terram. Proinde precantur aut subitum interitum, aut opportunum præsidium apud eos qui firmiores putabuntur, quo iræ magni Dei seuiusimam tempestatem euadant: non enim erit requies vlla piis, quando robustissimi terre venatores dominabuntur sub impiissimo monstro magno Antichristo, cui omne consiliũ, omnisque conatus erit ad destruendam ecclesiam, atque abolendam christianam pietatem de terra, & quod sola impietas regnet, Christi veneranda memoria sublata: quod fiet ex indignatione Dei, & agni super omnem impietatem, quæ tunc reuelabitur. Sequitur, Et quis poterit stare? id est. Quis inconcussus atque illabefactus valebit persistere: Ac si dicatur, nemo, vel paucissimi tantum. Proinde necesse erit ad fortiora præsidia, maxime verò ad supernarum virtutum protectiones confugere, quando similis turbo comprehendat omnia. Huius terroris Esaias meminit dicens, Introibunt in speluncas petrarum: & in voragines terræ à facie formidinis domini: & à gloria maiestatis eius, quum surrexerit percutere terram. Esa. 2. Et iterum. Ingredientur fissuras petrarum. & cauernas saxorum à facie formidinis domini. Item. Ingredere, ait, petram, abscondere fossa humi à facie timoris domini.

Christo datus est omne iudicium.

Tempus Antichristi breuiabitur.

CAPVT VII.

DE QUATVOR ANGELIS
TENENTIBVS QUATVOR VEN-
TOS: ET HABENTES SIGNVM
DEI VIVI Sect. I. Punct. I.



Ost hac vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terra, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.

Descritto multiplici bello ecclesiæ, subiicit, tempore huius belli, diabolus nocere paratum, refrenatum tamen à Deo: ne tantum noceat, quantum velit: vt non pij deficiant. Proinde ait, Post hæc vidi quatuor angelos, &c. Hi angeli typum gerunt vniuersorum (vt quibusdam placet) qui per totum orbem verbi Dei tum temporis cursum præpedient, Ideo autem quatuor in quatuor mundi angulis vidit, vt totus orbis designaretur: quod in scripturis frequens est. Angeli ergo hi sunt ministri principis diaboli, & Antichristi, qui per quatuor mundi partes veritatem præpedire conabuntur, ne per ora verorum Dei prophetarum flet in cordibus electorum. Quod autem multi per hos figurètur habes infra cap. 9. vbi Ioannes de his loquens dicit, quod postea quam soluti fuerint quatuor angeli, numerus equestris exercitus malignorum erit viciis millies dena millia. Hi ergo sunt, qui tenebunt quatuor euangeliorum ventos saluificos, ne flent super terram, &c. Multi nimirum erunt & in oriète, & in occidente, ac in reliquis partibus orbis interficientes eos qui veritatem annuntiabunt. Ventus quandoque spiritus sancti typus est, vt Cæt. 4. quum dicitur, Veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Hic pro verbo Dei capitur. Non enim est hic tribulatio, aut vanitas, vt in præceden. cap. eo quod sensui congruere nequeat. Nam qui per hos capiuntur, angelos, hunc veterum tribulationis nocentissimum pro virili mittit: tantum abest vt ipsum retineant. Illis nimirum datum est nocere terræ & mari, vt hic habes. Nec te moueat q̄ mentio fiat de quatuor veteris, tãquã numer⁹ ille diuersitate veterum designet:

Angeli tenentes vientos.

Ventus in scriptura quid sit.

*Quatuor vē-
ti idem Dei
verbum.*

non designat diuersitatem, sed propter eos, qui scripserunt euangelium, aut propter quatuor mūdi partes. Quatuor ergo venti sunt idem verbum in quatuor mūdi partibus annunciatum. Quære diligenter qui sint hi, qui per vniuersum orbem prohibent annunciari verbū Dei syncretiter, & modis omnibus præpediūt, ne velociter currat: & hos quatuor angelos reperisti participes illis, qui tum futuri sunt: de quibus scriptura hæc loquitur. Olim quatuor orbis anguli erant, in quibus inhabitatores, atque aduersarij Dei verbi manebant: quatuor regna principalia, Babylonicum, Persicum, Macedonicum, & Romanum. In his conati sunt ministri diaboli impedire cursum verbi Dei, ne prædicaretur in vllis prouincijs, insulis, vrbibus, populis: nec verò leuiter, aut modica virtute, sed proscriptionibus, ferro, flamma, & cunctis pœnarum generibus. Modo autem vbiçūque reperies veritatis hostes, qui prohibent, ne flet veritas per oia verorum Christi ministrorum, anguli orbis è quatuor sunt, vt iam nūc impleri propheta videatur. Turca prohibet Dei verbum: Tartarus item, & qui sunt alij. Vide iam omnium in hoc sigillo scriptorum ordinem. Reuelatum fuit huius sigilli mysterium: quo reuelato, fuit terramotus, solis obscuritas, lunæ quoque versio in sanguinem, stellæ ceciderunt è cælo, vidimus & alia. Post hæc manifestius describit antichristos, principes, tyrannos, & magistratus, qui conabuntur impedire cursum Dei verbi, ne faret super terrā, &c. Per terram habitatores aridæ cape: per mare, habitatores insularum maris. Vel aliter in terra diuersitas prouinciarum. In mari numerositas insularum capitur. Per arborem principes alijs celsiores intelliguntur. Vel per hæc nomina, tria hominum genera describuntur: vt terra sit cōmunis populis dispersis super faciem terræ, & quòd terram colat. Per mare religiosi & ecclesiastici omnes: qui tentationibus multis velut insulæ in mari fluctibus illiduntur. Per arborem principes, cuius sub vmbra reliquus populus quiescit protectus ab æstu tribulationum. *Principum ministerium in protectionem.* Nam in hoc sunt principes cōstituti à Deo, vt protegāt, vt regāt & ornent subiectum populum. Est ergo sensus: quatuor angeli gestiunt præpedire ventos Euageliolorum quatuor in totidem partibus orbis, ne fient super comunem

munem populum, ac sacrae religioni deditos, ecclesiasticosque omnes, necnon principes, qui populum Dei regunt, ne verbo Dei salui fiant. Bene autem per ventum, Dei verbum intelligitur. Vt enim vēti quassatione arbores emittunt folia, flores, & fructus generant, quasi reuiuiscētes à hyemis oppressione: sic pij bona opera faciūt verbo vegetati post tribulationem. Possunt in mysterio per terram auari terrestres depingi, per mare lubrici, elati per arborem: vt non hi accepto euangelio salui fiant: per quos vniuersitas peccatorum intelligitur, ad quos ne verbum vitæ pertueniat, conantur impedire veritatis aduersarij: & qui odiunt salutem, ne salui fiant abiecto in dædico. Quod & modo quoties fit, & vbiçūque fit, opera diaboli fit, cui odio est salus hominum, quam primum in paradiso à primo homine abalienauit: cupit enim quos peccatum possidet, perpetuo iure possidere. Cuius sanatiuum est Dei verbum, iuxta illud. Misit Deus verbum suū, & sanauit eos, Psal. 106. Tria ergo peccata iuxta hūc sensum commemorātur, in quibus cætera intelliguntur: quæ idem Ioannes in epistola sua commemorat dicens, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum: & superbia vitæ. 1. Ioan. 2. Et quia totus mundus in maligno erat positus iuxta eundem: totum ergo mundum diabolus possidebat. Omnes enim peccauerant, & egebant gloria Dei. Rom. 4. & ideo prohibitus est, seu prohibiti. A quo? Ab hoc altero angelo ascendente, qui intelligitur Christus, cuius gratia salui facti sunt peccatores mundi.

*Ventus Dei
verbum.*

Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui.

Dum velocem ac desideratissimum Dei eloquiorum cursum execrabiles illi quatuor angeli præpedire nituntur, ascendit ab ortu solis præclarus ille Dei angelus, qui Ezechiel. 9. vir indatus lineis describitur, cui dictum est, vt obsignaret frontes virorum, propter abominaciones gementium, & dolentium: cuius typo veri & sancti Dei prædicatores designantur. Hi nanque dum veritatem annunciant, quasi eos, qui verbo credunt signant. Linguae nimirum illorum sunt calamus spiritus sancti, qui in eis habitat, & loquitur: cuius efficacia, verbum quod docent.

in electorum cordibus scribunt. Signant ergo illi, verum non sua efficacia, sed spiritu sancti: prout aperte habes. Ephes. 1. In quo signati estis spiritu promissionis sancto. Et cap. 4. Ne contristetis spiritum Dei, in quo signati estis. Signum est fides in verbo sancto Dei: ea quippe sola una cum sermone Christi, signum est Dei viui, quo pios ob-signat hic angelus, qui vniuersorum fidelium verbi Dei ministrorum est typus. vnde & in plurali dicit, Quoadusq; signemus, &c. De hoc itaque angelo, primū dicitur, quod ascendit ab ortu solis. Solem Christum esse superiori capite demonstrauius: & sic probauius. Ab eo ascendent, qui ab eo veniunt, missi scilicet ab eo: Sēpe enim in scripturis ascendere pro venire capitur, præsertim vbi est aliquis ascensus. Nam accessus ad docendum verbū Dei ascensus quidam est: quippe is qui verus Christi minister est humilis in primis sit oportet, & inde auspicetur: alioqui idoneus Christi minister non erit. humiles solet vocare Christus, quos iubet vt ecclesiis in verbo Dei præsent, quod ascendere est. Humiles erāt Apostoli, quos misit Christus in vniuersum orbem prædicare euangelium regni Dei, & testificari: qui obediētes præceptis eius ascēderunt ab eo, quia principes cōstituti sunt super omnem terram. Est & aliud quoque mysterium in angelo ascendente, vt scilicet minister verbi in dies crescat virtutibus, quemadmodum de iustis scriptum est, Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit, vsq; ad perfectam diem. Prouer. 4. Crescit autē dum ab imo incipit, hoc est, ab humilitate, vnde fuit ortus solis nostri Christi, de quo dicit Apostolus, Quum Deus esset, seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus: & habitu inuentus est vt homo. Deinde, Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quo vero ex hoc ortu prodierit, indicauit dicens, Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomē: quod est super omne nomē. Ecce ascensus eius. Qui enim se humiliat exaltabitur, hoc est, qui ab ortu Christi venire incipit exaltabitur decoratus summa gloria, summōque honore. Ea de re Christus non à summis ecclesiam suam auspicatus est, sed ab imis: & ab his, qui nō erant in æstimatione apud mundū, dicēte Paulo,

*Signum Dei
vni.*

*Ascensus
quid sit.*

Videtē vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potētes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Quare: vt non gloriētur omnis caro in conspectu eius. 1. Cor. 1. Paulus quoque cum aliis principibus ita exaltatus purgamenta mundi appellat. 1. Cor. 4. adeo solis huius obseruat ortum, vnde ascensus eius ad sublimia progrediebatur: qui ne magnitudine reuelationū extolleretur, stimulo carnis suæ perurgebatur, id est, angelo satanæ, qui eum cedebat. 2. Cor. 12. Neque adeo mirandum est, quod ab humilitate sui; contemptu, ac deiectione fiat ascensus in ecclesia Dei ad sublimia meritorum coram Deo. Fastidit enim tumorem Deus in hominibus, quem tam seuerē puniuit in angelis: Cui nunquam superbi placuerunt ab initio. Iudith. 9. quibus summa virtutē resistit. Iacob. 4. Hi ergo veri prædicatores sic ascendentes vltimo illo sæculo futuro angelus sunt. Equidem per hunc angelum dominus quoq; Iesus Christus non incongruē intelligi poterit: vt pote princeps & antesignanus omnium verbi sacri Dei ministrorum: qui & in Esaia, Magni consilij angelus appellatur, Esa. 9. Qui visitauit nos oriens ex alto. Luc. 1. & Ascendit super cælū cæli ad orientē. Psal. 67. Qui bene habuit signū dei viui in miraculorū operatione: fecit enim opera, quæ nullus alius vnquā facere potuit. Ioan. 3. vnde & per se dicebat Iudæis, Opera quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me, videlicet, quod sim filius dei viui. Id quod est signū certissimū Dei viui in ipso qui à natiuitate sua semper ascēdit, vsque dum illustraretur à patre claritate, quā secundum Deum habuit ab æterno. Ioan. 17. Qui ascēder semper in suis, & clamat semper, magis autē in fine. Legi quendam ex recētoribus Franciscani ordinis, hominem alioqui doctissimum: qui extra omnes expositores suspicatur, nescio quibus ex reuelationibus, per hūc angelum ascēdentem figurari pastore quendam futurum ecclesiæ, quem angelicū vocat, qui reformaturus sit totā ecclesiam dei: qui idcirco angelic⁹ dicitur, quia spiritualis tot⁹ erit,

*Ecclesia ab
imis coepta.*

*Humilitas
gradus ex-
altationis.*

*Angelus
ascendens
Christus.*

signum Dei in verbo vitæ habens. Qui si futurus est, necesse est, vt post meritum Antichristi appareat, quando quasi ex mortuis reuiuiscet ecclesia: prius vix sperem suspicari posse, eo quod continuè defluamus in peius. Fortitan non incògruè hic angelus formam futuri pregestit. vt tum, videlicet, quando ecclesia à pressura Antichristi liberabitur, & incipit respirare: angelica virtus visibiliter succurrat, resistatque nocere volentibus: in credentium consolationem.

* Punct. 3.

Et clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.

Magna vox, magna potentia in domino Iesu. In angelis virtus prohibitiua. In pastore illo, quem memorauimus, magna autoritas. In ministris verbi sacri Dei, ardens & constans veritatis assertio: quæ siue voce, siue scripto fiat vox magna est. Magnitudo quippe vocis ab eo iudicatur, quo ad plures peruenit: quod sæpè commodius fit scripto quàm voce, dum quod scribitur ad plures dispersis libris peruenit, quàm quod vno in loco etiã si coram multis docetur. Sed quibus clamauit? Respondeo, Quatuor angelis, quibus datum est, &c. Hi sunt (sicut præfari sumus) qui verbi Dei cursum præpediunt, ex satanæ instinctu, impij principes, magistratus antichristi futuri, quibus permittetur concitare persecutionem aduersus sanctos Dei, & ecclesiam: vbicunque sunt, siue in terra, siue in insulis maris. Quid autem clamat: Hoc, Nolite nocere terræ & mari neque arboribus: quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Serui Dei electi sunt, & dilecti: iidem quos spiritus sanctus, Ezech. 9. dicit gemere & dolere super abominationibus. De quibus Matth. 5. dicitur. Beati qui lugent, quoniã ipsi consolabuntur. Magnũ sacramentum, grande verbum: vt pro nobis etiam interim quippiam fiat documentũ. Soli qui lugent signantur, quod sane ardentis animi in camino pœnitentiæ signum est: zeli quoque, quo in Deum ferimur. Videntes namque sancti Dei, contemptum nominis Christi, ecclesiæ contritionem, scandalum infirmorum, merent, dolent, tristantur, & lugent. Quod

Lugentes signantur.

idem & in recordatione suorum errorum, hoc impensius faciunt, quò fuerint zelò fortiori, quò saluti omnium bene cupiunt. Flet interdum Paulus, tristatur, & moeret, videns suæ gentis damnationem, Rom. 9. vtrius ex scandalo proximi. 2. Cor. 11. Porro, signantur serui Dei verbo sancto, quòd fidei est, & crucis, & pœnitentiæ. O quàm multos hoc non consignat Christus: non angelus quippiam, non minister verbi, in quibus non capit verbũ spiritus, etiam si pro pijs quidam se habeat, & hac putatione sibi blandiatur: hi sunt hypocritæ vanissimi. Sed nõ quid chafi sunt apud Deum? Minime. Non vult Christus tales pestes: neq; enim hi quippiam compatiuntur super contemptu Dei, & nominis Christi blasphemia, nec super calcata veritate, ac ecclesiæ Dei contritione. Proinde nec signantur inter electos Dei, quòd nõ sunt lugetes. Sed quid dicemus? Fit (quòd nõ possum sine dolore comminisci) nostris hæc temporibus, vt si quis pro his lugeat, doleat, zelet, irascatur, malus hypocrita deridetur: & quòd peius est, etiam ab his, qui pro signatis haberi, & maxime haberi volunt: heu quò cæci sumus, quantum a signo alieni: miserere tu nostri Deus, miserere nostri. Maledictus qui nõ lugeat: peribit enim. Hi nunquam, qui eiusmodi sunt, id est, nõ lugetes, sed homines vanissimi, in medio commensatorum, ebriorum, scortatorum, obtrektorum, & similibus sedent, rideant, letantur, iactant verba, serunt sermonem, adulantur, applaudunt, læpe etiam cum his, qui sunt raptores, sanguinarij, mali parricidæ: quibus plurimi sacri verbi ministri sunt: ac myste pestes potius quàm templi Dei ministri: nec proinde signati. Signo Dei ob signatus, dum in medio id genus pestium, malarumque abominationum à casu sederet: aut egreditur, aut, si est locus, mala increpat, ac recta docet: quòd si non licet, lugeat animo, & languet. Quam igitur verum est, solos signari eos, qui lugent. Sed vbi? In eorum frontibus. Frons altior patris capitis est, ac semper detecta, quæ mentem exprimit, in qua spiritu Dei signamur. Hoc & propheta David videtur innuere quum ait, Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Psal. 4. Hoc lumen non rationis est, quæ cæca est in rebus fidei, sed fidei ipsius venientis desuper in verbo Dei, vt signaretur super nos, id est, in frõ-

Hypocrita non signantur.

Frons ipsa mens est.

tibus nostris, eo quod menti sit impressa fides ipsa, qua domini gloriam speculamur in eadem imaginem transformandi. 2. Corint. 3. De hoc lumine & in seq. cap. dicit. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Et alibi. Nunc enim per fidem ambulamus. Quod verò perpetuo detecta sit pars capitis, hoc indicat, quod signatus propalâ se facit exterius, piisque operibus, & clara confessione fidei. Non est igitur quod sola fide blandiare, nisi adsint & iusta tibi opera. Expressè habes apud Iacobum, & in Pauli variis scriptis: & alias sepe, videlicet necessaria fore opera ad fidem. Nam & Christus ad mercédē vocat operarios, non verbarios, voca, inquit, operarios: & redde illis mercedem, Matth. 20. Huius igitur loci, Nolite nocere, &c. sensus erit. Insanite vtr volueritis ô pietatis hostes, homines contumeliosi, molesti Deo & hominibus, sed frustra nitimini: neque enim omnino prohibebitis ventum sermonis Dei, quoadusque electos Dei obsignauerimus signo spiritus, quod fidei est & crucis, notam eis facientes veritatem, iuxta quod euangelizatum est à sæculo per seruos Dei prophetas eius. Quæ sanè sententia primo indicatur, eorum, qui per fortem angelû capiuntur, magna in veritatis professione constâtia: maximè verò illius pastoris, quem locus exhibet, summa autoritas, & virtus in angelis Dei ministris: & in ipso domino nostro Iesu Christo maxima erga nos charitas. Secundo, quod scilicet volentes præpedire cursum verbi Dei, efficere nequeunt, quantumcunque velint, conenturque, quin ad Dei electos perueniant. Id enim præcipue eis datur, vt faciant fructû eius: nec reprobi participes snt. Nā quod ad electos pertinet, quia pro eis verbum mittitur, ad quos veniat necesse est. Quoties enim à Deo reuelatur, nouit ad quos sit perueniturum, quorum scilicet volûtâs prompta est ad recipiendum: nam ad hos solos peruenit, qui illud ex animo suscipiunt, & illi credunt, ac iuxta illud operantur. Tertio docemur quod licet Deus sinat Antichristum, & suos regnare in tempus, non tamen tantum fauere sinet quâtum vellent: immo fiet, vt tum quoque aliqui signentur.

Verbum datur electis.

DE NUMERO SIGNATORUM.

Sect. 2. Punct. 1.



*L*audiui numerum signatorum: ceterum quadraginta quatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israel. Quum apud Deum omnia sub certo numero sint, etiâ futura: eos qui post antichristi, horrendi monstri, interitum futuri sunt christiani, qui in verbo dei ex Israele signabuntur, non dubium quin spiritu promissionis sancto, quod fidei est, & gratiæ, & vitæ æternæ: ostendere dignatus est Christus. Sed cui? Ioanni eius charo discipulo, propter nos: vt consolationem in spe habeamus. Spes autem non confundit, quia regnum christi manebit in æternum, nec quisquam ita opprimere illud poterit, vt non aliquando gloria resplendeat. Et quia futurum est, vt omnis Israel saluus fiat, Rom. 11. Esa. 59. Ideo de ipsis compitimus mētio fit sub signatorum, quasi signandorum, in fine temporum, numero. Quamquam possunt vno cūmulo intelligi sub hoc numero, & qui salui facti iā sunt ex Iudæis, per Christi, & apostolorum prædicationem, primo illo tempore, & deinceps vsque modo, & amodo vsque ad prædestinatum illud tempus à patre: vt numerus iste primo exhibitus, illis solis conueniat: quamuis omnes ferè expositores per hunc certum numerum capiant vniuersitatem electorum, & sic intelligi volunt flagitante numeri huius absolutissima perfectione. Hoc si verum est, Quæ igitur ratione testatur Ioannes post hæc vidisse turbam magnam: quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & populis, & tribubus & linguis. Oportet ergo vt ad solos Iudæos numerus hic filiorum Israel referatur ab innumerabili illa sequenti multitudine seorsim positus: quos primo vidit, quia primi sunt in electione Iudæi, Apostolo dicente, Non erubescio euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti Iudæo primum, Roma. 1. Et in sequenti. Gloria, & honor, & pax, omni operanti bonum. Iudæo primum. Et de ratione numeri huius quippiam delibemus.

Numerus ceterum signandorum ex israel ostēdit.

Numeri signatorum my-

In scriptura sacra quis neget ternarium numerum fore perfectum potissimum quam sextimum Deum trinum in personis referat: Quaternarium verò, siue propter mundi quatuor notissimas partes, seu propter quatuor paradisi flumina, quæ sunt in mysterio quatuor euangeliorum, siue etiam propter quatuor principales virtutes, perfectum esse: Nullus quippe qui scripturas nouit de hoc ambigit. Siue enim tria per quatuor, siue quatuor per tria ducantur, duodenarium numerum faciunt: qui & ipse vel propter duodecim tribus, vel propter duodecim Apostolos, factus habetur: millenarius quoque numerus absolutissimus vel ea ratione est, quia amplius non sit ascensus: & quia omnium perfectiones in se contineat. Nam & in Psalmis mysticis mille generationes commemorantur, in quod mandauit verbum suum Deus. Psalmo. 104. Ecclesia itaque sanctorum (quorum primitiæ Iudæi sunt) quia trinitatis noticiam primum congregatur, quatuor quoque paradisi fluminibus, id est, ipsis euangeliorum dictis irrigatur: rectè in duodenis millibus figuratur. Sed ut in eo, quod ereditur perficiatur: necesse est, ut duodenarius nullius numerus quadrata soliditate firmetur. Ducantur ergo duodecim millia per quatuor, & quadraginta octo millia fiant. Ut verò ad id quod ereditur, id est, trinitatis contemplationem pertingat: rursum quadraginta & octo millia ter multiplicentur, & de se centum quadraginta quatuor millia absoluunt. Quo fiet, ut summa perfectionis fidei christiana, & in tribus, confessione trinitatis super benedicta, & in actione quatuor principalium virtutum absoluta clarescat. Potest & aliter factus iste ac mysticus. xi. tribus numerus digerit: ut in deceno unitas, in singulari verò limite binarius constituitur. Ut autem isti duodecim primigeni in totidem, id est, duodecim millia succrescant: unitas illa decena unum & alterum limitem transeat oportet, atque in tertio ponatur, ut decem millia fiat. Binarius quoque singularis, qui coniunctus eidem decenæ unitati, duodecim constituerebat, ne infœcundus sit, sed quasi numerosa sobole ex se progenita gaudeat: unum & ipse atque alterum limitem occlusis transuet & in tertio consistat, & duo millia erunt: quæ decem millibus addita, duodecim millia reddunt: sitque,

*Ecclesia in-
temario &
quaternario
numera con-
stat.*

ut qui duodecim tantum erant filii israel, iam duodecim millia facti, exercitu nobili prodeant, sed nondum consummata virtute. Igitur rursum si duodecies multiplicentur, plenum erit agmen numeri à Deo prædestinati, ut fiant centum quadraginta quatuor millia. Quid videlicet numerus ita distinguitur, ut tribus limitibus veluti actis tribus copiis statuatur: nam in cetero milleno unitas, in deceno milleno, quaternarius: in milleno itidem, quaternarius collocatur. Porro ut duodecim primigeni illi duodecim millia fiant, tres limites strenuo progressu ascendant oportet, eademque duodecies ducta, centum quadraginta quatuor millia absoluant, numerum videlicet tribus phalangis distributum, trinamque stationem compositum. In prima statione seu limite (aut si maus interdicat) soli duodecim singulares. In secunda duodecim millia. In tertia centum quadraginta quatuor millia. Quid (oro) quid reuelationis huius sanctæ gratiam arbitramur intendere, nisi quod omnis legalis, & prophetalis, & euangelicalis, apostolicalis quoque veritas testatur, nemini videlicet conducere ad salutem quod sit carne filius israel, aut abraham, nisi etiam sit filius israel, aut abraham: per eam fidem quæ trinitatis confessione perficitur: quæ olim, donec sub umbra degeretur, trium paternorum nominum inuolucro tegebatur, ut dicerent, deus abraham, deus isaac, & deus iacob: quam trinitatem nunc lucidiori confessione appellamus, patrem, filium, & spiritum sanctum. Huius sacre confessionis præclara extant testimonia. Siquidem dixerat deus olim moysi, Hæc dicis filiis israel. Dominus deus patrum vestrorum, deus abraham, deus isaac, & deus iacob misit me ad vos: hæc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale in generatione & generationem. Exod. 3. Postea verò quàm deus incarnari dignatus est, clariori in luce confessionis suæ constitutus: apertis verbis dixit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti, Matth. 28. Denique olim postes domorum signabantur sub dictis nominibus, abraham, isaac, & iacob, trinitatis videlicet sacramento: nunc in frontibus nostris signamur signaculo crucis in eiusdem præclarissima confessione. Olim signatura sicut agni cæsi sanguine: nunc sanguine Christi.

*Trinitatis
confessio trium
paternorum
nominum ap-
pellatione te-
gebatur.*

*Postea signa-
bantur sub
tribus nomi-
nibus.*

sti, quem ille agnus figurabat, immolati pro nobis. Sic enim ducimus crucem in frontibus, quemadmodum olim signum. T. in liminaribus. Præterea sunt nonnulli, qui hunc numerum ad interfectos sub Herode paruulos putant referri. Ij considerent velim nequaquam tunc Herodem in .12. tribus habuisse potestatem: sed vt euangelium loquitur dum taxat in quarta parte erat regni, nec nisi in suæ partis dominio autor tãtæ crudelitatis extiterat. Porro si hic numerus ad illos inno cêtes redigitur, quomodo ex duodecim tribubus cumulatur, quū illi ex duabus tantum fuerint cæsi, Iuda & beniamin, quibus dominabatur Herodes. Restat ergo, vt iuxta præmissam expositionem sensum colligamus: quatenus numerus hic referatur ad eos, qui post interitum Antichristi credituri sunt ex Iudæis.

✠ Punctus 2.

Ex tribu Iuda. 12. millia signati. Ex tribu Ruben. 12. millia signati. Ex tribu Gad. 12. mill. signati. Ex tribu Aser. 12. millia signati. Ex tribu Neptalim. 12. millia signati. Ex tribu Manasse. 12. mill. signati. Ex tribu Symeon. 12. millia signati. Ex tribu Levi. 12. mill. signati. Ex tribu Isachar. 12. mill. signati. Ex tribu Zabulon. 12. mill. signati. Ex tribu Ioseph. 12. mill. signati. Ex tribu Beniamin. 12. millia signati.

Nominũ. 12. trib. positio.

Si ad Geneleos historiã spectes, nequaquam hoc ordine nomina iuxta natiuitatẽ singulorũ digesta reperies. Nã Iudas ibi quarto, hic primo sistitur loco. Ruben ibi primo, hic secũdo. Gad ibi septimo, hic tertio. Aser ibi octauo, hic quarto Neptalim, ibi sexto, hic quinto. Manasses ibi nullo, hic sexto ponitur loco. Symeõ ibi secundo, hic septimo. Levi ibi tertio, hic octauo loco statuitur: Isachar tantũ, Zabulon, Ioseph atque Beniamin sicut ibi, ita hic digeruntur. Dan vero quintus Iacob filius de hoc spiritali catalogo excluditur: nec recipiendus, tanquam exul perpetuus cõsetur. Quod qua ratione factũ sit facile animaduertimus, si paulisper oculis mentis à carnis natiuitate ad spũalẽ generationẽ requirendã detorquemus: cõstitit enim his in primis qui salui fiunt mysteria nominum cõpetere, & ipsius vniuersalis ecclesiæ profectus admirabili ratione in eisde cõprehendi. Iudas nãque interpreta-

Nominum filiorũ Israel interpretatio

tur confessio siue laudatio. Ruben videns filiũ: vel videtis filiũ. Gad tentatio, siue accinctus, aut latrunculus. Aser beatus. Neptalim, latitudo. Manasses oblitus, vel necessitas. Symeon, audiuit tristitiã, vel nomen habitaculi. Leui additus. Isachar est merces. Zabulon habitaculũ fortitudinis. Ioseph, augmentũ. Beniamin filius dexteræ. Porro interpretatio nominis Iudæ: quid aliud, quã confessionẽ fidei, ac etiã laudis diuinæ designat? Iudas enim (vt diximus) cõfessio vocatur, siue laudatio. Neq; enim cõfessionis vocabulũ semper penitentiã: sed quodq; laudẽ, gratiarum actionẽve significat, vt Psal. 29. Dñe deus meus in æternũ cõfitebor tibi. Exprimitur itaq; in Iuda primo confessio fidei, ac deinde laudatio operũ Dei: vnde eidem in benedictionib; paternis dicitur, Iuda te laudabũt fratres tui, Gene. 49. Quia ergo ecclesiæ prima virtus à fidei cõfessione foelicissimẽ orditur: merito primũ locũ in hoc spiritali catalogo Iudas sortitur. Est & alia primigenij ratio, q; de semine eius carnẽ assumpturnus esset Deus, & quia ex tribu eius rēges, longo ordine prodierẽ. Ipse autẽ prestantissima inter omnes fratres fortitudine fuit, cuius tribus primũ diuisionẽ maris rubri ingressã fuisse dicitur: audaciam quoq; reliquis addidisse, Neq; foelicius omnem eam germanã multitudinem traduceret, liberans eam de manu Pharaonis eos persequentis: quo factõ Christum dominum exhibuit qui transiit suos per aquã baptis-malem, liberans eos à tyrannide Pharaonis diaboli persequentis, qui per criminationem spoliauerat primum hominem innocentia. vt rectẽ denudans virum Pharaõ interpretetur. Diabolus verò, quia græca vox est, criminationem sonat. Hinc Rubẽ suo merito secundum locum obtinet: interpretatur enim videns filium. Qualẽ filium? Num qualẽ generat caro? Minimẽ. Sed qualẽ gratia, & spiritus vitæ: per quem ipsa virtutum opera, designantur, quæ ad post cõfessionẽ fidei, iure cõsequuntur: q; fides exposcit se opera virtutum: vnde habeat vt viuat, ac laudem promereatur sempiternam. Sa-pe enim filiorum vocabulo in scriptura sacra bonorum operum fructus designantur, vt ibi. Filij tui sicut nouellæ oliuarum. Et, Videas filios filiorum tuorum. Psal. 127. Filios filiorum nostrorũ videmus, quum virtutes ex virtutibus natas conspiciamus. designari.

Iudæ.

Ruben.

Filiorũ noiẽ

bona opera

designari.

Sicut enim ex viciis vicia, sic ex virtutibus virtutes co-
riuntur. Neque enim, qui fidelis domino est: nisi gignat
filios nepotisque suscipiat non potest esse beatus: quum
virgines carne ac spiritu, Deo in timore ac sollicitudine
seruientes potior merces expectet. Aliud itaque in filiis
ac nepotibus intelligatur oportet. Filij ergo sunt virtutis
opera: filij filiorum nata virtutes ab aliis. Possunt esse &
fructus, id est, merita virtutum, immo merces aeternae vi-
tae. Quia vero ipsa virtutis opera, quae Iudae in Ruben
succeedunt, aliorum profectibus deseruire debent: bene
congruit, quod idem Ruben, non solum videns filium,
sed videns etiam filium interpretatur: ut scilicet ea in
quibus nos iam profecisse videmus, aliis ne occultemus, in
quo tamen non nostram, sed domini gloriam quaerere
debemus. Quod dominus in euangelio liquido manife-
stat dicens, Videant vestra bona opera: & glorificent pa-
trem vestrum qui in caelis est. Et quidem laudanda sunt
opera in Ruben: sed laus ipsa ad illum referenda est, qui
operatur in nobis, & velle & perficere, pro bona volunta-
te. Quis itaque hinc iam non videat, cur patriarcharum
nomina in hoc spiritali catalogo, non secundum carnis
propagationem sint digesta, sed secundum spiritualis in-
crementi ordinem. Nonne in Iuda praecedit initium co-
uersorum: atque in Ruben succedunt incrementa virtu-
tum? Nam si a primogenito carnis Ruben videlicet, qui
videns filium dictus est, series ordiretur: & quarto nati-
uitatis suae loco Iudam posuisset: quis non protinus cla-
mer spiritalem ecclesiae ordinem confusum? ac per hoc
non iam mysticus, sed carnalis ac nullius mysterij puta-
retur catalogus. Bene igitur primum Iudas sistitur, ac
deinde Ruben: quia nisi per confessionem prauis renun-
ciamus operibus, non informamur bonis. Et certe nisi
detestanda vitemus, laudanda agere non valeamus. Verum
enimvero quia recte operantes subinde tentatio probare
solet: & semper adest quod retrahat a bono, quo fides &
constantia viri iusti explorata sit: hinc Tobia per ange-
lum dicitur, Quoniam acceptus eras Deo, necesse fuit vt
tentatio probaret te. Tobia. 12. Ideo post Ruben Gad
Dei consilio collocatur. Gad enim tentatio est & scri-
ptura dicit, Quia tentatio est vita hominis super terram,

*Ratio ordi-
nis catalogi.*

Gad.

Iob. 7. Quia vero contra eundem diuina virtute, quicun-
que ad promissam hereditatem festinamus, praecincti es-
se debemus, vt fortes simus: idcirco idem ultra id, etiam
accinctus dicitur: talibus enim conuenit, vt agone heta-
id est, Christum, qui certamen disponit, & praemium cor-
tantibus proponit, inflexis oculis spectent, & contra
multiformem quotidie tentationem dimicent, dimican-
tes superent. Quibus idem admonendo dicit, Sint lumbi
vestri praecincti. Luc. 12. Hinc etiam sancto Iob loqui-
tur, Accinge sicut vir lumbos tuos. Iob. 38. Et quilibet cum
Psalmista domino dicit, Praecinxisti me virtute ad bellum,
Psalm. 17. Bellum scilicet tentationis, seu spiritualis cer-
taminis. In hoc dat spiritus, non dubium quin sanctus,
consilium timoris nouitius, & necdum exercitius in spiri-
tuali stadio dicens. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta
in timore, & praepara animam tuam ad tentationem. Por-
ro quia bonorum certaminum finem ad Deum dirigere,
non ad fauorem humanae laudis detorqueere debemus:
ob hoc etiam idem Gad latrunculus vocatur, tanquam
qui bona cordis latenter disquirat, Deo vt offerat proban-
da, non humanis laudibus distrahenda, mercedem in ab-
sccondito a patre caelesti, magis quam ab aliquo improbo
laudatore promereri cupiens. Non igitur viuiperij, sed
laudis hic latrunculus est. Hoc erat beatus Dauid quum
diceret, In corde meo abscondi eloquia tua, vt non pec-
cem tibi. Psalm. 118. Quod totum omnino ad animi in-
tentionem refertur. Siquidem multi opera abscon-
dunt, & tamen per intentionem, foris pandunt: & non-
nulli opera sua foris detegunt, & tamen intus per in-
tentionem abscondunt. Verum quia illata tentatio, &
electos probat, & probatos coronat: recte post Gad, Aser
ponitur, qui beatus vocatur. Illos sane exprimens, qui
euangelicarum beatitudinum possessores sunt, futuram
que beatitudinem certa expectatione degustant, congruo
satis ordine, Beatus nanque qui suffert tentationem, quo-
niam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Iac.
1. Cuius beatitudinis certa promissione roborati, inter
ipso etiam malos non coangulantur, sed cum Apostolo
clamant & dicunt, Cor nostrum dilatatum est 2. Cor. 6.
Et Psalmi illud carmen felicius concinunt, V iam man-

Aser.

*Neptalim.**Manasses.*

datorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. Psal. 118. Rursum quoque, In tribulatione dilatasti mihi. Unde quoque bene huic Neptalim succedit, qui latitudo interpretatur: eam latitudinem designans, qua cor in Deum fidens læta viuacitate, etiam in medijs tribulationibus gaudet. Sciens quoniam tribulationes ex Dei beneplacito ipsi electo adueniunt. Hi enim per latum Dei mandatum nimis currentes læti sunt semper, etiam in medio umbræ mortis: ut non coangustentur mœstitudine passionis carnis. Quia verò per hoc amplissimum Dei mandatum dilatati currentes, & quæ retro sunt obliuiscetes, ad anteriora extenduntur: & adhuc æternas delicias, ad quas spe extenti festinant apprehendendas, non habent ipsa re, proindeque firmata facie in procursum occupantur: rectè electi Dei & dilecti, Manassis titulum induunt. Manasses quippe oblitus, vel necessitas est, Oblitus, quia eorum quæ retro sunt nihil remiscuntur: Necessitas quia ad hoc ad quod festinant nondum peruenerunt. Hoc in mysterio docemur, ut & quæ pertulimus aduersa nihil eorum remiscamur, nec nos cogitatio eiusmodi præpediat, remoreturque, quin prono procursum semper ad promissa curramus. Non dicat ergo seruus Dei. Grauius sunt quæ patior, multis afficior iniurijs, indigna mihi sunt, nihil talium commerui quæ perfero. Ausculta mihi. num tu grauiora Paulo pertulisti, qui verberatus, lapidatus, proficissus inuidorum dentibus fuit: innumerabiliæque alia mala absque suis commertis pertulit: Et tamen adhuc dicit, Quæ retro sunt obliuiscens, in anteriora me extendo. O virum constantissimum, quem nulla frangebatur iniuria. O beatum ter & quater apostolum, quem nihil remotabatur à procursum, semper in mente habens, ut cum sanctis omnibus comprehenderet quæ sit diuinitatis longitudo, latitudo & profundum: & bona illa quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Docemur, & hoc, ne peritura mundi huius bona, & vel morte ipsa relinquenda, plus iusto curemus: magis nitamur apprehendere permanens, necessitatibus solis vitæ interim modeste & quasi obiter seruientes: scientes quoniam tempus breue est omne vitæ nostræ: & figura mundi huius vanescet. De quibus statim eripi ac elibe-

rari cupientes, dicamus cum propheta, De necessitatibus meis eripe me. Psalmus. 24. Rursum quoque. Eripe me de luto ut non infigar. Sed quia desiderium talia postulantium sæpe differtur, non tamen auferitur: apertissime post Manassen, Symeon collocatur: qui, audiuit tristitiam Latinis sonare: aut, audiens merorem. Audiunt namque ij in scriptura sacra, qui ocys cupiunt ex hac carnis necessitate eripi, dominum loquentem, Expecta, re expecta: & quia sub hæc incolatus aliquatenus prolongatur, nonnulla idcirco mœstitudine tanguntur. Aut certe quia audiunt sancti oppressionem gloriæ nominis Christi & dolent: Audiunt ex afflictione tristitiam multorum, & ipsi similiter in charitate prouocati contristantur. Sed qui audiunt tristitiam, audiant necesse est & nomen habitaculi, quod idem Symeon sonare videtur: ut qui presentibus malis cincti tristantur, de futuris bonis cõsolentur: & qui merent in tabernaculo corruptionis angore tribulationum læsi, gaudeant de tabernaculo æternæ incorruptionis & quietis consolati. Pauli vox est, Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. 2. Corinth. 5. Rursumque. Qui sumus in hoc habitaculo ingemiscimus grauati: Ecce hinc auditur tristitia. Consolatio autem cum dicitur, Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur: ædificationem habemus ex Deo, domum non manu factam, sed æternam in cælis. Ecce hinc consolationis causa, Audiant ergo electi, & dilecti, & quid hic sit habendum, & quid illic expectandum. Audiant quid de his Psalmista dicat, Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos, Psalm. 125. Audiant & quid de eis Christus dicat, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Matth. 5. Audiant denique quid eis responsum sit. Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium Ioan. 16. vbi certo discrimine consignare videtur dominus, quæ sui sint, quæ mundi: quod mundus ad carnem hic consolationem habeat: sancti verò, & qui eius sunt, tristitia. Sed tristitia, quæ secundum

Symeon.

Leui.

Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. 2. Corin. 7. Quales autem isti sint, qui quæ retro sunt obliuiscuntur in antea extenti, atque de presenti habitatione tristes, de futura autem gaudentes, Leui subindicat qui interpretatur additus. Hi sunt, qui bona bonis cumulant, merita meritis addunt: hoc est qui ad obseruantiam sanctæ præceptorum Dei obseruantiam addunt consilio rum sanctorum Dei: vel qui temporalibus æterna mercantur, iuxta illud. Redemptio animæ virtutis propriæ diuitiæ. Prouerb. 13. Et alibi. Est qui paucis multa redimat.

Consilia que sunt.

Sunt enim multi qui præceptis obseruatis super addunt consilia, id est, non iussa, vt sunt cælibatus, sanctæ virginis obseruatio, erogatio dimidij bonorum, &c. Quæ omnia, quia non iubentur, sed per consilium dantur, vt viæ ad perfectionem sequelæ Christi, vtique non iussa superadduntur de bono consilio. Quibus nimirum apposite conuenit Isacharis interpretatio, qui dicitur merces.

Isachar,

Merces nimirum his plurima debetur, qui in Dei amore tanto ardore flammescunt, vt & eius præcepta impleant & consilia non refugiant. Hinc Ieremias talia agere, ac de presentibus miseris lugenti dicit. Quiescat vox tua à ploratu: & oculi tui à lacrymis: quia est merces operi tuo, ait dominus. cap. 31. Sed solent etiam nonnunquam talia facta, immò talia facientes, priusquam remunerentur, illatæ persequutiones, probare, non autem superare.

Zabulon.

Vnde merito Zabulon post Isachar sequitur, qui habitaculum fortitudinis appellatur. Tunc enim horum quilibet habitaculum efficitur, quando virtus in infirmitate solidatur. Id quod testatur Apostolus de quibusdam sanctis martyribus. Conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, Hebræ. 11. vt corpus, quod ab inimicis putatur infirmum, & per cuius materiam animo quoque inferre nituntur interitum, Deo confortante experiantur inuictum. Nunquam ergo ij succumbunt tentationibus in finem, neque bona facientes deficiunt: sed vegetantur robore spiritus, atque in dies seipsis fortiores euadunt. Nihil negligunt, sperantes amplissimam laborum mercedem repositam in cælis, de quibus sanctus Apostolus plura loquitur, Sancti per fidem vicerunt regna: operati sunt iustitiam: adepti sunt repromissiones, & quæ sequuntur.

Hebræ. 11.

Hebræ. 11. Quæ omnia tolerant sancti Deo eos roborante, & supra modum vires in eis augmentante: vt merito Zabulon ipsum Ioseph nactus sit successorem: interpretatur enim Ioseph augmentum, designans sane augmen-
Ioseph.
tanda eis dona gratiarum, qui fortes persistunt in eorum persequutionibus. Et vt hos omnes, quibus istæ virtutes, quas enumerando potius quam plenius exponendo descripsimus, inesse potuerunt, in dextera regis æterni collocandos intelligas, Benjamin, id est, filius dexterae postremum locum fortitur: tanquam scilicet ipse sit finis ordinis, cui felicitas promittitur æternæ retributionis. In quo omnes concluduntur, qui ad Christi dexteram collocabuntur: quia quasi ab ipsa dextera generantur, qui eius virtute in hoc sæculo proteguntur. Vides nomina hæc tribuum quàm appositè conueniant in mysterio his qui salui sunt: id est, electis à Deo ad æternam remunerationem. Præterea quàm admirabili ratione profectus omnis, & omne ornamentum vniuersalis ecclesie in eisdem nominibus comprehendatur, vel hinc palam fiet: Ecclesia nanque sancta ipsa confessione fidei laudabilis est in Iuda. In Ruben, piis operibus fecunda & clara. In Gad, tentationum exercitiis probata. In Aser, post eluctatas deuictasque tentationes beata. In Neptalim, charitatis amore dilatata. In Manasse, ea quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ ante sunt se extendens. In Symeone, quasi tristis adhuc in valle plorationis, sed spe gaudens de supernorum ciuium habitaculis. In Leui, virginitate decora, & cælibatu continentium illustrata. In Isachar, futuræ mercedis expectatione suspensa. In Zabulon, martyrio coronata. In Ioseph, virtute Dei augmentata. In Benjamin, dexteram felicitatis æternæ sortita. Quod quicumque fuerit, is demum beatus, & ad dexteram inter societatem ciuium supernorum merito collocandus erit. Vides quomodo, à confessione fidei, laudisque diuina per certa incrementa virtutum, veluti per gradus quosdam ad dexteram perueniatur æternæ felicitatis, consentiente domino qui ait, His autem, qui à dextris erunt, dicit. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c. Matth. 25. Postremo autem nequaquam prætereundum, putauit cur Dan, vtique filius Iacob, siue in Genesi, siue in

*Beniamin.**Ecclesie toti conueniunt nomina hæc in suis mysteriis.*

Cur Dan de catalogo. 22. hoc catalogo eiiciatur spirituali, Manasses verò inter alienigenas natus, utique non filius, sed tanquam in filium adoptatus inter illustres sit positus, & quidem sexta statione. Sed hoc satis magna ratione factum arbitramur.

Dan enim quia iudicium Latinis reddit, sanè reprobationem veteris sacerdotij, carnaliumque abolitionem victimarum designat: sicut Apostolus de his plenissimè tractat, Hebræ. 7. & 8. Dan ergo de spirituali catalogo eiicitur: quia in sexta mundi ætate mediatore adueniente Iudæi in scelere suo comprehensi iusto Dei iudicio sedibus suis pulsi simul & sacerdotium perdiderunt & regnum: in quorum loco gentes adoptatæ sunt, velut Manasses inter alienigenas natus, nec filius: sed tamen in filium adoptatus. Alij alias rationes eijectionis in Dan assignat. Primo quòd filij Dan tulerint idola Michæ, & illa posuerint in tribu sua, in qua permanserunt donec Israël in Assyrios fuit translatus Iud. 8. Semper enim acri odio detestatus est Dominus Deus idololatriam. Secundo ob Antichristum, quem memorant de eius progenie proditurum, scriptura dicente. Fiat coluber Dan in via, Cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro, Gen. 49. De quo & Ieremias prophetauit, dicens. A Dan auditus est fremitus equorum eius. ca. 8. Qui non solum coluber, sed etiam cerastes dicitur. Cerastes enim cornuti serpentes sunt: Græcè enim cerastes cornua sunt, vt rectè per eum Antichristus intelligatur. Hic enim contra vitam fidelium, & cornibus armatæ potestatis, & dogmate pestiferæ prædicationis, velut morsu insurge: non solum secularis ordinis christianos, sed etiam religiosos, & sic religiosos vt vnum id agere videatur, persequens: id enim indicant via & semita. Quis enim nesciat semitam viam esse arctiorem? & religiosorum vita arctior est vita aliorum. Fit ergo coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine dum hos ambulare prouocat, quasi parcendo blauditur: sed in via mordet, quia eos, quibus libertatè tribuit, erroris sui veneno ac veste consumit. Sic primos parètes in colubro aggressus mira contra Deum fallacia decepti, vt non immeritò coluber fiat Dan in via, Cerastes autè in semita: quia quos fideles, atque ad consiliorum angu-

Cerastes cristatus serpens.

stias sese stringentes repererit, non solum callidæ persuasionis astutia tentat: sed etiam terrore potestatis velut cornibus præmit. Quo in loco equi vocabulum mundum hunc insinuat, qui per elationem suam in procurfu labèrium temporum spumat: & quia Antichristus extrema mundi occupat, rectè cerastes hic equi vngulas mordet. Vngulas quippe mordere est extrema sæculi apprehendere, ac tenere mordicus, vt cadat ascensor eius retro, Ascensor huius equi est, quisquis in dignitatibus mundi extollitur: qui retro cadere, & non in faciem dicitur. In faciem quippe cadere est, in hac vita errores agnoscere, & poenitendo peccata delere. Sic Paulus cecidit ad vocem compellantis domini. Sic Maria Magdalena cecidit ad pedes Iesu: & dum inundat lachrymis, pedes abluuit saluatoris. Retro verò cadere est repente ex hac vita decedere: & ad quæ supplicia ducatur ignorare. Sic Heli sacerdos cecidit: & effracta ceruice miserabiliter expirauit. 1. Reg. 2. Sed nec tribus Effraim nominatur: fortè quòd effrate ille Ieroboam filius Nabath rex primus decem tribuum virulorum cultum induxerit, & peccare fecerit populum Israël in idololatria, sicut scriptum est. 3. Reg. 12. Aut in patre Ioseph intelligitur.

Equus mundus est.

In faciem cadere.

DE TURBA MAGNA ET INNUMERABILI EX OMNIBUS GENTIBUS CONFLATA. Sect. 3. Punct. 1.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante chronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis: & palma in manibus eorum.

Quum iuxta figuram signatos sub certo numero vidisset, in tribubus Israël tantum: nunc apertè demonstrat, quòd non solum Iudæi gratiæ Dei participes futuri sunt, sed & multi alij ex omni gente, quæ sub cælo est, futurum numerum apud Deum est constitutus: vnde ad hostes est referendum, quòd dicitur, Quæ dinumerare nemo poterat. Obserua. Gēs & tric.

bus in hoc differunt, quòd vna gens multas habet tribus. Gens enim est multitudo ab vno principio orta, atque ab alia natione secundum propriam collectionem distincta. Sicut ab vno Israël, vna gens Israëlita quæ per duo decim tribus distincta fuit. Romana autem gens à Romulo originem trahens, in triginta quinque curias fuit diffusa. Porro populus aliquando pro gente: aliquando pro vnus tantum ciuitatis habitatoribus poni solet. De linguis autem hoc sciendum est, quòd quamuis prius gentes, & tribus, & populus, posuerit linguas postremo: non tamen linguæ ex gentibus, sed ex linguis gentes exortæ sunt. In initio quot gentes tot linguæ fuerunt. Deinde plures gentes quàm linguæ, quia ex vna lingua multæ gentes sunt exortæ. Sunt autem tres linguæ in vniuerso orbe celeberrimæ, Hebræa, Græca, & Latina: quæ & sacræ dicuntur, quòd his diuinæ leges scriptæ sunt. Et Pilatus titulum domini eisdem notauerit, quarum noticia est orthodoxis perquam necessaria: vt dum vna minus satisfaciatur, succurrat alia. Sic ergo turbam magnam, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis cõflatam vidit: vt non solum Israël promissione Dei gloriaretur, Abrahamæque sanguine: sed etiam alij omnes præordinati ad vitam. Sumus enim omnes, quotquot eius fidem habemus, filij Abrahamæ, in semine eius, qui est Christus. Vnde Paulus Romanis scribens, Abraham patrem sanctorum idcirco creditum dicit, quòd signum acceperit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. vt esset pater omnium credentium per præputium, vtque reputaretur illis etiam fides ad iustitiam: quòdque esset & pater circumcisionis, sicut & præputij, hoc est, iudeorum & gentium. Non enim qui ex lege est, sed ei qui ex fide Abrahamæ, firma est promissio. Ro. 4. Qui pulchro admodum successu vtriusque populi in se prægressit typi: vt & in præputio, & in circumcisione placeret Deo: cui dictum est in Genesi, Quia patrem multarum gentium posui te cap. 17. Nam in spem promissionis contra spem naturæ credidit. Quo doceare tu, quia citra merita promissio te vocauit in salutem, quicunq; es in hoc semine. Dictum est enim. Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli: & sicut arena maris, in hoc catalogo tu modo stas fidem habens in

Populus.

*Lingue tres
celeberrimæ.*

*Abraham
pater præpu-
rij sicut & cir-
cumsionis.*

Christo, si stas: stellæque es, si es, vocatus ex gentibus, aditus Israël. Dicatur ergo. Vidi turbam magnam ex omnibus gentibus stantes ante thronum, & in conspectu agni &c. Christus est agnus (vt non semel dictum est) cui patetestas est cum patre: ante quem stant sancti, quia placent ei: quemadmodum hi qui principibus adstant vitis grati censentur eis. Qui etiã stolis induti albis cõmemorantur. Stola apud veteres dicebatur quicquid tegebat. vnde apud Græcos quoque Stola indumentum significat. Quid verò hæc stolæ sint, nisi pulchri mores, baptismalis innocentia, integritas mentis, vt placet nonnullis. Sermo ego cum. D. Greg. esse charitatem fidei, quæ & nuptialis vestis dicitur: cum qua, qui ad nuptias agni inrommittitur, non expellitur. Sed nota, ante mediatoris aduentum non erant stolæ albæ: quia videlicet humani generis corda originalium peccatorum maculis erant commaculata, quæ postquam sacro baptisinate sunt abluta, reddita eis innocentia statim receperunt pristinum decoris candorem, quem in primis parentibus amiserant: vt iam fide manente alba sint & spectabilia. Non quia aliquando non conspurcentur & modo: sed quia conspurcata pœnitentiæ lauacro purgantur, operante in nobis Christi sanguine, quo semper abluti mundi sumus. Vnde omnes qui ad electorum pertinent numerum, stolas albas habere perhibentur. De quibus sequitur, Et palmæ in manibus eorum. Quid per palmas, nisi triumphus victoriæ designatur: per manus operatio exprimitur virtutis: quatenus intelligeres eos qui ad numerum Dei pertinent victores semper esse debere. Palmas itaque in manibus habere, est per virtutem sancti certaminis de antiquo hoste mundi ac carnis voluptatibus triumphare. Palmas in manibus habent, qui cum Apostolo dicunt, Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio: an angustia? &c. Palma arbor est (de melioribus loquor) trunco solido alta & recta: asperrimo duroque ac vili cortice, in solo cacumine elatas habet se ex omni parte ad inferiora flectentes. in elatis sunt fructus dulcissimi, quos alij poma: alij, nempe Galli & Itali dactylos vocant. Hæc non alia ratione conuenit signatis, id est, electis fidelibus, nisi quòd olim in signum dabatur victoribus. Sola enim arbor est

*Stola quid
sit.*

*Palma quid
significet.*

*Palma ponde-
ri remittitur.*

(authore Plutarcho) quæ surgit aduersus pondera, nec cedere nouit. Hunc morem primum Græcis fuisse, deinde translatum Romanis testatur. T. Lilius libro vlt. primæ Decad. Palma in nobis erit si non cedimus malis temptationibus, aduersis que statibus rerum accidentiū: sed semper nobis ipsis robustiores exurgimus. Est enim insigne victoriæ, fortitudinisque infractæ: vt rectè, forti viro in militia spiritali. Cant. 7. dicatur. Statura tua assimilata est palmæ. Assimilatur nanque statura fortissimi militis Christiani palmæ, si non cædat aduersis: sed continuo robore in se persistat: nitatur autem contra aduersa donec superet, donec pleno triumpho potiatur. Obserua, Soli palmari candidati que ante thronum, & agnum stat: quia soli illi Deo, & Christo cordi sunt qui vincunt: cæteris, hoc est, qui nolunt vincere, vix in memoria existentibus: quibus dicturus est Christus, Nunquā noui vos. Matt. 7.

✽ Punctus 2.

Et clamabant voce magna dicentes: salus Deo nostro qui sedet super thronum. & agno.

Hæc est vox illa de qua Esaias dixit cap. 24. Hi leuabunt vocem suam atque laudabunt. Et rursus. Quum glorificatus fuerit dominus hinc de mari, lætitiæ magnitudine gestientes. (vt exponit Hieronym.) Fieri enim non potest, vt non victores cantent Deo, in laude, & gratiarum actione, qui norunt non propria, sed cælesti virtute potitos se victoria: præsertim quibus ardens inest desiderium Dei, vt momento omni pro eo potius mori vellent, quàm offendere: idcirco clamorem voce magna in semetipsis excitant, quo testentur animi sui ingens desiderium in Deum, & Christum, per quem salutem assequuti sunt, & habent quicquid habent. Salutem autè occinunt Deo, quia domini est salus, Psal. 3. Potest magnus iste clamor, sincera fidei, & magnæ fidei quoque gloriæ Dei, & agni, esse typus. Quo argumento docemur salutè acclamare voce magna Deo nostro, & agno. Id enim proprium est soli Deo, videlicet salus. Quod sic demonstratur. Quum enim omnia ex tempore fluxa sint & caduca, & perpetuo cursu interitura, solus autem Deus stabilis sit & permanens: sic vt in Deo sit salus propriè, sicut

Salus soli Deo cõpetit.

& vita: quia habet esse à se & non ab alio, qui nec mutari potest, idèoque ab interitu longè diffiliens. Vnde diuina perfectio hæc in sepulchra admodum harmonia complectitur, Esse, viuere, & saluare. Esse dicit in actu essendi durationem, viuere dicit esse cum vitali operatione, saluare autem dicit esse saluatorem cum perfectione: vt sine defectu sit salus in se, & cæteris in suat, detque de se salutem, id est, vt seruetur virtute eius alia à se. Et sic ille qui dat salutem: idem dat & vitam, & esse. Et qui dat vitam, & esse, & salutem: necessum est, vt de se habeat salutem, & vitam, & esse. Sed quum in Deo nullum eadæ accidens, nec aliquid dependens, siue imperfectum: idèò essentialiter est quicquid habet. Et sic Deus essentialiter est salus, & vita, & esse: qui per se est causa salutis omnium, & vitæ, & existentia: quatenus agnosceres nihil magis propriè occini potuisse Deo quàm salutè, sed nec agno quidem qui peperit de se omnibus salutè, qui est in vna persona diuina cum patre Deo. Filius est agnus, quo solius incarnati verbi persona signatur. Dicat ergo sancta turba Dei. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum: & agno. per sedentem diuinitas patris intelligitur: per agnum filij humanitas, quæ ad æqualitatem patris ratione vnionis peruenit: vt ex Daniele intelligis, tanquam dicerent, vni deo nostro patri, & agno, qui sedet super thronum, salus, qui non est nisi salus in se per essentiam. Et quia hoc loci summa nostræ salutis, patri filioque tribuitur: patri, qui filium pro nobis tradidit: Filio, qui semetipsum obtulit, nequaquàm persona spiritus sancti excluditur. Denique quod salutis autorem sedere dicit, taliter est intelligendum, ac si regnare ac iudicare diceret: Sedere enim regnantis est & iudicæis. De throno autem id accipe. Est enim quandoque ecclesia militans: quandoque triumphans: aliquoties Christi humanitas: interdum anima iusti: est & cælum empyreum, immo & dei maiestas: in quibus omnibus sedet Deus. Salutè ergo tribuunt sancti victores Deo, cuius virtute vicerunt, eidem tribuentes quicquid ab ipso acceperunt: & quicquid ad salutis pertinet ordinè. Quo in loco simul Pelagij ac Cœlestini hereticorum falsum dogma suggillatur, commētantiū sine gratia dei per solū liberū arbitriū hominem posse saluari, cui reclamât apostolus dices,

Esse, viuere, saluare.

Agni, vocabulum filii competit.

Gratia salui facti estis per fidem, non ex operibus, vt ne quis gloriatur, Ephes. 2. Idem, Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis. 1. Corinth. 4. Quid plura? salutem nostram tribuit Deo & ipse Dauid, quum ait: Domini est salus. Psalm. 3, &c.

¶ Punct. 3.

Et omnes angeli stabant, in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium: Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas: & adorauerunt Deum, dicentes. Amen.

Angeli non sunt redempti, sed redempti sunt nobis per Christi sanguinem.

Sicut turbæ magnæ, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, numerus nemini comprehensibilis est: ita & hic, & supra, vbi primum agnus librum accepit de dextera sedentis, angelorum numerus definitus non est. De istis iam illic dictum est, quia & si redempti non sunt per agnum, quia non perierunt, conditi tamen per eius diuinitatem sunt, & per sanguinem reconciliati, nobisque pacificati per ipsum: coepitque numerus eorum, qui diminutus fuerat ex ruina apostatarum angelorum, spiritu nequam, ex hominibus restitui: proinde iure in conspectu throni cecidisse visi, adorasseque Deum, dicentes, Amen. Quod sanè congratulatio est eorum, de salute nostra. Ac si dicant, Æquum est domine, vt nos tibi parem honorem cum hominibus tribuamus, qui salutem dedisti perditis illis, è quibus nostra ruina reparabitur, ne eclypsis æterna sit in nobis: sed vt pleno choro tibi feliciter adfistamus: semper gratias agētes de immensa tua bonitate, qua creasti omnia, & nos, quos participes fore iussisti gloriæ tuæ. Hominibus congaudemus: quia per te reparati, laudem tibi salutis occinunt, memores ineffabilis tuæ clementiæ, qua in finem eis misericorditer subuenisti, vt eiusdē & ipsi nobiscum gloriæ fierent consortes. Obserua, neque turbam, neque animalia, neque seniores hoc loco adorasse memorat: sed solos angelos, qui audita dei laude, tanquam sanctis congauderent, sese humiliter summissert, per summa veneratione, & adorauerunt: confitentes, par esse vt sic laudaretur Deus, verumque esse id quod sancti de ipso prædicarent. Nam dicendo Amen, hominum laudationem confirmauere, diuinæque maiestatis honorificationi cōgratulauere. Scriptum est enim. Legramini gentes cum populo eius, Et ite-

Angeli pariter cum hominibus adorant Deum.

rum. Adorent eum omnes angeli eius. Psalm. 96. Soli ergo adorant ad lætitiā sanctorum: quo sciamus angelos gaudere de nobis, quoties honorem deo in vociferatione, & cantu, exhibemus: simulque vt scriptura impleatur prædicta. Sunt enim omnes ministri dei, ad quos specialiter pertinet Deo reuerentiam exhibere, & exhibētibus congaudere: ideo & inter laudātes versantur: iuxta illud, Præueniunt principes coniuncti psallentibus. Psalm. 67. vbi ij principes angeli sunt, qui in custodia principantur hominibus. Principes etiam dignitate multi sunt inter eos, pro dei gloria, sicut dictū est supra. Cant. 3. Sect. Pūct. 8.

¶ Punct. 4.

Benedictio, & claritas, & sapiētia, & gratiarū actio honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.

Quid deo conueniat, breui hoc cantico explicant angeli. Septem autem voces, seu nomina pronunciant, plena mysteriorum, quæ illi concinēda sunt semper ab omnibus, Benedictio, & claritas, &c. Benedictio primum ponitur ob meritum. Ipse enim primum benedixit nobis dicens, Crescite, & multiplicamini. Gen. 1. Benedixit autem multipliciter in corpore, & anima, qui eius benedictione seruamur. Si enim benedictio, doni seu beneficii collatio est: profecto innumera sunt dei circa nos beneficia, pro quibus vicissim à nobis benedictionem promeretur. Obserua, Aliter benedicit nobis Deus, aliter nos Deo benedicimus. Benedicit deus, dū dona largitur corporalia, siue spiritualia. Benedicimus nos deo, dū de beneficiis datis laudamus eum, dignūq; ab omnibus laudari prædicamus, scriptura dicente, Confitebitur tibi, quū benefeceris ei. Psalm. 48. Claritas, pulchritudo, sinceritas, nominis splendor, & nobilitas est. Competit autem ei, in quo nulla est macula, nulla imperfectionis admixtio, defectus nullus: sed dignitas summa, nobilitas & perfectio. Hic deus autem solus est qui eminenter pulcher, purus est, in quo non est macula, neque imperfectionis admixtio, defectus vlla, integer sine defectibilitate. Est enim deus lux, & tenebræ in eo non sunt vllæ. 1. Ioan. 1. qui in seipso immensa prorsus claritate lucet. Super solem enim est species decoris eius, qui lucem habitat inaccessibilem. 1. Timoth. 6. Sapiētia quoque propria est deo, à quo est om-

nis sapientia. sicut scriptum est. Omnis sapientia à domino deo est, cui omnes omnium mentes gratias agere debent. Item virtus & fortitudo sempiternus eiusdem cantus sunt. Non est fortis sicut Deus noster, qui est dominus virtutum & rex gloria, testatur Psalmi Dauidici.

DE REVELATIONE MYSTERII
VISIONIS CANDIDATAE
MULTITUDINIS INNUMERABILIS. Sect. 4. Punct. 1.



Respondens vnus de senioribus dixit mihi. Hi, qui amici sunt stolis albis, qui sunt: Unde venerunt.

Quum nullius interrogatio præcesserit: quid sibi vult, quod vnus de senioribus Ioanni respondisse perhibetur? Sed hic vtique Ioannes typum gerit eorum, qui non intelligunt mysteria Dei, quos erudiri oportet. de quibus alij adeo stupidi sunt, vt prorsus iaceant ingeniis, nisi acutiore stimulo interrogacionis excitentur. Vel certè mos scripturæ est, vt nulla interdum interrogacione præmissa, soleat respondentis vox proferre sententiam. Sic in multis scripturæ locis legis quemadmodum ibi. Respondens Iesus dixit, Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ. Matth. 11. quum nulla interrogatio præcesserit. Et alibi, Respondens angelus dixit mulieribus, Nolite timere, nulla interrogacione ipsarum mulierum præmissa. Quo in loco in seniore vno hoc, doctissimum quæque in lege accipimus, velut iudicem dei reuelationum. Nanque senior maior dicitur, siue ætate sit, siue etiam autoritate, in qua iudices olim constituerat Deus, quos memorauimus duodecim in lege veteri: In noua autem eodem numero apostolos, quos Iesus dixit Christus in sedibus duodecim iudicantes duodecim tribus Israel, in quibus vniuersitas nationum comprehenditur. Interrogat ergo senior vt doceat: qui docendi, dicendique peritus erat. Doctor enim vir bonus esse debet ac dicendi peritus, docet. Quintilianus in primo Instit. orat. Simul etiam ostendens minimè verè-

Senior maior

Doctor qualis esse debeat

dum fore præsertim in rebus salutis, quæ mysteriis abditis plena sunt, seniores doctores consulere. Qui verentur, aut superbiæ vitio laborare, aut ignauiæ conuincuntur: sed excutienda sunt hæc, & simplex animus in nobis statuendus, hoc est humilis & doli inscius. Ita enim à natura comparatum habemus vt ad meliora semper nitamur, & velimus esse perfecti, in quocunque studiorum genere. Quæ igitur dementia nobis non sequi naturam ducem ad meliora vocantem: quæ si sequenda in sterilitate aliis, vbi nutat, non fit, in hoc tamen vno sequenda. Ad hoc autem vt docti in placitis fidei simus, doctor bonus nobis quærendus est, & sapiens, cuius & moribus & sapientia simul instituamur, melioresque euadamus: cuius hic senior typum exhibet, qui vt charitate affluens erat, & moribus placidus, Ioannem vltro compellens vocat ad discendum alioque discendi cupientissimum, & qui libenter scire etiam rationes eorum vellet, quæ videbat. Vbi simul illud aduertat velim. Nam scire quidam volunt, vt sciant tantum: & hæc inutilis curiositas est. Alij vt sciatur, & hæc detestanda vanitas est. Plerique vt scientiam suam vendant, & hæc obscenus quæstus est. Nonnulli vt ædificentur, aliosque ædificent: & hæc laudabilis prudentia est. Quo in genere Ioannem versari cognoscimus, cuius omnis scientia nostra ædificatio fuit, & causa salutis. Adest ergo ad tam grande spectaculum scientiæ avidus, circumspicit, quærit animo doctorem, desiderio cordis loquitur. O si mihi nunc adesset vnus, qui hæc stupenda miracula retereret, doceret rerum tantarum mysteria, Discrutior domine quod non intelligo. Moxque senior è xxiiij. vnus vltro compellauit eum dicens. O iuuenis quisquis es qui ad tantum spectaculum nostrum admissus nunc adstas, putasne intelliges? qui sunt hi, qui amici stolis albis vno agmine sunt. Alloquitur vltro vt alliciat, vt animo confirmet, addatque audaciam liberè respondendi, atque vt allectus pacatiore pectore dicenda capiat. Audiatur discipulus mysteria rerum, audiens intelligat: intelligens ædificetur, vt postmodum & ipse alios ædificet. Immo vt talem amicum concupiscat, sibi que studio comparet, quali speciosissimum exercitum versari coram sedente in throno,

Diversitas studentum.

& agno videt. Stola hæc albæ, habitus mentium siue baptisimatis sacramento, siue aperto vel occulto martyrio, siue etiam lachrymarum fonte candidatarum possunt intelligi: possunt & præmia fidei, certaminisque in futura vita. Dicatur igitur, Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt? Ac si prædicatores sancti, vel dominus prædicatorum auditoribus diceret, Quotquot ex clade Antichristiana euasuri sunt, nunquid amatores mundi erunt: nunquid voluptatum suarum sectatores? aut nūquid de cupiditatibus vel illecebris venturi sunt: Quoniã qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Quia nimirum sententia finis consummata iustitiæ iudicatur. In præsentem etenim rari sunt, qui ad sceptræ dignitatésque de talibus eligantur. Sed qui splendidi sectatores: non sic in prædestinatione Dei: sed de angustiis ad præmia vocantur. In qua iam tales sunt electi, quales futuri sunt beati. Hoc est, pulchra iustitia nitentes. Ergo quales inueniendi sunt futuri sancti, tales in formis exhibiti: quatenus sciamus eos solos claros futuros, qui vitæ student sinceritati.

*O Punctus 2,

Et dixi illi: domine, tu scis. Et dixit mihi, Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione: & lauerunt stolas suas: & dealbauerunt eas in sanguine agni.

*Discipuli
norma.*

Quum Ioannes ex persona bonorum auditorum interroganti seniori modestius responderet: docemur, quanta modestia debemus esse ad eos, quos eruditores animorum nacti sumus, vt non temerè quippiam vel requisiti respondeamus, sed potius eius acumini nos in vniuersum summittentes, ab ipso primum ferri sententiam petamus. Sic enim nos & Fabius Quintilianus docuit orator, qui in libris institutionum oratoriarum ait. Pendeat ex iudicio præceptoris discipulus: atque id rectè dixisse putet quod ab eo prolabitur: vultum præceptoris intueatur quum audit, & quum aliquid ipse dicit. Absit à timore discipulus, & à vana de seipso persuasionem: ex magistri iudicio discat & dicat. Quod totum longè exactissimè in se exprimere videtur. S. Ioannes in verbo, Domine tu scis, vult enim omnino pendere ex iudicio huius præceptoris: & id de-

nique rectum esse quod ab eo prolaberetur credit. Porro quia tribulationis meminit, sanè docemur quoniam vim patitur regnum cælorum, & violenti rapiunt illud. Matth. 21. Et Actuum. 14. Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei. Simulque valde metuendum est, ne si aliunde quis veniat, ad sanctorum sortem pertineat. Notandum ergo quòd in vna hac magna tribulatione multæ tribulationes iustorum sunt capiendæ. Ecce enim persecutionis tempore alios improviso ictu immersus iugulo gladius strauit. Alios crucis patibulum sustulit. Alios terra diuisit. Alios carpfit vngula. Alios beluina rabies terris dentibus dilacerauit. Alios creber ictus flagrorum enecauit. Alios suffossa terra viuètes oppressit. Alios suspendij laqueus iugulauit. Alios præcipitium collisit. Alios demersos aqua absorbit. Alios edax flamma absumpsit. Que omnia in simul magna sunt tribulatio sanctorum. Sed nunquid hi solummodo ad electorum numerum, quos de magna tribulatione, aut iam venisse, aut venturos esse scriptura hæc commemorat pertinent? Quid igitur de illis qui timèntes mori, ne forte vitæ, id est, Christum negarent, antequam tenerentur, vel ininterrogarentur, salutem fuga quesuere, vique vocem domini sequentes, qui dixit, Si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, Matth. 10. Fugientes autem latibula ferarum nacti, & angustiis diuersoriorum, famem, sitim, nuditatemque sustinuerunt. Nunquid non ad magnam tribulationem talia qui pertulerunt pertinent? Quid denique de his dicemus, qui substatibus omnibus propter fidem christi priuari sunt, quando eos nec exterior poena perstrinxit, nec pulsi sedibus fuere? Nunquid non de magna tribulatione venerunt, aut veniunt in dies? Sed redeamus ad pacis tempora, Quia voluit electi etiam pacis tempore piè in Christo viuere, & pati: (Pulchra sane consequentia, piè viuunt christianus & patitur. Apostolo dicente, Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu persecutionem patientur. 2. Tim. 3.) Ecce alius religionem ingreditur, votis se confringit, nūquid tribulationem patitur? Primo aduersitas sæculi contra eum insurgit: veniet in odium his, qui-

*Tribulatione
nū distinctio.*

*Religiosi per
petuus tribu-
lacionibus
lacionibus
bannatur.*

tentationes illi, aut illectamenta carnis, quibus à rigore religionis sæpe mollescimus. Nunquid ignea desunt aduersarij tela: quibus figat & vrat? O quoties ante religionis mentis oculos scedam carnis spurcitiam quasi in dulcedinem conuertit astutus inimicus: figurat affectum coniugalis subsidij, prolis amorem: contra quæ dum pugnat ac resistit, nunquid ex magna tribulatione, lotus in sanguine agni venit? Augent ij tribulationes in semet ipsis, dum frangunt ieiunij corpus, vires eneruant, comprimunt sensus, insistant vigiliis, excubant assiduis in orationibus, dura sustinent, verberibus sese affligunt, ciliciis, aliorumque aspredinem domant vestimentorum, quæ gerunt ad carnem, mactant proprias voluntates, alienam suam facientes. Nunquid igitur ad electos pertinet, quum hæc omnia ad Dei gloriam faciunt? Facessat igitur quorundam reputatio, mollius religiosos alijs viuere, qui omni tempore in sui persecutione versantur, perpetuis veluti in castris degentes, qui veluti districtis ensibus perpetuò pugnant. Non sunt his delicata cibaria: sed crassa & quæ dumtaxat necessitati succurrant, non voluptatem expleant: nec est his ocium qui perpetuo in labore sunt: nec quando volunt aliquid faciunt, sed omnia sub imperio: dumque hi cælestem vitam agunt, maxima corporis fatigatione se conficiunt. Paria his habent & virgines, qui se totos Christo dedicarunt, affligentes carnem varijs angustijs, ac ingenijs, ne luxuriet. Continentes quoque, & quicumque cælibatam amplexati carnis curam in desiderijs non perficiunt, quibus in mentem reducit malignus expertam olim venerem, & omnem eam voluptatem, qua potiebantur antequam in militiam Christi venissent. Sed esto, sit, qui sancto certamine, multoque sudore iam ista contempserit, vt non irriterur tentigine: sed nunquid iram, tumoremque mentis, aut tristitiam, aut cupiditatem radicitus vultit, atque ita in vniuersum ab sese abiecit, vt non interim hisce pestibus commouearur? Aut quamdiu in hac vita viuut, salutem cogitationum careat tumultibus? Aut quum praua agere videt, non doleat: quum odientes se ad amorem nimia sollicitudine perducit: quum inobedientes ad subiectionem redigit: voraces ad sobrietatem: impuros ad ca-

*Tribulatio
virginum cõti-
uentiumque.*

stiratem: somno deditos ad vigilijs: loquaces ad taciturnitatem: commotos ad pacem: tribulationis experts in his erit? Nunquid non solemus dicere, quum tale quid agimus, si paulo duriores conuertendi inueniantur: O, cum quanta tribulatione ad viam illum possum reuocare: Ille enim tribulationem in his, quæ modo prælusimus, non sentit, qui certamen in acquirendis virtutibus, & in resistendis vicijs non assumit. Sed proculdubio nec isti soli ad illum pertinent numerum, qui de magna tribulatione venisse monstrantur: pertinent equidem & boni coniugati, qui in tantum boni sunt, iuxta modulum religionis suæ, vt intra repagula professionis suæ se perpetuò velint continere, nec aliorum euagari amore, sustinent molestias domus, & familia: vitam suppeditant, cibum quæritant, manibus liberos, si quos susceperint, nutriunt in timore Dei, legis præcepta diligenter custodiunt, ac si docent suos, castigant liberos quum lasciuire per etatem vident, compellunt ad Deum, & nihil magis cogitant: abstinent interim, nec nisi causa suscipiendæ prolis venerem experiuntur, aut ne alter ab altero amore deficiat ad alienum. Adicio his generalem cunctorum, & in hac vita ineuitabilem magnamque tribulationem, quam qui non habet, nescio si ad electorum numerum pertineat. Nemo enim sanctorum nouit vtrum ad electorum numerum pertineat, Salomone attestante, qui ait, Nescit homo vtrum odio an amore dignus sit, sed omnia referuntur in futurum incerta. Eccle. 9. Vnde etiam sancti non modica tribulatione agitantur, quia ignorant futuros exitus: hinc mœrent, lugent, & quotidianis afficiuntur lamentis. Sed obstrepit hic mihi aliquis, velut rari sunt qui eiusmodi sunt. Respondeo, hoc est quod dominus dicit, Quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Væ anime, quæ per aliquam harum tribulationum non exercetur, quia non est aliunde aduentus ad numerum electorum. Omnes ergo hi, quos numerando perstrinximus, de tribulatione magna & angustia venientes stare in conspectu dei Ioannes vidit. *Punctus 3.

Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte, in templo eius: Et qui sedet habitat super illos.

Dies prosperitatis significat, nox aduersitatem.

Ac si diceretur, propterea ad electorum numerum pertinent, quia talibus indumentis vestiti seruiūt ei die ac nocte, id est, in prosperitate & aduersitate: dies enim prosperitatem significat: nox verò huius seculi aduersitatem: in quibus æquè, qui verè serui dei sunt, hoc est, fideles, illi seruiunt: quos à firmo cordis proposito, nec prosperitas, nec vlla sæculi aduersitas auocare potest. Sed vbi seruiūt? In templo eius: templum Dei est ecclesia, viuus ex lapidibus super petram, stabile videlicet fundamentum ædificata: quod venti non dimouent, nec flumina, Christus est electorum fundamentum, & virtus, in quo solo fortes sumus, in nobis nihil, eo quòd sensus & cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab sua adolescentia. Gen. 8. Et ex nobis sumus mali. Luc. 11. ideoque vacillantes. Potest per diem & noctem intelligi & perpetuitas, quòd fideles perpetuo seruiant, & non in horam, aut diem. Et ij sunt ante thronum Dei, id est, placent deo, quia & candidi sunt, & seruiunt ei continuè. Sic Apostolus loquitur, Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem Deus, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. Ephe. 1. idem, Audemus, & bonam voluntatè habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentem esse ad deum: & ideo contendimus siue absentes siue præsentem placere illi. 2. Cor. 5. Denique, Quid est quod dicitur, Et qui sedet, habitat super illos: Equidem hoc verbo prouideria dei, simul & custodia super nos innuitur, quòd deo cura sit de nobis. ipse est enim super omnes deus, siue qui in cælo, siue qui in terra, & in omnibus abyssis sunt. Ac si dicatur, Deus, qui super nos est, de throno maiestatis suæ super omnes inuigilat, proque eis sollicitus est. Sequitur.

Deus inuigilat super nos.

** Punctus 4.
Non esurient, neque sitient amplius: neque cadet super eos sol: neque vilus æstus.*

Celebratissimum Græcis fuisse Adagium testatur Plato, Miserrimum videlicet esse mortalibus fame mori, quod sumptum fuisse constat ex Homero, cuius hæc verba sunt in Odissea.

*Dura quidem miseris mors est mortalibus omni:
At periisse fame, res vna miserrima longè est.*

Cuius

Cuius contrarium hic pro summa fœlicitate & prima ponitur, quum dicitur, Non esurient &c. Esuries hic Dei verbi est: quæ qualis futura sit sub magno Antichristo præsens scripturæ locus indicat, quando interdicitur in vniuersum sacri verbi Dei annunciatum: tum certè partuuli perent panem, & non erit qui frangat eis: tamen ab hac peste quum liberauerit dominus populum suum, fiet tranquillitas summa, & pax in toto orbe, etiam externarum fiet id quod præsens scripturæ locus indicat: Non esurient, neque sitient amplius: neque cadet super eos sol, neque æstus. Similis locus est in Esaia cap. 49. Non esurient, neque sitient amplius, & non percutiet eos æstus, & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Sol persecutionis ardorem designat, quæ tunc cessabit pereunte antichristo. Esuries panis verbi Dei est, quo alitur anima nostra, & sitis extinguitur. Dum enim ardenter desideramus refici hoc verbo spiritus, dicimur esurire & sitire. Quo in loco simul agnosce quàm fœlix illa ætas futura sit, quando in summa libertate annuntiabitur euangelium Christi in vniuerso orbe, in vero sensu, & quem spiritus ille diuinus in primis flagitat, & administrat omnibus: ideo dictum est in Esaia, Quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit. Hi enim sunt fontes aquarum, qui sensus veri scripturarum. Sunt qui multo magis velint hunc scripturæ locum referre in sensu anagogico ad patriæ fœlicitatem, vbi nemo esuriet, sitiet nemo amplius: neque solis feruor exuret neminem vltra. Ad quod propheta regius ille summis aspirat votis, quum dicit, Satiabor quum apparuerit gloria tua. Psalm. 16. Et dominus beatos fore assignat illos, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5. Et apud Lucam, Ego inquit dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Luc. 22. Iam si sic disponit, sicut illi disposuit pater: certissimum est, quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, Act. 14. qui & ipse multa passus est antequam regnum suum ingrederetur: passionis ergo via processit, hac introiuit, Luc. 24. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Ideo su-

Esuries verbi Dei.

Fœlicitas seculi post Antichristum indicatur.

pra. Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione. Et Psal. 33. Multae tribulationes iustorum. Non est ergo quod conqueratur electus, quare tribulationum angores immitat Deus: fixum est enim, quia electi per tribulationes assequantur gloriam: per inquietudines quietem. Non est seruus maior domino suo: si eum persecuti sunt: & nos, si electi sumus, proculdubio persequentur, Ioan. 15. Vide ergo ne impatientia fatearis te non esse seruum: ne causatione arguas te nihil pertinere ad regnum, quod suis preparauit dominus, sicut ei preparatum fuit à patre. Sol alibi in bonam partem accipitur ob utilitatem luminis eius, & virtutem, propter quod & christi saepe typus est: hic verò ex loci circumstantia tribulationem potius exprimit, quòd ardore exurat virentia, Iaco. 1. Exortus est sol, & arefecit foenum cum ardore. Sic & tribulationis vehementia, Dei electos in carne concoquit, vexat, & premit: à liberati non deinceps vexabuntur, eo quod quòd gloria & pax & quies exceptit illos. Vbi simul aduerte magnam temporis vltimi, quod erit post Antichristum, foelicitatem, vt patriae foelicitati prope modum exaequari possit. Nam vt mihi quidem videtur: per temporalem hanc eiusmodi temporis illius foelicitatem, & illam quae in caelis futura est describit.

*o Punctus 5.

Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget eos: & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.

*Agnus
Christus.*

Causa redditur, cur non esuriant, neque sitiant, neque solem vel æstum patiantur, qui vestimentis albis coruscant, cum dicit, Quoniam agnus &c. Agnus est cui dixit pater, Hic est filius meus dilectus: quem etiam audiri iubet. Matth. 16. Cui tradita sunt omnia, Matth. 11. & vlti. Et quem pater constituit heredem vniuersorum Hebræ. 1. Hic inquam in medio throni esse perhibetur. Thronus hic ex circumstantia loci ecclesia est, in cuius medio stat Christus, Matth. 18. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Et, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Matth. vlt. Qui discurret in medio cande-

labrorum aureorum, supra cap. 1. Idem curam habet suæ ecclesiae, quam suo sanguine acquisiuit: estque caput eius, Ephe. 1. Coll. 1. Agnus ergo, qui in medio throni est, id est, christus in medio suæ ecclesiae, regit fideles. De regimine eius scriptum est. Psal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Rursum. Super aquam refectionis educavit me: et animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iusticiæ &c. Fontes vitæ aquarum, sunt verbum Dei, & spiritus eius: verbum gratiæ, quod in fidele quoque fiet fons aquæ salientis in vitam æternam, Ioan. 4. Si verò de futuro seculo intelligatur, satietatem simul & voluptatem summam, deliciarumque celestium indicant vbertatem, iuxta illud, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psal. 35. Loquitur in Esaia dominus dicens, Ecce ego declino in eos, vt flumen pacis, & vt torrentis inundans gloriæ, cap. 66. Nota, Et deducet &c. Christus deducet ad gloriam, qui est fons vitæ, Psalm. 35. Fons quippe vitæ est nobis ipse christus, hic in scripturis sacris, in quibus veluti quibusdam fistulis secundissime ebullit, scaturit, & satiat: in futuro autem in gloria, qua replet & exornat. Ideo rectè sequitur in eodem Psalmo, Et in lumine tuo videbimus lumen. Aug. Fontem fauces querunt, oculi lumen, vt scilicet, intelligeres externè & internè per eundem satiari affatim debet hominem. Sed vide quoniam idem fons & esuriem simul & sitim depellit. Esuriem quia panis vitæ est Ioanis sexto sitim quia fons vitæ, Psalm. 35. Neque verò id cuiquam mirum esse debeat, quòd & cibus sit & potus: quum de ipso eodem creatore omnium dicat Paulus. Erit Deus omnia in omnibus. 1. Corin. 15.

*o Punctus 5.

Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.
Alludit ad piarum matricularum consuetudinem. Solè enim hæ paruulos vteri sui factus, qui quando amaricatis in fletus acerbos erumpant demulcere blanditiis, lachrymas digito tergere, mammam dare, quandoque & præmansum cibum ori inserere: figere blanda oscula, assidere, super genua in ipso sinu confortare, nec conquisccere donec cessent oculi eorum à lachrymis. Id quod præ- *Deus pater*
sens scripturæ locus nobis quoque de Domino nostro *& mater est.*

A ij

Sol tribulatio.

Fontes aquarum.

promittit. Et absterget, inquit, deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Exacerbati fuere sancti prioris temporis ex grauissima sauisimorum principum persecutione, exacerbabuntur & posterioris illius seculi, de quo paulo ante scriptura hæc meminit: primos consolatus est dominus, non dubium quin & posteriores consoletur: qui super matrum pietatem se nobis dulcem futurum in Esaiâ promittit dicens, Nūquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Esa. 49. Eundē patrem idem apertē confitetur dicēs. Tu enim pater noster domine, redemptor noster: à seculo nomen tuum, ca. 63. Sed videamus quæ sint illæ filiorum lachrymæ, quas absterfurus est hic pius pater, idēque pia mater. Constat enim quia alius plorat propter admissū facinus quod dolet ex corde, alius quod malum vitans bonum nō fecit, alius quia dura sustineat. Quis enim filius non plorat, dum vapulat, etiam si murmure careat? alius autē vicis turbatur, nec ad plenum superat. Alius quia mala ab aliis videt fieri, nec corrigere valeat. Alius quia diu in peregrinatione versatur: & tardē ad patriam redit. Hos fletus absterget omnes pius pater deus, idē pia & mater: quum sua consolatione afficiet nos, replet: & sumat. Consolationem ergo in præsentī scriptura pollicetur dominus, quæ futura est post tribulationes Antichristianas, quando christianorum victoria nusquam non prædicabitur, nusquam non Christi gloria exaltabitur: quando aduersarij omnes ligato demone conticescent, nec quifquam mussitabit contra dominum. Ad hæc pollicetur in anagogia & eam, quæ post hanc mortalitatem futura est felicitatem: ad quam currentes ecce aspiramus vniuersi.

*O Punctus 2.

Et quum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in celo quasi media hora.

Apertio septimi sigilli indicat mysterij, quod futurum est septimo tempore ecclesiæ christi, reuelationem: quādo totus fere mundus conuertetur ad christum, & cantabitur ab omnibus in exultatione cordis Halleluyah. Pri-

*Ploratum
causa diuer-
sa.*

imum quod liberati sunt à bestia illa coccinea plena blasphemie nominibus de quo infra habetur. Secūdo, quod ad veritatis agnitionem liberē admissi sunt, Iudæi, Græci, Scythæ, Thracæ, Turcæ, Arabes, Tartari & alij. O quæ beatus, qui id tempus felicissimum viderit. Silentium ergo hoc quasi mediæ horæ, in celo factum, significat pacē illam desiderabilem externam internæ paci coniunctam, quæ post interitum Antichristi obueniet vniuerso orbi, quando draco quoque ligabitur mille annis, infra cap. 20 id est aliquo tempore per mille annos figurato, quod hic mediæ horæ silentio indicatur. Deus enim nouit momenta, articulosque suorum temporum, siue breues sint, siue longi: nos definire non possumus: quandoquidem ita abscondere à nobis voluit, vt mille annos in mediā horā constrinxerit: porro hanc eandem latius in mille annos exporrexerit, quo magis inter spem metumque consistētes, nec nimis securi simus, velut in longum tranquillēq; victuri, nec nimis ipso metu coangustēmur, velut mediæ horæ breuitate ea pax restricta sit. Neque verò ineptē tempus illud, quantumcumque fuerit, mediā hora figuratur. Nam & totum tempus à Christo passo nouissima hora vocatur. i. Ioan. 2. Proinde quidam voluerunt sed minus solerter, quod ea mediā hora sit typus tam longi temporis, sicut fuerit totum tempus à Christo passo usque ad principium temporis per mediā horam figurati. Nos nihil tale sentire audemus, nisi quod erit tempus illud liberum à persecutionibus, & durabit quādiu volet Deus, prout definitum est, & non ultra. Huius silentij tempore implebuntur cum insigni gloria, quæ de fidelium tranquillitate loquuti sunt propheta, quando & israel assumetur: cuius assumptionem Paulus scribens Romanis dicit futuram mundo quasi vitam ex mortuis. Eis nimirum ad Christum reuerfis, mundus renouatur, & quasi à mortuis resuscitatus videbitur. Sed quia pax plerūque vitæ nutrire solet, fiet vt christiani paulatim à charitate deferueant, atque à prima illa sinceritate spiritus sensim in carnem defluant, & viam carnis iterum sibi renouent in iniquitate & in prauitate cordis sui: proinde pax illa amabilis cito turbabitur, vt non duret in finem: præsertim quia & saeuus ille draco religatus soluetur, & seducet

*Silentij di-
mediæ horæ.*

*Deus scit ar-
ticulos suorum
temporum.*

*Silentij futu-
ri sollicitas.*

multos per vniuersam terram: fientque quæ habes ca. 20. infra, & post hoc sequetur iudicium. O rerum vices subitò in contrarium vertendas. O quàm nihil est stabile in mundo quàm citò permiscerentur ima summis. Tunc certè implebitur quod dominus loquutus est in Euangelio dicens. Quum venerit filius hominis, putas inueniet fidem super terram, Luc. 18. Cuius aduentus fulguri repentino alibi comparatur. Sicut, inquit, fulgur exit ab oriente, & apparet vsque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis, Matth. 24. Item, De die autem illa, & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus pater. Rursum quoque ait, Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuiū comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Et vt alius Euangelista dicit, Sicut factum est in diebus Loth: edebant, & bibebant: emebant & vendebant: plantabant & edificabant: qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit dominus ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit: secundum hoc erit qua die filius hominis reuelabitur Luc. 17. Hactenus de apertione sigillorum libri sigillati: nunc in sequentibus recapitulat eadem ab origine, aliis atque aliis significationibus: quo certior fiat reuelatio.

Aduentus domini subitum in iudicium.

CAPVT. VIII.

DE SEPTEM ANGELIS

TVBA CANENTIBVS: ET
ALIO ANGELO TVRI-
BVLO AVREO ADO-
LENTE.

Secl. I. Punct. I.



T vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & data sunt illis septem tubæ.

Hæc est tertia visio ex septem principalibus vna, in qua multa mirabilia, ac varij casus, quibus rotâda est ecclesia significantur.

Principiò autè ponitur visio septem angelorum tuba canentiū, qui antequam canerent, alius angelus interuenisse memoratur. Nota, septē angeli sunt ministri verbi Dei omnium temporum, sic vt primus sit typus eorum, qui sub apertione primi sigilli verbū Dei sanctū docuerunt: ij sunt Apostoli Christi, missi in omnē terram, discipulique alij, quibus creditum erat Dei verbū. Quia enim sigillorū apertio mysteriorum reuelatio est, quod secundū præfinitionem Dei sit medio prædicatorum: idcirco singulæ tubæ, singulis apertionibus sigillorū conueniunt, vt patet. Tuba, prædicationis summæ veritatis est typus, ideo Esa. 27. dicitur. In die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditī fuerant de loco Assyriorū. Et Osee. 8. In guttore tuo sit tuba. Rursum Esaías ait, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocē tuam. cap. 58. Itaq; quum tuba sit veritatis annunciatio: quid aliud angeli erūt quàm prædicatores, quibus ministeriū verbi cōmissum est? Vide autem in singulis fere verbis mysteriū. Primo septem angeli recēsentur: secundo stantes in cōspectu Dei memorantur: tertio datæ sunt singulis singulæ tubæ. In septenario numero prædicatores vniuersi exprimūtur: quia septiformi spiritu replētur, & vniuersitati credētū præponūtur, Itē q̄ pfectionis summæ sit typus numerus is, quæ prædicatoribus maximè cōuenit, alioqui, ipsi præceptis suis insigniter vires detrahūt, quo minus firma sint eorū præcepta: p̄dit enim autoritatē dicēdi, cui⁹ sermo in opere despiciat, Nā & beatus Gregorius ait. Cuius vita despiciat, restat vt & ei⁹ prædicatio cōtēnat. Hinc de dño dicit. Quia cepit facere & docere. Act. 1. Nō pri⁹ docere q̄ facere. Nec ap̄t ad euāgelizandū dimissi sunt, antequā rectè fuissent instituti: alias qs eis credidisset, si quū prædicaret mundi cōtemptū, ipsi sectatores essent mūdi: aut quū humilitatē commendarent, ipsi tunc essent elati? Si paupertatē auariciæ dediti: Si mundiciam immundi, &c. Quod verò secundo loco in cōspectu Dei stare phibētur, hoc habet in

Angeli septē typi prædicatorū vniuersorum.

Tuba quid in mysterio sit.

mysterio, quòd grati sint illi, quicumque in ministerio eius sincerè versantur, & quasi parati ad omnem iussionem: propterea Elias dicebat, Viuit dominus in cuius còspectu sto. 3. Reg. 17. Non itaque debet verbi minister reputare, placitum ne sibi aliquid sit, an aduersum: dummodo sciat illius esse voluntatem, cuius in ministerium sese addixit semel: cui semper promptitudinem suam exhibeat oportet, etiam quum periculum capitis in causa euà gelij immineat. Qui (inquit dominus) voluerit animam suam saluam facere perdet eam. Matth. 16. Ibidem de uoluntario seruo dicitur, Qui autem perdidit animam suam propter me inueniet eam, vbi per animam vitam corporalem intellige. Porro datas illis tubas dicit, quòd indicat gratiam prædicandi dari vniciuique desuper. Indicat illud quoque, ne quis sanctum Dei ministerium propria autoritate sibi vsurpet: ne quis vltro se ingerat nisi mittatur, aut à Deo immediatè, vt Paulus, alij quoq; Apostoli: aut à Dei vicariis, vt prædicatores alij: alioqui, dicit dominus. Iere. 14. Falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neque loquutus sum ad eos: visionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis: idcirco hæc dicit dominus de prophetis, Qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes, Gladius, & fames non erit in terra hac: in gladio, & fame confumentur prophetæ illi: & populi quibus prophetant erunt in viis proiecti. Qui benè verbū hoc corripit prophetas nostri sæculi, qui terga venterūt Sacrosanctæ Romanæ Sedi: & auctoritate sua eunt, & currunt, sermones sensus sui in verbis domini prædicantes. Sed quid dicit dominus exercituum, apud eundem prophetam cap. 23. Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur non de ore domini. De quibus conqueritur paulopost ibidè, Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Et cap. 27. Quia nò misi eos (ait dominus) & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, vt eiciant vos: & pereatis tam vos, quàm prophetæ, qui vaticinantur vobis. Rursum cap. 29. Hæc enim dicit dominus exercituum Deus Israël, Non vos seducant

Predicandi officium minime vsurpandum.

Falsi prophete nò audiendi.

prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniamtis: quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo: non misi eos dicit dominus. Nisi ergo dentur tubæ spiritus Dei, vanitas vanitatum sunt omnia: & nisi mittantur, seductores potius quàm prædicatores erunt. Spiritus enim erroris rapit eos, vt eant, & currant infrenes: quemadmodum non vult Deus: nocètes nò fructificantes, occidètes non viuificantes. O, ò, quàm multos id genus homines fert modo seculum hoc nostrū (vt ratio visionū est) laborans sub quinta tuba: contra quos hiscere non licet, tam multa segete suborti sunt, & tam procaciter, vt gemendū sit quàm memotandum: contra quos nisi dominus moueat concilia principum ecclesiæ: nisi fulguret, tonet, iaciat fulmina ab alto, pereūdum est etiam in fontibus. Sed Deo gratias, quia non desunt nobis in quibus multiplici fructu spiritum suum excitauit dominus: qui præclarissimis scriptis, & prædicationum clamoribus contra nituntur: tecta illorum mendacia retegunt, astutias clara in luce statuunt, vt còfundantur, si modo aliquando respiscant: quatinus libera sit innocètia à malignitate eorum. Adiuuant horum conatum principes optimi, pœnes quos resū summa versatur, vt meliori spe dilatamur, quia finè faciet cito dominus fortunæ eorum: & cum fructu paciētiae nostræ faciet, vt Dei verbum multo copiosius & sanctius maneat in nobis (quæadmodum auguror) in gloriā Dei, & domini nostri Iesu Christi. Amen. *o Punct. 2.

Et alius angelus venit, & stetit ante altare, habens turribulo aureum in manu sua.

Antequam de his septem angelis agat, qui stabant in conspectu Dei accipientes septem tubas, vt cauerent, de singulari angelo scribit, non iniucunda legentibus. Dicit ergo, Et alius angelus venit, &c. Quis iste angelus sit, facile erit agnoscere, si sequentia diligentius considerabuntur: certe dominus noster Iesus Christus, de quo in Malachia dicitur, Et statim veniet ad tèplum sanctum suum dominator, quem vos queritis: & angelus testamenti, què vos vultis, Malach. 3. Item Esa. 9. vocabitur nomen eius magni consilij angelus. Ipse enim est nuncius paternæ voluntatis, idcirco angelus: qui venit, & stetit ante alta-

Angelus Christus.

re, cum aureo turibulo: vt ostenderet, quia ipse est verus pontifex futurorum bonorum. Sacerdotis quippe ministerium est altari assistere: & sacro thymiamate diligenter adolere. Nunc perspice ordinem: prius meminit de septē angelis, qui stabant in conspectu Dei; quibus tubæ datæ sunt: mox de alio angelo dicere instituit: cuius conditionibus paucis indicatis, rursus ad priores reuertitur: quia nimirum habuit suos prædicatores Christus, & ante & post suum aduentum, qui omnes vno spiritu Christum prædicarunt & ecclesiæ eiusdem euētus. Porro altare hoc

Altare ecclesie.

ecclesia est ex Iudæis & gentibus conflata, ante quam stetit Christus, vt Beda prodidit: nam & inter cadelabra aurea, supra discurrere visus est: quia nimirum ipsi cura est de nobis. Bene autem per altare ecclesia designatur. Quippe legimus olim Dei præcepto (vt supra notauimus) duo altaria Moysen in tabernaculo constituisse: alterum quod foris erat are obiectum, sub dio, in atrio, & quasi à tabernaculo separatum: Alterum intus, antè velum, quod auro obductum erat, ideòq; aureū dicebatur. In exteriori cremabantur sacrificia, in interiori tantum sanguis ponebatur & thymiamata. Per quæ duo populi designantur, vt Haymo ait. Per id quod foris erat, carnalis Iudæus, qui tantummodo per legis opera, & sacrificia putat se iustificari posse, & saluari. Per aureum autem, quod intus erat, spiritua-

Altaria veteris testamenti.

lis populus christianus, id est, patres vtriusque testamenti, qui non per legem aut opera sacrificiorum putant se salutem consequi posse, magis autem per fidem Iesu Christi, e quibus vnus erat Dauid qui dicebat, Si voluisses sacrificiū, dedissem vtiq;: holocaustis non delectaberis. Deinde iungit quod placitum est illi dicens Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatū deus non despicias. Psal. 50. Sciendum verò est, quia altare illud aureum, de quo nunc agitur, prius quidem ante arcā erat, sed velum diuidebat ipsum ab arca, quæ intra sancta

Lex pulchra de altari aureo hic.

sanctorum erat, postquam verò Christus pontifex maximus venit, & velum scidit: factum est ex arca & altari vnū absq; aliquo intersticio: quia scilicet caput & membra, id est, Christus & ecclesia vnum corpus sunt. Stat ergo antè hoc altare Christus, tanquam caput antè membra, membris coniunctum, vt diuidi nō possit: altare inquam igne

diuini amoris incensum, quod se iugiter domino verum sacrificium offert, semetipsum macians, vt hostia viuā & rationalis fiat. Stat antè altare Christus, pontifex verus, per quem omnia munera nostra Deo patri mitimus: vnde & sacerdotes in singulis suis orationibus in eum desinant, vt per illum exaudiantur, dicentes, Per dominū nostrum Iesum Christum. Qui bene turibulum aureum in manu habere dicitur: quia cor nostrū, quod pulchrè hoc turibulū exhibet, in potestate sua tenet, iuxta illud, Cor regis in manu Dei, reges autem christiani sunt omnes vt supra dictum est. Altare hoc aureum est ob preciositate: habet enim charitatem ipsum cor nostrum, vt rectè aureum turibulum fit, quod merito sui Christus in sua manu habeat. Aliter Angeli nomine possunt & sacerdotes capi, vt in Malachia, cap. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Angelus enim domini exercituum est. Et tunc altare Christus erit, Sed nihil refert: quia quod conuenit membris, conuenit & capiti, vt supra probatum est, cap. 1, in principio. Super quæ omnia sacrificia nostra oblata placita sunt Deo. Locus ostendit neminem nisi sit in sacris debere ministerium sacerdotale sibi assumere: eò quod dicatur, Angelū, hoc est, qui in sacris est, antè altare constituisse, Deoque tura obrulisse. Alioqui timendum valde est, ne pœnam Nadab & Abyu incurrant temerarij, Ozie quoque, & aliorū de quibus scriptum est, quia quum adolerent, subito igne conflagrati petiere. Leui. 10. Ozias quoque rex Iuda, qui regnavit in Hierusalem annis duobus & quinquaginta, quemadmodum liber Paralipomenon ostendit, diademate regni inflatus: contemptis Dei sacerdotibus, arrepto turibulo coram domino introgressus vt adoleret, adeo non litauit, vt magis Deum irritauerit, temeritatique sue supplicium mox in sese tulerit. Erupta namque in fronte eius insanabili lepra sese intra in ædium suarum penetralia abdidit, & vsque in diem mortis sue: leprosus penmāsit.

Angelus sacerdos.

Altare Christi.

¶ Punc. 3.

Et data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod ante thronum Dei est.

*Incenta san-
ctorum ora-
tiones.*

Quid hæc incensa sint, per se continuò exponit dicens, vt daret de orationibus sanctorum omnium, nõ dubium quin patri. Incenta ergo sunt ignita sanctorum orationes, quas fideles offerunt Christo mediatori patri offerendas, & id quidem super altare aureum. hoc est, ecclesiam preciosam, quæ placet Deo, ideòque ante thronum eius. Nota. Christus vt primum accepit corpus de virgine matre, stetit ante altare hoc aureum, quãdo dari cœpta sunt illi incensa: nanque Elisabeth sancta anus, & rara femina mox eum benedixit, & plurima deuotione affecta est illi. Zachariás quoque sacerdos de vice Abia, eidem applausit fatidico spiritu vaticinans per eum oblatam iam fore salutem orbi. Obtulit incensum Symeon quoque grandæus, qui respõsum acceperat à spiritu sancto non prius visurum se mortem quàm videret saluatorem. Quid referam pastores? quibus quum delapsus è celo angelus lætium nũcium attulisset, & plurimi alij cum eo multa luce visi fuissent, dicebãt, Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod dominus ostendit nobis. quasi dicens. Offeramus illi incensa multa deuotionis cordis nostri, & precemur illud verbis conceptis, vt in rem salutis nostræ futurũ sit. Quid quòd Magi ab oriente venientes obtulerunt ei munera, aurum, tus & myrrham, & procidentes adorauerunt eum? Taceo qualia incensa sacrorum affectuum mater virgo eidem obtulit, Ioseph quoque sanctus: & deinceps omnes qui fide adheferunt illi. Indubitanter verum, id est, quia multi sanctorum se immolabant per carnis mortificationem in gratiam eius, orantes assiduè: erant & qui se incendi pro eo permitterent, multis paterentur se affici cruciatibus. Non desunt qui modo offerant illi incensum in odorem suauitatis, tam per carnis macerationem, quàm per orationes. Omnes quotquot erant credetes dabant incensa sua Deo per Christum Iesum, in quo accepta sunt sacrificia nostra Deo: & nos accepti sumus similiter. Sed quid est quod dicitur: vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum: nisi hoc quòd sanctorum orationes tunc veniunt in conspectu Dei, si in vnitatem ecclesie fiant, id est, vt non sit excisus orans & sacrificans ab ecclesia, extra quam inauspicata est omnis omnium oratio apud

Deum. Dicitur enim, vt daret de orationibus sanctorum omnium. Iam & hic docemur omnes sanctos nos esse, quicumque thymiamata orationum offerimus Deo per Christum. Atqui in multis delinquimus omnes, sed non proinde sancti non sumus, dummodo ne obstinati perduremus. Eo enim quisque nomẽ sanctitatis amittit, quo in peccatis obstinatus perdurat. Quod verò subiunctum est. Super altare aureum: hoc ideo dici crediderim, quia vniuscuiusque nostrum gratia sit & oratio & oblatio, si super hoc altare fiat. Tunc autem fiet, si in vnitatem fidei fiat. Breuiter, Omnes nos Dei ecclesia sumus quicumque in veritate fidei consistimus Christi: ergo omnes altare hoc sumus: Christus tamen eximius, qui est caput supra omnem ecclesiam, Ephes. 1. & Col. 1. Et quia hunc eundem nacti sumus mediatorem. 1. Tim. 2. & Aduocatum. 1. Ioã. 2. qui iugiter offert orationes nostras. hoc est, sanctorum omnium, super se patri ex officio, in quo posuit eum pater: & sic fieri iussit. Quod & si impossibile videatur philosophia: possibile tamen Deo: quatenus idem ipse Altare nostrum: qui & angelus offerens sacrificium. Absit enim vt de tam ineffabili re, & procul spirituali, sentias, vt de corporali. In corporali quippe re, hoc possibile non est, vt ædificium architectetur quispiam super se: tantum vt continuò maneat in forma, qua institutum est ab opifice. Nos vero sumus Dei ædificatio incensa damus capiti nostro Christo, qui & ipse recensetur in corpore, quod est ecclesia, vt super se nostras orationes offerat patri: etenim viui lapides sumus in ædificio, & caput nostrum Christus est, qui est vita nostra. Porro altare aureum ante thronum Dei consistere, non alia ratione dicit, nisi vt indicet ipsam ecclesiam placitam fore Deo (vt sæpe diximus) in quam respectus eius est semper. Per thronum hic maiestatem eius intellige, iuxta illud, Matth. 25. Quum venerit filius hominis in maiestate sua, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Punct. 4.

Et ascendit fumus incensorum, de orationibus sanctorum, de manu angeli, coram Deo.

Fumus incensorum suauissima est affectio, & spiritus feruor in oratione, quæ ascendit continuò coram Deo in odorem suauitatis, ceu thymiama incensu. Obserua, quia

fumus incēforum eiusmodi non nisi de manu angeli, coram Deo ascendit. Nisi enim ex corde, & seruire spiritus orationes fiant, & per Christum offerantur, ingratae sunt Deo: tantum aberit ut possint ascendere. Ascendit quod placitum est illi: & nihil unquam placitum, nisi per angelum, nempe Christum, cui pater dixit, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. & 16. Et alibi, Quicumque eum non audierit, peribit anima eius de populo meo. Qua etiam ratione supplicationes omnes Deo offerendae sunt per ipsum: non solum supplicationes, sed & omnia bona opera nostra, ut sunt ieiunia, vigiliae, elemosynae, & id genus alia. Non erit forte absens hic (quoniam in hanc inquisitionem occasionem nacti sumus) de orationum generibus, & de eiusdem etiam speciebus quaedam perstringere, ut sciamus quid potissimum in oratione ipsa eligendum sit, quid cauendum. In primis autem duo eiusdem genera describimus, vitiosum alterum, alterum perfectum. Vitiosum genus in certas suas species diuiditur. Prima est, quando oratio externo solummodo labiorum strepitu editur, nulla mentis intentione adhibita. Nam spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Io. 4. Alioqui timendum erit, ne recidat in nos illud, quod Matth. 15. ex Esa. 29. in Iudaeos pronūciat Christus. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Alia species vitiosae orationis est, quam nulla meditatio praecurrit, qualis fuit oratio Eliae petentis sibi mortem. Debet enim quisque prius praemeditari quid petere debeat, id est, id quod accipere utile sit. Tertia quando aduersus salutem aliquid petitur, in qua domino iuste mater filiorum Zebedei exaudita non est: petebat enim quod saluti foret contrarium, id est, indiscretum dominatum citra voluntatem Dei: unde etiam filij, quorum instinctu mater petebat, merito sunt redarguti. Matth. 20. Marc. 10. Sic & Paulus, quum auferri sibi stimulum postularet. Quarta est superba, qua Phariseus condemnatur. Quinta criminosa, quando fur orat ne deprehendatur. Alterum genus orationis perfectum diximus, quando vitatis praedictis vitiis quae in frugem faciunt orationem, intentis precordiis, & spiritu, & ore precamur. Apostoli vox est, Si orem

Orationes non sine Christo placitae sunt.

Orationum genera duo: vitiosum, perfectum.

Vitiosae orationis qui sine mentis intentione orat.

Meditatio debet praecedere orationem.

Petenda sunt salutaria.

Perfectum genus orationis.

lingua tantum, mens mea sine fructu est. Quid ergo: orabo spiritu, orabo & mente. Spiritus, oris flatus est: flatu ergo mentis dum orat Paulus apponit & mentem, quatenus fructuosam orationem faciat, Idem Ephesios docet. Implemini (inquit) spiritu sancto, loquentes vobis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris domino. Porro sciendum quod orationis fructuosae species multiplices sunt. Prima dicitur, Postulatio, quae circa temporaria bona, & huius vitae necessaria obtinenda versatur: prout sunt, tranquillitas pacis, incolumitas corporis, aeris temperies, vitae suppediandae adminicula, quae sunt, cibis, & potus: his iungitur honestus amictus: In quibus Deus postulantis approbat bonam voluntatem: facit tamen quod melius est: quoniam quid infirmo sit vitiosius magis nouit medicus quam egrotus. In his postulationibus pie ac fideliter orandum est, non tamen pertinaciter anxieque, velut improperans si non assequatur. Quia nonnunquam homo male dispensatur id quod vult accipere, Deo miserante non consequitur: Nam si hoc ab illo petitur, unde homo periclitetur, salutariter non exauditur. Equidem valde metuendum est, ne quod posset Deus non dare propitius, det iratus. Secunda species obsecratio, quae est anxia in exercitiis spiritualibus ad Deum instantia, in qua cum omni humilitate & patientia est consistendum. Quia spiritualia exercitia non afferunt fructum, nisi in patientia. Accidit namque plerumque ut obsecranti fiat caelum eueum ad tempus, ne ad votum exaudiri mereatur: idcirco anxietas obsecrans negari sibi existimat quicquid differtur: quod tamen mira conditoris dispensatione agitur, quatenus dilatione desideria extendantur, ut proficiant: exercetur ergo miles christianus in certamine, ut praemiis abundantioribus cumuletur in retributione: labor protrahitur pugnae ut crescat corona victoriae. Tertia salutatio dicitur, quae est cuiusdam eximij honoris ac etiam doni accepti à Deo, commemoratio, quibus infirmitas nostra possit adiuari, ut est angelica salutatio diuae virgini dicta, qua gratiam simul dari nobis cupimus, qua ipsa plena fuit: & benedictionem, per fructum ventris eius Iesum Christum, & ut is semper nobiscum sit: & salutem nostram in nobis ope-

Orationis fructuosae species.

Postulatio.

Obsecratio.

Salutatio.

Precatio. retur, præter id quòd exordium salutis nostræ in ea ipsa recolimus. Quarta species, precatio quæ est familiaris quædam cum Deo colloquutio, vt orationibus editis siue per beatum Augustinum siue per alios: præsertim in Psalmis mysticis fieri solet. Quinta gratiarum actio. Est autem hæc collati beneficij recognitio, quam à nobis super omnia bonus Deus exigit: quando aliud non habemus quod reddamus illi, qui bonorum nostrorum non indiget. Est enim bonæ voluntatis indeficiens, & inflexa intentio. Sexta laus est, quæ est magnitudinis admiratio, commendatio virtutis, primum in Deo, qui solus magnus est & excelsus, & virtutum rex: cuius potentia subiecta sunt vniuersa: deinde in aliis, tum angelis, tum hominibus, inter quos primas tenet benedicta deipara virgo. Quæ omnia siue postulatio, siue obsecratio, siue saluatio, siue precatio, siue gratiarum actio, siue laus, & si qua sunt similia, vno orationis vocabulo actiue censentur, & vnũ corpus orationis conficiunt. Hi sunt psalmi, & hymni, & cantici spirituales, quos distinxit apostolus. Sunt autem quædam circumstantiæ orationis, quæ ipsam perficiunt. Prima cordis puritas est: hæc plurimum valet ad id vt oratio fiat acceptabilis Deo, vtque animus orantis ad orandum idoneus efficiatur. Beati nanque mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. 5. Opus ergo est, vt qui Deum videre concupiscit, mundet cor suum non solum à fædis cogitatibus carnalium voluptatum: sed etiam à superfluis curis sollicitudinum. Ineffabilis enim est, nullam habens similitudinem, qua appareat dormienti: nullam corpoream speciem, vt appareat vigilanti, nec vlla rationis indagine capitur: à solo tantum mundo corde humiliter amante videri potest, & apprehendi. Aaron nisi ter prius lotus non ingrediebatur in sancta sanctorum. Secunda solitudo dispositiua est & hæc non mediocriter: ideo per Osee prophetam loquitur Deus de fidei anima loquens. Ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius, cap. 2. Quandiu nanque animus permistus est curis, & in multitudine versatur sollicitudinũ, turbatur, distrahitur, variatur,

variatur, irretitur, contaminatur, seruus inutilium rerum efficitur. In solitudine liber his rebus seruit Deo, contempletur, irradiatur, impletur splendoribus: & multis spiritualium rerum voluptatibus afficitur, animoque pinguescit. Tertia carnis maceratio in abstinentia esca: & potus: hæc sanè eleuat mentem ad orationis sublimitatem, quòd nihil sit orante sublimius, nihil potētius. Qui orat cum ieiunio, duplices sibi alas adhibet, quib⁹ incunctanter ad deum subuolet. Quauis autem ieiunium morbos soleat auferre vitiõrum, carnis amputare passiones, sarragines fomitis restinguere, depellere focordia ab animo: tamen sine deuotionis vnguento, & absque orationis exercitio sanitatẽ mentibus non inducit, nec à terrenis animũ auocat vt conuiescat. Quarta mentis pax: nunquã enim commotioni iungitur contemplatio, quæ amica est orationi. Et quemadmodum solis radius nequaquam cernitur quum commotæ nubes cæli obducunt faciem, nec turbatus fons imaginem reddit: sic inquietus animus Dei claritatem nõ recipit, non intuetur, nec in se representat. Optima est ergo pax & quies mentis in oratione, quatenus fixius hæreat Deo in cõtemplatione. Videtur tamen hæc circumstantiæ paulo quidem remotiores: nunc ad proximiora accedentes, indicabimus quæ absoluant perfectam orationem. Harum prima est mētis attentio. orandum quippe est attentè, nam in orationibus summopere vigilandum est, ne aliud animus cogitet, præter id quod præcatur. Indignum est enim cum corpore altare Deo, & mente per campos inutilium rerum euagari. Enimuerò qui in sensu cordis sui orat, & præsentem dominum in sua oratione cognoscit, nihil horum paritur: sed totum se colligens, ante faciem Dei statuit, vt ei æstus amoris, dilationem patriæ, peregrinationis erumnas, têtationum impetus, siquentes casus, necessitates plurimas: hostium quoque, tum visibilibus, tum inuisibilibus importunos insultus pandat. Quemadmodum autem preces, quæ attentè, & puro corde funduntur, à domino exaudiuntur, simulque vota reportant: ita ex diametro despiciuntur leues, inutiles, dissidentes, dilute curis sæculi. Secunda desiderij magnitudo: scriptũ est, Deut. cap. 4. Quum quaeris dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamẽ toto

Carnis maceratio disponit mentem.

Mentis pax disponit.

Orationem quæ perficitur

Mentis attentio.

Oras statuerere debet se coram Deo.

Desiderij magnitudo.

corde quaeris. Hac in clamorem reputatur. Est enim desiderij magnitudo clamor validus perumpens fortia repagula quaerit calorum, quem exaudit deus. Cur ergo non statim obtinetur, quod sepe ingenti desiderio flagitatur: hoc ideo fit, ut fortius adhuc orans in cogitatione radice solidetur, precem multiplicet, euincat importunitate quem petit, a quo cumulatio praemia referat. Sancta namque desideria dilatione crescunt: & vnde ad tempus detrimentum tolerant, inde maiora lucra in retributione aggregant. Neque quam ergo ad contemptum orantis fit non subito prestitisse quod petitur, sed prouentum. Tertia, gemitus cordis: longa etenim suspiria saepe intermissis lachrymis vehementer profunt. Scriptum est, *Quia* Anna amaro corde orauit ad dominum, vberim fleuit: & fructum orationis accepit dum Samuelem concepit. Nemo enim aliquando ad Deum flens inaniter accessit: ipse enim est lugentium consolator, qui lachrymas ab oculis molliter manibus tergit, lenit, mitigat, fouet, mulcet, & informat. Vnde Bernardus ait, O humilis lachryma, tua est potentia, tuum regnum: tu tribunal iudicis non vereris, inimicis accusatoribus silentium imponis: non est qui te ad Deum accedere volentem veret, si sola intras vacua non exibis. Quid plura: vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, & quae sequuntur. Quarta, gestus humilis, orandum nimirum est humili gestu, & affectu intenso procidentes adorant magi, & dona offerunt. Quia respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum. Oravit, 8. Iudith, & hostem cruentissimum trucidauit: quia humilium, & mansuetorum semper placuit Deo oratio. Et certe ille perfectam Deo mittit orationem, qui semetipsum quam pusillus sit videt, & agnoscit humilitatem, nec quicquam virtutis sibi tribuit, qui bona quae agit diuinae potius misericordiae adscribit. Contra perfectam Deo exhibere orationem non valent, neque Dei sapientiam contemplantur, qui sibi sapientes videntur: Quia hoc ab eius luce longe sunt, quo apud semetipsos humiles non sunt: nam in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, tunc orationis puritatem puluere miscet, & contemplationis aciem claudij: sicque vnde se lucere praeter ceteris aestimant, inde se lumine priuant. Ad

*Gemitus
cordis.*

haec requiritur in orante perseverantia, docuit dominus, Luc. 11. exemplo amici, qui venit noctu ad amicum suum petens accommodari sibi tres panes, quem causas quietis necessitem euicit. Sic ergo descriptis generibus orationis, speciebusque subindicatis, & quae sunt circumstantiae eius: nunc opere praecium fuerit effectus quoque eiusdem paucis distinguere. Primus est morbi curatio, scriptura *factus*, dicente, Fili in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora dominum, & ipse curabit te, Eccles. 38. Exemplo est Ezechias rex, qui quum agrotasset vsque ad mortem, nullum adhibuit medicum, sed conuersus ad parietem fleuit, orauit, & conualuit. Non solum autem corporis morbus hoc praesentissimo antidoto curatur, curatur & spiritus, in quem proculdubio spiritualis eius virtus est, & efficacia: necesse est ergo, ut quoties quis tentiginis febre corripitur, aliove laborare incipit vicio, ad orationis remedia singulariter conuollet, petat ab hinc virtutem, minimè voto frustrandus. viciorum namque expugnatrix est frequens oratio. Certè sicut ignis aqua extinguitur, ita concupiscentiarum malarum flamma oratione superatur. Secundus orationis effectus est illuminatio: illuminat enim mentem hominis, & oratione magis soluentur dubia, quam inquisitione: citiusque panduntur sacramenta precepto quam studio. Quia nimirum spiritus ille Christi in his hauritur, qui cuncta illuminat, & suggerit cuncta, docens omnem veritatem. Danieli oranti data est noticia mysteriorum: & quod saeculi sapientibus erat clausum, illi per orationem factum est manifestum. Item apostolis orantibus repente mundus intonuit: & spiritus sanctus in linguis igneis descendens eos illuminauit, ut omnium linguarum peritiã subito assequerentur. Tertius effectus, quod ipsa in bellis triumphet. Patet hoc in Moysè, qui quum pugnaturus esset cum Amalech, ascendit in montem: non armis sed precibus deceraturus: extensis itaque in caelum manibus perseverabat deuoto orans affectu: neque de terra sed de caelo praesidium postulat: factumque est ut quem loci diuersitas ab inimicis seungeret, orationis effectus bellatorem praesentem hostibus exhiberet: fit igitur Moysè orante pugna occultata, sed manifesta victoria: solus orabar, sed multi vici-

Orationis effectus.

Oratio morbum curat.

Oratio mentem illuminat.

Oratio in bellis triumphat.



cebant: atque ideo orabat solus, vt multi vincerēt. desinebat Israël vincere Moyse desinente orare: perseverante illo perseverans victoria durabat. Denique tam diu ista diuersitas valuit, quādiu iugis oratio defuit: vt dum diuersa populis exhiberentur, orationis potentia demonstraretur: Et quis vnquam iustorum non oratione decertauit? quia non hostem precando deuicit? Orationibus Danielis ardentissimæ flammæ sopiuntur: voracissimi leones manescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur. Quartus effectus aduersus hostes inuisibiles est. Docet exemplum saluatoris nostri, qui in deserto post multiugas orationes superauit satanam tentatorem: In quod discipulis dixit. Math. 17. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium. In qua oratione tanto ardentius pernicaciusque nobis standum est, quanto maiori tentatione fatigamur. Donabit certe ille certantibus victoriam, qui orandi dedit audaciam. Quintus, tranquillitatis conciliatio. Legis in Job. Si diluculo surrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet tabernaculum tuum. Proinde consulto feceris, si quoties molestiis impeteris, statim ad orationis præsidia cōfugies: nihil enim est, quod non expugnet orationis vis: nihil quod non componat: vt non alia re tibi magis compares mentis temporisque tranquillitatem, quā oratione. Sextus, ipsa enim Deum mitigat, & ab ira Dei protegit, immo per hanc ira domini ab vitione suspēditur, flagellum differtur, venia procuratur, & præmiorum largitas plus impetratur: cum Deo loquitur, cum iudice fabulatur: præsentem sibi facit, quem antè præ confusione mentis videre non audebat. Breniter, oratio est animæ sanctæ præsidium, angelis solatium, dæmonibus supplicium, Deo gratum obsequium, viciorum extinctio, virtutum mater, huius peregrinationis scælatium, animæ speculum, conscientiæ robur, cognitionis via, confidentiæ nutrix, charitatis incentiuum, laborum quies, compunctiois causa, cæli porta, cogitationum malarū interemptrix, dispersa mentis in sese recollectrix, cœlestium affectionū excitatrix, angelorum imitatrix, & omnium spiritualium bonorum optima conciliatrix, quam qui periculerāter tenuerit per-

Oratio demones profligat.

Oratio conscientiam pacat.

Oratio Deū placat.

ire non poterit. Semper enim sacrificij, seu incensij huius odor ascendit coram Deo de manu angeli. vt semper propitietur Deus continenter oranti. ✠ Punct. 5.

Et accepit angelus turibulum aureum: & impleuit illud de igne altaris & misit in terram.

Turibulū cor significare diximus: quod reuera de igne altaris Christus tunc impleuit, quādo in die pentecostes misit in igne spiritum sanctum, quo Apostolos aliosque credentes succendit: de quo est illud, Luc. 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendantur? Porro hic ignis eius est, qui ait, Quia de meo accipiet, scilicet spiritus sanctus, Ioan. 16. In hoc autem quod angelus turibulum aureum accepit, & de igne altaris illud impleuit, sacerdotium Christi manifestè accipimus. Legale quippe erat apud veteres (vt iam diximus) vt sacerdos perfecto sacrificio in altari holocaustorum, quod foris erat in atrio areum, reciperet de igne altaris in turibulum, & sic intraret templum, quod sancta dicebatur, & super altare incensij istic sacro ture imposito adoleret. Quod totum figura fuit Christi, qui se in ara crucis sub dio mactari passus est: de cuius igne accipiens impleuit eo cor nostrum: ac sic impones thymiamata orationum nostrarum, offert nos coram patre suo in odorem suauitatis. Ipse nanque dat nobis optimos affectus, ardentēque deuotiones in nostris cordibus. Iam si igne hoc impleuit cor nostrum dominus noster Iesus Christus, diligamus Deum, diligamus & proximum. Ille nanque verè diligit Deum, qui diligit & proximum: quam, dico dilectionem, desinit Apostolus, de corde puro, scribens ad Timotheum. Ab aliis eadem rectissima animi affectio describitur, qua diligimus Deum super omnia, & proximum æquè nobis. Diligimus Deum super omnia, si ex toto corde diligimus, ex tota anima, & ex tota virtute, vt habetur, Deut. 6. Porro ille Deum ex toto corde diligit qui eum sapienter diligit: ille ex tota omnia diligit, qui dulciter diligit: ille denique ex tota virtute diligit, qui se in obsequium Dei tota virtute operandi bonum atringit. Qui sapienter diligit, nullo errore seducitur, nec metas deserit: is intellectum suum sub fidei regulis cogens recta ad visionem Dei toto ardore tendit. Qui vero dul-

Sacerdotium Christi.

Dilectio deo & proximi.

Qui dicitur Deū diligere ex toto corde.

citer diligit, subinde Christo passio compatitur, & in lachrymas dulces liquefcit, compungitur, & mouetur. Qui vero tota virtute diligit, ille nulla vi laborum, aut etiam tormentorum, sed nec ipso mortis metu iustitiam deserit: constans quippe & perfectus debet esse amor noster, vt si oporteat amore illius mori, nequaquam dubitemus, q̄ ipse primū amore nostri mori nequaquam dubitauit. Sunt autem quædam conditiones quibus obseruatis in charitate proficimus. Horum prima est, proficiendi desyderium, inuat id nō mediocriter ad capessendā perfectionem, eō q̄ magna pars profectus est velle perficere. Nemo est enim tam perfectus, qui perfectior esse nō possit: & in eo perfectiorē se quisq; probat, quo ad maiorē tendit perfectionē. Contendamus semper oportet in anteriora cum Ezechielis animalibus, de quibus scriptū est, Quia nō reuertebatur quum incederet: sed vnumquodq; ante faciē suā gradiebatur. Ezech. 1. Secunda, est recollectio animi à rebus sensibilibus: hæc enim obiectu sui suo pre ingenio irritat & alliciunt: quibus quo amplius quisq; implicatur, eo à supernis desyderiis separatur. Testatur. D. Augustinus, sic de se verba componens. Ab vno auersus, in multis euauui: exarsi enim aliquadō satiari inferius, & siluescere me sensi variis & vmbrosis amoribus. Tertia sacræ scripturæ frequētatio, siue legēdo siue audiēdo. Quemadmodū enim paruulus nō crescit absq; cibi sumptione: sic anima vires nō assumit absq; verbi Dei hauflu. & omnis animæ viuēs naturæ suæ cōuenienti pabulo fraudata intereat necesse est. Panis autē verbi Dei pabulum animæ est: hoc appetit, hoc flagitat, hoc esurit semper: eō quod vita animæ sit Dei verbum, & profectus eius. Non enim in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 4. Quarta recordatio beneficiorum Dei, qua veluti calibe excutitur ignis de dura siliice cordis humani, vt totus accendatur homo, & iam ferueat qui frigebat antea. Et quis non inflammetur recordatione beneficiorum Dei: Ipse creauit nos: redemit ipse: ipse conseruat. Signa autem veræ charitatis in nobis hæc sunt, Primū, quum quis libenter de Deo cogitat. Etenim cogitare de Deo sensus consummatus est, vt Sapien. 6. legis. Secundum, quum quis in veritate cordis sui

Profectus in charitate.

Charitatis signa.

de deo loquitur. Amantium hic mos est: vt tacere nesciat de amato: loquitur ergo, & flammæ sui pectoris ipsa loquutione produnt, qua etiam amoris sui solatia captant Tertium, quum quis attentius de deo audit, & verba eius in corde recipit, & confert. Sic beata virgo conseruabat omnia verba de dilecto suo filio, conferens ea in corde suo. Luc. 2. Et Magdalena peccatrix secus pedes domini pronoluta audiebat verba illius. Luc. 11. Clamat Christus in euangelio, Qui ex Deo est, verba dei audit, Ioannis 8. Verus itaque amator dei verba Dei audit: quod si desit, qui annunciet, dolet ex corde, sitiens potū perennis fontis vitæ, & aqua satiari desiderat. Quartum, quum quis templa dei frequētat, tacitus secum ira reputans, O quam dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in artia domini. Psalm. 38. Porro eiusdem Psalmi verba percurrens ait, Cor meum, & caro mea exultabunt in deum viuum: etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos. Rursum quoque, Altaria tua domine virtutum, rex meus, & deus meus. Et hoc, Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Est denique verissimum veræ dilectionis signum & id quoque, quum quis libenter pro deo patitur, tolerat iniurias: non reddit malum pro malo: nec maledictum pro maledicto, exemplo domini nostri Iesu Christi præceptoris summi, qui nihil talium egit. Est & commiseratio proximi non mediocre dilectionis signum, quando miseriam alterius suam reputat, & ideo pro facultate succurrit. Postremo est vnum, & certissimum veræ dilectionis Dei signum, quod per semetipsam veritas expressit, dicens. Si diligitis me, mandata mea seruate. Ioan. 14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me, ibidem. Et capite sequen. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Ergo mandatorum dei obseruatio est certius omnium præmissorum signum: quandoquidem aliqua illorum sunt nobis cum hypocritis communia. Hic est ignis altaris, &c. ✱ Punctus 6.

Et facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terremotus magnus.

B. iiii

Tonitrua.

Tonitrua sunt fortissimæ prædicationes apostolorum, aliorumque factæ admisione spiritus sancti in igne: quæ missio cum tonitruo etiam tum facta est, clare designas, quia Apostolorum prædicationes cum tonitribus celestium doctrinarum fiende erant, & acclamationibus consentientis vulgi, & miraculorum fulgetris: ad quæ terræ motuum magnū fieri oportuit, iuxta illud Plā. 76. Alluxerunt conuulsiones tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra, conuulsiones dicit prædicationes apostolorum quæ idem sunt cum fulguribus, fulgura enim sunt illæ vibrationes luminis, quæ ante cernuntur quàm tonitruum audiatur, sic in apostolis prædicationes miracula precedebant, vt non ab re commotio terræ sequeretur in plebe, de qua re dicitur, Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra. Psal. 96. Rursum quoque Psal. 67. Terra mota est, etenim cæli distilauerunt, à facie dei Synai, à facie Dei Israel. Quid autem cæli distilauerunt in sequentibus ostendit, quum dicit, Pluuiam voluntariam segregabis deus hereditati tuæ. Pluuia ergo hæc, in unda datio gratiæ est erupta per verbum Dei, quod Apostoli, qui cælorum nomine designantur, largo imbri doctrinarum diffuderunt: ad quorum prædicationem terra commota est, & contremuit, montes quoque, hoc est ipsi reges & principes victi veritate verbi dei, verentes sublimitatem diuinæ celsitudinis, colla humiliter iugo fidei submisserunt, colliquefacti ad ignem, sicut cera à facie ignis liquefcit: vt omnia hæc rectissimè competant in apostolos, per quos virtutes tum quidem fiebant. Aut quæ maior virtus ea, qua Petrus claudo ad portam speciosam solo imperio gressum reddidit, & exiliens ille ambulabat laudans dominum. Ille idem sola umbra ægritudinem omnem depellebat à corporibus, & multa alia faciebat: ita vt ad primam eius prædicationem conuerterentur tria millia hominum, nunquid magnus iste terræ motus fuit? Et quomodo contra eos principes mouebantur. Tonabant ergo apostoli post receptum spiritum sanctum: dabant voces, fulgurabant: & terram tonitruo quatiebant: quod & iuxta literam aliquoties fiebat: velut tum quum Petrus, & Ioannes orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti sunt omnes spiritu sancto, & lo-

Terræ motus temporum apostolorum.

quebantur verbum dei cum fiducia Act. 4. Legis in eadē scriptura cap. 2. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & signa per apostolos in hierusalē fiebant, & metus erat magnus in vniuersis. Ecce terræ motus magnus. Non cessarunt mysteria tonitruorum horum vsque in hodiernum diem: non voces, fortissimi verbi dei ministris passim clamore tonantibus: non fulgura miraculorum saltem spiritualiter, quibus peccatis emortui reuocantur ad vitam non terræ motus. Sunt namque non pauci, quibus vita hæc carnalium voluptatum vt primū odio esse ceperit, ad spiritum sese continuo rapiant, mitis modis carnem doment, subigant ieiuniis, attent vigiliis, spiritum implicant assiduis orationibus: quæ non possunt esse sine molestia carnis: eo quod hæc tum voluntatem suam in concupiscentiis eius explere nequeat, spiritu in lege domini meditante die ac nocte, degustatæque quàm suauis sit dominus.

*O Punctus 7.

Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent.

Descripto alio, & eo principali angelo, cuius sunt cæteri: nunc reditur ad id quod antea ceperat de septem angelis narrare, per quos vniuersitas ministrorum verbi Dei capitur: hi enim afflati septiformi spiritu præparauerunt se ad annunciandum dei verbum, quod potest saluare animas credentium, vt Iacobus habet, atque ideo præparauerunt se, quod potenter moueret eos virtus percepti spiritus. Iam verò si à spiritu dei est ista præparatio in ministris verbi, profectò durabit verbum in virtute eius, Esaiā dicente, Verbum domini manet in æternum cap. 46. Porro ex huiusmodi præparatione docentur vniuersi prædicatores, ne imparati accedant ad annunciandum Dei verbum. Docet & aliud huiusmodi angelorum præparatio, vt sint vita inculpata sancti verbi Dei ministri: peccatori namque dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas: & assumis testamentum meum per os tuum? Quod quisquis erit non mediocriter detrahet virtuti verbi dei. Quis enim crederet, quum ipse prædicator, vita doceat minus, esse credendum? De talibus dicit dominus noster Matth. 7. Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomi-

*Præparatio imparati non angelorum.**Prædicator imparatus non predicet.*

ne tuo prophetauimus: & in nomine tuo dæmonia eiecimus: in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me operarij iniquitatis.

DE PRIMO ANGELO
TVBICINE.

Secl. 2. Punct. 1.

Angelus
primus typus
apostolorum.

ET primus angelus tuba cecinit: & facta est grando, & ignis mixta sanguine: & missa sunt in terram. Hic primus angelus typus est apostolorum, & omnium fidelium uerbi dei ministrorum qui sub eis fuerunt, qui per equum album in primi sigilli apertione figurantur: quibus sanctum dei uerbum docentibus, aliqui fuerunt, qui fidē receperunt, aliis in impietate remanentibus, qui in furore, & impetu, & parricidalis animo insurgentes in sanctos Dei, factum est, ut grandine, igne, & sanguine persequerentur illos. Ignis hoc loco spiritus dei typus esse nequit, sed tam ignis, quàm grando & sanguis, ea designant, quibus persequuti sunt impij iustos: sicut ex Esaia & Dauid licet coniectare. Esaia dicit, Succensa est quasi ignis impietas, cap. 9. Dauid autem, Supercecidit ignis, & non uiderunt solem, Psal. 57. Sunt ergo duo hæc, grando, & ignis, impetus ac furor nimius qui miscentur sanguine, dū cedunt & occidunt sanctos dei martyres: & mittuntur in terram in persequutione. Ignis igitur zelus est & odium in christum, & in seruos eius, sacro eloquio pronunciantes. Zelus apprehēdet populum ineruditum. Rectē autem sanguine mixtus idem ignis dicitur: aut quia Ioanne asseuerante, Omnis qui odit fratrem suum homicida est. 1. Ioan. 3. aut quia ex hinc prodit homicidium, in effusione sanguinis proximi. In grandine procella persequutionis potius intelligitur. Breuiter per hæc tria uidelicet grandinem, ignem, & sanguinem, omne genus persequutionis comprehenditur, quod in summo furore ardoreque usque ad sanguinem seruit: quod primum sub Apostolorum tempore fuit, iuxta uisionis ordinem. Le-

Grando &
ignis typi per
sequutionum.

ge Acta apostolorum, & intelliges quali grandine opprimebantur sancti, quando Paulus Iconij lapidatus est: cui lapides torrentis ignis & grando mixta fuere sanguine: & quando Neronis gladio cæsus est: Stephano quoque protomartyri, & aliis sanctis. Non quia posterior hæc ætas nostra hisdem careat malis, ut non suos habeat ignes, non grandines, non sanguinem: habet certē: nam quæ tum facta sunt, fiunt & modo, sicut & postea, donec finiatur orbis. Cum enim dicat Paulus, Omnes eos qui piē uiuere uolunt in Christo, persequutionem pati necessum esse: quis hac tempestate piorum careat aut grandine obtreccionum, aut igne inuidiæ, aut sanguine funestissimi interim odij: ut etiam si sanguis non aliquando fundatur è corpore nostro, tamen parricidale odium uicem suppleat sanguinis, quod ipsum sit origo, unde sanguis fundatur proximi. Nam de corde prodeunt homicidia. Aut quæ manus poterit nocentior odio? quis gladius? Non armatur manus nisi consilio odij, non assumit gladius trucidandi aciem, nisi hac cote primum peracutus sit. Missa autem hæc dicuntur in terram, id est, in terrenos homines principes & alios persequutores sanctorum, qui terra sunt: sicut Iudæi, qui ne perderent terrenum regnum occiderunt dominum. Terra sunt & impij christiani, qui ore consentunt nosse deum, factis autem negant, qui se mutuo igne & ferro dilaniant. Testis est Hungaria, testis Francia & Hispania & alia quedam regna. Spiritualiter autem non est iam locus ubi non reperias hæc tria nocendi arma: ubi maledicentiam, inuidiam, & odium in uniuerso orbe, quibus pugnatur ab omnibus, omnes his pereunt. Sed qui? hi qui terra sunt, ideoque missa hæc in terram referuntur: carnales enim, & qui vel nondum ad spiritum transmigrarunt, vel ab eo egregia perfidia deficiunt, his armis instructi incedunt. Omnis namque obtreccator carnalis est, ideoque terra est. Iridem inuidus & ofor: tam abest, ut gratia salui fiant, quicumque eiusmodi sunt. Neque enim in dei testamento sunt, hoc est in charitate, quæ malum non operatur primò. Cor. 13. & ideo absunt à regno. Vt nam non sacratiores homines, & qui uotis sese religioni obstrinxere emissis, his pestibus in primis la-

borarent, quibus prouideat Deus. Sic ergo prima hæc tuba canente ignei carbones iaculati mixta grandine & sanguine. Nota hæc erat vna plaga Ægypti. de qua legit Exod. 9. Extendit Moyses virgam in cælum, & dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque dominus grandinem super terram Ægypti: & grando, & ignis mixta pariter ferebantur.

✽ Punctus 2.

Et tertia pars terræ combusta est: & tertia pars arborum cremata est: & omne fœnum viride combustum est.

Quo furor, & impetus impiorum eruperit punctus iste declarat, quum tertiam partem terræ, arborum quoque, & omne fœnum viride combusta esse dicat. Multi enim christianorum atroci crudelitate tyrannorum terri, aut à fide deficiebant, aut neque iniciabantur, quamuis in procinctu iam persuasi veris dictis essent, & sic combusta sunt, siue qui per tertiam partem terræ, siue arborum intelliguntur: quod verò nihil omnino in viridi fœno relictum esse ostenditur. Hoc ideo fit, quia qui carnalem vitam alioqui sectarentur, nullo negotio hi perire vnâ. Quid enim per fœnum nisi carnalis vita designatur: sicut scriptum est. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos fœni: exiccatum est fœnum, & cecidit flos. Esaiæ 40. Ibidem, Facti sunt sicut fœnum agri, & gramen pascue, & herba tectorum, quæ exaruit antequam maturet. Gloria nanque carnalium citò vanescet cum mundo. I. Ioan. 2. Mundus transit, & concupiscentia eius: qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum. Pulchra sanè consequentia. Ergo qui verbum Dei habet, & facit voluntatem eius, gloria eius manet in æternum: longè videlicet aliena duratione, quàm qui facit carnis voluntatem, carens verbo Dei, & virtute eius. Nam caro, & sanguis, regnum Dei non possidebunt. I. Corin. 15. Porrò per terram, & arbores duo hominum genera describi videntur, Plebeiorum videlicet, & Principum: vt terra sint plebei, humiles, ac subiecti principibus, attendentes ad illos: arbores autem dignitate cælum. Terra nutrit arbores, sic & plebei principes. Arbores à terra eminent, sic magnates plebibus. Ornant atque obumbrant terram arbores, & magnates plebem. Quidam per duas partes vitæ bo-

Fœnum carnalis vita.

Terra & arbores plebei & principes.

Due partes vitæ honoris.

rum ita ostendere conati sunt, vt in doctoribus auditoribusque consistant, tertia parte reproborum catalogi constructe. Beatus nanque qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius, & seruat ea quæ in ea scripta sunt. supra cap. 1. Qui verò nec legit, nec audit, & ex consequenti nec seruat: adeo infelix vt in tertia parte computetur. Ita ergo tertia pars terræ combusta, & tertia pars arborum, omne autem fœnum viride: quod pœnas sceleris similiter peccantes, dent similiter. Nanque ira domini sicut grando in eos descendet: & in grandine pereunt qui grando aliis fuerunt: & igne & sanguine intermistis, qui ignis & sanguis esse aliis non cessauere. Cõuertet enim dominus omnes laqueos in caput peccatorum, vt in eis pereant. iuxta quod leges, Pluet super peccatores laqueos. Et sequitur. Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Psalm. 10. Sic olim in Sodomus sulphur & ignem de cælo pluit dominus. Gen. 19. eò quod in fetore malæ concupiscentiæ ei peccarent insanabiliter, vt nec pœnitere vellent, auerent autem in dies suam inexplebilem luxuriam, omnemque malitiam. Referuntur, (nec Sodomita de stirpe Cham. filius Noë Sodomitæ propagati: quorum impietas in hoc maxima fuit, quod pœnitentiam agere noluerunt, nec peccatum suum absconderunt. Esaiæ. 3. Horum maledictioni obnoxij sunt omnes, qui latantur quum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, Prouerb. 2. Maledixit Chamò principi gentis Sodomorum, sanctus pater grandæus ille Noë, Gen. 9. quo liquidò constaret maledictos esse, qui fœdæ hereditatis eius participes essent, nihil sanctius illis agentes. Etenim vni genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dixit Esaias cap. 1. Alij per terram, habitantes in arido intelligunt: per arbores verò, qui memorosa loca incolunt, trassiore sensu. Sed vtique per fœnum viride carnalis populus (vt iam memoratum est) capitur, mundi vigore sustentatus. In quibus quia nihil cæleste, diuinumque nihil relictum sit, merito omne fœnum viride combustum esse perhibetur. Neque enim hi suscipiende fidei apti esse poterant: aut si qui talium fidem susciperent, minus dignè susciperent, quum nihil commune sit fidei cum carnali

Sodomita de stirpe Cham.

Fidei nihil commune est carnali vitæ.

vita. Neque verò quispiam arbitretur contrariam domi-
no sententiam esse, vbi per duas partes bonos intelligi-
mus, per tertiam reprobos, sic quasi boni plures essent re-
probis, cum dominus dixerit paucos electos. Matth. 20.
Non enim idcirco intelligimus in duabus partibus bo-
nos, & in tertia reprobos, quòd hos illi numero exupe-
rent, sed quia illi in auditoribus legentibusque consistat,
& duo precepta charitatis obseruent. Vel certe (vt Beda
in quadam homilia super Matthæum testatur) sancta ec-
clesia ex duabus partibus congregatur, altera eorum qui
non peccauerunt: altera eorum, qui peccare desierunt, qui
soli seruabuntur: tertia parte, hoc est, qui peccant, nec ad
penitentiam conuertuntur, pereunte.

DE SECUNDO ANGELO TYBI-
CINE. Sect. 3. Punct. 1.



*Secundus angelus tuba cecinit: Et tanquam
mons magnus igne ardens missus est in mare.*

Angelus hic typum gerit fidelium verbi
Dei ministrorum, qui adaperit secundo
sigillo Christū docuerunt: quibus annun-
tiantibus mons magnus igne succensus missus fuit in
mare: quod factum est secunda ætate ecclesia. Videns
nanque diabolus se nihil profecisse in prima ætate, quæ
apostolorū erat, Immò magis magisq; inclaruisse Chri-
stū mundo, per apostolos, quorū vox in omnem terram
iam exierat, vnde & in dies augmentari dilatariq; Christi
ecclesia: timuit ne contemptus in vniuersum negligere-
tur: maiori ergo furore exarsit tētans per potentia princi-
pum magnorum in ecclesia Dei defecire, vt quod per se
nō posset, potētia principum, quos tremere orbis, effice-
ret. Hoc ergo est mons magnus, quod principes in mun-
do, maximus monarcha orbis: quales erant ea tempestate
Romani cæsares, qui psecutionē magnā excitauerunt ad-
uersus ecclesia Christi in magno zelo, quo tueretur anti-
quam superstitionem eorū. Mons est & diabolus, qui in
se tumefactus in immensum excreuit, dum diuinā sublimi-
tatem experit dicens. Ascendā super altitudinē nubium,
similis ero altissimo. Et iterū. In caelum conscendā, super

*Mons magnus
monarcha or-
bis.*

*Mons diabo-
lus.*

astra Dei exaltabo solium meum: sedebō in monte testa-
menti. Esa. 14. Mons ergo est & diabolus & princeps mū-
danus, quem ille possidet. Iam non duo montes, sed vnus
mons. Nam sicut Apostolus dicit, Qui adhæret meretrici
vnū corpus efficitur. Erunt, inquit, duo in carne vna, Qui
autē adhæret Deo, vnus spiritus est. 1. Corin. 6. Sic diabo-
lus cum principe seruitore suo montis nomine describitur.
Nam in nouissimis ingredietur perditum hominem,
in quo aduerfabitur, & extolletur: sup̄ ra omne quod dic-
tur Deus, aut quod colitur. 2. Thess. 2. Qui bene ignis
ardens dicitur: ardet enim & torquetur inuidia semper, &
exinde molitur ingētia, cui dicitur. Zach. 4. Quid tu mōs
magne? Montium nomine, principes potētes & in psal-
mis mysticis designātur, quemadmodum ibi, Conturbati
sunt montes in fortitudine eius. Psal. 45. Ibidem. Tran-
ferentur montes in cor maris. Ft Psal. 96. Montes sicut eg-
ra fluxerunt. Et hic mons missus est in mare. Quid mare?
Mare hic mūdus esse non potest, nec tribulatio ex loci
circumstantiā: sicut nec sol vbique Christus est vt dixim⁹
cap. 7, magis autem feruor psecutionis ibi. Neque cadet
super eos sol, qui alibi Christus est vt Malach. 4. orietur
verbis timentibus nomen meum sol iustitia: Quid ergo
est? opinor id quod principaliter in sacra scriptura solet
significare, baptismum: iuxta illud, omnes mare transfe-
rūt, & omnes in Moyse, id est, fide Moyse baptizati sunt.
1. Cor. 10. Mare ergo figura est baptismi & totius eccle-
siæ. Nam idcirco Salomon rex fecerat mare æneum fu-
sile in domo domini. 2. Reg. 7. In quod tunc mons ma-
gnus igne ardens missus esse creditur, quando Romanus
princeps, qui tunc monarchiam vniuersi orbis obtine-
nebat, in ecclesia Dei incidit, eamque perturbauit: vt
nusquam ei pax daretur. Nec tibi absurdum videatur:
quia audis per mare ecclesia figurari: ex aquis siqui-
dem baptismatis ecclesia enata est, dicente domino,
Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non
potest introire in regnum Dei. Ioan. 3. Et Act. 8. Ecce
aqua: quid prohibet me baptizari? Mons magnus erat
Nero, ardens erat igne furoris sui, qui missus est in
hoc mari. A quo missus? Respondeo, ab eo, qui
eum possidebat satanam, diuina tamen permissione:

*Mare figura
baptismi.*

vt probator euaderet fides, constantiorque fidelibus.

✽ Punctus 2.

Et facta est tertia pars maris sanguis: Et mortua est tertia pars creaturarum, quæ habebant animas in mari: Et tertia pars nauium interijt.

Sanguis hoc loci aliud est, quàm solet esse in litera. Peccatum ergo incredulitatis est, quod & primum est & maximum: a quo cætera quoque longo ordine cooriantur peccata. Nec inusitatum est in scriptura sacra sanguinem accipi pro peccato, quemadmodum ibi, Sanguis sanguinem tetigit. Et libera me de sanguinibus, &c. Mare autem ecclesiam natam ex baptismo significat in gentibus. Cum enim diabolus, totius pietatis hostis, videret ecclesiam Christi per apostolos diffusam esse etiam in gentibus, iniiecit se in eam: cuius opera factum est, vt tertia pars eius in sanguinem verteretur, id est, in naturalem generationem, id est, in incredulitatem. Si enim de filiis Dei dicitur, Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt, mutata videlicet generatione naturali in diuinam: extra fidem qui sunt, omnes in sanguine sunt, & non nisi merus sanguis sunt: non solum qui nunquam fidem cognouerunt, sed etiam qui acceptam abiurarunt, reuersi in sanguinis generationem. De quibus subsequenter dicitur, Et mortua est tertia pars creaturarum, quæ habebant animas in mari. Quid est habere animas in mari, nisi renatos per baptismum ex fide viuere. Iustus enim ex fide viuunt. Abac. 2. Id quod per quandam indolentiam seu compassionem dici proclariori expressione videtur: quod sic facta sit tertia pars maris sanguis: quod tertia pars creaturarum, quæ habebant animas in mari, mortua esset. Nec potest gentilitas incredula, quæ nunquam fidem gustauit hinc per mare intelligi (vt quidam sine iudicio volunt) eò quod supra omne fœnum combustum sit, nec aliquid ex eo remanserit. Semper enim incredulitas sine exceptione perijt. Nam si eo sensu locus intelligeretur: duæ partes, quæ iuxta canonem omnium scriptorum in hanc sacra Apocalypsin, in auditoribus lectoribusque, & in ipsis electis citra controuersam computantur, vbi erunt? Aut quomodo eas partes incredulitas teneat? Adde quod

Sanguis peccatum infidelitatis.

Gentiles extra fidem omnes in sanguine.

quod hæc sacra Apocalypsis non est data pro incredulis sed credentibus. Ita enim legis. Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi, non dubium quin Iesu Christo, Deus, ipsa videlicet diuinitas, palam facere seruis suis. Credentes autem sunt serui eius, qui ei seruiunt per fidem & charitatem in spiritu. sic & Paulus Rom. 1. Inter quos etiam, sicut dictum fuit, discurrit: qui sunt ei candelabra aurea. Prima ergo tuba Iudæorum populos indicauit principaliter, à quibus male tractati sunt apostoli, sicut & dominorum: vt perseverare inter eos non possent, sed exirent iuxta domini præceptum in omnem terram, euangelioque replerent omnia: sub quibus facta fuit grædo & ignis mixta sanguine, id est, parricidalis psequutio opera diaboli excitata: vt tertia pars combureretur & terræ & arborum: fœni autè nihil relinqueretur. In subsequenti autè tempore, quod fuit martyrum per vniuersum orbem terrarum, quod figurat secunda tuba, diabolus tanquam mons magnus, ardens igne inuidiæ de processu ecclesiæ Christi, & ira grandi succensus iniiecit se in hoc mare credulæ gentilitatis, cuius tertiam partem vertit in sanguinem infidelitatis: in quem modum interfecit tertiam partem creaturarum quæ homines intelliguntur. Nam & dominus mittens apostolos in mundum, iussit vt prædicaret omni creaturæ: nõ vtique boui aut asino aut lapidi, aut cæteris huiusmodi: sed homini, propter quæ creata sunt omnia, & participat mirabili sui conditione cum omni creatura, rectè per omnem creaturam homo intelligitur. Nã & draco, infra, tertiam partem stellarum traxisse memoratur. Sed iam de nauibus, quarum etiã tertia pars sicut & terræ & creaturarum perijt memoratur. Naues principes sunt, prout exponunt docti. Naues enim aquis superfluitat, & principes super eminent populis, qui in aquis intelliguntur infra cap. 17. Aquæ autè populi sunt, quorum tertia pars in reprobis computata perijt. In duabus partibus immutabiliter piis constitutis, vt duæ partes sint. Prima videlicet, qui clam acceperunt verbum Dei, & fidem Iesu Christi. Secunda, qui aperte. Clam accepisse fidem quosdam testantur, vt Traianum, qui primo persequutor christianorum erat: deinde admonitus literis Plinij secundi à persecutione destitit. Hadrianus item imperator correctus per Aristodem philosophum,

Diabolus mons magnus incidit in mare gentilitatis.

Naves principes.

Aquæ populi.

scripsit Asiae proconsuli ne christianos occideret nisi pro crimine. Alexander seuerus repertus in cubiculo imaginē crucifixi tenuisse. Philippus autem primus imperatorum cum vxore sua, & Philippo filio, quem consortem imperij fecerat, apertè credidit, baptizatus à Fabiano pōtifice. Credidit & Constantinus Helenæ filius, qui cœpit imperare anno domini. 319. Porrò, tertia pars in eis creditur, qui nec clam, nec apertè crediderunt, qui sunt vniuersitas infidelium. constat enim omnes in fide mediatoris Christi Iesu saluandos esse. nec antè euulgatum euangelium in alio erat salus quàm in fide mediatoris Christi, in quo oportuit saluos fieri homines, nec postea: eò quod vnus sit mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, cuius testimonium temporibus suis consummatum est. 1. Tim. 2. hoc tantum interest inter anterioris sæculi credentes, posteriorisque: quòd illi venturum saluatorem crederent in carnem: nos venisse, & compleisse omnia, quæcunque in salutem erant nobis necessaria eundem credimus.

DE TERTIO ANGELO TUBICI-

N B. Sect. 4. Punct 1.

Tertius angelus tuba cecinit: & cecidit è celo stella magna ardens tanquam facula. Tertius hic angelus figura est vniuersorū sancti verbi Dei prædicatorum, qui sub tertio sigillo fuere. Hæc fuit tertia ætas ecclesiæ. Finita nanque rabie tyrannorum cōsurrexit prauitas hæreticorum. Proinde sicut martyribus dedit dominus donum fortitudinis ad toleranda aduersa: sic sub hoc tertium tempus, dedit sapientiam doctoribus & intellectū, vt Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio & cæteris in Italia. In Græcia, Origeni, Athanasio, Basilio, Chrysostomo, & reliquis, qui disputabant calamo & lingua contra errores hæreticorum. Augustinus scripsit contra Arrianos libros de trinitate quindecim. contra Pelagianos duo & viginti volumina. contra Manichæos totidè, & alia. Porrò per stellâ magnâ, principes hæresum figu-

Tempus hæreticorum.

rantur. Constat enim doctores ecclesiæ stellas appellari. Dan. 12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, id quod etiam de falsis doctoribus intelligitur, improprie tamen quemadmodum & satan transfiguratur se in angelum lucis, in quo non permanet. Nota. Sunt pij ecclesiæ doctores stellæ permanentes sunt falsi doctores stellæ non permanentes. Fulgent vtrique scientia quam habent, & sæpe maiori in intelligentiâ sed noxi ac pestilenti: habent eloquentiâ, sed non piâ: quorum omnis ratio in corrumpendo versatur: non vt statuunt, sed vt destruant, loquentes dolos in mendacio, idèò stella magna & ardens tanquam facula dicuntur. Facula sicca est, & fumigando ardet, sic & hæretici lumen quidem prætendunt scientiæ, sed virtute ei carent. Desiccati enim sunt gratia Dei, quam non habent: dumque ardent fumo quodam amaritudinis, lumen suæ doctrinæ administrant: ita vt dum lucem vitæ aliis circumferre videntur, mortis amaritudine præfocant. Pulchrè ergo & stella sunt, & ardentis facula sunt. Stella ob lucem doctrinæ, sicubi piè sentiunt docentque: neque enim possunt non interim piè sentire & docere, alioqui quomodo audirentur? nec venenum quispiam sorberet, nisi dulci pharmaco tegetetur. Sunt ergo facula ardens ob malitiæ vstionem hæretici. Siue quia doctrina lucent, & ardent malitia: sicque inaniter se totos consumunt. Sub hac ergo tuba hæreticorum manus vniuersaliter intelligitur. Horum princeps erat olim Arrius Alexandrinus sacerdos, qui circa tertij huius temporis exordium sub magno Constantino caput ex eruit: hic pro morum honestate, quam in Dei ecclesia habere videbatur, atque eleganti corporis statura, primis cæli luminaribus etiam probabatur, præsertim ob ingenij magnitudinem, & scientiam perpetuo studio comparatam. verumtamen dum sancti Alexandri Alexandrini episcopi correctionem suscipere nollet, cecidit de cælo ecclesiæ, vt facile probaretur hypocritâ eum fuisse, qui non intus oculos habuit, sed foris, qui fastu superbiæ magnus videri concupiuit: cecidit inquam, iuxta illud, Ante ruinam exaltabitur cor. Prouerbiū. 16. Hæc enim scilicet

Hæretici facule ardentis sunt.

Arrius hæresiarcha.

inuicem cōsequuntur, superbia, inanis gloria, cordis duritia, obstinatio, malus zelus, indignatio furoris aduersus correctores: adeo vt magis cadere velit quàm superari. Inflatus ergo is superbia, statim pro sui ingenij magnitudine & malignitate, admirabilia cœpit dogmatizare cōtra articulum sanctæ trinitatis: dicens, quòd sicut pater, & filius, & spiritus sanctus, sunt distincti in personis, ita & in essentiis, creaturas ponens diuinas personas: quæ aliter non possent dici singulatim Deus nisi participatione: & alia multa blasphemans effutebat. Contra quem congregatum fuit concilium generale. 318. episcoporum in Nicæna ciuitate Bithiniæ, & condemnarū tam atrox & peruersum dogma eius, non tamen in vniuersum sublatum: plures enim erant discipuli eius, qui renouantes errorem infecerunt principes multos & etiam imperatores successu temporum: per quos persecutionem contra catholicos excitarunt. Nam & Valens imperator seductus per vxorē factus est Arrianus, qui persequebatur catholicos, alios gladio occidendo, alios igni exurendo, alios aliis cruciatibus perimendo: qui audiens Gothos velle recipere fidem Christi, misit ad eos sacerdotes Arrianos, per quos ea gens tota fuit infecta. Sequutus est dehinc Macedonius, qui conueniebat in hoc cum Arrio, quòd diceret spiritum sanctum creatum, & seruum esse filij: discrepabat tamen in eò, quòd faceret eiusdem naturæ filium cum patre. Contra hunc coactum fuit concilium Constantinopolitanum. 150. episcoporum, in quo dictus error fuis condemnatus. Postmodum Pelagius monachus secutus, qui fuit sub Archadio & Honorio principibus, qui errauit circa gratiam spiritus sancti, asserens quòd sine gratia possit homo ex puris naturalibus mereri vitam æternam: prædicabat etiam quòd pueri christianorum nascerentur sine peccato originali, & per consequens, quòd à culpa non purgarentur aqua baptisimali. Sed necdum finis fuit harum pestium. Siquidem hunc excepit Euthices quidam, qui in domino nostro Iesu Christo vnā tantummodo adstruebat naturam, sicut & vnā personam: dicens quòd natura humana & diuina facta est vnā in incarnatione per quandam conuersionem, seu commixtionem, sicut ex elementis suo modo resultat

Valens imperator Arrianus.

Macedonius hereticus.

Pelagius hereticus.

commixta natura: quod est impossibile, quum natura diuina non sit alteri commixtibilis, nec aliquo modo trāsmutabilis. Venit post hos omnes Manichæus, qui duo principia posuit, alterum bonorum, malorum alterum: & quòd Deus bonorum sit author, malorū vero diabolus. Item quòd Christus assumpserit corpus phantasticū, &c. Innumeri alij quoque successu temporum prodire, de quibus annales reuoluendi sunt his, qui singulatim eos nosse percipiāt, errorēque eorum, à quibus mirū in modum turbabatur ecclesia. Nam sicut bellum intestinum perniciosius est bello externo, ita persecutio hæreticorum ecclesiæ perniciosior persecutione tyrannorū fuit, eò quòd hæc domestica sit. Hæretici nanque christiani fuere, qui in hypocrisi intra sinum ecclesiæ catholicæ cōmorabantur, sub colore fidei, atque honestæ vitæ prætextu seducendo innumeros: principes primum, imperatores orbis ac reges, quorum manus armabant contra ecclesiam, atrocius impugnantes quàm tyranni, eos qui vere christiani sunt: Quemadmodum atrociora quondam inferebant Vandali Arriani catholicis in Africa quàm vlli tyranni. Sed ne longius euagemur. Diximus sæpe cæli nomine ecclesiam figurari, de qua cadunt hæretici. Nolunt enim sub iugo eius esse, nec institutionibus eius parere, & ideo contraria semper sentiunt, dicunt contraria faciuntque, & hoc ex cordis eorū superbia. Quod si su perbi non essent fuissentq; heretici, nequaquam ab ecclesia excidissent, cuius iustitias libentissimè regi vellēt, vt iusticiam Dei sequerentur: vt benè dixerit Augusti, quia hæreticum non ignorantia facit, sed superbia: sicut scriptum est. Ante ruinam exaltatio. Prouer. 16,

Hæretici hypocrita.

✽o Punctus 2.

Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

Quod flumina sunt: hoc & fontes aquarum. Non posunt hoc loco populi per hæc nomina designari, sed tantum quod sub aquis, & potu designatur. Scriptura ergo sacra est fons, & flumen, quæ potum præbet sitienti, in cuius tertiam partem, quæ nec Christi est, nec ecclesiæ, hoc est, nec capitis, nec membrorum, sed hæreticorum, incidit satan suis sensibus: incidit & hæresarcha quisque. Porro Duas partes aliqui volunt nouam & veterem

Flumina scriptura sacra.

legem: tertiam doctorū sanctorum expositiones, in quā cecidit infœlix Arrius, & Macedonius, & Pelagius, Manichæus quoque ac cæteri, infano intellectu: & qui nō proprius scripturæ esset sed peregrinus, sed adulterinus, adducitius, & dilutus, in qua parte manet omnes hæretici. Magna infœlicitas christiani orbis, cecidisse satanam, atque hæresiarcham in flumen diuinæ scripturæ verteretque in perniciem, quod alioqui esset vitale, ac salutiferum. Vbi quid potissimum miremur? Dei permissionem, an patientiam? satanæ maliciam, an hominum artes? Fieri etenim omnia nouimus permissione Dei, & casu nihil in ecclesia geri, quam in primis scripturæ radiis illustrauit, cui & cognitio Dei indita est, & vita: iudicio tamē imperferibili effectum, vt hanc in cordibus hominum quota licet sui portione sineret corrumpi. A malitia satanæ facta est corruptio eius minus artibus. Quod enim per se non potest, per homines sibi consentientes efficit: ij sunt hæretici, quorum seges oborta ferè ab initio coalescentis ecclesiæ fuit, nec defecit vsque in hodiernum diē: homines superbi, rebelles, molesti, vasti, impudentes, contumeliosi, mendaces, importuni, procaces, pietatis contemptores, blasphemii, amari, qui sunt proprii fructus eorum: & à fructibus huiusmodi sese produnt, quantumcūque se celent ouémque simulent. Hi charitatem in primis simulant, tanquam omnibus ex æquo bene velint: atque ob id gratis partem fluminis, quam corruptam habent, aquas iidem fontium suorum nobis venditant, mixtura saepe mellicrata, vt vix subesse dolum suspiceris, quæ vbi dilapsa intra viscera fuerint, continuo vires exerunt: ac sensim per venas sensuum animæ diffuentes, nigra tandem morte hominem conficiunt. Sequitur ad hæc.

✽ Punctus 3.

Et nomen stelle dicitur absynthium.

Heresiarcha stella & absynthium. Quam propria appellatione titulum sui nominis hæresiarcha quisq; gerat vides. Stella enim magna fuit ardēs, tanquam facula, nunc absynthium. Stella ob perspicacitatem intellectus, acumenque ingenij, & scientiæ multatitem supellecilem splendoremque. Absynthium, ob erroris amaritudinem, non ob remediū, quod variū & efficax fieri dicūt ex eo, siue ad corrigendā stomachi nauicā,

siue ad somnum conciliandum, &c. In amaritudine acornitum tamen est absynthium, virus est semper. Quid igitur per absynthiū, quæ amarissima herba est, aliud quam doctrina hæreticorum peruersa designatur, qui per suam falsitatem dulcedinem fidei vertunt aliis in erroris amaritudinem, ac conscientie miserabilem cruciatum. Porro Absynthium hæreticorum quàm cōtrarium sit doctrinæ gratiæ Dei ostenditur, ex eo quòd in illo nulla dulcedo, nulla insit cōsolatio spiritus: sed amaritudo tota, & mors. Quumque absynthium medicinalis herba sit, contrariè ostendit quàm noxijs sint hæretici ecclesiæ Dei, qui se medicinam simulant: quo etiam nomine plures decipiunt. Siquidem omnis institutio illorum mera deceptio est, & cruciatus cordis cauteriati. Aio, sentiūt multa grauius ac integerrime de scripturis sacris: prædicāt de Christo constantissimè: agunt & salutaria opera in faciem multa: rotum tamen (si reliqua conferas) fel draconis est, & venenum aspidum insanabile.

✽ Punct. 4.

Et versa est tertia pars aquarum in absynthium: & multi homines mortui sunt in aquis, quia amara facti sunt.

Hoc est quod dicebam, quia multis sacra scriptura per hæreticos vertitur in absynthium, in aspidum venenum, & draconum fel: vnde plures emoriantur, necessum est, quicumque his consentiunt, à quibus Paulus rogat Colossenses vt se custodiāt: quos dicit homines secundum elementa mundi, & non secundum Christū. Col. 2. Et versa est (inquit) tertia pars aquarum, ea videlicet, quæ eorum sensus est, id est, ad hæresim pertinet, in absynthiū. Obferua. Scriptura sacra quum per se sit dulcis super mel & fauam: pura velut argentum purgatum septuplum: vitalis verba vitæ habēs, vertitur tamen in absynthium aconitis hæreticorum: à quibus subinde turbatur, & lætalis efficitur vt bibi nequeat. Est autē allusio ad ethymologiam græcæ dictionis: quæ inde dicta est quòd bibi nequeat, quasi dicas Apinthon. Equidem sacra scriptura falsa interpretatione amarefcit, sitque importabilis, & lætalis: non quòd omnino in se fiat talis: sed dū superat amaritudo errorū, tollitur dulcedo, ac natua illa suauitas intelligentiarum: & hoc in tertia parte tantum. Nanque id tibi persuasum sit, & ita intelligas, nunquā textum sacrae scripturæ posse

C iij

Absynthium amara hæreticorum doctrina.

Scripturam verti in absynthium.

Absynthium vnde dicatur

*Scripturam
sacram in se
corrumpti non
posse.*

corrumpti, etiam si multi corrupte interpretentur: quandoquidem veritas incorruptibilis est, sempiterno, & mutabili tenore firmata, iuxta illud Esaiaë, verbum domini manet in aeternum, cap. 40. Idem legis in euangelio, Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, Luc. 21. Item Psal. 110. Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate. Ibidem. Mandauit in aeternum testamentum suum. Proinde ista amaritudo aquarum, & infectio earum extranea est tantum seu adductitia: sitque solummodo in cordibus eorum, qui impietati consentiunt, & quibus placet mendacia hominum vanissimorum: vnde illi tantum, in quorum cordibus huiusmodi corruptelæ sunt, exinde, moriuntur, qui in tertia parte, quæ est reproborum (vt diximus) computatur. Ideo dicitur. Et multi homines mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt, hoc est, lætales infusus mendacis hæreticorum. Multos dicit, non omnes, quia hi soli potu hoc pereunt, quibus placet, & gustant vsque in finem. Qui autem & quod gustarant euomunt, seruantur vt non pereant, sed poenitentia correcti viuant. Quod quibus contigerit, agant gratias Deo, quia ab hoc absinthio liberati sunt. Dominus custodiat nos ab absinthio hæreticorum.

*DE QUARTO ANGELO
TVBICINE. Sect. 5. Punct. 1.*

Et quartus angelus tuba cecinit: Et percussa est tertia pars solis: Et tertia pars lune: et tertia pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars eorum. Rem prædicit, quæ facta est sub quarti sigilli apertione. Proinde hic angelus quarti temporis prædicatores exhibet, quibus canentibus percussa est tertia pars solis, lunæ ac stellarum vsque in obscuracionem. De qua re cecinit. Esaïas cap. 13. Ecce dies domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendum terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea; quoniã stellæ cæli, & splendor earum non expandet lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & non splendet in lumine suo. Delectis

*Angelus
quarti tem-
poris.*

nanque hæreticis, quorum copiosa seges pullularat sub tertia tuba, hypocritarum sensim opera dæmonis irreperceperunt, qui multa pietate in speciem erant hominibus, quam in veritate non habebant, miris admodum se modis in angelos lucis transfigurantes: & dum profectum ostenderent, mirum quàm vehementer nocebant, adeo vt natiuum solis ac lunæ, stellarum quoque splendorem auferrent ab hominum credentium obtutibus. Sol Christi est typus, luna ecclesiæ, stellæ doctorum. Christus fidei lumen lucet in cordibus credentium, vt ad eius lumen videant: Ecclesia accipit lumē à sole, & virtutem bene operandi, & omnem gratiam in sacramentis, quibus vitur, à Christo, qui est caput supra omnem ecclesiam. Doctores splendorem emittunt in veritatis annunciatione. Et ij omnes in tertia parte obscurati. Christus, ecclesiæ, & doctores. Christus in se non percutit, percuti tamen dicitur, dum suæ veritatis lux absconditur, immo & ipsius cognitio obscuratur: quod fit in malis ob vitia eorum. Et est sensus. Claritas Christi multo minus tum lucebit ob mendaciorum impuritatem, quàm prius, quum syncerè crederent credentes. Nam claritas fidei veris christianis in cordibus eorū lucet in virtute sua, nube infidelitatis autem obductis non exerit lumen suum splendore natiuorum: vnde necesse est sequi defectū in ecclesia: propter quod dicitur, & tertia pars lunæ percussa est. Percutitur ecclesia dum in credentibus minuitur, tanquam diminutionis membrorum vulnus acciperet. Stellarū quoque pars tertia percuti dicitur, dum veritatis lux in doctoribus obtenebratur. Ergo quicquid de Christi cognitione, & veritatis eius scientia minus fuit, in his, qui sub quarta tuba erant, per tertiam partem solis. Et quotquot à sincero pietatis studio defecere, in credentibus, per tertiam partem lunæ. Ex doctoribus autem qui à veritatis constanti assertionem ad sua commenta & mendacia defluxere, per stellarum tertiam partem significantur: qui hypocritarum vanitate corrupti, & ipsi facti hypocritæ, dicentes se habere fidem in cognitione Dei, factis autem negantes. Alij intelligunt per solem prælatos ecclesiæ, in primis autem qui maximus est pontifex, qui lucere debent instar solis verbo veritatis, & vitæ radiis quàm ful-

*Solis, luna ac
stellarum sa-
cramentum.*

*Christus ob-
scuratur in
cordibus ho-
minum.*

*Sol prelati
ecclesiæ.*

*Luna subie-
ta plebs.*

*Stella reli-
giōsi.*

gentissimis, ad quos est sermo domini dicentis, Vos estis lux mundi. Hi in tertia parte percussi dicuntur, quod à prima claritate vitæ & verbi Dei annunciatione defecerint multi qui in tertia parte computantur. Nam pauci sunt, qui ea quæ Dei sunt quarunt, sed quæ sua. Per lunam congregationem subiectam fidelium intelligunt, quæ est per prælatos illuminanda: cuius etiam tertia pars obscurata. Nam ex prælatorum ecclesiasticorum ruina, & impia vita: inferiores isti passi sunt magnam divinam illustrationis, & gratiæ diminutionem, splendorem pristinæ sanctitatis in parte amittentes. Per stellas religiosos, ac inferiores prædicatores capiunt, quibus ornatur ecclesia sicut cælum stellis, quorum etiam tertiam partem obscuritas inuoluit: ita ut hæc eorum pars non aliud sit quam mera hypocrisis. Factum quidem est hoc, ut post hæreticos hypocritæ quarti temporis cacodæmonis actu operaq; subintraret: cum his tamen, quasi datis inuicem manibus iunctim Mahumetani quoque ex hæreticis hypocritisque nati irrepere, per quos tertia pars solis adeo est percussa, ut mirum sit quam multi fidem abnegarint ex credentibus, in quorum cordibus Christus sol verus obscuratus est, qui omnes in tertia parte computatur. Lunæ quoque tertia pars obscurata, quia nimirum ecclesia demolita est per istos in ea parte, quæ à fide defecit: sed etiã, iuxta historiam frequentibus bellorum deuastationibus, abduktionibusque destructa. Stellarum etiam quod simile malum omnes comprehenderit doctos & indoctos, principes ac plebeios, ecclesiasticos laicosque. † Punct. 2.

Et diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.

Dies hoc loco pro prosperitate capi non potest, nec nox pro aduersitate: sed neque secundum literam, ergo quid dies, & quid nox sit videamus. Scimus quia in die lucet sol, illuminatur enim dies à sole: fecit, inquit, Deus luminare maius ut præesset diei, Gen. 1. Et in Psal. 135. legis, Fecit solem in potestatem diei: lunam & stellas in potestatem noctis. Scimus & hoc quia solis typo Christus designatur. Ergo dies sancti sunt, iusti, & innocui, timentes Deum, quos illuminat Christus iusticiæ sol. Malach. 4. Deus enim lux est. 1. Ioã. 1. de quibus Paulus loquitur, dicens. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in do-

*Dies quid
sit & nox.*

mino, ut filij lucis ambulate. Nox obscura caligine inuoluitur, in qua principatum tenet luna, quantum etiam gemmata sydera cum ea pariter nitent: quæ in suo mysterio peccatorem exhibet penitentem. Peccator enim ob peccatorum dolorem veluti caligine quadam obuoluitur, quoties memoria peccatorum oboritur, & sic ad penitentiam compungitur: luna tamen, & sydera non nihil lucis nocti sumministrat: sic ecclesiæ authoritas in sacramentis, cui sanctorum prædicationibus non nihil in peccatoribus efficit lucis. ex quibus patet, quia & viri perfecti, siue contemplatiui, & etiam penitentes, in aliqua sui portione sub quarta tuba Eclipsim sustinuisse indicantur, corrupti per hypocritas, infanos homines, nomine solo christianos, ceterum autem corruptissimos, quos iam pridem euomuit ex ore suo Christus. Horum vitam multi ex piis abominantes, nolebant ulterius diuersari cum ipsis, sed deserta petentes soli habitabant: hi sunt duæ partes synagoga, videlicet, qui in lectoribus auditoribusque computantur iusti & penitentes: qui aut legem Dei sic custodiunt ut non transgrediantur: aut si transgrediuntur ad penitentiam conuertuntur. Per idem tempus florere sancti anachoretæ, quorum princeps erat beatus Paulus Thebeus: qui absque superstitione, cum multa & incredibili carnis maceratione verbum Dei seruantes in solitudine, in speleis ferarum solitariè vivebant, Deoque in seruore spiritus seruebant. Vacabant hi sanctis orationibus, & spiritu patrem in occulto orabant, subinde memoria repentes id quod scriptura habet, Vacate, & videte, quonia ego sum Deus, Psal. 45. Et rursus, Gustate & videte, quoniam suavis est dominus, beatus vir qui sperat in eo. Psal. 33. Gustabat ergo, & inexperientia dulcedinis spiritus eius dicebat, O quam suavis & bonus est spiritus tuus domine. Sap. 11. Et iterum. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timētib; te domine. Psal. 30. Hoc est manna illud, gustus videlicet spiritus, quod supra victori pollicetur dominus cap. 2. Quales erant ij, de quibus sermo habitus est, quorum loca postmodum à sarracenis, Mahumetanis occupata fuere, ipsis de locis illis effugatis. Aliis per diem viri ecclesiastici intelliguntur, vita & doctrina præclari: per noctem cœle vulgus, quod sine noticia scripturarum est.

*Anacoreta
quo tempore
florere.*

*Paulus pri-
mus eremita.*

Ignorantia enim quedam nox est: quibus opus est, vt stel-
le doctorum niteant suis fulgoribus. Horum tertiam par-
tem obscurandam fore hec scriptura dicit per hereticos.
Nam omne quod corrumpitur a suo contrario corrup-
tetur, duabus partibus in sua sinceritate permanentibus,
quae legem dei custodiunt in duobus preceptis charitatis
diligentius. *Punctus 3.

*Et vidi: & audiui vocem vnus aquile volantis per me-
dium cali, & dicentis voce magna, Vah, Vah, Vah, habi-
tantibus in terra.*

*Aquila vo-
lans predi-
cator.*

Visio hac imaginaria fuit, vt cetera: in qua idem sunt vi-
dere & audire. Vidit ergo & audiuit, id est, intellexit.
Græca quedam exemplaria angelum habent, vetustiora
aquilam: sed nihil refert, dum modo certo teneas, typum
esse vniuersorum decreti dei interpretum, tam angelum
quam aquilam, quorum caelestis conuersatio est: & vo-
lant in omni sollicitudine annunciantes decretum Dei in
plebem. Tripliciter autem, Vah, aquila, ad exaggerandum
terrorem, clarioremque mentis suae expressionem, con-
formans se consuetudini prophetarum, qui instati graui
discrimine, saepius eandem vocem repetere consueuerunt,
saepè per id interni doloris vehementiam exprimentes:
sic Ioel, sic Ieremias, sic Ezechiel. In Zacharia, O, bis re-
peritur ad terrorem audientium, propter quod saepe vo-
ces eiusmodi geminantur. Est autem vah nota maledi-
ctionis siue execrationis dei omnipotentis, quasi dicere-
tur. Maledictioni & execrationi sunt omnes obnoxij
quicumque relicto Deo, & iustitia eius viam peccati se-
quuntur. Placet Haymoni per tria vah æternam signifi-
cari damnationem, quae manet habitantes in terra, hoc
est, non caelestem, sed terrenam conuersationem sequen-
tes: hi sunt pleni viciis, & omni inquinamento. Sed aliter
& magis propinque ad rem accedamus. Namque tria hec
vah, tria mala denunciant, quae execratione dei omnipo-
tentis ventura sunt super faciem terrae. Primum horum
erit locustarum execrabiliū, vt praeclearius sole patebit.
Secundum solutionem quatuor angelorum, a quibus oc-
cisa est tertia pars hominum tribus plagis, igne, fumo, &

Vah.

sulphure. Tertium respicit tempus illud, quo in extremis
diebus post interitum antichristi, communis videlicet
pacis tempore, insanient Gog & Magog, de quibus in-
fra cap. 20. *Punctus 4.

*De ceteris vocibus trium angelorum, qui erant tuba
canturi.*

Breuis iste versiculus titulus est sequentium, vt palam
est. Docuit antiquus codex incerto auctore. Iam enim
quatuor angeli tuba cecinerant, restabat vt alij quoque
canerent, cantuque suo aperirent quid mysterij per eos si-
gnificari velit deus, Etenim opere praecium erat vt hi ma-
nifestarent dei voluntatem, alioqui negligentiae argue-
rentur, & punirentur, ob creditum ministerium. Vah (in-
quit apostolus) mihi si non euangelizauero. i. Corin. 9. &
Esa. 6. Vah mihi quia tacui. Item eiusdem. 50. Clama-
ne cesses.

*Predicandis
ministerium
impigrè agē-
dum.*

CAPVT. IX.

DE QVINTO ANGELO TVBICINE.

Sect. I. Punct. I.



*Et vidi stellam
de caelo cecidisse in terram.* Eorum qui sub a-
perture quinti sigilli, veritatem constan-
ter asserunt, angelus iste typus est: stella au-
tem è caelo lapsa diabolus: cui insultans pro-
pheta ait, Quomodo cecidisti lucifer. Esa. 14. Quo in lo-
co id comprimis obseruandum fuerit, quia dicit, vidi stel-
lam de caelo cecidisse in terram: non enim dicit, vidi ca-
dere, sed cecidisse: dudum enim ceciderat: ante quatuor
millia annorum, vt supputant. Quando cecidit nullus
hominum vidit, praeter illum, qui in euangelio dicit, Vi-
debam satanam sicut fulgur de caelo cadentem, sed ne-
que is tum homo erat, quando videbat, deus autem erat,
quia ante secula erat deus. Rectè ergo ait, Vidi cecidisse,
& non cadere. Aufculata, In caelo lucifer erat, caelestis non
erat: neque enim dilectione in deum tendebat, quam po-
lucifer.

*Stella cadens
satana lucifer.*

*In caelo caele-
stis non erat
lucifer.*

tius ad se retorquebat: diligebar enim magis se quam deus in quo non erat, & ideo in celo cælestis non erat. Nam & se deo æquari volebat, intolerabili satis ambitu honoris, ut etiam si deus contrarium vellet, tentaret tamen: non rectè secum reputans, nec adeo aduertens supremi illius numinis maiestatem, qui solus humiliat & sublimat, deducit ad inferos, & reducit, donec lapsu fecit periculum: multorum sanè eruditione, non plus sapere quàm oportet sapere, sapere autem ad sobrietatè, nec appetere quod aut supra se sit, aut contra dei voluntatem. O quàm prestitisset lucifero in harena (ut dicitur) consilium capere, ut non deo se æquasset, cui nihil est æquabile.

* Punctus 2.

Et data est illi clavis putei abyssi: & aperuit puteum abyssi.

Abyssus putei iniquorum corda.

Quid aliud hoc loci per puteum abyssi, nisi iniquorum corda signantur: quæ & errorum tenebris plena sunt atque ideo obscura: sicut scriptum est, Tenebræ autem erant super faciem abyssi, Gen. 1. & immensitatibus nequiarum referta, quasi quibusdam fluctuum voluminibus quæ modò in sese colligantur: modò diffundantur: modo collidantur. Hæc abyssus sapientiam Dei patris non agnoscit, sicut scriptum est. Abyssus dicit, non est in me. Job. 28. In hac abyssu antiquus hostis toto tempore vitæ præsentis catenis in mysterio religatus tenetur, & reuerà tenetur ut non quantum velit per eos piis noceat, sed in eis ipsis intabescat. De hac abyssu in nouissimis illis temporibus bestia ascendere perhibetur, cuius nomine ipsum diabolum nouimus designari. Aliter (ut aliis placet) per puteum abyssi possunt intelligi ipsi prædicatores errorum, per quos satanas iniquitatis suæ venena diffundit. Si enim os abyssi puteus est: rectè illi designantur per puteum, qui falsa docere probantur, quorum aqua dogmata falsa sunt. Porro quid clavis est, nisi potestas, qua valeat id malignus ille efficere, quod destinauit in corde. Nec ab alio datam putandum quàm ab ipso Deo, sic ut permitteret talia exerceri: certum enim est, nisi vellet nullo vnquam modo fierent aliqua. Sed iam propinquius ad rem accedentes videamus, quid iuxta auriculum temporis stella ista sit, cui data est clavis putei abyssi, necesse est enim

intelligere per eam vnum ex ecclesiæ doctoribus, quos *Stella cadens* intelligi vult Daniel per stellas. *Qui* (inquiens) erudiunt multos, quasi stellæ sunt cap. 12. Ergo herefiarcha quinti temporis hæc stella est, quæcunque ille sit magni tamen antichristi aduentum præcurrens: qui merito de celo cecidisse perhibetur, quia ab ecclesia vitro recessisse probatur, hoc est enim de celo cadere, quod ab ecclesia recedere, & iugum obedientiæ deponere: sacris eiusdem decretis reclamare: quibus hic apostata reclamationem semper. Cecidit autem in terram. Quid est in terram cadere, nisi terrenum fieri, terrena curare, carnis voluptatem sequi, nihil legi spiritus subiectum esse, ac sic cæteros docere: libertatem christianam in licentiam carnis vertere, quod Christus non docuit, qui tibi nusquam non occurrit à passione gloriosus, ante passionem in laboribus plurimis & arumnis. Hic igitur non sine eo, quem angelum descripsimus è sublimi prolapsus, accepta clauis, hoc est potestate forti, aperit impij erroris profunditatem: qui & puteus est & profundus. In puteo aqua est, in abyssu profunditas cum cœcitate. Hæretici namque per apparentem fictamque sanctitatem, per eloquentiæ nitorem, per naturalis philosophiæ acumen, per scripturarum sacrarum profunditatem, mendaciorum suorum abducent cõmentata sæpe tanta obscuritate, ut linceis oculis opus esse illi dixeris, quicunque velit discernere. Ducunt ab imo aquas, fundunt sed mera mendacia, quæ carent fundamento, nullum enim est mendacis fundamentum. Veritas habet fundamentum, quia supra petram fundata est: ut sita sit, non quod interim vera quoque non intermisceant, sed quia mendacis innituntur, corpusque vnum ex his sciunt veritate vacui inueniuntur, quam aliàs parum attendunt, magis autem errorem suum, quem persuadere nituntur.

Dicere possumus & ipsum hæreticorum gymnasium puteum abyssi, quod aperit malignitatis author per illum, quæ suscitauerit in operationem erroris maledicti. Nãque necesse est ut veniant scandala, sed vñ homini illi, per quem scandalum venit. Matt. 19. Nemini autem videatur absurdum, quia diximus à deo dari esse clauem, in operationem erroris mali. Nam & sanctum Iob ut affligeret satan ab ipso Deo accepit potestatem: nec proinde author

Cadere in terram.

Puteus abyssi gymnasium hæreticorum.

mali aut sola voluntate ipse Deus conuincitur, qui est summè bonus, summè sapiens: & summa bonitate & summa sapientia agit, quicquid agit, ut calumniari nequeas. Nonne Pilatus audit ab eo, Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Ioan. 19.

*O Punct. 3.

Et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magna: & obscuratus est sol. & aer de fumo putei.

Fumus doctrinae haereticorum.

Fumi nocentia.

Quam acerba sit doctrina haereticorum apta metaphorâ explicatur, eo quòd fumo exaequetur. Fumus in primis grauis odore est, acerbus vsque ad lachrymas oculos perfringens, spiraculumque vitæ impediens: amarus gustu, iugulo noxius: obest & intestinis, maxime verò pregnantibus, ut & foetum quandoque vtero soleat profocare: sepe numero vsque ad punctiōnem ipsū cor perurgit: officit non nihil & capiti, ut nihil sit vitalium, quod nō perturbet: nihil tam sincerum, tam candidum, quod nō terra fuligine inficiat: ut rectè per ipsum correptum ac pestilens haereticorum dogma capiatur: quod primūm fidei lumine priuat mentem, ne recta acie ceterum cernat. Deinde conscientiam perturbat: priuat autem vitali gratiæ spiraculo, simulq; omnia interiora inficit ac corrumpit, ad extremum luctum perurgens hominem. Porro, non modicus esse videbatur fumus hic, crasso ac lōgo volumine sese prouoluēs: par erat fumo fornacis magnæ, hoc est, persecutioni Antichristi: ostendens per id, qui tēporis persecutionem tristiore fore omnibus, quæ vnquam antea fuere: nam & solem & aërem obscuratura est. Per solem saepe diximus christum figurari. Per aërem quid aliud intelligim quàm viros illuminatos, per quos datur aliis conspicari, perinde ac per medium aërem ex presentia solis illuminatum. Omnis enim sapientia à Domino Deo est. Eccle. 1. Ergo per eum viri docti illuminantur, per quos licet nobis prospicere. Quomodo autem iste sol Christus deus noster obscuretur iam dictum est: Non in se, sed in eis, qui in intelligentia sapientia eius minuuntur, ut non teneant veram fidem, nec fidei eius regulas. Scriptum est enim quia oritur sol, & occidit, Eccle. 1. oritur pius, occidit impius: sed in se pleno fulgore semper idē permanet.

permanet. Fumosa doctrina haereticorum efficit, ut quorundam in cordibus obscuretur Christus. In quod tempore passionis eiusdem domini nostri Iesu christi sol obscuratus est, quia obscuratus erat in omnibus credentibus & in suis discipulis, ut non crederent. In Iudæis autē vsq; modo: obscuratus & in hereticis similiter. Proinde obscuratus est (inquit) sol de fumo putei, id est, de doctrina falsitatum, mendaciorūque, quæ profunda sunt sicut puteus. Videmus quàm multos doctos ab hoc fumo obscuratos, ut nō opus sit in re aperta longius immorari. Et est sensus. Prænumcia magnæ fornacis, hoc est, vltimæ persecutionis Antichristi, haeretica quædam feruebit infamia: & christum in cordibus deuotorum, & etiam viros illuminatos in semetipsis obscurabit. Potest & scriptura sacra aër esse, per quam licet nobis prospicere, tanquam per medium aërem illuminatum à sole: hāc suis sensibus deprauant haeretici, ut nō facile per id liceat prospicere, hoc est ergo fumus putei, quod sensus erroneus & doctrina haereticorum, è cordibus eorum magnis voluminibus, velut fumus fornacis magnæ prouolutus, ut sint velut Etna Sicula corda haereticorum: de qua Vergiliana extant carmina in 3. Aeneid.

Interdumque aram prorumpit ad aethera nubem,

Turbine fumantem piceo, & candente fauilla.

Attollitque globos flammarum, & sidera lambit.

Interdum scopulos, auulsaque viscera montis

Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras

*Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo. *O Pun. 4.*

Et de fumo putei exierunt locustæ in terram.

Sicut in corpore mystico christi sunt membra de membro: sic & membra draconum sibi inuicem sunt coherentia, ut alia nascantur ex aliis, quæ hic locustarum nomine describuntur. Certè haeretici haeresiarum filij, siue discipuli, ad modum locustarū multi sunt nimis, in hoc nati ut terrena hominum corda decipiant, qui bene locustis comparantur. Ut enim locustæ neque rectos gressus habent, ut quædam animalia, neque continuum volatum ut aues: sic homines probrii in diuersum ambulat, saltantes passim, & in gyrum sese reflectētes: sicut scriptū est, In circuitu impij ambulat, quòd neq; fide recta sunt mos.

D

Scriptura sacra.

Locustæ haereticorum.

neq; intentione: & quamuis interim alis se à terra subleuet, vt cœlestia cū sc̄tis petere videantur, v̄tris tamen grauitate depressi relabuntur in terram, nihil vltra corporis vires vigere valētes quàm patiatur eorū natura. Non diffiteor quin faciant nonnunquàm pia hæretici, sed impiè, quòd nō simpliciter faciāt, nec intētionē rectā, vt nec lucida sint eorū opera: de quibus ait apostolus, Specie quidē pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. 2. Tim. 3. Item. Hoc autem scito quia in nouissimis diebus instabunt periculosa tempora: & erunt homines se amātes, cupidi, elati, blasphemī. Et ca. seq. Spiritus inquit, manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedēt quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum in hypocriſi loquentes mendacium, cauteriatam habentes suam conscientiam. Meminit de eisdem & Petrus in secunda epi. cap. 2. dicens. Erunt magistri mendaces, qui introducent sc̄ctas perditionis, & multi sequentur eorū luxurias. Tales pestes hic fumus progignit: tales fert locustas, ventre ipso proportionē maiores, sc̄ctas, abominabiles, speciosa campi ecclesia: depascentes, oreq; sanioso tūcta polluentes; ferro & igni delēdas: eo quòd non sint, nisi fumus amari, excoecantes, atque in extremā perniciem trahentes, vt luceant semper decepti pariter cum illis.

*o Punctus 5.

Et data est illi potestas, sicut habent potestatem scorpionēs terræ.

*Scorpiones
hæretici.*

*Scorpio vnde
dicatur.*

*Consuetudo
hæreticorum
in docendo.*

Quo per incrementa temporum incommodi hi proficiāt hominēs, pulchris admodum conuenientibusque indicat tropis: vt primū simpliciter locustæ sint, postea verò autē virtutibus quasi parum sit eos locustas appellasse, titulo dignātur & scorpionum. Et data est, inquit, illis potestas sicut habēt potestatem scorpionēs terræ. Nouimus scorpionēs vermes potius quàm animalia esse, cauda spiculato acumine noxiōq; recurua; qui ex eo à Græcis hoc vocabulo dicuntur, quòd cauda figant, & arcuato vulnere venena diffundant. In facie quidem blandi scorpionēs sunt, & in cauda letales: innocuos se ore simulant, vt incautos cauda occidant. Ita hæretici quoque blandi sunt in faciē, sed in posterioribus venena seruant: metuunt namque suos auditores in exordio loquutionis offende-

re, ne si vigilanter attendantur, deceptionis laqueos deprehendant. Aspectu ergo velut innocui sunt, mortiferi cauda: punitione: vt bene scorpionēs sint, immo absque composito vniuersis terræ scorpionibus nocētiores. Quo noie dignatur deus & filios israhel. Ezech. 2. propheta veluti amico loquēs, Et cū scorpionibus (inquit) habitas, maligni enim erant, increduli, & subuersores. Quibus nominibus ibidē notantur cōtumeliosi, ideo & domus exasperans dicuntur. Sed qui magis versores, exasperantēque, quàm hæretici: ij adulātur in tēpus, vt incauta, nihilque mali suspicantē subuertant plebeculā. Nimis crudelis est eorum punctio: nam sempiterna perditio, mors insanaibilis, nunquam reuiuificanda mors. Talis potestas eis est concessa, & lædent animas sine fine & modo, caudarū aculeis ferientes, id est, per dulcia blandimenta venenum erroris sui diffundentes, ac intra sinus miseræ conscientię occultantes.

*o Punctus 6.

Et præceptum est illis, ne laderent fenum terræ: neque omne viride: neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.

Perpicuum est, non per proprietatē, sed per similitudinē locustas ex amaro putei Abyssii profluentes debere intelligi, dum quòd locustarum est facere hoc illis interdictum. Locustarū namque est fenu terre lædere, depasci virētia, teneros quoque arborum ramusculos abrodere. Exo. 10. scriptum est, quòd etiam poma deuorassent, nihilq; omnino virens relictum esset in lignis & in herbis terræ in cuncta ægypto ab eis. Magnum sacramentum non permitti lædi fenum terræ, neque omne viride: neq; omnem arborem, sed tantum homines fide diminutos, seductos doctrinis eorum, qui non habēt signum Dei in frontibus suis, id est, non demonstrant fidem in operibus. Superius dictum est, quòd omne viride fenum combustum sit: nō potest hic in malā partē capi: ergo per fenu, & viride, & arborem, tria genera hominum debemus intelligere, videlicet incipientiū, proficientiū, & perfectorū, prout emūctioris scientiæ viri tradidere. Sunt enim in ecclesia Dei infirmi & quasi lactentes adhuc, qui non possunt capere solidum cibum, quibus Apostolus ait, Non potui vobis saluadorum, loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: tanquā

*Hominum
tria genera*

paruulis in christo lac potum dedi vobis non escam. 1. Cor. 3. Sunt & proficientes, qui solidiora etiam dogmata capere possunt: seque exercere fortiter in penitentiæ operibus. Sunt denique perfecti, qui eluctatis viriis, tærationibusque carnis: mundi, & demonis vafriis superatis florent virtutibus, stant incõcussi. Dei sacramenta in scripturis penetrant, magnalia meditantur, faciunt mirabilia, derident quasi ab alto insultus tentationum: non diebus nõ noctibus cessant meditari in lege domini. Quid moror: sunt quasi lignum pomiferum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tẽpore suo. Qui eiusmodi sunt, beati. Primi sunt velut fœnum terra, teneri, & parum à terra eleuati, id est, à sensu carnis, speciosi tamen, carnem spũali vita contegentes: ne in eis quid carnale appareat, nisi quod teneri sunt, nec multum à carne seiugati: vnde fit, vt nec tanta patiantur, quanta spiritu robusti. Secundi per viride designantur, perfecti virtutibus: prima teneritudine in se iam solidata. In viride omne pulchrum est, haud parum delectas visum: sic & in proficientibus cõmendamus assuetas virtutes, sensuum robur, & patientis animi modestiam. Tertij, hoc est, perfecti, in modum arboris altæ defixis radicibus manent immoti: fructificant, prosunt aliis, sustentant imbecilles, & omne quod bonum est faciunt: quibus non nocebunt, locustæ hæ infames, eo quod electi sunt, & dominus protegit illos, & seruat ab his locustis. Haymo separat & in his tertiam pereuntium partem, quibus nocebunt. Homines vero signum dei in frontibus nõ habentes sunt qui fidem in operibus nõ exhibent. Namque hoc est signum dei in frontibus habere quod fidem in opere demonstrare. Et veritatis charitatem, non recipere, de quibus Paulus dicit, Mitter illis deus spiritum erroris, vt credant mendacio, eo quod veritatis charitatem, non receperunt, & ij sunt decepti homines miserissimi per has locustas, hæreticos peruersos, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum, loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam. 1. Timo. 4. qui semper læduntur & cruciantur in eorum conscientijs. Nisi essent nostri tẽporis garruli homines molliculi & belluli hi, qui fatentur se nosse deum factis autem negant:

Homines signum dei non habentes.

sufficere sibi dicentes in corde credere: nec ostendentes opera fidei, scandala grauissima humani generis: hi sunt qui semper læduntur, nec occiduntur penitus, quod fidem non abiurent, immo confiteantur, sine tamẽ operibus, id est, in conspectu hominum non sunt velut ethnici, qui fidem non habent, sed velut ex fide viuentes: internẽ tamẽ sine cruciati non sunt. Hinc habes quod neque ipse diabolus cum vniuersis suis locustis: verẽ creditibus, ac perfectis vita nocere possit. Habes iterũ, quod quicquid mali à locustis his accidit, est aut à fidei, charitatisque defectu, aut ab eius diminutione. Habes item quia quod locustæ vere credentibus non officiant, non est precile à se, sed ab eo qui eos coërcet reprimisque, ne illis noceant. Habes insuper signum dei fidem esse: quæ in frõtibus sic esse debet, quod sit in opere manifeste ostendenda. Quod enim in fronte est, palam est, eo quod frons superior semperq; detecta pars corporis sit. Denique habes & id, quia locustæ nemini possunt nocere, nisi quibus, & quantum Deus permittit periclitari fide carentes, aut diminutos. Sic Petrum ambulantem super aquas penẽ mergi permisit: vnde mox increpans illum, dixit. Modicæ fidei qua re dubitasti? Matth. 14.

✱ Punctus 7.

Fides signum Dei.

Et dictum est illis, ne occiderent eos: sed vt cruciarentur mensibus quinque. Et cruciatus eorum vt cruciatus scorpij, qui percutit hominem.

Locus in quæstionem multiplicem venit, Si enim hi qui signum Dei non habent in frontibus suis, reprobi sunt: quomodo ab eorum interfectione locustæ prohibentur? Aut nunquid in eo quo nocent, non occidunt? An forte viuere probantur, qui signum Dei viui non habent? Quapropter sciendum nobis est, quia ad superiorem sententiam, quod hic dicitur, refertur, qua lædere fœnum terra, omnẽque viride, vel omnem arborem, quibus electi designati sunt, prohibentur. Ac si dicatur, diuina virtus refrenat illos, ne his noceant, qui siue inchoantes sunt: siue perfecti: siue perfecti, electi autem: qui sub manu Dei seruan-

D iij

*Iustis adest
tribulatio
semper.*

etiam si ad carnem persequantur interim, occidanturve. Sed ut tantum modo cruciarent mensibus quinque. Hic aperte demonstratur, quia iustis nunquam deest tribulatio, id est, nunquam sic deest, ut aliquando non recurrat. Per menses enim quinque omne tempus vite presentis designatur, in quo quinque sensibus vitimur: vel potius ad quinque aetates menses iidem referuntur, quibus vita presentis decurrit: quae sunt Infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, & senectus. Quare autem in mensibus magis quam in annis aetates describantur, causa in promptu est: videlicet in mensibus lunae crescentis ac decrescantis mutatio fit, ut intelligamus vitam hanc continuis mutationibus esse obnoxiam, in qua varietate frequenti casus accedunt ac recedunt: ut non semper continuis decursibus adsit vel tribulatio vel tranquillitas: quatenus intelligeres illos qui dudum mendacio haereticorum fuerant seducti fideque imminuti, postmodum gratuita Dei clementia posse fide firmari, ut reuersi recipiant veritatem: de quorum profecto numero intantum plerique ad defendendam veritatem fortissimi euadunt, inquantum pernicatissimi ad tuendum aliquando mendacium fuerunt: quemadmodum in Apostolo sancto effectum est, qui antea pertinacissime ecclesiam persequabatur, hanc postmodum vsque ad sanguinem defendit, & intantum durius afflictus, inquantum vehementius christum & ecclesiam persecutus: ut ex hoc vno satis locus pateat. Bene autem eiusmodi pestes, in cruciatibus eorum actiuis, scorpiis assimilantur. quippe qui in cauda gerant venena in facie blandicias. Sed maxime quo intelligeres cruciatum esse acerbissimum, cuiusmodi sunt omnes aduatores perniciosi, occulti hostes, operis longe grauiores: ut meliora sint vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Prover. 27. Secat enim ille ut sanet: hic, ut perimat, osculatur, Iudae per similes, qui osculo tradidit dominum. sed vix duplici corde hominibus. Eccle. 2. Et qui sophisticè loquitur odibilis est, cap. 37. in eodem. Sed quomodo dicitur, quod eos qui signum Dei non habent cruciarent, &c. Aut quis iste cruciatus est: nempe funesta eorum doctrina, quae mergit in interitum: ut bene scorpij cruciatibus comparatur cruciatus eorum qui in cauda

habet venenum, quo cruciet in morte insanabiliter que pungit. Vsq; ad mortem ergo cruciatus durat haereticorum in eis quos decipiunt: nisi Dei gratia respiciant.

*o Punctus 8.

Et in diebus illis quarent homines mortem, & non inuenient eam: cupient mori, & fugiet mors ab eis.

Quid est homines quærere mortem & non inuenire, *Reclis mortem quærere quid sit.* nisi secreta conuersatione Deo inherere cupere: Cui enim nonnulli sanctorum, vel prauis haereticorum dogmatibus: vel huius saeculi impiis peccantibus, hincinde agitur: remotam & quietam ducere vitam mundo mortui concupiscunt, sed non valent: quia eos, aut regiminis insolubile vinculum adstringit: aut inferioris gradus honor iniunctus cohibet: atque inter hæc mortificationem sui in desinen- ter quarunt, sed quærentes non inueniunt: quia eis in usum gloriae temporalis etiam dignitas seruit, dum hac veritatem defendunt: licet quod in hac vita desiderat non habeat. Fit enim mira, diuina pietatis dispositione, ut inde perfectius aeternam vitam acquirat, vnde pro defendenda veritatem ad tolerandos exteriores honores semetipsos inclinant: & inde apud Deum plenioris intus mortificationem inueniant, vnde foris onerosam temporalis gloriae vitam tolerant. Nonnunquam enim viri sancti vnde desideriorum suorum detrimenta tolerant, inde maiora lucra ex aliorum prouentu reportant. Quia dum eis vacare ut appetunt, non licet: rapere secum alios quibus admisceretur licet. Quid nanque inter lupos grex relictus ageret, si pastores secreta conuersatione è mundo migrarent? Quid lactentes paruuli facerent, si patres ut cupiunt mortem inuenirent? Quærent ergo homines sub quinta tuba mortem, & fugiet mors concupita ab eis. Potest & simpliciter intelligi. ut tunc boni quique exhorrentes tantam abominationem, quantam ab improbis passim fieri vident, nec vltra Dei iniuriam ferre valentes, cupiant subito eripi è vita, nec tamen valent Deo aliter disponente. Nouit enim Deus quid cuique conueniat: & quando: & quo vsu, tum suo, tum etiam aliorum. & ideo sanctis plerumque expetitam negat mortem: negat & genus mortis. Sic olim Moyses ille mirissimus mortalium cupiebat mori, sibiq; eam imprecabatur dicens,

*Electis sepe
negatur
mors.*

Obsecro domine: vt interficias me: & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Num. 2. Sic & Elias propheta petiuit animam suam vt moreretur. 3. Reg. 19. Hęc etiam vera sint, & per sanctę dicta: mihi tamen magis facere videtur ad enucleationem loci huius visio. D. Vincentij de Valentia ordinis. 9. Dominici, legat qui volet: fecit enim specialem libellũ de eadem, magna fide contestans tanquam alter Paulus apostolus se ante quatuordecim annos mirabilia Dei vidisse: vbi dicit, quod exurrecturus etiam contra papam Romanum quidam Antichristus, non ille magnus, sed præambulo eius, quem mixtum appellat Antichristum: eò quod fidem sacrosanctam minime abnegaturus sit propalam, tamen contra ecclesiã Romanam, & eius sacrosancta instituta multa moliretur, faceretque in effectu. Cuius factionem vsque adeo inualefcere dicit, vt concitatis permixtisque omnibus, plurimi moti potius cupiant quam viuere. & quia id non dabitur, neque enim gladio pugnabit sed verboe mediis eiusmodi blasphemis se propiant, & in locis desertis abdant, quo monstrum hoc non exiet: placebit enim ei magis in ciuitatibus inque hominum frequentia viuere, quam foris, qui ipsum audient. Incipiet tribulatio hæc à sanctuario Dei, propter malam vitam ecclesiasticorum iuxta illud, Tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. 1. Pet. 4. Tunc religiones omnes turbabuntur: & nemo erit exors tribulationis: qui ad tantam deuenient angustiam, vt mutato habitu, coronaq; capillorum abrasa, similiter cũ vulgo obambulent, sic & alij ecclesiastici erunt. Confusis namque rerum ordinibus nullus talium virorum sese prodere promonstrareque audebit, quis aut qualis sit. Tunc ceremoniarum quoque ecclesiasticarum omnes cessabunt, nec aliquid erit inconfusum intactũve. Missarum etiam appetta celebratio non erit: tamen deuotissimi quidam sacerdotes: velut lilia rosęque inter spinas, & velut gemmę inter cętera rudera, volentes satisfacere suę deuotioni, in specubus sub terraneis aut antris petrarum sese colligent, & sic diuina peragent, vt non deficiat iuge sacrificium hoc ab ecclesia, cuius vigore seruantur vniuersi. Quibus peractis, citò paramenta iterum complicabunt & abscondēt, vt non deprehendantur. Quis tunc (oro) velit viuere: Quis

*Antichristus
mixtus.*

non præoptare mortem: Quærent ergo tunc temporis homines mortem, & non inuenient: cupient mori, & mors fugiet ab eis. *O Punct. 9.

Et similitudines locustarum similes equis paratis in preliis: Et super capita earum tanquam corone similes auro: & facies earum tanquam facies hominum: Et habebant capillos sicut capillos mulierum: & dentes earum quasi leonum erant: & habebant loricas sicut loricas ferras: et vox alarum earum sicut vox currum equorum multorum currentium ad bellum: Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.

Totus hic apparatus, tum multus, tum varius, mores exprimit hæreticorum, sub quibus quærent homines mortem, & non inuenient, &c. qui primũ locustæ sunt, deinde scorpiones, equi quoque. Qua ratione locustæ dicantur vt pote ventrosa abominabiliaque animalia, diximus, quæ ventri in primis indulgent, & ob id speciosa quæque virentium depascuntur, & ore polluent, illuuiem veritatis ore vomentes: nonnunquam alis intentisque cruribus subuolare nituntur, sed ventris onere depressi cadunt, vt non alites perpetuo fiant. Hæc, dico locustæ, distortis gressibus saltibusque in terra gradiuntur. In summa fœda sunt animalia locustæ, saniem crapulæ ore de ventre vomentes: & quis non abominetur eas: quibus nihil denique verius propriusque hæreticis conuenit, qui nihil intactum relinquunt, ventri indulgent, comedunt, vorat absque ciborum delectu, absque statorum dierum religione. & mirum interim quàm sibi hæc pestes placeant, qui cultum Dei fidei prædicatione in primis simulant, & in hoc volare supra omnes videri cupiunt, aliterque esse ac merè spirituales: sed relapsi in terram subinde cadunt, vt non cælum eis in voto sit: magis autem terra ipsa, & quæ in terris sunt, honor, & diuitiarum magnitudo. Casus ergo eos arguit non esse nisi fictos. vanosque sanctulos, magisque deceptores hæreticos, qui nec recta incendunt parum probi, parumque modesti. diximus cur scorpiones appellentur: vt pote quia blandi in faciem surit, & cauda arcuato vulnere cõficiunt. Nunc qua ratione equi sint explicare conabimur. Enim verò scimus equis inge-

*Hæretici locustæ ventri-
cola.*

*Hæretici
equi.*

nitam inesse superbiam, qui bene passi, curatique (de generosis loquor) stare loco nesciunt, pede canant terram, spirant naribus: iactatis ceruicum iubis sublimiter incedunt: colligunt in numeros pedes: hinnitu suo animi ad bella pre se ferunt ardorem: hisdem prærapida inest velocitas, immo ad cursum voluntas, & in victoriam cupido, maxime in pugnacibus: quam non assequuti verediam dolore promonstrant. tunc enim demissis auribus & capite, pigro progressu pedes trahunt, membris languidi, vt vix calcari bus promoueas. Sic hæretici ardentibus in primis animi facibus in pugnam ruunt, certare gestiunt, rapiuntur vehementia, effertur, spumant in victoriam plus satis gloriæ cupidi: quam assequuti gaudent letantur & exultant: non assequuti dolent: vt bene prima eorum descriptio sit ab elatione equorum ferocium. Secunda à superbo capitis ornatu: habebant nanque hæc spectra inania super capita sua coronas similes auro, id est, signa falsæ victoriæ. Superius quidem dictum est de sanctis senioribus, quod habebant coronas aureas in capitebus suis, per quas triumphus veræ victoriæ eorum significabatur: nunc autem isti mendaciorum confictores non habent coronas, sed quasdam species earum, quæ nec aureæ sunt, sed similitudinem quandam auri præ se ferentes, quasi videlicet quædam falsitatis figmenta: quia dum se victores simulant, & apprimè dignos remuneratione existimant, faciunt vt meritum perdant, & nec mercede donentur, habentes speciem quidem pietatis virtutem autem eius abnegantes. 2. Timoth. 3. Porro coronas habent auro similes sed nec illæ coronæ sunt, tantum similitudo quædam eorum: quarum omnis gloria tanquã flos fœni citò marcescet, decideret quàm ocyssimè & peribit. Breuiter summæ & incredibilis superbiæ eorum est typus, quod equi parati ad bellum sunt: quod verò habebant tanquam coronas similes auro, gloriæ & honoris ambitionem in eis taxat: sed vix coronæ superbiæ ait in propheta dominus. Gaudent qui nunc gestant eam, lugent quum pœnas tolerabunt nequitie sue. Non patitur Deus superbos ditu regnare, vidi (inquit D. Psaltes) impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani, & transfui, & ecce non erat: quæsiui, & non est in-

Mors hæreticorum.

Hæreticorum corona auro similes

uentus locus eius. Psalmus. 36. Et in Job scriptum est, quia laus impiorum brevis sit: & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Job. 20. Equidem odibilis est coram Deo & hominibus superbia. Ecclesia, 10. Estque initium superbiæ apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius, ibidem. Et, Initium omnis peccati est superbia: quam quis tenuerit maledictus adimplebitur, & subuertet eum in finem: propter eam exonorauit dominus conuētus malorum: & destruxit eos vsque in finem. Et post pauca. Memoriam superborum perdidit Deus. Nota vbi maior superbia ibi maior ambitio, maior temeritas, maior contemptus & Dei & proximi: & exinde maior sequitur casus, grauiorque damnatio, in confusione gloriæ quæsitæ. Tertio describuntur à facie. Et facies inquit, earum, tanquam facies hominum. Quid humana facies prætendit nisi mansuetudinem, quam primum simulant hæretici, vt alliciant, vtque decipiant: nam hæc eorum prima virtus est, sese simulare mansuetos, humanos, affabiles, ciuiles, nihil asperum habentes, vt totos se insinuent, & securus ad precordia ludant: diffundant venena, & in vniuersum deceptos perdant. Quarto à capillio muliebri, quod profecto morum effeminatorum eorum est typus, & omnis carnis, immunditiæ, execrabiliumque volupratum, & libidinis intemperantia, quibus vt sus in volutabro suo volutantur. Nihil sanè conuenientius nostræ tempestatis hæreticis his portentis affingi potuit: quibus odio est in omni ordine cœlibarum. Ipsi plus quàm mulierosi docentes connubia licita fore etiam ecclesiasticis religiosisque viris præter morem ecclesiasticum: votorum fœdera contemnenda contra ius fasque: vt nihil fiat discriminis vltra inter profanum ac sacrum. Rectè ergo capilli eorum sunt, vt capilli mulierum: eò quod ipsi sint effeminati omnes, mulierumque sectatores, in desyderiis suis curam carnis facientes. Quinto à dentibus. Dentes inquit earum, vt leonum erant. Dentes vt leonum sunt figura summæ crudelitatis in eis, quibus mordent, lacerantque absque personarum discrimine: non sexui, non arati, sed nec dignitati, sanctitative parcentes. Quorum os maledictione plenum est & amaritudine, & dolo: sub lingua

Hæreticorum facies blada.

Hæreticorum dentes vt leonum sunt.

*Hæreticorum
dentes ut leo-
num sunt.*

eorum labor & dolor. Psal. 9. ubi etiam sanctus propheta id genus hominum leoni comparat dicens, Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua: Insidiatur, ut rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum. Iam hoc alio quoque eorum mysterio poni certum est. Rapiat enim prædam leo, & in speluncam suam trahit. Sic hæretici miseros homines, quos decipiunt: manibus veluti trahit in suum contubernium, non ut seruet, sed ut enecent, veneno insanabili ne salui fiant, imitantes satanam autorem suum, qui nititur semper in perditionem. Scimus in leone ferocitatem inesse: atque ad discerpendum, perdendumque: promptitudinem: quem natura acutis armavit dentibus, unguibusque ad rapiendum discerpendumque paratis. In hæreticis prope peculiaris mos est mordacitatis qui aliorum infamia aluntur, indeque famam sibi construunt. Est & rapacitas, dum potentissima vi persuadet, scripturarum fortissimis testimoniis in hoc ipsum ventres. Sexta à corporis armatura, armatura nanque earum lorica tanquam ferrea erant. Græci dicunt thoraces. Est autem thorax latinè pectus, unde & munimentum ferreum, quo protegitur pectus, thorax appellatur. Quem admodum autem in sanctis lorica ferrea, siue thorax, typus est constantis fidei, iustitiæque: ita in potentes istis locustis, typus est obstinæ malitiæ, impietatis, & iniustitiæ. Et quid in omni malo locustis his obstinatus? Non cedunt quum vincuntur, nec à pugna desistunt. Instaurant ergo prælia, ac novos iterum congressus moluntur, ut vel tedio vincant, dum virtute nequeunt: quod si ne sic quidem vicerint, dicunt, facultatem eis minime defuisse nisi cõtentioni cessissent, velut modestiores. Septimo à voce alarum. Vox hæc alarum, strepitus est contentionum, & fortissima erroris assertio defensionisque, ut merito strepitui curuum, equorumque; ad bella prærapide currentium compareretur. Per alas potentia eorum designatur. Alis enim aves subuehuntur, & in aere liquido sese æquo moderamine librant. designatur & velocitas, qua rapide feruntur. Porro maiores sunt alae earum, quam aquilæ magnarum alarum. Ezech. 17. & etiam volatis per mediū cæli, Supra cap. 9. Nam potentia hæreticorum secundum tempus maior apparet quam piorum vitam an-

*Hæreticorum
armatura.*

*Hæreticorum
vox.*

nunciantium. Octavo à cauda. Et habebant, inquit, caudas similes scorpionum: & aculei erant in caudis earum. Nouimus caudam postremam corporis partem esse, quæ finis est typus: nocentiam sanè hæreticorum in fine exhibens, quæ est mors, ad puncturam scorpionis consequens. blanda siquidem perniciæ solent hæretici perimere. Hæc sunt ornamenta insignium virorum, quibus sole præclarior constat toti orbi quantum in hæreticis accrescat virium. Et ut summatim recenseamus. Primò fumus ascendit de puteo abyssi, deinde locustæ de fumo profiliere: quæ primum scorpionibus, mox equis, leonibusque comparantur: quibus virtus quasi minus sufficeret, nisi etiam lorica essent, quæ & volatiles sunt: stridore alarum horripensio terribiles, non secus ac currum equestrium magno strepitu ad bella currentium fragor. Postremò vero ne vlla in parte nõ noxiæ sint: & caudæ scorpionum instar, armatæ sunt: ubi & venena habent, quibus per omnem ætatem nocet hominibus: ob id enim aculeos inesse caudis describuntur. Quid aculeus nisi virtus & potentia mortis peccati que? Docet Apostolus quum dicit, ubi est mors aculeus tuus. Stimulus autem habet mortis peccatum est. 1. Cor. 15. Constat ergo omnem eorum doctrinam mortem esse, & peccatū. à quibus protegat nos dominus, peccati mortisque destructor. *o Punct. 10.

Et habebant: super se regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon: Græcè autem Apollyon, & Latinè habens nomen exterminans.

Hoc quod postremum de suo adiecit interpres, quandoquidem Ioannes Græcè scripsit Apocalypsin, contentus ab his intelligi, qui Græcè scirent. Angelus ergo iste abyssi manifestè contrarius est angelo magni cõsilij: rex contrarius regi illi qui in psalmo loquitur, dicens. Ego autem constitutus sum rex. Cui dicitur à Paulo, Regi sæculorum immortalis inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum amen. 1. Tim. 1. Etenim quis alius is rex est, de quo hic metio fit, præter illum, de quo Iob. 41. dicitur. Ipse rex est super omnes filios superbiam: qui contrarij sunt filii sapientiæ, quorum initium est timor domini, & disciplina: quandoquidem ab hinc ceperint, versenturque in hoc cõtinuè electi. Sed videri quia regis hu-

Exterminator diabolus.

ius triplici lingua positum nomen est, & veri regis nostri similiter. Sic enim Ioānis in euangelio de eo legis. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem: erat autem scriptum, Iesus nazarenus rex Iudæorum: Hebraicè, Græcè, & Latinè. Ioan. 19. Qui quàm diuersissimi sunt ab inuicè, ipsa nominis prodit interpretatio. Hic enim vt planè habes exterminator est. At Iesus saluator est: qui saluare nouit, non perdere. Nomen exterminatoris authoritas diuina prius expresserat. in veteri scriptura dicēs, Transibit enim dominus percutiens Ægyptios, quàmque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste: transcendet ostium, & non finet percussorem ingredi domos vestras læderéque. Vnus itaque idemque est, rex: angelus abyssi, & exterminator, percussor: qui tum non nisi in domibus quæ sanguinem non habet in superliminari, & in vtroque poste, permittitur ingredi ac lædere: qui hic præceptum habet cum suis locustis, non nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis, lædere, vexaréque eos in eorum conscientis, vt metuentis non sit à verè fidelibus. Quam miserum est habere hunc regem supra se, seruire ei pro libito, qui in impiis regnat, qui sunt quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Esa. 57. Nota, quemadmodum singulis piis singuli angelici spiritus præsidet, & quidam eorum regnis, vt ij, qui sunt de supremo ordine infiniæ Hierarchiæ: sic quilibet vnum sortitur satanam tentatorem exercentem ipsum. Nam & regnis aduersantur certi. lege Daniele. De quolibet enim ordine aliqui lapsi creduntur. Equidem agnoscendus erat iste exterminator ab his, quibus agnitus ille saluator est: vt dum scitur quàm nociuus iste exterminator sit, melius sciatur quàm verè, quàm rectè, is qui ab hoc saluat, vocetur saluator. Ille ab effectu malo dictus est exterminator: hic à bono, quòd saluet omnes saluator. Porrò huius & illius tribus linguis scripta nomina velut titulos legis. Nanque mysteria Dei primum his linguis erant diffusa, quibus & satan postmodum suã astutiam contra veritatem implicuit: vt hisdem pugnetur contra eam, quibus nota veritas Dei esset: vt iam plerique hæreticorum hisdem armis depugnent. Quarunt in hisdem sapere, & videri, vocarique magistri, quibus prior æ-

tas in mysteriis Dei instructa erat: quando in quacunque harum linguarum pro summa sapientia vita sancta erat, fides recta, & cordis puritas: vt nemo aliud quàm dei gloriam quæreret. Sed modò inuersa videas omnia. Multi sapere student, bene viuere nemo. Laudari & digito monstrari, ac dici hic est gaudere: iudicari nõ metuit. Noua doctrina illustres sunt multi, noua vita nemo. Placēt hæc domino: tu ipse iudica. At nunc tanquam dormiens dominus est, & quasi crapulatus à vino, quòd non continuo perdat, non continuo exurgat aduersus huiusmodi improbos molliculos, splendidulosque. Sed veniet veniet tempus, quando excitatus tanquam dormiens dominus iudicet, & disperdat.

✽ Punct. II.

Vah vnum abiit. & ecce veniunt adhuc duo Vah post hæc.
In fine cap. octauo, supra, aquila volās per medium cæli, tria vah habitatibus in terrā acri voce insonuit, ad cuius vocem merito impiorum mentes exterrere debent. Nunc vnum horum iam abiisse testatur, & alia duo sequutura dicit. Primum fuit, hæretica prauitas, de qua mox actum est. Secundum erit magni antichristi persecutio. Tertium turbatio communis pacis per Gog & Magog. Est autē vah interiectio aliquid execrantis, & significat execrabilia nimium, quæ sub his tribus tubis in impios ventura sunt: piis nanque nulla nocebit aduersitas, in quibus nulla dominatur iniquitas. Nihil enim mali illis euenire poterit, quibus omnia cooperantur in bonum, siue persecutio sit, siue quippiã aliud: soli peruersi obnoxij periculis sunt semper, quibus obuoluta sunt omnia in detrimentum, etiam prospera. Impij enim etiam in rebus optimis peccant, quibus vtuntur ij in malum, vt in omnibus miseros se esse contestentur, & ita ostendant.

Vah quid significet.

DE SEXTO ANGELO
TUBICINE. Sect. 2. Punct. 1.



Et sextus angelus tuba cecinit. Et audiui vocem vnã ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, dicentem sexto Angelo, qui habebat tubã: Solue quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.

*Predicatorii
sexti tempo-
ris typus.*

Sextus hic angelus typum gerit vniuersorum, qui sub sexti sigilli apertione, purè & constanter Christum prædicabunt, hoc est, sub magno Antichristo: reuelabitur enim filius ille perditionis, sed non deerunt qui aduersus eum veritatem prædicent aperientes fucata eius mendacia, quæ facturus est in omnibus signis & prodigiis mirabilibus, ita vt in errorem ducantur (si fieri potest) etiam electi, Matth. 24. Hoc ergo angelo ruba clangente primum ex quatuor cornibus vox auditur directa ad ipsum eundem angelum tubicinem, id est, ad vniuersos tum syncretè sanctum Dei verbum docentes, ergo præceptum Dei est ad illos quemadmodum in ministerio sancto fungantur. Præceptum hoc est, Solue quatuor angelos, &c. Videnda sunt hic. Quid altare: Quid quatuor cornua eius, vox ex quatuor cornibus quid? Quid quatuor angeli in flumine alligati? Quid denique Euphrates: Altare Christum antea diximus esse, diximus & ecclesiam eius, perinde ac caput & corpus: quod idcirco aureum, quia præciosum: præciositas enim summa est typus aurum. Et quid præciosius Christo, quid ecclesia eius, quæ computatur in capite Christo, cui dictum est à patre, hic est filius meus dilectus: Matth. 3. & 17. Luc. 9. De ecclesia verò scriptum est, Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Psal. 44. Et alia ratione ecclesia altare est, quia profecto ecclesia iustorum perpetua sapientia illustratur, de qua Salomon dicit, Accipite sapientiam sicut aurum. Rectè quoque id ante oculos domini adstruitur, quia videlicet superna prouidentia, supernòq; respectu illustratur. Hinc psalmographus ait, Oculi domini super iustos: & aures eius in preces eorum. Psal. 33. Est deniq; ante oculos domini, Quia acceptum est illi. Psal. 149. Beneplacitum quippe est domino in populo suo. Quem iustè igitur altare hoc aureum refert Christum, refert & ecclesiam eius: Christum, super quem offerimus, sicut & offerenda sunt vniuersa sacrificia nostra in odorem suauitatis Deo. Ecclesiam quoque in Christo capite cõgregatam, fide Christi unitam, & bene compactam, agglutinatam charitate eius. Quatuor cornua, quatuor orbis partes referunt, in quibus diffusum est altare hoc, quod est ecclesia, regnat quoque Christus in eisdem. Nam cornu typus regni est, siue

*Altare
Christus.*

*Quatuor cor-
nua altaris.*

siue imperij, vt Daniel. 6. habetur, & infra cap. 17. Dum ergo is, qui altare nostrum est, & per quem accepta sunt Deo vniuersa sacrificia nostra, quatuor cornua habere astruitur: constat proculdubio ipsius regnum vbique diffusum esse, & in suis vbique fidelibus regnare. Cæterum habent hæc cornua suas voces, dum ipse, qui vbique regnat, in suis fidelibus loquitur. Cui loquitur: Angelo tubicini, id est, vniuersis sancti sui verbi ministris, qui syncretiter annunciant veritatem: hos enim solos pro suis habet, quibus etiam vult vt in ministerio hoc sancto: quibus imperit spiritum suum, & dat eis os & sapientiam, cui non queunt omnes aduersarij eius resistere. Porrò per quatuor angelos in flumine magno Euphrate alligatos sauos nimis, vniuersos pietatis hostes debemus intelligere, qui per totum orbem verbi sancti Dei cursum nituntur præpedire. Soluentur enim hi versus finem mundi, dum permittentur multo amplius desauire in ecclesiam dei: qui modo sua cupiditate reuincti, in hac terrena fecunditate, sæculique voluptate, ac periturarum opum abundantia, quod Euphrates sonat, tenentur, velut in magno flumine alligati. Solue ergo id est soluendos prædica: vel solues, dum veritatem annuncias, quæ amara est impijs. vnde etiam dabitur eis occasio amplius irascendi: vt velut crabrones iritentur, vnde corrigi debuerat. Aduerte, Omnis malicia & persecutionis rabies tunc augmentabitur, eo quòd antiquus ille hostis, qui à tempore dominica passionis infrenatus in cordibus impiorum vsque modo palpitat conclusus, ne pijs tantum noceat, quantum velit, soluetur, ecclesiam Dei in omni furore ac libertate persecuturus. Euphrates, fluius est Babylonice, qui in multa flumina diuisus ingreditur Babyloniam. Medi & persi diuiserunt eum in riuos, per cuius alueum Babyloniam sunt ingressi. Quandoquidem diuites sæculi huius ex multa abundantia terrenarum opum, deuenient in confusionem, quod Babylon sonat. Difficile nanque eis est introire in regnum cælorum, dixit Saluator. Matth. 19. vt facilius sit camelo pertransire foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Rectè fluius, cunctæ huius mundi opes sunt, quòd perpetuò fluant iuxta vocis Ety mologiam, nec in vno perseverantiæ tenore

*Angeli. 4.
in Euphrate
alligati.*

*Euphrates
fluius Ba-
bylonia.*

perstant. Et quid fluxibus cunctis mundi opibus? hæc si vite comites sunt, ipsa tamen morte deserunt & deseruntur. Scriptum est enim, Quia quum multiplicata fuerit gloria domus diuitis, in interitu non sumet ea omnia quæ habet. Psalm. 47. Verbum hoc difficile est angelis his, de quibus modò sermo habetur, nempe Euphrateis, quòd diuidat eos ab suo hoc Euphrate. Iubet enim reclamare illi, quicumque salutis cura tenentur: & spirituali paupertate contentos esse, vt non personatam pietatem gerant. Proinde velut lapide percussu in contumeliam statim toto furore assurgunt, quum non possint audire veritatis verbum: cupiuntque ocys perditos esse veritatis annuntiatores: sicque solentur vt verberati verberent. Sequitur.

* Punct. 2.

Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in hora et die, et mensem, et annum, vt occiderent tertiam partem hominum.

Prophetarum mos per præterita loqui de futuris.

Peculiare est prophetis, vt de rebus futuris, tãquam de præteritis loquatur, ob maiorem certitudinem: quòd tam verum sit, quòd futurum prædiceretur ab eis, ac si iam præteritisset. Quòd enim præteritum est semel, non præteritum esse non potest: sic quasi impossibile sit non obuenturum, quòd prædicerent propheta. Nam & in visione quòd futurum erat, factum videbant: hoc more loquitur hic sanctus Ioannes. Quatuor autem angelos dicit solutos, quos mox in flumine magno Euphrate religatos dixit, & quos supra cap. 7. stare in quatuor angulis terræ, & propter consignandos, à terræ marisque ac arborum læsione perhibitos vidit: hi sunt vniuersi tyranni, hostes Christi, ac totius pietatis, & sancti verbi Dei aduersarij, qui parati sunt corde, etiam si minus possint opere exercere, in horam, & diem, & mensem, & annum: id est, omni tempore furorem in sanctos Dei effundere: quòd quum faciunt minus tamen illis nocent quàm his, qui perituri sunt, quos per tertiam partem debere intelligi iam sæpe diximus. Porrò, angelorum nomine designantur persecutores. Angeli ergo sunt, sed non Dei. Cuius ergo? Satanæ: angelus enim nuncius est, missus ad exequendum aliquod negotium: & ij quum mittuntur ab instigatore satana, meritò eius angeli sunt: qui quum infiniti sint, quatuor tamen fore commemorantur, per quatuor orbis par-

Angeli 4. pietatis hostes.

tes diffusi, vt non inueniatur locus, vbi non sint hi angeli pietatis hostes: qui dum persequuntur iustos: id efficiunt, vt manifesti fiant mali, & separentur de medio iustorum. Nam his solis nocituri sunt, quum non possint iustis. Quum dum affliguntur illustriores sunt: & si occiduntur, non percutunt, sed in meliora transferuntur: perit qui in anima occiditur. Sic enim malis nostris vitur bonus Deus in bonum, vt ipsa persecutio profit electis in cumulum meritum, quæ obeest reprobis in damnationem: causa semper in eis existente cur pereant: eo quòd oblatam vltro gratiam accipere contempserunt: aut ea accepta abusi sunt, vt multo sceleriores euaderent: fiatque illis in augmentum demeriti quicquid accidat, siue bonum sit, siue malum, cõlectariè autem & poenarum: vt verum sit, quia quicumque pereunt vicio suo pereunt. Enitendù ergo tibi fuerit, vt in primis probus sis & integer, si velis omnia tibi cooperari in bonum: alioqui pereundum sit necesse est. Propone nunc tibi viros iustos, propone & sceleratos, illi variè interempti sunt, seruati hi in tempus. Qui horum videntur tibi seruati? Non scelerati, qui iam dudum mortui erant, & perierunt, quia semper in odio fuerunt Seruatoris: ergo soli iusti seruati, de quibus loquitur scriptura dicens, Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum: & quòd à nobis est iter terminij, illi autem sunt in pace. Sequitur, Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum (quæ iam eis obrigit in re) immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tetauit illos, & inuenit dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus eorum. Deniq; explicans qualitatem gloria eorum dicit, Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrunt. Explicat deinde iudicariam quoq; in eis potentiam dicēs. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis: & regnabit dominus illorum in perpetuum. Sap. 3. Et in ca. 5. sequitur, Iusti autem in perpetuum viuēt, & apud dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum: ideo accipient regnū decoris, & diadema speciei de manu domini. Sic ergo non pereunt iusti quum tribulatur, quum occiduntur: quin potius feliciores euadunt. De impiis autem erudimur,

*Damnatio-
nis causa re-
proborum.*

*Iusti seruati-
tur peccato-
res pereunt.*

quia in sua pace tabescent, & pereunt: quos egregia phra-
 si describit Iob cap. 21. a qua: litione initium sermonis ca-
 piens. Quare, inquit, impij viuunt: subleuati sunt, cōfor-
 tatiq; diuini? Semen eorum permanet coram eis, pro-
 pinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum: do-
 mus eorum securæ sunt, & pacatæ: & nō est virga Dei su-
 per illos: bos eorum concepit & non abortiuit: vacca pe-
 perit & non est priuata foetu suo: egrediuntur quasi gre-
 ges paruuli eorum, & infantes eorum exultant iustibus,
 tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum
 organi: ducunt in bonis dies suos. Iam verò quis tantæ
 fœlicitatis: tanti gaudij sit exitus, graui sententia infert,
 dicens. Et in puncto ad inferna descendunt. Euge itaque,
 lætare nunc tu, o mundi amator, sectator concupiscentia-
 rum tuarum, propone tibi terrenā voluptatem, age con-
 tra dominum: exple te delictis. Sed non diu durabis. Punc-
 tus tibi propositus est. in puncto finietur tua hæc omnis
 fœlicitas, postmodum autem summa te miseria, summa
 infœlicitas excipiet. Hoc est quod & Psalmographus ait,
 Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros
 libani: & transiui, & ecce non erat: qua: suui eum, & non
 est inuentus locus eius, Psal. 36. Ibidem. Iniusti disperi-
 bunt: simul reliquæ impiorum interibunt: Salus autem
 iustorum à domino, & protector eorum in die tribulationis.
 Et adiuuabit eos dominus, & liberabit eos: & eruet eos à
 peccatoribus: & saluabit eos, quia sperauerunt in eo. Hæc
 pro tanto commemorauit, vt intelligeres, quia peccatores
 etsi interim florere rebus temporarijs videantur, opprimi
 autem in tempus iusti: sed non diu manebit illa eorum
 fœlicitas, nec horum pressura diu. Quumque illos tor-
 mentum excipiet, hos assumet gloria. Multo igitur con-
 sultius bene viuere cum pressura mundi, & peruenire in
 gloriam: quam malè viuere cum pace mundi, & postea
 damnari. Quoniam duo ij exitus finem non habet: vter-
 que sempiternus est, vita gloriæ, & mors damnationis æ-
 ternæ. Quam sapienter sancti illam apprehenderunt, hæc
 vitarunt. Quorum corpora in pace sepulta sunt, & viuēt
 nomina eorum in sæcula. Eccl. 44. Item. Sapientiam ip-
 sorum narrant populi: & laudem eorum nunciat ecclesia.
 Contrā verò quam insipienter mali egerūt vnde peribūt.

*Impiorum
vita breuis.*

Sed vt ad rē ex hoc diuerticulo redeamus quid est quod
 dicit, vt occiderent tertiam partem hominum? Sciendum
 quia hominum genus tripharie constat diuisum, videli-
 cet in iustos, & peccatores sed tamen poenitentes: deinde
 in peccatores sed impoenitētes: ij sunt reprobi, qui cladi-
 bus hisce vltimis insanabiliter subiiciunt, quū alij sinem
 fortiātur fœlicem. Iustorum autem nomine innocētes de-
 signantur, qui quū permaneāt liberi in Christo non per-
 eunt etiā si occidantur: verumtamen hi qui in tertia parte
 computantur occiduntur ab angelis Euphratis, occasio-
 ne spiritus non carnis: Alioqui quid attineret dicere ter-
 tiam partem hominum ab his occidi? neque enim sibi
 consentientes occiduntur carne: sed quia peiores effi-
 ciuntur, spiritu occiduntur.

¶ Punct. 3.

Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.

In hoc numero omnis multitudo persecutorum intel-
 ligitur. Neque verò abre numerus equestris exercitus po-
 nitur, quum in equis, & equitibus superbia malignantiū
 designetur. Infiniti sunt aduersarij pietatis, & Dei, super-
 bia prodigiola vecti, qui non desistunt aduersari religio-
 ni fidei. In Græcis legitur, duæ myriades myriadum, hoc
 est, vicies mille myriades. Est autem myrias decies mille.
 Potest quidem & hic numerus in suo mysterio vniuersi-
 tatem reproborum exprimere, quod totidem decenum
 superet, per quod Iusti intelliguntur, ob decalogi obser-
 uationem, quem reprobi temere transgrediuntur. Et quia
 plures reprobi, quam iusti inueniuntur, duplex numerus
 eorum decenæ simplicitati iustorum opponitur. Scriptum
 est enim, Currus Dei decē millibus multiplex: millia læ-
 tansium: dominus in eis, in sancto. Psal. 67. Attamen no-
 stra nos trāslatione libētius vtamur: & quid numerus iste
 positus significet exquiramus: & quidem à plano rem au-
 spicantes, lucem sequēti obscuritati inuehamus. Quid est
 vicies millies dena millia? Non aliud quam si alijs verbis
 diceretur, decies millies viginti millia, quæ sunt ducētes
 mille millia, idem omnino in numero, nō autem in my-
 sterio. Aliud ergo intelligere debemus per hoc quod di-
 citur vicies millies dena millia, quam si diceretur, decies
 millies viginti millia. Hoc vt perpalam fiat, prius de na-
 tura multiplicis numeri ū pauca disseramus. Vnitas,

*Equus su-
perbia typus
est.*

Myrias.

*Numerorum
positorum ra-
tio.*

id est character in primo limite posita, vnum significat: transposita in quintum limitem decem millia. Item binarius in singulari limite duos notat numeros, translatus ad memoratum quintum limitem, viginti millia, vbi stat vnitas multiplicanda, & binarius multiplicator: vnitas decies millena veluti totidem filius multiplicata: & binarius vicies millenus. Non sine autem mysterio hoc est, quod vno eodemque limite cubant vnitas, & binarius, & quod non vnitas binariū multiplicat, vt diceretur, decies millies viginti millia audiui numerum eorum: sed e contra, binarius multiplicat vnitatem, sic, vicies millies dena millia. Quid vnitas decena millena nisi gentem Hebræam vnus Dei cultricem exprimit? Quid porro binarius decenus nisi barbaros, impuros, infamesque idololatrias refert? Is etenim numerus nonnunquam in scriptura sacra infamis est, vt Genes. 7. legis, quia de impuris animalibus bina & bina arcam ingrediebatur. Bene ergo vnitas cum binario eodem limite cubat: quia gēs Hebræa, quæ vnus Dei cultrix erat, in terra immundarum gentium, & abominabilia facientium collocata erat: vbi profecto non gens Hebræa gentes immundas, & idololatrias, ad vitæ mundiciem, vniūque Dei cultum conuertebat: sed (quod gemendum ipsis valde erat) gentes immunda & idololatræ, sacram gentem ad immunda & abominabilia opera peruertebat, De quibus testatur Psal. 105. Commixti sunt inter gentes, & didicerūt opera earum, hoc est, quod sanctus vir, & princeps Matathias cum filiis suis scilicet vestibus deplorabat dicens, Væh mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei: prout in libro Machab. habetur. Videbat nāque multos derelinquere legem Dei, & sacrificare idolis. Id quod semper fuit, & fit vsque adhuc, & in futuro: sub illud tempus maxime quod scripturæ locus tangit: vt non iusti malos, scilicet (quod gemendum nobis quoque in primis est) econuerso mali bonos peruertant. Sic enim propheta ait, cum peruerso peruerteris, Psal. 17. Videas modò hæreticos persecutores peruertere sinceros: non e contra. Quare: Quia omnes in corruptione naturæ sumus, Eccles. 8. Et promi sunt sensus hominis in malum ab adoleſcentia sua, Genes. 8. Itaque rectè non vnitas binarium, sed binarius multiplicat vnitatem.

Binarius infamis numerus qui multiplicat vnitatem.

Mali bonos citius peruertunt, quam boni conuertant malos.

tem: & quod exinde accrescit binarius similiter est. Fiunt enim ducenties mille millia, siquidem per binarium multiplicata vnitas. Binarius sit, hoc pacto, bis vnū, duo sunt, & quia vnitas decies millena, & binarius decies millenus est: Ipse binarius qui inde excrescit in quinto ab eo, qui multiplicatur, limite constitutus, efficit ducenties mille millia, & perficit mysterium cum sui decoris augmento: vt tam multiplici sobole adauctus, immundam Israelis & gentium, piorum & impiorum permixtionem designet: significans simul quòd innumerabilis sit percutium multitudo, quæ vbique per tertiam partem exhibetur.

✱ Punctus 4.

Et audiui numerum eorum.

Quod si quæras, vnde tibi constet hæc eiusmodi numeri supputatio? Respondet, ex auditu. Et audiui inquit, numerum eorum, quasi dicat, Quod numerum tanta certitudine recensitum teneo, & prædico, non ex me solo est, sed aliunde. Nam quo (queso) pacto, tantum tam repente, vt pote, vnico obtutu, poteram scire numerum, nisi aliunde certior redderet? vnde ego: vel à quo? dico, ab angelo indicante mihi, accepi: qui fallere nescit, sed nec fallitur vnquam, cui constare breui intellectus discursu poterunt talia. Ipse me docuit, qui mysteriū numeri mihi reuelauit. Agnosce ergo hinc, quam opportuna sit in rebus obscuris, & quæ aliter sciri nequeunt, reuelatio. Et quid magis obscurum fidei sacramentis? quatenus intelligeres non sine graui causa Dei filium è cælis in terras descendisse, per quem his sacramentis instituti debeueramus, non per alium aliquem: de quo suspicari poterat humana mens, quasi minus solida essent, quæ doceret. Modò autem nulla dubietas suboriri potest, quum per illum docti simus, cuius est discernere, iudicare, probare, damnare, quod verum, quod falsum est, bonum aut malum, alioqui respondendi locus foret, Si errauimus, per te decepti errauimus. Sed absit hoc à simplici & summa illa veritate, vt ita de eo arbitremur. Qui posteaquam satis superque docuisset, placeretque repetere vnde venerat, veritatis doctores elegit, simplices, & qui ex se fingere noui nihil nossent, sed quæ acciperent prædicarent ve-

*Reuelationis
necessitas.*

*Christi doctrina in cō-
cussa & per-
necessaria.*

re, in variis signis, ac veris prodigiis. Sed & angelos interdum magistros mittebat, qui vera nunciarent: quatenus duplici fulcra autoritate veritas ipsa solidius confirmaretur. Siue ergo ab angelo, siue à christi veris documentis imbutis mytheria fidei capias doctoribus, crede vera esse: Quia fides ex auditu, auditus autem per verbum christi. Rom. 10. Tameñ prophetiæ acri iudicio pensandæ sunt, ne sub specie fallamur, hoc est, probemus si secundum fidei rationem sint. Ioannis huius apostoli vox est, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quoniam multi pseudo prophete exierunt in mundum. 1. Ioan. 4. De his Paulus quoque loquitur, capite vndecimo posterioris epistolæ ad Corinthios, qui se transfigurant in angelum lucis.

✱ Punctus 5.

Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas: & capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore ipsorum procedebat ignis, fumus, & sulphur.

*Antichristi
persecutio
typis horribilibus figurata.*

Non sine causa tot rerum nominibus vitur, ad exprimendam rei tam seriæ magnitudinē. Neque enim ociosa fuit visio hæc tantis apparatibus instructa, tot terribilibus formis distincta: sed vt reddat mytheria: equos vidit, & sessores equorū, & hos non simpliciter indutos, sed loriatos. Iam & loriciæ quales erant: Ignæ, hyacinthinæ, & sulphureæ, quales induere nemo vellet. Equi autem non minus terribiles: nā capita eorum leonina erant: & quasi parū foret leonina esse, nisi terribiliori quodam prodigio ignē quoque ore efflaret, fumūq; & sulphur. Quæ nomina typi sunt propriissimi sexti tēporis sub antichristo persecutorū. Numeremus ex ordine singula. Ita inquit vidi, in visione imaginaria scilicet, atq; prophetica, & intellexi veritatis aduersarios, & omnes piorum persecutores demonū fore mancipia, idq; ex proprietate formarum occurrantium. Vidi equos, & qui sedebant super eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas: & capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore ipsorum procedebat ignis, & fumus, & sulphur. Ecce ap-

paratus, & ornamenti varietas. Per equos seuissimos cape hæreticos, nempe eos, qui supra per locustas monstrosas significabantur: nunquam epim pessima hæc monstra ab initio quo cœpit veritas defuere: eo quòd veritas semper nacta sit aduersarios: & omnes sexti illius temporis antichristi satellites, acerrimi erūt veritatis aduersarij, qui ita ex hæreticis enascentur, vt aut iidem fiant, qui ab agnita veritate apostatarunt: aut ab eis docti cōfirmatiq; plus illis sæuiant eodem fermento corrupti. Quorum sessores sunt utique spiritus maligni, qui tales eos efficiūt, quibus insident, quales ipsi sunt: hoc est crudeles, superbos, iracundos, cupidos, & immundos: insuper in omnia vicia ardentēs. Necessē enim est, vt hi, quorum corda possident, similes eis moribus fiāt. Per loriciam ergo, hoc loco, quæ-
*Iusticia lo-
rica.*
cunque armatura spiritus, contra fidei pietatisq; & virtutum sinceritatem, seu propria cordis duricia capitur. Lorica est & iniustitia eorum, sicut lorica bonorum iustitia, docet Paulus Ephe. 6. Induti lorica iustitiæ. Istæ loriciæ sunt igneæ, ob ardentem persequendi affectum, iræ quoque & furoris eorum. Sunt & hyacinthinæ, color hyacintho cœlestis est: Quid autem per hunc colorem accipimus, nisi quòd hæ pestes bonos & tanquam cœlestes nonnunquam se simulant, quo validius seducant, secundum quod diabolus transfiguratur se in angelum lucis. 2. Cor. 11. Vel hyacinthinæ, id est, fumæ secundum Haymonem, & Bedam: eo quòd oculos mentis velut funius erroris caligine obducant obtenebrētque. Iā vero quòd & sulphureæ sint foetidæ loriciæ hæ, significat, quàm fortes in carnis opere turpēsq; efficiant suos, & quàm pestilentes doctrina: quæ omnia sunt ornamenta equitum extremæ ætatis execrabiliū persecutorum, quos in seipso demutabunt dæmones hi, de quibus diximus. Proinde postquam de sessoribus dixisset, eadem fere subdit de equis, quibus in primis caput Leoninum appingit, ob ferocitatem & superbiam, quemadmodum præditi erant olim omnes pietatis aduersarij, qui occidebant sanctos. Qui enim nesciat leones feroces esse & superbos? ita & homines ciuilitate carentes feroces sunt & superbi, leonis naturam pre se ferentes. Prædicat ergo scriptura hæc ita futuros piorum aduersarios: qui perinde fient feroces

*Lorica igni-
ta quid sint.*

ac leones, & qui nesciant vlla virtute mansuescere, nec flecti pietate in misericordiam. Quod verò de ore eorum procedere ignem dicit, & fumum, & sulphur: aliud nõ intelligo, præterquam quòd crudelia nimis loquantur, iubeantque, quorum verba veluti ignis iracundia ardeant. Fumum iam diximus pestilentis hæreseos fore typum, quæ oculos mentis primum excæcet, ac ciat lachrymas in luctum æternæ damnationis: vbi erit fletus & stridor dæmonium, inquit dominus. Idem & sulphur est, nisi quòd alio mysterio portendat futuri illius temporis abundantem carnalitem, cuius fœtore oleant tum christianæ pietatis persecutores. Non deerant olim qui familia de se exhiberent, quos hostes nacta erat pietas. Si Antiochum referas: is ingenti superbia turgidus, veluti capite leonino, ignemque ex ore efflante, venit contra hierusalem: & templum ingressus nihil factis pepercit: prophanauit, spoliavit, vastauit, turbauit, diripuit, & nihil intactum reliquit: nec his homo contumeliosus contētus, crudelia adhæc nimis minatus, quòd tam hierusalem sepulchrū poneret Iudeorum. Sed non diu sustinuit Deus hanc illi eiusmodi crudelitatem. Nam dum præcipiti cursu vehitur, elapsus è curru grauissimè lesus est, & cepit ea membrorum collisione doloribus acriter vexari: sublatūque in gestatorio à seruis, ingrauescente morbo omnia eius interiora computruere: vermibusque incretis, ac eiectis cum viua carne, tam molesto fetore omnibus & sibi ipsi in primis erat: vt neq; ipse se, neque alij ipsum ferre possent: talique sine homo sacrilegus ac permolestus Deo & hominibus, superbus ac minax, qui pauloante maris fluctibus imperare videbatur, supra hominem omnia cogitans, inter concaua montium peremptus, vitam temporalem cum morte commutauit æterna, extat historia secūda. Machab. 5. & 9. cap. vt non semper leones sint qui aliquando leones sunt: nec semper atrocem iracundiæ ignem ore efflent, qui efflant aliquando: nec semper libidinem expleant, qui expleant aliquando. Sic Domitianus, Nero quoque, & quicunque alij sanctorum persecutores leones fuere aut ignes, iam non sunt. Leo est modò Turca nobis, ignis est & sulphur: etiam hoc forsitam mysterio, quòd vbi que vastet igni & sulphure. Neque enim

*Turca ignis
& sulphur.*

quæ hic scribuntur sic conueniunt vni tempori, vt non conueniant & alteri, magis tamen propriè illi, cui tribuuntur, quando magis & vniuersalius fiunt. Propterea leo est nobis nostra atate, & iam diu est quòd leo est atrox, peruiçax, continuus hostis. Leo qui fortitudine præstat omnes. Ignis quòd non alia vlla re magis vastet regna, demoliantur & vrbes. Tam verò quis nesciat ex sulphure puluerem bombardi cum fieri incendiique, quo & hoc potentissimus est: sed non semper fiet aut leo, aut aliquid aliud: necesse est enim vt donec tempora explicentur eius, sit hæc omnia: labente tempore labitur & ipse simul.

✽ Punctus 6.

Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & fumo, & sulphure, quæ procedebant ex ore ipsorum.

Quo proficiat impietas hominum sexti temporis persecutorum liquidò patet, quoniam tertia pars hominum occisa sit ab eis, quæ in reprobis computatur: à tribus autem plagis occisa videlicet igne, fumo, & sulphure, quoniam in his eis consenserunt, videlicet in furore ardenti, qui ignis est: in doctrina falsa, quæ fumus est: & pestilente vita, quæ sulphur est. Porro hæc eiusmodi eorum occisio spiritualis intelligitur magis quàm corporalis, quia poterit fieri vt hi non occidantur corpore qui persecutoribus adhærent, spiritualiter tantum. Etenim satis ille occiditur, qui priuatur vita spiritus, quæ est per fidei gratiam in Christo: vt ultra non viuat in ea, nisi recuperata iterum gratia. Quod fieri habet per veram pœnitentiam, quando aliquis ex corde dolet de admissis, quòd offendit tam pium dominum, tam dulcem, tam sibi fauorabilem, & de se multis nominibus bene merentem: qui nihil vnquam sibi nocuit, fecit autem bene specialiter in multis, generaliter in omnibus: id quom sit proponit firmiter decetero abstinendum: & id quidem tanto zelo ac aduersum se excitata indignatione, vt subinde edat gemitus in corde, trahat suspiria longa. Quod vbi fecerit utique verè beatus. Sed non omnibus hæc gratia continger, dicente Paulo, Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum celeste, & participes facti cultas.

*Pœnitentia ex
tremum refugium.*

*pœnitentia
verè diffi-*

sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutisque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiã Hebræ. 6. Quo in loco Paulus insinuat difficultatem recuperandæ gratiæ, seu doni huius, non omnino impossibilitatem: aliàs quis saluus fieret? Sed quia paucissimis vera pœnitentia contingeret, amissa prima gratia: dicit impossibile esse, id est, difficile vt talis renouetur per veram pœnitentiã, præsertim si in consuetudinem duxerit peccatorum. Diuus Psaltes quum de peccatoribus impœnitentibus loqueretur, principaliter de igne, & sulphure meminit dicens, Ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. & in Genesi de his duobus in subuersione Sodomæ, mentio fit. cap. 19. Igitur dominus pluit super Sodomam & Gomorriam sulphur & ignem. Atqui nec hic, nec ibi de fumo quippiam memoratur. Fumus tamen necessariò adest vbi hæc duo, ignis ac sulphur affuerint: quibus arsi sunt, in futuro, qui modo eisdem in concupiscentia incenduntur: digna certè pœna, & peccato ex diametro correspondēs. Dignum est enim, vt qui in hoc sæculo foetido ardore & sulphureo ardent, ardeant simili & in futuro: simili inquam sed dissimili: simili in foetore, sed dissimili in pœnalitate: quorum ignis non extinguetur, nec vermis morietur. Esaiæ vlti. Multi enim sunt, qui ob prodigiosam libidinem, incendio viui comburi primo quoque tempore mererentur, sed euadunt: at non ita postea, quia ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima dicit dominus. Deute. 32. vbi vsque ad os pœna facti saturabuntur: A quibus pœnis semper liberi sunt iusti, vt non incendio conflagrant, qui modò temporaliter ab his leonibus igne & sulphure affliguntur. Proinde rectè dicitur, tertiam tantummodo ab his plagis hominum partem fortè occisam: quæ in reprobis computatur, vt vbique soli hi pereant pijs euadentibus etiam in media morte & igne. Nam & Loth iustum liberauit dominus, vt non adureretur, scriptura teste, Quoniam eduxerunt eum angeli, & posuerunt extra ciuitatem, ibique loquuti sunt ad eum, dicentes, Salua animam tuam. Et iterum, In monte saluum te fac. Salus ergo in monte, & non circa regionem Sodomæ. Qui vult intelligat.

*o Punctus 7.

Potestas enim equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum: nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: Et in his nocent.

Iam diximus in equis homines impios vltimi temporis, magni videlicet antichristi satellites, piorum acerrimos ac superbos persecutores figurari, quibus in ore erit potestas omnis, & in caudis. Vbi quid os sit, qui dux caudæ, comprimis videndum est. Os in capite est: cauda in postrema parte corporis, vt rectè per os primores hæreticorum illius temporis, & omnium persecutorum capiuntur: sicut per caudam vltimi, vt penes illos maneat auctoritas, à quibus velut primis alij dependeant. Esaias est testis, qui cap. 9. fatidici sui voluminis, inquit, Et disperdet dominus ab Israël, caput, & caudam. Deinde exponit quid velit per hæc nomina, dicens. Longæuus & honorabilis ipse est caput, & propheta docens mendaciū ipse est cauda. Ecce os & cauda: quamuis os & ipsi propheta sint, docentes mendacium, qui & cauda sunt. Os, quia loquuntur, & omnis potestas illis in ore sit, in vehementi mendaciorum persuasionem, qua mouent, flectunt & impellunt, vt videlicet sint vnum velut in vno corpore membra primi & vltimi persecutorum: non tamen sine capite eorum antichristo. Quare autem cauda propheta mendax? Quia scilicet partem quodammodo cœcam, & immundam lingue blandientis tectura cælat, dum ipsum quod loquitur mendacium quanta potest verisimilitudine perornat. Et eiusmodi caudas, id est, prophetas tales, similes esse serpentibus narrat, quia sinuoso lubrici sermone tractu proserpunt, & vbi caput impiunt toto corpore se inuoluunt: & nimium valde admirandum est quod vehementer noceant, vbi quietis locum inueniunt. Est alia quoque astutia in serpentibus, vt caput suum spirata membrorum perplexitate contegant: id quod & in hæreticis perspicuum est, vt mendacium, miris verborum spiris conuoluant. Quid verò est illud quod caudæ eorum capitatae sunt: nisi hoc quod propheta mendacij patronos sibi pro capite quærunt, quos potentiores vident: quatinus horum prærextu liberius agendi facultatem habeant. Vides igitur quam apposite nouissimi temporis

*Os & cauda
primus et no-
uissimus.*

*Serpentum
ingenium.*

apostatarum forma proscripta fit. Siquidem ipsi per se ora loquentia sunt, & cauda ipsi, regentes mendacij turpitudinem, fetoremque erroris cœlantes, & omnis potestas eorum in capite est & in caudis. O verè ridenda spectra, nocentissima tamen: quis sine perniciè eum his habitauerit monstris? Quibus & in capite, & in caudis plurimum inest perniciè, ac terroris. Os mortiferum est illis, & cauda noxia: qui more serpentium sese implicat & explicant. Implicant nexu suo sese contrahentes & protegentes. Explicant vbi libertatem latius expariandi accipiunt. Quid terribilius his? Iam verò quo magis tibi terribiles hi sunt, propone tibi monstrum vnum, quod in primis sit equus ferocissimus, qui stare loco nesciat: cui caput leoninum fit, & de ore suo ignem cum sulphure & fumo prouomat: quatius dubiū non sit, quia in ore eius sit omnis eius potentia. Idem habeat pro cauda colubū sese longo membrorum tractu in nodos modò implicatē, modò rursus explicantē: in cuius sine sit atrox caput, os sibilum armatumque acutis dentibus, lingua trifulca, & quam subinde exeret. Quid monstro hoc fuerit nocentius: magisve terrificum? Abominabilius quid? Tales erunt vltimi temporis persecutores, qui occisuri sunt tertiam partem hominum: Non ethnicorum, qui alias iā inter occisos computantur. Qui enim non credit iam iudicatus est, teste Salvatore. Ioan. 3. sed eorum, qui fidem vitæ habent, vitia tamen carnis sequuntur, nec legi spiritus sunt subiecti.

✽ Punct. i.

Et ceteri homines, qui non sunt occisi his plagis, neque penitentia egerunt ab operibus manuum suarum, vt non adorarent demonia, & simulachra aurea, & argentea, & area, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire neque ambulare.

Truncatus hic sermo est, nec potest intelligi nisi aliquid superaddatur hoc scilicet, habebūt suum iudicium, vel aliquid tale. Non potest punctus esse aduersus antichristos, aut seductos ab eis, nec de eis loquitur. Eos enim, contra quos hic loquitur, insigniter distinguit ab illis, dicens. Et ceteri homines, hoc est, alij à præscriptis, qui non sunt occisi his plagis, id est, ab ore, & caudis eorum: Neque tamen interim respicerunt ab operibus

eorum malis, quæ sunt, adoratio, & cultus demoniorum & simulachrorum aureorum, argenteorum, &c. Constat ergo aduersus idolo latras hæc dicta esse, qui sunt eiusmodi, de quibus nihil curæ habent hæretici: quorum omnis conatus aduersus veros christianos stat: At quia ipsi non curauerunt agnoscere Deum, quum hoc vitæ possent, etiam naturali lege ducti, nec sacris eius præceptis institui, vt scirent quid facti opus esset in salutem, Dei quoque honorem, similiter peribunt. Quo in loco illud mihi consideranda, qua pœna digni sint, qui habentes noticiam Dei, fidem & scientiam, & hæc omnia contemnunt abutentes percepta Dei gratia: si illos, qui horum nihil habuerunt, & solummodo, quia per naturalem legem Deum non cognouerunt, dicat damnationi obnoxios. Et iure quidem. Quum enim debuissent operam dare vt creaturam cæli terræque, & hominum, & omnium rerum, agnoscerent, colerent, & adorarent, ipsi infanissimè defluentes cogitatione ad idola, caperunt adorare opera manuum suarum, aurea, & argentea, & area, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare: quia spiritus non est in eis, propter quod etiam traditos illos dicit apostolus in passionem ignominia, vt contumelias afficerent corpora sua in semetipsis. Vnde scriptura dicit. (Sap. 13.) Infelices esse eos omnes: & inter mortuos spem illorum esse: qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inuentionem, & similitudine animalium, aut lapidem inuilem opus manus antiquæ. Sed in Idolis nationum non erit respectus, eò quod initium fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorū corruptio vitæ. cap. 14. Quo-

Idolorum inuentio.

modo autem adinuenta sunt idola: & quomodo cultus eorum sit incitatus, plenius exponit Sapiens ibidem. Non enim erant idola ab initio, neque erūt in perpetuum. Superuacuitas hominū hæc adinuenit, & ideo breuis finis illorū est inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginē, & illum qui quasi tūc homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit: & cōstituit inter seruos suos sacra, & sacrificia: deinde interueniente tempore conualescente antiqua consuetudine, hic error tāquam lex custoditus est, Et tyrannorum imperio

colabantur figmenta, hos quos in palam homines honorare non poterant, quod longè essent, elonginquo figura eorum allata euidentem regis imaginem, quem honorare volebant, fecerunt: vt illum qui aberat, tanquã præsentem colerent sua sollicitudine. Exponit deinde aliam causam quandoquidem artifices volentes adulari suis patronis, similitudines eorum longè elegantius figurabant. Multitudo autem hominum vt in scriptura eadem sequitur adducta per speciem operis, eum qui antè tempus homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimauerunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut rebus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt. Legè plura ibidem, & in seq. cap. De talibus loquitur Apostolus Rom. 1. Mutauerunt incorruptibilis Dei gloriam, in similitudinè imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedũ, & serpentium. Et hæc causã grauissimè iracundiæ veri & vitii Dei qui creauit hominem rationis participem eo cõ filio, vt ipsum agnoscat, amet & colat, & soli sibi in spiritu seruiat, qui solus verè adorandus est, & colendus. Meritò ergo ob hanc impietatem ij, quemadmodum & alij peccatores impenitentes peribunt? qui quum homicidæ essent, aut venefici, aut fornicarij, aut fures, nihil curarunt agere pœnitentiam, vt salui fierent. De quibus speciatim post idololatrias sequitur. Punct. 9.

Et non egerunt pœnitentiam, ab homicidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

Potest de eisdem idololatriis punctus iste capi cum auctori malorum, propter sensus continuitatem: quatenus intelligeres non solum peccatum in eis idololatriæ fuisse, sed etiam alia multa. vt sunt homicidium, veneficium, fornicatio, & furtum. Nam error seritur ex errore, & peccatum ex peccato multiplicatur: multi enim filios filiarumque suas idolis immolabant, iuxta illud, Immolauerunt filios suos, & filias suas demonijs: & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus. Et, Infecta est terra in sanguinibus: & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinventionibus suis, Psalm.

105. Si

105. Si verò distinctim legere placeat, prout secreuimus, locus est aduersus eos, qui christiani nominantur, & pro talibus se venditant: sed nihil melius nec sanctius idololatriis viuunt. Sunt enim homicidæ, venefici, fornicarij, ac fures: hi est apertè idola non colant aurea, argenteaque, & id genus reliqua, nihil tamen minus habent impunitatis, siue etiam impietatis illis qui faciunt. His nihil certè proderit sacrosanctum venerandũque christianitatis nomen, quo minus in eos sauiat ira Dei. Reuelatur enim ira Dei de celo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum. Rom. 1. si sic permanserint, hoc est impij, & iniusti. Nam digna pœnitentia omnia corriguntur: cuius prima virtus est: abstergere impietatem ab homine, & cooperari per gratiam Dei ad pietatem: odisse iniustitiã, & amare iustitiam: Deum ex toto corde diligere, & soli illi seruire velle.

Digna pœnitentia omnia corriguntur.

CAPVT. X.

DE ANGELO FORTI DESCENDENTE DE COELO, HABENTE librum apertum.

Sect. I. Punct I.



E t vidi alium angelum fortem descendentem de celo, amictum nube: & iris in capite eius: & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columna ignis.

Descripta antichristianorũ sauciã: nũc ad describendam eorũ ruinam more suo recapitulat exordium natiuitatis Christi, & gloriã ecclesiæ: quasi ad fundamentum reuocans lectorẽ auditoremp, q̄ de Christo fit, & ecclesia eius manifestata hæc visio. Quis ilte angelus fortis est nisi dñs Iesus, paternæ voluntatis decretique fortis Christus. Quis ilte angelus nuncijs: qui idcirco per prophetã consilij magni angelus dicit. Quia enim æternæ vitæ nouus nũcius aduenit, noua nunciauit, noua promissit, noua fidelibus cõtulit, angelus est. Alius autẽ, quia dissimilis alijs. Nam & differentius præ illis nomen hæreditaui. Hebræ. 1. Fortis quoq; quia

F

ad debellandum aëreas potestates venit, quem dominum fortem, & potentem in prælio regius quoque Pfaltes, Psal. 23. appellauit. Proinde optimo iure & angel⁹ ille, qui hūc venientē nunciabat: Gabriel, id est, fortitudo Dei dictus est. Decebat enim vt fortis fortem prænunciaret: Alioqui quomodo fortis in infirmitate carnis crederetur miris affictus modis? tamen quod infirmum erat Dei fortius esset hominibus. 1. Cor. 1. Quem enim homines euincere nō valebant in omni fortitudine corū: infirmitas carnis, quæ fuit passio & mors in Christo euicit, non dubiū quin diabolum, quem & coërcuit. Dicatur ergo, vidi aliu angelum fortē descendente de celo. Hic quæritur. Quomodo dominus vbiq; sit, iuxta illud. Celum & terrā ego impleo. Et extra celum & terrā nō sit locus. Quomodo descendit de celo? Ad quod proculdubio dicendum, Quia descensio illius nihil aliud fuit, nisi incarnationis eius humilitas, in qua nouo modo apparuit, quo antea non apparuerat: neque enim aliquando Deus in carne visus est vnquam: sed nouissimo tempore hæc gratia seruabatur: & ideo descendens angelus est. Nota, descendente dicit, nō cadentem, quæ admodum de Lucifero dicitur, qui a cecidit. Luc. 10. & Esa. 14. Christus volens de celo venit, ideo descendit: voluit enim humiliari propter nos: diabolus contra, nolens cecidit: nam deturbatus de celo fuit: quatenus huius & illius diuersitatem in descensu agnosceres & casu. De Christo psalmographus prædicat, A summo celo inquit egressio eius, Psal. 18. Si egressio, ergo voluntaria: volentes enim egredimur. De satana autē scriptura dicit, Quomodo cecidisti lucifer? Esa. 14. Si cecidit, ergo nolens cecidit: cadimus enim inuoluntariē. Neque verò hic casus peccati est, sed eiectionis, vt ansa præcludatur calumniandi, quasi nolens peccasset: volens quidem peccauit, sed nolens cecidit de celo. Nube autem amictus apparuit angelus, quia nimirum carne velatus inter homines Christus apparuit: vnde in Esaia propheta dicitur, Ecce dominus ascendet super nubem leuem, cap. 19. Super nubem leuem Christus ascendit, quia carnem sine grauedine peccati assumpsit. Nam & Paulus in similitudinem eum misum fuisse testatur carnis peccati, peccato longissimè abhorrentem. Rom. 8. Nubes ergo caro eius sacrosancta

Descensus est casus diuersa.

Christus nube carnis velatus.

est, sicut & in aliis non paucis scripturæ locis: pulchra admodum similitudine, quod plerumque solem nubes obtegat, & tamen præsentiam eius non abscondat: & in carne Deus latuit, & tamen præsentia eius dignosci potuit: diuinitas illa indiuisibilis fuit, quæ per opera visibilia mundum vniuersum illustrauit: vnde & Ioannes idē in euangelio ait, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre: sed gloriam diuinitatis eius nemo vidit vnquam. Ergo necesse est intelligere de operibus eius miraculosis, & veritate sermonis eius, per quæ coruscabat imperscrutabilis diuinitas eius. Sequitur, Et iris erat in capite eius. Caput Christi Deus, vt Paulus scribit in priore epistola ad Cor. cap. 11. in quo est Iris, quod propitiationis est signum, vt supra diximus. Iris Græcè Latine arcus dicitur, de quo Gen. 9. Ponam arcum meum in nubibus celi: & erit signū fœderis inter me & terram. Hic à diluuiō in celo pluuiabibus diebus videri cœpit, fitq; arcus in celo, quū radiis solis ex aduerso imbrifera nubes fuerit illustrius perfusa. Et mūdo reconciliatio facta est, sole iustitiæ radiis diuinitatis suæ assumptam nubis carnem implente. In arcu duo sunt principales colores, vnus ceruleus, alter igneus, per quos duo iudicia Dei ad nos significantur. In ceruleo diluuium præcedens. In igneo: ignis subsequens. Possunt in arcu & mysteria baptismatis figurari. Siquidem baptizamur aquis in memoriam passionis filij Dei, in quo recipimus gratiam spiritus sancti in igne de cælis missam, de quo dominus dicit: Ignem veni mittere in terram. Idem. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, Ioann. 3. Act. 1. Vos autem baptizabimini spiritu sancto. Non possum hic cuiusdam expositoris blasphemiam reticere, qui hoc loco angelum deputet hominem quandam impurum ex calibe cōiugatum, qui errorem misit in orbem, quem nemi non præfert: qui, si veritatem profiteri voluisset, potius locustā fœditissimam dixisset, immò principē locustarum execrabilium. Nā quo pacto hæc in quempiā alium cōpertant, præterquā in Christum, nō video: quod & sequētia indicāt. Sequitur enim, Et facies eius erat vt sol. Neque enim hoc homini impuro cuidā cōpetit, quod manifestè Christū

Iris arcus.

Iridis colores præcipui duo.

*Facies Dei
noticia eius.*

præscribit. sed peruersus est sensus eius, idè nec pilo plus curandus. Porro facies eius, noticia eius est: à facie enim cognoscimus omnia: quæ à tempore resurrectionis multo clarius vniuerso illuxit mundo. Hanc resurrectionem diem Paulus appellat Rom. 13. Nox præcessit dies autem appropinquauit, dico scilicet resurrectionis: propterea hortatur in subsequens, vt abiicientes opera tenebrarum induamur arma lucis sic. vt in Die hac honestè ambulemus. Eius nanque resurrectio nostra est renouatio, vt in nouitate vitæ ambulemus per fidem gratiæ eius. Nā & ipse Christus solis nomine eodem mysterio à quibusdam censetur, quum dicitur, Et valde manè vna sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole, Marc. 16. Nisi enim (vt dicunt) mysticè de hoc sole Christo domino, qui iam resurrexerat, quique diem nouum mundo sua resurrectione inuexerat, id accipias: repugnantia erit valde manè. Et, orto iam sole. Quo in loco vix admiserim quorundam opinionem dicentium: quasi valde manè progredi cœperint, & ad locum orto iam sole peruenierint, quum non longè ab vrbe locus distitus esset. De Christo & alibi scriptum est, Resplenduit facies eius vt sol. Matt. 27. Incarnatus erat Deus: & nisi incarnatus fuisset, nemo hominem illum oculis ad sensum cognouisset. Tunc ergo cœpit cognitio eius hominum cordibus clarius innotescere, quando præsentiam suam per incarnationem clarius exhibuit mundo. Ostende (inquit propheta) faciem tuam, & salui erimus. Quo circa angeli visibiliter nato domino obsequuti, & cæli quoque arrifere illustrius. Angeli pastores excitant: cæli magos orientales ad adorandum perducunt. Angeli vocali sermone vtuntur, cæli nouo sydere gaudent: quem sydus indicat Magis, hunc angelica vox prædicat pastoribus. Quia ergo omnibus referebar nosse præsentiam domini: & vt ita dicam, à facie nosse Deum, quem videre non poterant nisi in carne, omnibus ad exhibitam libebat gaudere. Rogabar olim Moyse dominum dicens, Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te. cui dominus, Non poteris videre faciem meam. Exod. 33. Facies ista Dei à resurrectione magis illuxit, quando vt sol resplenduit, multoque illustrius se. Nam si de

electis dicit euangelium, Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Matth. 17. consequens profectò est, vt multò illustrior Christus electorum caput fulgeat: qui etiam configurabit nos ad claritatem suam, tanquam ad exemplar secundum operationem virtutis suæ. Philip. 3. Obserua. Non sine causa Christus soli comparatur. Sol quippè ortum habet, & occasum. Hinc Salomon, Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique *Christus cur renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem: per solem illustrans omnia peragrat spiritus, & ad circulos suos reuertitur.* Quod in mysterio dictum est. Quippe sol ortus est, quando Christus natus est: venit ad occasum quando pro nobis mortem oppetiit. Sicque rediit ad ortum, quia eius humanitas ex passione mortis ad gloriam resurrectionis peruenit. Vnde rectè sequitur, & ibi renascens gyrat per meridiem: quia resurgens à mortuis claritate fidei, & spiritus sancti luce clarius mundum illustrauit, quando gyrans se per meridiem conuersus est ad aquilonem. Quia Christus à resurrectione in plenitudine gloriæ resurgens, per discipulos, quos primum illustrauit, reflexus ad aquilonem gentilitatis, maiores suos radios illic promoustrauit. Quòdque subditur, Lustrans omnia pergit spiritus: ad hoc pertinet, quia totus mundus prædicatione apostolorum spiritu Dei repletus fuit. vnde est illud, Spiritus domini repleuit orbem terrarum. Et, Vox tonitruu tui in rota. Et illud, Illuxerunt conuersiones tuæ orbi terræ. Quid deinde? Et ad circulos suos reuertitur: quia post aggregationem gentium illuminabitur tandem & ipsa multitudo Iudæorum. Testatur hoc Paulus Romanis scribens cap. 11. Testatur & Esa. cap. 10. & 29. Item Ieremias. 31. ostendit planè quòd post plenitudinem gentium intrabit Israël quoque ad finè: vt rectè tunc ad circulos suos reuertatur iste sol. Ita enim habet Paulus. Non lo vos ignoret fratres mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fiet. Sequitur. Et pedes eius tanquam columna ignis, Græca volumina in plurali columnæ habent. Dissimilia de Christo dicta sunt supra cap. 1. vbi similis filio hominis inter candelabra aurea discurrrens angelus apparuit: Cui caput & capilli candidi

*Christi disti-
mulus schema-
rioratio.*

erant, velut lana alba, & nix: oculi flammescens tanquā ignis: pedes aurichalco persimiles: cuius rationem exquirere, haud quaquam ociosum putauerim: vt enim habitus diuersi, ira & habitus ratio debet esse diuersa. Illic namque contra cherintum, hebionemque ac ceteros antichristos pugnabat veritas, proprio ostendens schemate falsam fore putationem eorum, qui sub illud tempus, donec beatus Ioannes in insula Patmo exularet, Christum antē Mariam fuisse negare cœperant: hic autem vniuerso orbi ostenditur quale & quantum impendat negotium: simulque quam ob rem venerit Christus in hūc mundum, vt prouidum quenque faceret eiusmodi ostensio. Proinde illic naturam vtrāque vnus eiusdemque Christi rectē accipimus significari: hic verō officium. Hinc est quod illic filius hominis, quod naturā est: hic angelus, quod est officij appellatur. Illic caput canicie cādīdū, quod naturā antiquitas est: hic Iris in capite demonstratur, suscepti videlicet officij causa, quod pacem asseruerit, fœderisque iura in se confirmarit. Præterea illic pedes, qui infimā partē corporis, extremāque sunt, similes erant aurichalco: quod naturā, quam assumpserat, humana, probata igne tribulationis fuit, & tandem in ipso glorificata: glorificanda denique in reliquis quoque corporis sui membris, quæ in fine multis tribulationibus vexanda esset. Hic autem pedes tanquam columna ignis describuntur, ardentem simul animi fortissimūque affectum in sanctis prædicatoibus designans, qui in fine sæculi sunt futuri. Pes enim idonea affectus animi est figura: eò quod quemadmodum pedibus corporis incedimus: ita animorum affectibus ferimur: & quia pedes vt columna ignis referuntur, proculdubio in sanctis verbi Dei ministris ardens quidam affectus, & ad veritatem annunciandam æstus, & ebullitio per id designantur: in quibus columnæ typus inuictissimi spiritus robur demonstrat. De pedibus huiusmodi legis, Esaia. 52. Quam speciosi pedes euāgelizantis super montes, & prædicantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis saluum. Id quod Paulus citat. Romanos decimo. Quanto hoc ardore fuerit ab omnibus annunciandum, qui ex toto corde diligunt, quique Dei spiritu feruent, & robusti sunt, ac sani, nō facile

*Pedes prædi-
catoris colum-
na ignis.*

dixerim: quod totum se incunctatur incendere debet veritatis annunciator, & ardere, & feruere, & bullire in annunciando, nihil interim capitis discrimen metuens pro honore Christi: nihil contradictionem curas: non laborem, non vigiliis attendens: dum modo delegato sibi rite perfungatur officio, respōdeatque quasi ex diametro volūtatī illius, qui eum in id elegit. Quales erant olim omnes apostoli, aliique post illos, qui nullis percentes laboribus discurrebant, clamabant, docebant, proficiebant, & in hoc totos se dabant vt proficerēt in gloriam Dei: quibus certē pedes erant vt columna ignis, hoc est, constantes ac inuicti spiritu. Isti eorum pedes ex eo facti sunt tanquam columna ignis, quod venit super eos spiritus sanctus tanquam ignis, fortificans & incendens eos in amore Dei. Extunc enim qui prius erāt imbecilles, pauidi, idiotæ, id est, sine literis: facti sunt fortes, & securi, facti vt pote omnium scripturarum gnari. Nōne Petrus frigidus tempore passionis erat, qui ad focum stabat & calefaciebat se? Nōne indoctus ac rudis, qui plano interim sermone docetem dominum putabat in parabolis loqui, vt non erubesceret molesta subinde proccacitate eundem obturbare: qui tot conatibus ad fidei virtutem erigi non poterat. Nōne imbecillus, quum ad vnus fragilis ancillula ostiarię, tempore passionis domini, ad ianuam principis sacerdotum ita totus exhorruerit, vt spiritu desponso Christū subito abiurauerit. Sed idem factus est postea sapiens, qui recepto spiritu tot prophetarum oracula memoriter repetēs, prouoluebat ex abditis eorum penetralibus mysteria, concionabatur perfectē, ardebat, fortis erat: columna ergo ardens erat. Quem Paulus tali titulo dignatur. Gal. 2. di. Iacobus, & Cephas, & Ioānes qui videbantur columnæ esse. Sed & ipse Paulus hoc ipsum erat, dum seipsum fortissimum veritatis assertorem adstruit contra hereticos, quibus nec ad horam quidem cessasse se dicit, vt veritas euāgelij permaneat apud fideles. Licet eum in omnibus scriptis eius ardentem columnam perspicere, admirarique & coli. Id quod & ceteri similiter erant. In quem modum erunt & extremæ illius ætatis prædicatores, hoc est, constantes, inuicti, & in ardore spiritus feruentes. Quos medijs à longe salutant,

*Prædicator
qualis esse
debet.*

parum firmi, parum vita lucentes, molliculi, auræ popularis venatores. In summa mercenarij. ✠ Punct. 2.

Et habebat in manu sua libellum apertum.

Superius dictum est, quia accepit agnus de dextera sedentis super thronum librum signatum sigillis septem, quem aperuit resecis sigillorum repagulis. Proinde quod ibi per librum signatum intelligitur, hoc per librum apertum hic. Quia enim aeterna Dei præscientia, in suo immutabili decreto, de statu & cursu, & tribulatione ecclesiæ latuit mortales, quousque per Christum referaretur, clausus signatusque; liber dicitur: Nunc verò apertus, quem habet in manu sua Christus, qui & ecclesiam habet in manu sua, & primates eius. Obserua. Liber apertus est, & tamen in manu Christi est. Quia etsi consilia Dei aperta sunt, in potestate tamen eius est nota facere ea diligentibus se, & quantum voluerit: cui semper supplicadum est pro his, ut nobis nota faciat. Nam ex sensu eius viuimus, mouemur, & sumus. Viuimus, vita gratiæ, quæ est in fide eius & charitate. Mouemur de virtute in virtutem, opera fidei facientes. Sumus autem, quia preciosi coram Deo habiti sumus. Est ergo libellus is ob verborum breuitatem tota sacra scriptura, in qua conclusa erat Dei præscientia, & immutabile decretum ipsius: id enim peculiare est illi, ut breuis sit in verbis, copiosus in sensu: quatenus nullum in ea sit verbum absque profundo mysterio. Nam & Elaias ait, Verbum abbreviatum faciet dominus super terram, cap. 10. Huc libellum Christus aperuit dupliciter. Primò prædicando, Secundò scripturas implendo. Prædicauit autem primò per se ardenti virtute currido per castella, & vicos: deinde per apostolos ad id electos, quos specialiter illustrauit è cælis, mittens eis spiritum veritatis, qui docuit eos omnem veritatem. Impleuit autem sua passione & morte, quicquid scriptura, tam legalis, in figura & sacrificio: quam prophetalis, in vaticinio cõtinebat: multa enim passim de ipso in ea scripta erant: quatenus verior fides eidem haberetur, quam veniret. Proinde dicebat Iudæis, Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam haberi: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis, Ioan. 5. Sic autè declarauit scri-

Liber clausus & postea apertus.

Scriptura sacra in verbis breuis.

Christus libellum dupliciter aperuit.

pturarum abdita sua passione, & morte: quemadmodum euentu rerum multa, quæ sunt secreta, velut in luce posita omnibus clarescunt. Est & alia ratio diminutiui nominis, ut non liber, sed libellus vocetur. siquidem respectu illius ampliffiæ immensa: quæ profunditatis præscientiæ Dei, quæ latent in mente diuina, quæ merito sui liber magnus est: & tam amplius, ut totus mundus non capiat: cuius respectu paruum & exiguum est, quicquid hominibus reuelatur. Id quod idem Ioannes in fine sui euangelij de operibus domini Iesu testatur, dicens. Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, eos qui scribendi sunt libros. Proinde nec Paulus eam tam ampliffimi consilij diuini mentè prodere ausus: sed solum modò dixit, Non licet homini loqui. 2. Cor. 12.

Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.

Potest simplex huius loci sensus esse, quia prædicatio fidei christianæ terra marique propaganda erat, ut vbique sustineretur, & sustineret omnes, Scilicet alti⁹ est mysterium, quam ut simplici sermone p'datur. Aduerte igitur. Quatuor verba sunt posita, dextrum, sinistrum: mare, & terra, quæ nobis diligenter exquirenda sunt: offerunt enim nescio quid latentis mysterij sensibus nostris. Quid ergo per dextrum nisi fortia designatur: per sinistrum nisi imbecilla: per mare tribulationum fluctus procellosi: per terram portus quieti temporis: perinde atque dixeris, fortia membra in maioribus periculis obeundis, imbecilla in competentibus collocantur. Non enim patitur nos Deus tentari super id quod possumus, sed faciet cum tentatione prouectum, ut tolerare possimus. 1. Cor. 10. Propterea neque discipuli Christi donec infirmi essent ante receptum sanctum spiritum, sunt missi ad gentes, ubi grauior eis tribulatio imminebat: sed tantum ad Iudæos, ubi tranquillè prædicarent. Dictum est enim illis, In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, Matth. 10. Postea verò quam spiritu sancto firmati sunt audaci pectore, & in viam gentium abire iussi. Marc. vlt. *Pedem dextrum ponere* in mundum vniuersum, prædicare euangelium omni creaturæ. Hoc est ergo dominum posuisse pedem *super mare.*

dextrum super mare, sinistrum autem super terram: quia prædicatores suos Apostolos, quos per pedes domini ignees intellegimus, tam confirmatos, in viuicitate gentium dimisit, quos adhuc infirmos in Iudæa continuit. Nam & alias nomine terræ Iudæa, maris appellatione gentilitas designatur, sicut in Psal. 45. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris, quasi diceretur non timebimus futuras tribulationes Iudæorum, quia in medio gentium apostoli transeunt relicti Iudæis: Ipsi autem apostoli montis appellatione designantur, pro excellentia dignitatis, & accepti spiritus primaria illustratione. Montes enim primū ab exoriente sole collustrantur. Sic ergo per terram, vbi minus agitur, tranquillitas; per mare, vbi procellis sæpe ad seculos illidimur, maior tribulatio designatur. Alia quoque ratione per terram Iudæos: quia per legem, & prophetas ex culti erant, vt facerent fructus, intellegimus: per mare gentiles, in quibus profunditas erat errorū, & summa ignorantia dei. Caterum quia dextrū vocare solemus, quod prosperum & beneplacens est: sinistrum quod aduersum minūque gratum: Proinde tunc Christus posuit pedem dextrum super mare, quando neglectæ olim gentilitati, per Apostolos prospera, eisque placencia nunciavit: videlicet, quod relictis Iudæis, ipsa gentilitas esset electa in peculiū Dei, populūque peculiarem, ad summas videlicet spirituales diuitias, & bona gratiæ gloriæque: id quod eo libentius gentilitas accepit, quo offerebat grauius. Hoc vt verū sit probat locus scripturæ, Act. 13, vbi quum Paulus longum sermonem & eruditum satis de Christo tenuisset, multi sequuti sunt eū, & Barnabā qui loquentes eis persuadebant vt permanerent in gratia Dei. Sequenti verō sabbato pene vniuersa ciuitas conuenit vt audirent verbū Dei. videtes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blasphemantes: Tunc constāter Paulus & Barnabas dixerūt, vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis dominus. Posui te in lucem gentibus, vt sis in salutem vsque ad extremū terræ. Esa. 49. Quod audientes gentes gauisæ

*Apostoli
montes.*

sunt, & glorificabant verbū domini: & crederūt quotquot erant præordinati ad vitā æternam. Facta sunt hæc in Antiochia Pisidiæ. Vide quomodo dextrum pedem Christus posuit super mare, quia gentibus prospera iucundaque nunciavit, per eos, qui pedes eius erant, vt apostoli aliique fortes, ac constātissimi verbi Dei ministri: qui omnes fluctibus huius sæculi agitati iactatique fuere. Porro sinistrum pedem posuit dominus super terram. Quid terra, nisi carnales Iudæi sunt, super quos posuit pedem dominus sinistrum: quando eidem per Apostolos pronunciauit, quod relinquendi essent, ac perituri: secundum quod apostolus dicebat, Notum vobis sit, quia gentibus missum est, hoc salutare Dei, Act. 28. Hæc ex promptuariis aliorum. Verum ego diuino hic per mare baptismum nihil minus posse intelligi, sicut frequenter in scriptura intelligitur, in quo posuit dextrum pedem Christus: quia voluntas eius, ac beneplacitum in eo permanet, secundum quod scriptum est, Spiritus domini ferebatur super aquas. Genes. 1. & dexteritate gratiæ firmat suos, quos ad dexteram suæ gloriæ est collocaturus. Matth. 25. Sæpe autem hi procellas tribulationum perpetiuntur, sicut ab initio, ita & vsque in finem: fixum est enim exercitandos fore electos, donec in harena iuret, dicente domino, Si me persequuti sunt, & vos persequentur: vt qui probati sunt manifesti fiant. Et, Omnes qui pie viuere volunt in Christo Iesu persequutionem patientur. 2. Tim. 3. Per terram, vbi sinistrum statuit, circuncisio iure etiā hac ratione capitur: quod eis, qui ex ea sunt, terrena promissio facta sit. Esa. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Et omnes qui terrena ambiūt, & his delectantur ad sinistrā erunt, hoc est in damnatione: nā & seruū nequam, inutilēque, malum, & pigrum, qui in terrā defoderat pecuniam domini, abiici iubet in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium, Mat. 25. Et omnes mali à sinistris erunt, hedorum nomine designati. ibidē. Hinc mater filiorū Zebedæi stultitiæ arguitur, quod alterum filiorū à sinistris collocari peteret, Mat. 20. † Pun. 4.

Et clamauit voce magna, quemadmodum quum leo rugit.
Posito pede dextro super mare, sinistro autē super terrā, (prout tractauimus) angelus iste fortiter clamauit, ceu leo

*Christi pes
sinister quid
sit.*

*Proprius sensus
suis authoris.*

rugire solet: quia videlicet prædicatores suos constituendo, vocem euangelicam, quam totus orbis audiret, mirabiliter edidit. *Quomodo* autem, vel quali voce clamauit, competenti admodum similitudine expressit dicens, *Quæ* admodum quum leo rugit. *Qui* enim antea leo de tribu Iuda vicit, nunc idem leo rugit: nam & Iacob patriarcha leonis catulum Iudam denunciauit, Gen. 49. Amos quoque dominum eundem de Sion rugiturum dixit, eundemque de hierusalem editurum vocem prophetauit, cap. 1. *Quia* nimirum apostolos Iudæa natione elegit, & in hierusalem desuper spiritu sancto imbuit, & hinc prædicandum in orbem dimisit, dicens. Euntes in vniuersum mundum prædicate euangelium, Mar. ult. Sic multis aliorum prophetarum dictis: hoc, quod nunc dicitur, constat esse diuinatum. Sed iam qua ratione clamor eius, & vox, leonis rugitui comparatur exquiramus. Scimus ab his qui naturas bestiarum nos docuere, ad leonis rugitum cunctas bestias expauescere: omnes enim bestia: timent leonem: cuius prima virtus voci inest. Hinc dicitur, leo rugiet, & quis non timebit? dominus deus loquutus est, quis non prophetabit? Amos. 3. vbi sanctus propheta quis leo rugiens sit, pulchrè sequenti sermone exposuit, Dominus deus, inquit, loquutus. Ergo leo rugiens dominus Deus est, qui in sanctis prædicatoribus suis loquitur, ad quos sermo domini factus est, dicens. Non enim vos estis, qui loquimini: sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, Matth. 10. Et iterum, Ego dabo vobis os & sapientiam Luc. 21. Clamauit hic Leo per se primum, quum dixit, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, Matth. 4. Item, 5. *Qui* soluerit vnum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Rursum, Nisi abundauerit iusticia vestra plusquam scribarum & phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum, qui omnia faciunt in hypocrisi. Iterum, Omnis arbor quæ non facit fructus bonos excidetur, & in ignem mittetur, Matth. 7. *Quid* plura? Ioannes idem testis est, quia in nouissimo die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et iterum, Clamabat Iesus in templo, dicens. Io. 7. Plena sunt sacra euangeliorum volumina clamoribus

*Leonis terror
in omnes.*

Iesu. *Qui* & in cruce voce magna clamans expirauit. Idè suos clamare iussit, quum sacra: prædicationis officium eisdem iniuaxit. Proinde Sequitur.

* Punctus 7.

Et quum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.

Quid tonitrua sunt, nisi noui testamenti prædicatores? *Tonitrua* qui idcirco tonitruorum nomine designantur, quod effigaces sunt, & non nihil terroris subinde incutiant peccatoribus, tonantes in orbe ecclesiæ. Septenarium iam sæpe diximus, vniuersitatem designare, propter sui perfectionem, & mysteria quædam non contemnenda. Bene autè septem tonitrua voces suas loqui perhibentur: quia sanctorum prædicatione non poetarum fabulas, non philosophorum nãnias, non hæreticorum versutias resonat: sed vt spiritus suggererit, diuinam mentem in cordibus auditorum inserit. Possunt specialiter in septem tonitruis Apostoli sancti intelligi, quorum sonus in omnem terram, inque fines orbis terræ diffusus dimanauit. Nam & eorum numerus ex partibus septenarij consarcitur, id est, ex pari quaternario, & impari ternario: siue enim tria per quatuor siue quatuor per tria duxeris, duodenarium cõflabis: quatenus & id tibi suum afferat mysterium: quia videlicet per ipsos duodecim apostolos fides sanctæ trinitatis quadripartito orbi innotuit, qui missi sunt prædicare tria summa per quatuor infima, id est fidem trinitatis per quatuor mundi climata, septiformi spiritu sancti gratia illustrati. Nota, habuit & prior eras suos prædicatores: habet & posterior. Excellentiores tamen his Apostoli creduntur, quibus dixit christus, Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ: hoc est, omnibus vbique gentibus gratis oblatam fore salutè annunciate, dummodo credere velint in christum: in quo certum est condonari peccata ex æquo omnibus, omnes ex æquo filios dei fieri, quibus ex promissione cælorum debeatur regnum. Sed ausculta quia post clamorem angeli, loquuta sunt suas voces & tonitrua: quia post prædicationem christi Apostolorum vox erupit, adque omnes dimanauit. Namque nisi christus loquutus fuisset, apostolorum ora tonitrua non fuissent. Ab vno ergo to-

*Apostoli ex
cellentiores
omnibus sæ-
culi prædica-
toribus.*

nitrua non fuissent. Ab vno ergo tonitruo facta sunt septem tonitrua, quia à christi prædicatione, tanquam cæli principali caractera, hausto plenissimo spiritu & virtute ceperunt tonare apostoli, sermonemque suum largiore imbre profundere: quibus suggererat spiritus sanctus, quicquid virtutis viriumque vnquam accepissent à Christo, iuxta illud, Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecunque dixerò vobis. Ioan. 14. Fons itaque ille sapientiæ æternæ perpetuo gurgite manans ad tonitrua hæc fortissima, quibus quassata fuere fundamenta terræ, diffudit se ruenti imbre compluens vniuersa: quatenus nihil sit arēs in vniuersa creatura dei, nihil sterile: sed vt magis vniuersa germinent, floreat, fructificent in omne opus bonum: quandoquidem id solum restat, vt impleatur sermo domini in Esaia dicentis, Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam faciet, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, &c. Esa. 55. Vides nunc quid mereatur seruus piger, & inutilis, & malus, qui non vult fructum facere sancti verbi Dei, quod creditum est illi, sed abscondit in terra terrenis obtutus curis: sed non excusatur, quin plagis vapulet multis, domino dicente, Seruus sciens voluntatem domini sui, & nõ faciens, plagis vapulabit multis. Nos aliter fimus charissimi, vt studiosi magis inueniamur, & bene grati: quoniam hos solos amabit dominus, & hos solos digna mercede afficiet. *o Punctus 7.

Et quum loquuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: Et audiui vocem de cælo dicentem mihi obsigna quæ loquuta sunt septem tonitrua: & noli ea scribere.

Superius audiuit. D. Ioannes, Quod vides scribe in libro: proinde voluit & ea quæ ab his septem tonitruis accepit conscribere: prohibitus tamen protinus cessit, vt non scriberet, quamuis salutaria essent, rem tantummodo consignans. In exemplum promptæ perfectæque obedientiæ, quo ceteri iussis parere, dictisque superiorum discant: perseveratè interim agentes præceptum, quoad aliud superueniat: per quam in eis mactatur pro-

*Obedientia
res bonia.*

pria voluntas, dū nihil de se præsumunt, sed pendēt à deo, sese passibilem quandam materiam offerentes, cui voluntate subsequente, acturi præ virili parte quod demeritū eis fuerit, iuxta lege domini: cui contrariū nec potest esse fas, hæc facere. Sed quare ea vox facta est, prohibens eum ne voces tonitruorum scriberet: magna angustia intelligentiæ mihi videtur. Nunquid enim frustra loquuta sunt tonitrua voces suas: quia sic beatus hic meritis à scribendo deterretur? obsigna (inquit, quæ loquuta sunt septem tonitrua: & noli ea scribere. Quod autem obsignare est, nisi impresso quasi sigillo inclinare occultare? Sed adverte, quia varia sunt dona gratiarum data & data continue nouæ gratiæ predicatoribus, qui etiam multiplices sint, septem tantum sunt septiformi spiritu deluiper imbuti ac eruditi: quorum gratia: ob multipliciter & copiam scribi minimè possunt. Adde quod lex gratiæ non in chartis, sed in cordibus scribenda erat. Sed adhuc vrget me scrupulus. Quomodo dei voluntas obsignari regi non debeat, sed palam vbique inuulgari: cur beatus Ioannes, excellentissimus mysteriorum Dei notarius, christi dilectus, à conscriptione tali tonitruorum mysticorum prohibetur? Verum enimvero, quod interim nos consignamus, nõ ideo facimus vt omnibus omni tempore secretū esse velimus, sed ne omnibus obuiū sit, præferim indignis: quod coniectare licet etiam in causa hac. Mysteria namque sacra nec passim vulganda, nec in vniuersum claudenda: vulganda nõ sunt indignis: de quibus dominus dicit, Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras proicite ante porcos, ne conculcent eas pedibus, Matth. 7. Nec in vniuersum claudenda dignis, etiam si secundum tempus claudantur. Hinc Danieli dicitur, Signa librum, & claudere sermonem vsque ad tempus statutum, ca. 12. Obsigna ergo, id est, sigilla & claudere: vel vt cõmuniter legitur, signa, hoc est, indica quod loquuta sunt tonitrua, sed mysterium ne pandas. Vbi aduertendum quia mysteria non æquè cunctis aperienda sunt, perfectis subtilius, qui exagitatōres sunt studiis, vt plenum mysterium habeant. Simplicibus discretius: Siquidem alij sunt quibus lacte sit opus, vt pōre minus perfectis, minulque exercitatis sensibus: alij qui

*Mysteria dei
aperienda &
claudenda.*

*Mysteria dei
varie aperienda.*

& solidum cibum capiant, hoc est adbita mysteriorum intelligant sine reiectione. & strenue faciant opere quicquid didicerunt in mysterio. Simplicibus loquebatur dominus quum diceret, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Ioa. 16. Per hoc innuens, quia per incrementa temporum solidatur, & crescit internus homo ad solidiora mysteriorum capienda, non subito: oportet enim ut aliquis exercitatum in hoc studio habeat ingenium, & hoc cum spiritu Dei. Propter quod & Paulus scribens Corinthiis dicit, Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: & propterea tanquam paruulus in christo lac vobis potum dedi, non escam: non enim poteratis intelligere, sed ne nunc quidem potestis. 1. Cor. 3. per spirituales fortes ac constantes in spiritu intelligens, per carnales imbecilles, fragiles adhuc, quem admodum idem apostolus ostendit ad Gal. 6. dicens. Si preoccupatus fuerit homo, id est, carnalis in aliquo delicto: vos qui spirituales estis (idem robusti spiritu) instruite huiusmodi in spiritu lenitatis. Nonne ad imbecilles pertinet & illud. 2. Cor. 12. quum raptum se dicit in paradysum, audistis que arcana verba, quae non licet homini loqui: Quid est, non licet? Nunquid semper non licet? Absit. Quare ergo homo ipse audiuit? aut cur sibi audire licuit, si nullo vnquam tempore loqui liceat? An propter seipsum raptus fuit, ut audiret: & non magis propter alios, ut in fide confortarentur, quia homo superbus, persequutor acerbus, Dei magnalia quae audierat: praedicaret autem non quocumque tempore quaecumque, sed tempori se accommodans, prout in quibus loqueretur, capaces essent sermonum dei. Vnde idem. Hebr. 5. quum de domino Iesu diceret, Et consummatus est, factusque est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech, continuo subiunxit, De quo nobis grandis sermo, & interpretabilis, ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. & facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo. Quis fuit ille sermo grandis, atque interpretabilis? nisi hic de quo dicebat, Quae non licet homini loqui, videlicet, pro quocumque tempore: alioqui pro mysterij magnitudine obrueretur auditorum imbecillitas, ut sustinere

re non possent. Proinde dicit, Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum, &c. quasi dicat, Nondum potestis intelligere: & ideo si modo dicatur, magis in ruinam quam in aedificationem vestram caderet: crescat robur spiritus in vobis, crescat & sermo profundior grandiorque meus ad vos, quem tum feretis, quem modo ferre non valetis. Ergo sensus est. Obsigna quae loquuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere, id est, ne prodas eorum mysteria: quatenus: ne aut hi, qui non debent, ad eorum pertingant cognitionem: aut hi qui debent, ante tempus pertingant, aut sine discretionem eorumdem capiant noticiam. Aut certe, (ut supra diximus) indica duntaxat quod tonitrua loquuta sunt sicut scriptum est. Act. 1. Factus est repente de caelo sonus, quid tamen loquuta sunt, scribere noli, eo quod scribi nequeat, gratia: varietas vniuersorum praedicatorum, quam septiformis spiritus illis subministrat. Nam gratia alioqui non chartis, sed in cordibus scribitur. Nunc reperamus singulatim quae dicta sunt. Angelus fortis est caelis descendere visus est, qui nube amictus erat: cuius caput iride cingebatur: & facies eius erat ut sol resplendens: & pedes tanquam columna ignis: habebatque libellum apertum in manu sua, qui posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: & clamauit voce grandi ac forti ceu leo quum rugit. Quumque clamasset loquuta sunt septem tonitrua voces suas: quarum mysteria dum Ioannes scribere intendit prohibetur. Quae omnia historiam domini nostri Iesu christi in mysterio salutis nostrae indicant: qui est angelus ille fortis: cuius fortitudini nulla vis resistere valet: & hic in signum reconciliationis nostrae velut coronam iridem in capite gestat, cuius fide ac noticia salui facti sumus: qui etiam scripturas in sese impleuit omnes, &c.

✱ Punctus 7.

Et angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram levauit manum suam in celum: & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit celum, & ea quae in eo sunt: & terram, & ea quae in ea sunt: & mare, & ea quae in eo sunt: quia tempus amplius non erit: sed in diebus vocis septimi angeli, quum coeperit tuba canere consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos prophetas.

*Angelus iu-
ras christus.*

Angelus iste, vt diximus, qui dextro pede preffit mare, terram sinistro: quiue leuat manū suam in cælum, & iurat per viuentem in secula seculorum, dominus est Iesus christus: qui veniēs in nomine patris sui incōmutabili veritate dicta consummauit, dicens. Cælum & terra transibunt, verba autē meam non transibunt, Luc. 21. Et in Deuteronomio dicit, Leuabo ad cælum manū meam: & dicam, viuo ego in aeternum, id est, cum iuramento dicam, quod sicut ego viuo in aeternum, ita sententia mea fixa immutabili tenore permanebit. Sed quæro. Quomodo dominus iurare prohibeat in euangelio dicens, Nolite iurare, neque per cælum, neque per terrā. Quid est quod ipse manum ad cælum leuans, iurat per viuentem in secula seculorum? Sciendum ergo quod homines recte iurare prohibentur, quia in iuramento saepe falluntur. Neque enim Deus à iuramento prohibuisset, nisi in eo peccatum cognouisset: deus autem quia falli nō potest, iurare potest. Iuramentū autē eius est omnis sermo illius, quia quicquid loquitur, absq; vlla ambiguitate cōpletur. Hic igitur leuauit manū ad cælū, in quo habitare deus dicitur, scriptura testante: Cælū mihi sedes est, ideo per viuentem in secula iurat: id est, per semetipsum christus. Simul docens quo pertineamus & nos, quidq; potissimū studiosius querere debeamus, quia patris a caeleste: vbi christus est in dextera dei sedens. Colo. 3. quam iurauit se daturum nobis, id est, firmiter promisit: sic dicens. Nolite timere pusillus grex, quoniam cōplacuit patri vestro vobis dare regnū. Luc. 12. Iurans autem angelus confitetur deum auctore cæli, terræq; maris, & omnium rerum: quo agnosceres sane friuolā quorundam veterum philosophorū existimationē via rerum principia constituentium. Deum, exemplar, & materiam, & horū singula increata, ac sine initio, quemadmodum Plato & eius discipuli, qui Deum nō tanquam creatore materiae, sed tanquam artificem ad exemplar quod ideam vocant, id est formā, putauerunt mundum fecisse de materia, cui nomen hylen dabant, quæ gignendi causas rebus oibus præberet. Ipsum quoque Aristotelem duorum principiorum fabricatorem insigniter errasse conuincens: qui materiā & formam ita statuebat, vt tertium quoq; quod operatorium dicitur his adderet, tan-

*Iuramentum
quare prohibi-
bitur homini-
bus.*

*Error tria ve-
rum principia
constituentium.*

quam cui suppetere cōpetenter efficere, quod ad adiundū putasset. Quid enim tam incōueniens, vt aeternitate operis, cū dei omnipotentis cōiungeret aeternitate: vel ipsum opus deū esse diceret: vt cælum, & terram, & mare, diuinis homines prosequerentur honoribus, partesque mundi deos esse crederet: quamuis & de ipso mundo non parua quaestio inter eos iactata sit. Pythagoras vnū mundū asseruit, alij innumerabiles: testatur Democritus, cui in philosophia plurimum autoritatis vetustas detulit. Item mundum ipsum semper fuisse, & futurum semper esse Aristotelica supputatio probauit. Contra Plato, non semper fuisse, sed semper futurum esse nititur astruere. Multi autem nec fuisse semper, nec semper futurum esse scriptis suis testificantur. Tam vario errore eadem in re, dum scopum non tangerent, in diuersa vi ingenij rapti abiere. In quorum sententiis, quid potissimum possit magis pium aestimari non sanè video, quum alij mundum ipsum Deum esse dicant, quasi ei mens diuina inesse possit: partes alij: alij vtrumque, in quibus nec figura sit deorum, nec vita, nec vlla ratio. Aut quo pacto mundum ipsum vtpote, volubilem, rotundum, ardentem, quibusdam incitarum motibus, sine sensu Deum conueniat intelligi, qui & motu feratur alieno, non suo: sed nihil equidem mirum quum propriis relicti sensibus, non vitra aciem figere valuerunt, quàm naturæ obtutus pateretur: nobis, quibus aperta est veritas, & lumen insuper cælitus affusum, piculum foret quippiam talium arbitrari, non quod & hi in vniuersum excusabiles sint, qui philosophiæ dediti poterant certè syncerius de Deo & mundo disputare, ex visibilibus inuisibilem Deum coniectare, nec mundum partesque mundi Deum arbitrari, & quod non semper fuerit mundus, cuius auctor Deus existeret, cui potestas erat ex nihilo creare omnia: qui etiam facere possit vt semper duret mundus, vt non vano cerebro irriderentur tanti rerum coniectatores, quos admirabatur orbis: nec ab eis discedere vel latum digitum, ea tempestate licebat. Nos nullo maiora canamus, principiumque fidei nostræ à Moysè petamus, qui illud magnum volumen suum ita exorsus

*Philosophorū
opinio de mū-
do.*

*Christiana
fides de mun-
do.*

est. In principio creauit deus cælum & terram, vbi sane & deum alium à mundo allerit, & mundum ab ipso Deo creatum: Ergo non à principiis illis, quum creatio nihil præsupponat materiæ: ex nihilo enim fit creatio, vt falsa sit eorum argumentatio, Ex nihilo fieri posse nihil. Iam verò quum tantum opus factum sit à Deo, probat sempiternam eius virtutem, diuinitatēque: alioqui, quomodo facere poterat: qui ante mundi exordium statuitur, vt tria hæc breuibus versiculis docearis. Primum quòd deus nō sit idem qui & mundus. Secundum quòd mūdus ab ipso deo creatus est. Tertium quòd deus sempiternus sit, qui erat ante mundi constitutionem: alias quomodo constitisset mundum? hic gignēdis rebus indidit virtutem nihil idæa duce vsus (vt dicit. D. Ambro.) quatenus ad speciem propositam sua effingeret opera, & non magis suo arbitratu faceret vniuersa: cui inenarrabilis inest coæua sapientia, verbum æternum, per quod ab ipso facta sunt omnia Ioan. 1. Quòdque statuto ad id tempore, ex immensa charitate, qua nos complectitur è sublimi cælorū vertice delapsus, sacræ virginis se visceribus insinuauit, corpusque sibi coaptatum assumpsit: & tandem exactis nouem mensibus, in usitato mortalibus natali prodiit in lucem conspicuus & illustris homo, qui alias iuxta formā dei inuisibilis esset obtutibus nostris. Hic nos in spiritu renouauit, atque redemptos in salutem destinauit æternam: quatenus ex terræ indigenis cæli accolæ efficeret: cuius nunc personā gerit hic angelus, de quo sermo textitur, qui calcatis mari terraque, manum leuat in cælum, & iurat per viuentem in sæcula sæculorum, scilicet per æternam, & incommutabilem diuinitatem, totius vitæ opulentissimum fontem, qui orbis cælestes statuit, fixit solē, lunam, micantiæque astra, condidit cælestes angelos, tellurem quoque omnibus eius opibus mira pulchritudine variegatam, homines in ea, & bestias. Diffudit idem & liquidum mare, & quicquid in eo continetur creauit. Quo sane in loco & hæreticorum quorundam perfidia damnatur, qui immodestius cogitabant, quædam à bono deo, quædam à principe facta demoniorum. Sed quæstionem mouet quod sequitur. Quia tempus non erit amplius, quomodo tempus non erit, quum dicat Psalmista de re-

*Tempus non
erit vltra.*

probis, Et erit tempus eorum in secula. Psal. 80. vbi aperze adstruit Beda temporis aternitatem dicens. Erat tēpus impiorum in æternum. Et infra cap. 19. fumum tormenti meretricis magnæ ascendere in sæcula sæculorum scriptura præfens demonstrat. Si ergo impiorum tempus erit in sæcula, quomodo tempus iam non erit? Ad quod dicendum. Si tempus sumatur vt est mensura motus primi mobilis, sic non erit tempus post iudicium: id quod indicat vox septimi angeli, eo quòd cessabit tunc motus cælestiū corporum, ac transmutatio elementorum. Si vero sumatur tempus secundum quòd dicitur mensura motus rerū mutabilium, manebit quantum ad reprobos in inferno, quorum erit tempus manens in æternū, vt autoritas scripturæ testatur. Sed mutabilis sæcularium temporum varietas in nouissima tuba non erit. Haymo dicit. Iustus nō erit tempus, id est mutabilitas aliqua, quia immutabiles erunt in mente, & incorruptibiles in corpore: tēpus quippe est vicissitudo dierum ac noctium. Proinde bene ibi iā tempus non erit, vbi nulla varietas succedet, sed æterna claritas indeficienti luce permanebit. Impij autem tempus habebunt, quia cōtinuo & in æternum per varia tormenta mutabuntur, qui ad calorem nimium transiunt ab aquis niuium. Job. 24. Quod ergo angelus hic de iustis negat, hoc Psalmista de reprobis affirmat. Dicatur ergo, Quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, quum cœperit tuba canere cōsummabitur mysterium Dei. Tempora quippe, (si liceat repetere, & forte clarius) intra cælum terramq; & mare, & quæ in eis sunt variantur, sibi que decedendo succedūt: ac perinde qui illa creauit, sine dubio eisdem terminum præfixit, (quum omnia in numero, pondere & mensura ab eo creata sint) eadem ergo quum voluerit finire poterit, & pro certo finiet: dicente angelo in suo iuramento, Quia tempus amplius non erit. Quale tempus non erit? Aut quomodo tēpus non erit? diximus, Quia cessante motu cæli, cesserit necesse est & tempus: motu namque cæli fit tempus. Sic ergo non erit tempus, nec tale erit amplius tempus, quale nunc distincta varietate est: nā & orbis cælestes, quorum motu causatur tempus nobis, tum requiescēt à laboribus suis, sicut & elemēta omnia: in cuius expectatione modo

ingemiscunt vltimam illam sui perfectionē desiderantes: testante Apostolo. Ro. 8. Expectatio, inquit, creatura: reuelationē filiorum dei expectat, vanitati(.i. mutationi) enim creatura subiecta est: non volens, sed propter eū qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorū dei: scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Tempus ergo vltra non erit, non quia omnino non erit: sed mutabili varietate nō erit: erit autē perpetuo stabilisq; renore inuariabilis duratio quēdam. Dicamus & aliter. Pro certo non erit amplius penitentia: salutaris tempus, postquā finietur orbis, quo fletu quispiam errata diluat: nullum satisfaciendū spatium, nullus reconciliandi locus. Proinde si sapias, dum tempus superest, age penitentiam: errata corrige, ne in aeterno loco, & immutabili tempore poenā luere cogaris interminam, vbi nullā assequeris veniam: propter quod stridebis & lugebis semper. Aduerte, Sex tubæ cocinerunt, & quā septem dumtaxat data fuerint septem angelis, singulē singulis profecto septima quæ superest, nouissima est, quam apostolus quoque non ignorans Corinthiis memorat, dicēs. Oes quidem resurgemus, sed nō omnes immutabimur: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. 1. Cor. 15, & 1. Thessa. 4. dominum in tuba, & voce archangeli descensurum ē cælis dicit: in qua videlicet consummabitur huius reuelationis mysterium, prout prænūciatum est per prophetas, seruos dei, ne quippiam de veritate prophetiæ ambigeres, quorū principalis intentio de domini aduentu fuit, & seculi consummatione. Neque verò velim, putes hanc tubam ceteris fore consimilem: alius fragor erit huic tubæ, alius cætus, alia tempestas. In cuius descriptione laborat Sophonias dicens. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustia: dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis: dies nebula, & turbis: dies tubæ, & clangoris, ad quam excitatissimis sensibus oportet nos præparare, ne occupet, ne perdat, ne ignibus exurendos dedat.

DE LIBRO DEVORATO.

Sect. 2. Punct. 1.

Nota de septima tuba que nondum clanguit, seruat in die iudicij.



E audiui vocem iterum de celo loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare, & super terram.

Vox ista, vox fuit alterius angeli à priorē itan te super mare & terram: nam iubet ad illum accedere, & apertum librū de eius manu capere. Quis ergo is angelus fuit? Existimo illum fuisse quē communiter Ioanni visiones homini cōmōstrabat: qui etiā vetuit, ne voces tonitruorum scriberet supra Sect. præcedēte. Quid verò est accipere librū de manu angeli, nisi à Christo capere spiritum intelligentiæ. Beatus namq; is est, quē ille erudierit, dicēte propheta. Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Accedat ergo prædicator ad dominum, quicumq; volet scripturæ sacramentis erudiri. Accedat autem in fide nihil hæsitans, Quoniā credere oportet accedentē ad Deum. Accedite ad Deum (ait Diuinus psaltes) & illuminamini, & facies vestra: nō cōfundentur, Psal. 33. Ausculta. Primū vocē audit ē celo: vox hæc celestis diuinæ est inspirationis typus, quæ est quædam vox mēti, per quam erudimur, mouemur, & inflamamur. Deinde iubetur officiū facere, vade (inquiens) & accipe librū apertum de manu angeli. Iā intelligis angelū Christū esse, & eundē librum apertū tenere in manu: & qua ratione apertū: habet enim potestatem dādi intelligenti scripturarum, & dat cui vult. Qui habet clauem Dauid: aperit, & nemo claudit. Hic oēs prophetias in se impleuit, & sacramenta cælestia reserauit: vt iure apertū teneat librū. Apertū tenet & alia ratione, quæ scripturā sano intellectu declarauit: nec tū nisi ipse dederit poteris intelligere, & quātū dederit. Accipe & aliā mysteriū. Potest hic angelus, libri apti dñs, præcellorū in ecclesia doctorū esse typus, quibus excellentius impertiuit suū spūm Christus, & in singulis eorū viuūt, suā sapiētia ac virtute: quæ veluti hæreditario iure intelligentiā scripturæ apertæ tenet: & ideo librū apertum in manu tenet. Ioanē autē typū eorū gerere. Quis deniq; hic dubitet, quæ in arcanis lris nō vsq; adeo sunt exerciti, idcircoq; hi iubetur doctorū iudicia querere: nō quod Ioannes fuerit inexercitatus: sed vtiq; conditionibus considerandis poterit hic interim eorum typum gerere. Sic enim

Beatus à domino eruditus.

Christus apertum tenet librum.

Doctissimi in ecclesia angeli.

Doctiorum iudicia querenda.

dispensante Deo ordinatū est, vt qui minores, & in Christo infantes sunt, à maioribus, & iam perfectis in Christo erudiantur, tam in vitæ directione, quàm intellectus illuminatione: iuxta illud quod scriptum est. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Deuter. 32. Quali ergo multa digni, qui erubescunt doctos consulere, suam ignorantiam pro summa sapientia prætendentes, perinde ac quod saperent sibi ipsis abunde sufficeret: hi sunt ignaui, & asinina simplicitate contenti, maximè que sibi placentes, quòd ignari sunt. Quo turo videas pleròsque gloriari, cum tamen deberent potius confundi, quòd naturalis intelligentiæ suaves igniculos sic in sese patiantur sopiri, imitantes forsàn Tiresiæ vatis illud responsum, Idiotarum optima vita, & sapientissima. Quod ab illo habuisse se memorat Lucianus in Pessimis Menipi, volens intelligere quod esset optimum vitæ genus. Qui in alio quoque libro idiotis sic applaudit, Sapere enim nihil, dulcissima vita. Sed in contrarium est illud Pauli. 1. Corin. 14. Qui ignorat ignorabitur, Quid est ignorabitur? nisi certè reprobabitur, quatenus pars eorum sit cum illis, de quibus dominus dicit: nescio vos, Matth. 25. nempe cum fatuis virginibus, & ignavis, quæ sibi minus prospexerant, vt ornata, & cum sapientiæ lumine illi occurrerēt. Et iam pridem iactatum erat apud Græcos proverbium, Homo illiteratus infructuosa est arbor. Quis enim sine cognitione fidem habuit? Aur cui sine ea condonata sunt peccata? Punct. 2.

Et abij ad angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi. Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulcis tanquam mel.

Longè aliter instructum se ostendit Ioannes ab his ventribus quos modo reprehendimus vt pote crasso ingenio in vniuersum abhorrentes à sacris cognitionibus rerum pernecessariarum: qui confessim, vt accepit mandatum, abiit cupiens magnalia Dei cognoscere, formam dans vtique facti verbi ministris quàm prompte diuinæ obediant inspirationi. Accipe (inquit) librum, & deuora illum. Quid est accipere librum, nisi capere intelligentiæ

Idiotarū vitæ optima.

sensus Dei in sacra scriptura? Hic certè accipit, qui intelligit. Hoc est quod Iacobus apostolus dicit, Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Et Eccle. 1. Omnis sapientia à domino Deo est. Qui non accipit, non habet: neque enim in id proprio naturalique pertingitur lumine, id est, non apprehenditur sensus Dei naturali vi intelligentiæ. Breue est enim ingenium hominis, angustum est, tenebrosum est, infirmum est, ignorantia congenita est illi, vt superno lumine opus omnino fore tibi agnosceres. Hæ sunt tenebræ illæ ægyptiacæ densissima obscuritate inuincibiles, quæ vbi quocunque apprehenderit tenent, ne pedem loco dimoueant: verum vbi superno solis fulgore ruptæ discussæque fuerint, in claro lumine intelligentiæ mysteriorum Dei sistunt, vt agnoscat, immò cum Paulò iam aperta facie contempletur gloriam domini. 2. Corin. 3. Dicatur ergo. Accipe librum, & deuora illum Haymo. Acceptum librum deuorare est, cum auiditate scripturam secretis mentis recondere visceribus. Quo in loco illud accipe: non dicit, Accipe & bibe, sed deuora, id est, manduca auide. Scriptura enim sacra in quibusdam locis porus est, in quibusdam verò cibus. In rebus obscurioribus, quæ intelligi sine expositione non possunt, cibus est, quia veluti mandendo, legendo, & ruminando sumitur: in apertioribus verò, quæ intelligi sine expositione facile possunt, potus. Potum enim non mandendo sed haurièdo sorbemus. Apertiora ergo bibimus, quæ sine difficultate intelligimus: obscura manducamus, quæ spiritualiter ruminamus. Sed mirum valde est, quod sequitur, Et faciet, amaricari ventrem tuum. Quid ventris nomine nisi memoria animæ, seu mens ipsa, quæ animæ venter est designatur, iuxta illud Prouerb. 22. Fili accipe sapientiam, quæ pulchra tibi erit, quum in ventre tuo acceperis. Et illud Ioan. 7. Flumina de ventre eius fluent aquæ viua. In reuelatione sanè hac cognouit Ioanes quid quantumve passura esset ecclesia. Idcirco in ventre suo amaritudine nonnulla tortus dicitur, quum super aliorum afflictionem per cõpassionem in memoria affligeretur. Sic Paulus per cõpassionem affligebatur in corde, quum diceret. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nõ vros?

Scriptura sacra potus & cibus.

Venter memoria.

2. Corin. 11. Et alibi, continuum dolorem experiri se dicit in corde, & tristitiam magnam inesse sibi pro Iudæis, qui de gratia sunt eiectioni, Rom. 9. Quando quidem id Christiana charitas agit in nobis, ut torqueamur de malo proximi, cui subuenire iubemur in charitatis præcepto. Si enim compatitur vnum membrum cætera dolent, id enim natura habet. Nos autem inuicem membra esse docet Paulus. Rom. 12. Sicut inquit in vno corpore multa membra habemus, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et quamuis ita se res habeat, ut incommoda ecclesiæ, fratrisque periclitantis casus perurgeat nos: nihilominus tamen prophetia in cognitione sui, quoties contingat delectat, delectabile siquidem est animæ diuinitus illustrati docerique: nam dulcia sunt Dei eloquia, dulcis & spiritus eius, super mel, & fauam, ut scriptura habet, Psalm. 118. Eccle. 14. quibus admodum spiritus delectatur. Est & aliud quoque mysterium, erimere post haustum spiritum sensus diuini, diuinaque gratiæ collustrationem, ac redine quadam perstringimur mordemurque dum executioni mandamus. Nanque labor est semper in exequendo: id quod Esaias partus difficultati æquat cap. 26. Et dominus Iesus. Ioan. 16. Mulier, inquit, quum parit tristitiam habet. Item Psalm. 47. legis. Ibi dolores ut parturientis. Quid dolores ut parturientis sunt, nisi dolores penitentis? in cuius primum ore (iuxta Augustinum) mel est haustus spiritus salutis, quem cum quadam dulcedine capimus, si quando capimus: sed in ore nonnulla amaritudine perstringimur, eò quod durum sit sensibus à delectabilibus abstrahi, & contrariis occupari, ut sunt ieiunia, vigiliae, & omnes crucificationes ac macerationes carnis, quæ alias suauiter patii solebant. Hoc est quod Esaias dicit, A facie tua concepimus, & quasi parturimus, & peperimus spiritum salutis. Quid est. A facie Dei concipere, nisi à cognitione voluntatis Dei misericordis bonam voluntatem accipere? Quid est quasi parturire, nisi continua pugna aduersus carnem luctari, & bonam voluntatem effectui mancipare: donec spe meliore de salute constiteriamur. Id quod proculdubio, & prædicatori verbi Dei vsu venit, ut spiritus intelligentiæ abstrusissimorum Dei

consiliorum delectet eum: sed labor in exequendo fatiget, exedatque: immo & plurimæ contradictiones donec veritatem annunciat, perurgeant: amantent opprobria multa, sæpe & verbera, gladii quoque occisso, prout apostolis sanctis aliisque primi temporis prædicatoribus euenisse clarum est: in quorum certè ore dulcis erat liber Dei, id est: spiritus intelligentiæ scripturarum omnium: Attamen fieri non poterat, quin aliquando bella contradictionum gladiatorumque partim à tyrannis, partim verò ab hæreticis (quorum mala subinde Paulus genit) in eos exortentur: atque ideo subinde dulcedo illa in amaritudinem vertebatur eis in ventre. Et sic prophetia hæc non tantum de futuro, sed etiam de præterito, siue etiam præfenti facta esse cernitur. Non enim tantum post prophetiam hanc apostoli talia passi: quæ iam pridem patiebantur discurrendo prædicando & doctrinam vitæ dando. sed & ipse Ioannes iam coctus oleo erat Romæ.

✽ Punct. 3.

Et accepi librum de manu angeli, & deuoravi illum. Et erat in ore meo tanquam mel dulce: Et quum deuorasset eum amaricatus est venter meus.

Ecce experientia magistra docetur veritas verbi, prout dictam erat illi, quia videlicet acceptus liber, & deuoratus, faceret amarescere ventrem eius, qui in ore eius dulcis esset ut mel. Similis locus est in Ezechiele cap. 3. cui in visione dictum est, Fili hominis quodcumque inueneris comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël. Sequitur. Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo. Et dixit ad me. Fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi: & comedi illud & factum est in ore meo sicut mel dulce. Denique paucis interiectis sequitur. Et abij amarus in indignatione spiritus mei. Vbi duo obserua. Primum, quia Deus dat spiritum intelligentiæ mysteriorum suorum. Secundum, quia præceptum eius aduersus carnem extat semper: nec ab re, quum caro concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: Lex enim spiritua'is est, pura ab omni fece carnis, quæ lex dñi immaculata, Psalm. 18. Et in Psalm. 11. Eloquia domini, eloquia

*Deo nihil
pulchrius.*

casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplū. Fit enim vt à purissimo fonte purissima aqua dimanet: & lex & verba Dei pura sunt & pulchra, vtpote à totius pulchritudinis autore p̄dita. Et quid pulchrius Deo: qui lucis nomine subinde appellatur. Quid purius eloquis eius, quæ septies à fecibus purgatum argentum memorantur? Tam scimus quid sit accepisse librū de manu angeli: quia spiritū intelligentiæ capere à Christo, quem figurat hic angelus. Huius deuoratio intensior meditatio est, studium, locorum collatio: dulcedo, intelligentia vera: amaror autem toleratio aduersitatum, sensus carnis exercitatio, & tristitia. Quis nō tristetur, quum pro iustitia conuitia, verbera pro veritate, cruces ac mortis tædia suscipit pro prædicatione? Quis item non doleat, quum vltro oblatam salutem repellere videat? adeptā turbari? Quo in casu sæpenumero ipse. S. Ioannes fuit, vt mellea dulcedo in felleam amaritudinem subinde versa sibi fit. Neque enim deerant qui eius facta dictaque criminarentur, qui in faciem ei resisterent, turgidi philosophi, austeri tyranni, passim euntes hæretici: contra quos Herculeo labore illi opus erat, vt verè calicem domini sæpenumero libarit, etiā si minus gladio feriretur. Nam & in feruentis olei dolium Romæ missus fuit, & in exilium postmodum relegatus. Accipiat ergo quisquīs librum Christum cum Ioanne licet, & lætus accipiat, masticeat, deuoret: sed quum viuere iuxta institutionem eius cœperit, cœperit & docere, tum denique eius amaritudinem sustinebit: nam persequutione nō carebit. Apostolo dicente, Omnes qui piè volūt viuere in Christo persequutionem patiuntur. 2. Tim. 3. Hæc est mulieris illa tristis parturitio: hic ploratus & fletus apostolorum. Ioan. 16. Cæsus est Paulus, lapidatus, persequutus ab impiis sæpe hæreticis, falsis fratribus vexatus: flagellari apostoli, & in finem variè trucidati sunt: vt nemini non dulcedo spiritus experta in faucibus, in amaritudinem denique vertetur.

✽ Punct. 4.

Et dixit mihi: oportet te iterum prophetare populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis.

Quæ hæcenus vidit, & audiuit sanctus Ioannes in descensu atque habitu angeli communia sibi fuisse cum cœ-

teris apostolis, qui & ipsi in mysterio librum apertum de manu angeli, id est, domini Iesu, summi legati semper colendi, semper venerandi, à patre è cælis ad nos missi, accepere, deuorauerèque: quorum venter amaricatus fuit post gustatam eius dulcedinem. Accepere enim intelligentiam scripturarum, quibus officium prædicandi in labore erat, ob contradictiones multas, & bella coorientia. Proinde libri huius aperti acceptio præcedentis est typus actionis, non nouæ: Neque enim nouiter. S. Ioanni aut intelligentia scripturarum data fuit: aut iniunctum prædicandi officium: licet multa de nouo data fuisse in euentum ecclesiæ, quæ sancta hæc Apocalypsis habet. Voluit enim dominus in consolationem eius, nostræque fidei robur, typis iucundissimis ostendere, quid cum discipulis suis effecerit, quòve prouentu ecclesiam suam congregauerit: vt credamus, quia diuina virtute facta fuit conuersio vniuersi orbis, cuius opera & ope directi sunt apostoli. Illud autem quod sequitur. Oportet te iterum prophetare, propriam singulariter respicere videtur Ioannis personam: hoc enim dicto, absolutio eius ab exilio simul prædicatur, & munus prædicandi iterum ei iniungitur. Quod perinde est atque diceretur, Scio equidem quòd cupias absolui ab hoc corpore mortali, vt faciem meam videas, & mecum sis: nam odor meus te allicit, appetitumque æternitatis excitat in te, vt non semel pro hoc compellaueris me: verum enim uero opus est vt sustineas adhuc modicum tempus, & ministerio meo fungere in eis quos elegi: scio enim quos elegi ego, qui per te in me sūt credituri. In hoc opus te nunc iterum missurus sum, nam & alioqui dum abes, etiam in credentibus, non modica iactura abes: multi enim sunt qui pio nomine in ouile iruperūt gregem vastantes fidelem. Ecce Cherintus, Martion quoque, Ecce Hebion, cæteræque eiusmodi lernæ antichristorum lacerant, mactant, dispergunt, negantes me fuisse ante Mariam matrem virginem sanctissimam: quòdque tam recens sum Deus, velut in ipsa matre cœperim nouiter. Sed multo omnium pestis nocentior suo tempore emerurus est, & velut ab inferis spiritu satanico triplici fauce proditurus, Arrius presbyter Alexandrinus, perfidi ingenij homo, satelles diaboli, peruersurus popu-

*Predicitur
Ioanni ab
exilio redur-
tuo.*

is & gentibus, & linguis, & regibus multis, quod idem filius dei creatura sit, in tempore esse cœperit, superuacane sic secum reputans. Fuit quando non erat tempus, Nec hoc inferior Sabellius, mutationem in deitate ponens, nec personam distinguens: sed quod eadem persona aliquando pater sit, filius aliquando: contra quos præmunias velim ecclesiam meam, tum sermone, tum scriptis, ne errore labefactetur, quin potius instar petrae firma permancat semper. Vnde esset liberatus ab exilio post multa tempora beatus Iohannes exordium euangelij sui cœpit à verbi aternitate, ita dicens, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. &c. Quo dicto Christum ante Mariam matrem benedictam statuit: & personam filij patrisque discreuit, Si enim in principio erat verbum, & idem erat apud deum, sequitur æternitas filij cum patre, cum quo confiteretur vnus Deus, non recens sed æternus: & ideo alia persona realiter à patre. Neque enim apud Deum, patrem scilicet diceretur, nisi alia persona esset à patre. Quod enim apud alium est, certum est quia distinguitur ab eo, quatinus præcluderetur via impie sentiendi, ac sic omnibus ex æquo daretur salus, nuper sacro quaesita sanguine christi. Nisi enim fides sincera adsit, non proderit in salutem. Sincera erit, dum apostolica prædicatione atque Ecclesiasticis sanctionibus firmata tibi erit, vt nõ aliter credatur à te, quam prædicauere sancti. Apostoli in omnem terram dimissi, & quàm sacrosancta sanxit ecclesia, communiuit & sacris decretis, velut tot propugnaculis murisque fortissimis: aduersus quosuis impetus hæreticorum, quorum molestia turbata sæpenumero fuit.

*Tuangelij
Ioannis prin-
cipium.*

*Personarum
distinctio in
diuinitate.*

CAPVT XI.

**DE CALAMO DATO IO-
ANNI ET TEMPLO DEI
METIENDO.*

Secl. I. Punct. I.



T datus est mihi calamus similis virgæ.

Per calamum facultas scribendi euangelij: per virgam directio magistralis intelligitur. Calamus nanque scriptorum est, virga magistrorum. In calamo inanis vacuitas est: in virga soliditas plena atque perfecta: est & rectitudo: vt exhinc intelligeres non inani nitore scribendi euangelij facultatem Ioanni traditam, sed solida veritate constantem. Calamus contingit multis, sed non similis virgæ. Scribebant calamo olim & Poeta: scribebant & historiographi, philosophi quoque & Rethores. Scribebant & scribunt hæretici multi: sed non calamo simili virgæ: nam dum nitore fucati terisique sermonis in eorum scriptis foris apparet: inanibus intus mendaciorum vacuitatibus tument. de quibus scriptum est. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, Psalm. 118. *Quare? Quia dum datus est illis calamus, vacuus datus est, eloquentiæ tantum splendore externe illitus & conspicuus: non enim soliditatem aliquam veritatis habet. Ideoque non vt lex tua. Quare non vt lex tua? Quia quum hæc veritate plena sit: non ita iniquorum fabulationes, quæ mera mendacia sunt, nitore tantum externo conspicua, quibus plena videas volumina hæreticorum omnis ætatis. Et quis calamo horum fidat: Ideo non vt lex tua fabulationes iniquorum. Iniqui sunt, quia non legem Dei exquirunt: non lege fidei diriguntur, sed mendaciorum vanitatibus seducti vagantur. Scriptum est. Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, Psalm. 44. Quid sedes hæc, nisi ecclesia, quæ est domus Dei viui: columna, & firmamentum veritatis, dixit Apostolus. i. Timoth. 3. Quicunque ergo extra hanc sedem Dei sunt, calamum essi habeant, sed non similem virgæ: hoc est, solida veritate plenum, quæ est virga directionis regni dei, quod est ecclesia, & domus fidelium, & sedes Dei viui, qui dilexit iustitiam, odiuit autem iniquitatem. Nanque omnis qui facit peccatum iniquus est. Quare iniquus? Quia operatur iniquitatem: operatio enim arguit formam, & omne agens iuxta proprietatem naturæ suæ agit. Sol luceni globo collustrat omnia: ignis calefacit:*

*Calamus
virgæ si-
milis.*

homo ridet, hinnit equus, humectat aqua. Proinde iniquus quia spiritu Dei caret, facile iniquitatem facit, quam odit Deus, sed etiam illum qui facit iniquitatem odit. Dicar ergo sanctus & dilectus Dei apostolus, Datus est mihi calamus similis virgæ: quia nimirum & facultas scribendi euangelij, & magistræ directio simul fidelium data fuit illi. Sed occurrit & aliud quoque his adiciendum. Perpicuum nanque est, fuisse, esseque plerisque, quibus post apostolos sanctos, ac euangelistas, datus fuit calamus, sed non similis virgæ: hoc est non ea soliditate veritatis constans ut nihil vacuum esset in illis: Ingenij quippe viuacitate velti loquuti ut homines, errare potuerunt. Inani igitur vacuitate leues fuerunt calami aliquorum, ut nō nisi cum delectu scripta eorum commentaria legi possint à nobis. Sunt qui etsi multa bene dicant, scribantque: non tamen ad Apostolorum soliditatem in vniuersum perueniunt, ut omni ex parte ita integri sint, tanquam nihil ex eis reuelli possit, reiciique. Hinc est quod quum apostolorum scripta citra delectum legantur, cum delectu aliorum omnium. In illis siquidem dominus deus loquutus est, & scripsit: in his naturalis etiam ratio quandoque vacuo suo calamo sese interiecit & immiscuit. De Apostolis est hoc dictum, Deus deorum dominus loquutus: & vocauit terram, id est, vocauit terrenos homines per apostolos, in quibus loquutus est Deus dominus. Psal. 49. Et rursum, Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum. Psal. 86. Scripturæ etenim sacræ quæ populis prædicantur sunt principum horum, qui sunt Apostoli, qui scribere domino inspirate: qui vsque modo in eorum scriptis loquitur populis fidelibus. Sicut scriptum est, Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, Psal. 44. Qui ppe calamus scribarum, hoc est, sanctorum apostolorum, euangelistarumque lingua Dei est, ut errare non potuerit quispiam eorum: nec nos dubitare vel in minimo in vilo eorum verbo permitimur: quia dominus narrat in illis, in quem nō cadit falsitas vlla, qui est veritas, via, & vita, Ioan. 19.

☞ Punct. 2.

Et dictum est mihi, surge, & metire templum Dei: & altare: & adorantes in eo.

A quo

A quo dictum: Ab angelo, qui hæc illi velut digito commonstrabat: qui etiam calamum dedit illi similem virgæ. Dictum, id est, iustum: habes ergo quod dicere nonnumquam pro iudice in sacra scriptura ponitur. Surge (inquit) & metire, subaudi hoc calamo templum Dei, & altare, & adorantes in eo. Præter illa quæ de calamo diximus, Calamus interdum significat mensuram sex cubitorum, ut apud Ezechielem, vbi angelus templi mensurans calamum in manu prægestasse fertur, cap. 40. Quia certe omnipotentis Dei filius, sua sapientia cuncta in numero, pondere, & mensura constituit, ne inane quid in suo opere possit deprehendi. Figura ergo erat integritatis operis Dei, soliditas calami: significans sanè longè diuersum esse opus Dei ab opere humano: quod hoc subinde defectu suo labore: Opus autem Dei certo numero, & pondere, & mensura constitutum nihil inane habet, sed soliditas mera quicquid est. In quem modum & apostolorum quoque opera, solida, vera, & perfecta, vtpote à spiritu Dei in ipsis effecta. Dei enim opera perfecta sunt. Id quod noua donatione. S. Ioanni hic iterum tribuitur, qui accepto solido calamo, & recto, in iussu audit, Surge. Quo

Calamus
mensura.

Euangelicum
negotium im-
pigra solici-
tudine debere
peragi.

Templi Dei
ecclesia.

Altare
Christum.

Metiri tem-
plum quid
sit.

H

Apostoli soli
integre lo-
quuntur.

sequantur electionem Dei. Est autem metaphora, tanquā quis materiale quoddā templum metiretur, siue cubitali, siue alia quacūque mensura, vt solet: quasi diceretur, metire templum Dei in christianis quantā debeant esse per charitatē latitudinis: quantā per spem altitudinis: quantā per fidem profunditatis: ex quibus solidū corpus Christi mysticum conficitur tandem, quod nihil vacui in sese habeat: hoc enim est solidum, quod tribus dimensionibus absolutum est: vt solidum quandoque dicamus integrum perfectūque. Nam & ipse Ioannes se his dimensionibus metitus erat, & ideo integer erat, fuci nihil habens nec ficti: Alioqui calamus solidę virgę similis datus ei non esset, quo metiretur Dei templum, quod solida in sese veritate subsistit: atque eos omnes, qui ad illud pertinent in hūc modum esse oportere: quatenus citra hypocritism fiat vniuersi. Hoc igitur est calamus virgę similis, quod solida veritas. Metitus itaque est Ioannes ecclesię sublimitatem, quam vsque in sublimia cęlorum spe euexit, in hoc quo d credentes filios Dei demonstrauit. Latitudinem in quadrum posuit, dum quadri orbis in partes dilatandam fore christiana charitate censuit. Profunditatem quoq; in fidei veritate solidauit. Metitus est & altare, quod verē Christum exhibet, cuius principium in patre posuit, quem iam fuisse ab æterno antequā ex Maria virgine originem carnis duceret cōfessus est: ad quem pertinet ecclesia, quę est corpus eius: in qua & gloriatur, & omnes suas delicias profus collocauit. † Punct. 3.

Atrium autem, quod foris templum est, eiice foras: Et ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus.

Miranda profus loquutio, quia quod foris templum est, eiici iubetur. At quomodo foras eiici potest quod intus non est? Sed tale est (ni fallor) quod dicitur, quale illud. Deleantur de libro viuētium, & cum iustis non scribantur: vbi, & cōiunctio tenetur expositiue magis quam coniunctiue pro id est, tali sensu, Atrium autem, quod foris templum est, eiice foras: & id est, ne metiaris illud, noli illud computare inter sanctos & electos Dei: hi sunt hæretici, schismatici, & ipsi Iudæi, qui ab vtero sanctę matris ecclesię aberrauerunt, reprobationi gentium adherentes: quib; ita dati sunt, vt & gratiam vocationis amit-

Atrium prohibetur metiri.

Atrium templi qui sunt.

terent, & perfidiam erroris illorum insanissime sequerentur, etiam si quodammodo fidei subscriberent in faciem. De quibus dico hæreticis, idem Ioannes dicit, Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis: permāssissent vtique nobiscum: sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. i. Ioan. 2. Ecce eiectio, id est, commonstratio, quia hæretici non sunt in templo Dei: Atrium enim sunt. Scimus autem atrium foris ecclesiam esse. Rectē autem, in Atrio figurantur hæretici, quod templo annexum quidem est, sed templum nō est, vbi solent & canes meiere: patet enim omnibus atrium: & in hoc est atrij infelicitas, quod extra templum est, & templū non est: sed aliquid templi. Errauerunt enim, inquit, scriptura ab vtero, alienari sunt à vulua, loquuti sunt falsa, & omnes hi in atrio computantur. Nam & excommunicatione sedis apostolicę extra ecclesiam sunt, vt fides Christi profiteantur. Iam verò non solum hæretici: nō solum Iudæi, schismatici quoq; extra ecclesiam sunt: ita sunt & obstinati peccatores, quos eiicit Ioānes verbo Christi dicēs, Est peccatū ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. i. Ioā. vlt. Item, Qui facit peccatum ex diabolo est. cap. 3. eiusdem. Item cap. 2. Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis, quatenus agnosceres & schismaticos & peccatores reliquos quodammodo ad ecclesiam cōiunctos fore quidē fide, sed opere aliud esse q̄ ecclesiam, quos in opere euangelij penitus abiicit in finem separās à iustis, id est Dei ecclesia. Qui (inquit) bona fecerint ibūt in resurrectionem vitę: qui verò mala in resurrectionem iudicij. Ioan. 5. Et Paulus iudicat enormiter contra conscientiam peccantes, vt sunt fornicarij, emascularores, fures, auari, rapaces, maledici, ebriosi, & id gen^o reliqua hominum scandala, fore à regno Dei alienos, cum quibus prohibet pios vel cibum cape re. i. Cor. 5. & cap. sequenti. Quandoquidem hi quoque similiter dari sunt gentibus, quos eadem damnatio inuoluit. Quid enim refert christianum specie tenus esse, & ceterum gentiliter viuere, in passione desyderij? Aut quę societas luci ad tenebras? Quę conuentio Christi ad Belial? quę pars fideli cum inhdeli? 2. Corinth. 6. Non enim vocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationem. i. Thessalon. 4.

Qui ibidem ait, Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Et Ephes. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius. Qui ergo profligant sese turpitudini immundæ, conspurcantes conscientias suas, non aliter quam gentes Deum ignorantibus habituri sunt iudicium, eo quod in atrio computentur, & extra templum Dei sint. Sed non sunt oculi domini aperti in atrium, qui solum respicit in templum, & eos qui in templo sunt verè credentes: ad quos & aures eius apertæ sunt, ut quanto cyus eorum preces exaudiat. 3. Reg. 9. & 2. Paral. 7. Vanè ergo fides (ô hæretice!) vanè tibi (ô sophista) blâdiris, quoniam etsi sis iuxta ecclesiam Dei, non tamen in ea, quia eiici iuberis, ut non numereris inter electos Dei, sed potius cum gentibus, quæ iam iudicatæ sunt cum patre eorum diabolo, sicut & Iudæi. O miseram horum conditionem: non solum autem horum, sed & omnium, qui vitia sectantur: qui homines miseri sunt, impuri, rebelles, obstinati, quibus melius erat non nasci, quam sic miserè perire: destinatâ piis foelicitatem amittere: nec vnquam desideratam domini faciem prospicere. Hic consydera mihi quali exitio futuri sint hi, qui eiiciuntur à templo Dei computati in atrio, quod foris templum est: ut sunt Turcæ, Arabes, Æthiopes, Græci, & omnes Asiani, qui per hæreticos subuersi perierunt, & computantur modo cum gentibus: sic eiecti, ut nec fidem habeant, semoti longe à templo: & hi quoque qui moribus illos exprimentur ac sequuntur, etiam si fidè habeant christianam.

✽ O Punct. 4.

Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.

Perpicuum ex historiis ecclesiasticis est: quia hæretici, ac schismatici pari crudelitate cum gentibus, cum quibus æquam sortem damnationis acceperunt, ecclesiam sunt persecuti: non solum mensibus quadraginta duobus, sed mensibus & annis multo pluribus. Cur ergo nunc ponit menses quadraginta duos, qui non sunt plures quam annis tres & dimidium. Sed ut intelligeres vltimam persecutionem quæ futura est atrocissima ac teterrima, ad quam cæteræ collatæ ferè nullæ erunt. De superbia Antichristi, & eius tempore, quo regnatus est meminit Daniel pro-

*Menses. 42.
quid in mysterio sint.*

pheta cap. 7. sui libri dicens, Et putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradetur in manu eius ad tempora & tempora, & dimidiū temporis. Per tempus & tempora, & dimidium temporis, tres & semis annos intelligimus: id quod manifestius idem per dierum numerum reddidit in sequentibus, dicens. A tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificiū: & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille duceti nonaginta. Etenim si iuxta rationem mēsum lunarium, quos solos cum embolismis suis nouerunt Iudæi, dies istos diuidas: vix paucos supra inuenies, quàm atinet ad tempus & tempora, & dimidiū temporis, id est annum, & duos annos, & dimidiū anni. Est igitur hoc tempus, quo in suo extremo permanebit abominationis desolatio. Nunc autem illud quærere dignum est, cur hic Ioānes, quum dicere potuisset, Et civitatem sanctam calcabunt tribus annis & dimidio, uti ma- luit numero mensium: infra autem dierum mille ducentorum sexaginta, quæ dies toti dem faciunt menses & annos, tricenis diebus per menses singulos distribuit? Num casu, vel absque ratione numeros istos mensium dierumque taxare voluit? Non utique: sed, sicut alias, in scriptura per numeros multa significatur dignitas sensuum vtiliū. Hoc ut notius fiat, de natura quorundam numerorum libet aliquid dicere: quod ostium sit secretioris cuiusdam intelligentiæ vltterius nobis pandenda: idque ita accipias. Numerorum quippe parium alij sunt superflui: alij diminuti: perfecti alij. Perfecti sunt, qui suis æqualibus construuntur partibus, nec redundant superfluo, nec inopia egent, quod in senario perspicies: is enim habet partem mediam tria, tertiam duo, sextam vnum, quæ partes in vnum veluti corpus conflata senarium componit. Diminutus numerus hic est, cuius eodem modo partes compositæ pauciores redduntur, & eiusdem numeri, cuius partes sunt multitudine superantur: ut est octonarius, qui habet partem mediam quatuor, habet & quartam duos, habet etiam octauam vnum: quæ cunctæ in vnum posita septem colligunt, minorem reddentes summam, quàm octonarius erat, cuius partes sunt. Porro superflui nominantur, quorū partes vltra quàm satis est sese extendunt, ut duo decim: huius enim partes maiorem summam col-

*Numerorum
varietas.*

ligunt, quàm per se erat: quæ habet partem mediam sex: tertiam quatuor: quartam tria: sextam duo, duodecima vnum, quæ si acerventur in vnum cumulum redundant in sedecim. Est autem in his similitudo quedam virtutis vitiorum, hoc & superfluis reddit. de superfluis sunt isti numeri, quos hic scriptura taxat, quadraginta duo. De eisdem sunt & mille duceti sexaginta: habet namque numerus hic prior, partem mediam. 21. tertiam. 14. sextam. 7. septimam. 6. quartamdecimam. 3. vicesimam primam. 1. quadagesimam secundam. 1. Quæ profectò partes in numerum collectæ maiorem summâ exhibent quàm erât quadraginta duo simul: quatuor enim & quinquaginta efficiunt: atq; in hunc modû numerus iste mensum superfluit, vt vltra mensuram suæ originis partes effundat, tanquã quis pluribus membrorum organis, quàm vt corpus exigat natus sit: quemadmodum de centimano quodam fabulæ referunt, aut triplici coniuncto corpore Gerione. Ad hoc referunt & numerus dierum mille ducentorum sexaginta, qui in suis partibus intumescit calculi natura luxuriâ, Cuius media pars, 630. tertia. 420. quarta. 315. quinta. 242. sexta. 210. septima. 180. nona. 140. decima. 126. duodecima. 105. quartadecima. 90. quintadecima. 84. decimoctava. 70. vicesima. 63. vicesima prima. 60. vicesimoctava. 45. tricesima. 42. tricesimaquinta. 36. tricesima sexta. 35. quadagesimasecunda. 20. quadagesimaquinta. 28. sexagesima. 21. sexagesimarertia. 20. septuagesima. 18. octuagesimaquarta. 15. nonagesima. 14. centesimaquinta. 12. centesima vigesima sexta. 10. ceteresima quadagesima. 9. centesima octogesima. 7. ducentesimadecima. 6. ducentesima quinquagesimasecunda. 5. tricentesima quintadecima. 4. quadringentesima. vicesima. 3. sexcentesima tricesima. 2. millesima ducentesima sexaginta. 1. Omnes ergo partes integri & originalis numeri, id est, mille ducentorum sexaginta in vnum collectæ, tria milia centum & octo constituunt: tanto numerorum diluvio inundant, fontem longe rivi exuperant, Quum itaque & philosophorum decretis constat, in huiusmodi superfluis numeris similitudinem quandam non virtutis, sed vicij inesse: profectò æquum erit arbitrari in men-

Numeri superflui, vitiorum abundantia typus.

sibus istis, diebusque, qui constituunt tempus & tempora & dimidium temporis, siue annum, & duos annos, & anni dimidium, quibus regnaturus est homo ille perditus, in immensum vicia excrescere, redundarèque magis quàm vnquam antea: quando vix alicubi faciem virtutis queas inspicere. Deprompta sunt hæc ex Ruperti Abbatis promptuario. Prima sio placet omne tempus christianitatis per hos numeros designari, propter sex mundi ætates, & septem dies, quibus prætermantibus & remeantibus omne tempus evoluitur: nam sexies septem quadraginta & duo efficiunt. Legimus quia & filij Israel totidem idest, 42. mansionibus ingressi sunt terram promissionis: qui quia superfluis est numerus, vt recensuimus, datur intelligi, magis abundare in hominibus vitia quàm virtutes, in omni ætate & tempore ob procliuatam naturæ corruptæ in malum. Quod verò dicit calcari ciuitatem sanctam ab his, qui in arrio computantur datis gentibus, duo coniecto. Primum quòd ciuitas Hierusalem caperetur ab eisdem, & multis temporibus obtineretur: id quòd factum iam à multis seculis cernimus. Calcant enim turcæ impia: eam, inter quos sunt Ethiopes, Græci, Iudæi quoque & variæ orbis nationes, deum verum, & christum eius relinquentes: & post somnia sua, & vanitates quorundam, prout copiosè superius descripsimus, abeunt. Secundum, quòd ecclesiam, per ciuitatem sanctam intellectam premerent in omni ætate impij, maximè vero vltima. Nam mira est scripturæ sacra ratio, vt vnum ob oculos ponat, & aliud insinuet: offert sæpe historiam, & innuit mysterium: immo & de mysterio transit in mysterium, vt multo amplius beati sint qui scrutantur testimonia Dei, in toto corde exquirentes eum. Ecce enim textus scripturæ huius indicat & tempora antichristi, & ætates ecclesiæ simul. vt dum vnum capis, capias & reliquum, prout est sensus Dei. Hic est duplex ille spiritus Eliæ, quem poscebat Eliseus dum igneo curru subueheretur. 4. Regum. 2. quem nobis licet subinde in scripturis prophetis contemplari. Mensibus ergo quadraginta duobus calcabitur ciuitas: quia quandiu in præsentis vitæ itinere pertransit ecclesia, persequu-

Ciuitatē calcari quid sit.

tionem ab improbis sustineat opus est. Nā & filij Israel in diebus peregrinationis suae per quadragintaduas stationes varias & multas pertulerunt aduersitatum ærumnas, donec peruenirent in terram eis promissam : quod in figura nostri factum est. Sumus enim in peregrinatione ad terram promissionis æternæ festinantes.

✠ DE DVOBVS TESTIBVS
PROPHETIS.

Secl. 2. Punct. 1.

ET dabo duobus testibus meis : Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Quid polliceatur suis duobus testibus dominus nō exprimitur, nisi quod prophetabunt dieb' mille ducētis sexaginta: ergo nisi subintelligas aliquid utpote donū prophetiæ vel spiritū veritatis, aut aliud huiusmodi, hiulca mācāque erit oratio. Id enim pollicetur. Sed qui sunt hi duo testes? Si cūctum christiānitatis seculum intelligas per hūc dierum numerum, erunt, omnium temporum veritatis constantissimi assertores, duobus testamentis subnixi. Quia in ore duorum testiū stat omne verbum, sufficerēque putamus duos testes ad aliquid astruendum. Sin autē vltimam illam ætatē respexeris, in qua venurus est homo pcti, Enoch & Elias erunt, qui ardentissimo spiritu prophetabunt cōtra Antichristi nequitiam tribus annis cum dimidio, vel circiter: deerunt enim aliquot dies, ut supputatur: de quibus, ut de modico, non solet scriptura vim facere. De his meminit dñs per Malachiam dicēs, Ecce ego mittam vobis Enoc & Eliam, antequam veniat dies domini magnus & horribilis cap. 4. Ob quam causam utrūque raptus est in paradysum. De Enoch habes Gen. 3. quod tulit eum dñs. Item in Ecclesiastico cap. 44. quod translatus est in paradysum. De Elia autem. 4. Reg. 2. quod ascendit per turbinem in cælum. In his duobus intelliguntur & alij omnes illius nouissimi temporis prædicatores: neque enim soli hi duo veritatis assertores erunt: erunt & plures quotquot sufficere videbuntur ad docendam veritatem, & ad con-

Testes duo.

Enoch &
Elias in fine
venturi.

Enoch.
Elias.

firmanda fidelium corda, vincendūque passim filiū perditum, cum suis complicitibus vniuersis. In sanientibus itaque filio perduto, & suis in sanctam dei ciuitatem, defertur ne illa à domino? Nequaquam. Quid igitur tum fiet? Dabo inquit dñs duobus testibus meis donum prophetiæ, spiritum veritatis, & id quidem in summa auctoritate & virtute: de quibus mox subditur, Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta. quando id tempus (ut diximus) idem ferme est cum mēsis quadragintaduobus, quibus ciuitas sancta calcabitur in finē, per Antichristū, & eius cōplices. Sed quid est quod Daniel numerans nouissima tempora, dies ponit mille ducentos nonaginta: hic vero Ioannes, mille ducentos sexaginta solum? Ad quod dicendum, quod licet maior numerus sit in Daniele quam hic in Ioanne, tamen huius de partibus maior multo numerus excreset, quā illius: quod demonstrare prōptum est, habet namque Danielis numerus partē mediā. 645. tertiam. 430. quintam. 258. sextam. 215. decimā. 128. quintamdecimam. 86. tricesimā. 43. quadragessimam tertiam. 30. octogessimam sextam. 15. centesimam vigesimam nonam. 10. ducentesimam quintam decimam. 6. ducētesimam quinquagesimam octauam. 5. quadringētesimā. 3. sexcentesimā quadagesimā quintā. 2. millesimā ducētesimam nonagesimam. 1. Et sic partes congeštæ reddunt, mille octingētos septuaginta octo, quum numeri minoris hic positi summa vltra tria millia protendatur. Vnde id solum habe, quod tam Daniel, quā Ioannes numeris superfluis ea ratione sunt vsi, quo vehementius notarent iniquitatis abundantiam in fine seculorum. Est & aliud inæqualitatis mysteriū. Etenim vult deus incertos nos esse de temporis quantitate, breue sit an longum: quo minus curiosissimus. utque plus de pietate vitæ, quā de temporum ratione cogitemus. Siquidem ex illa beati futuri sumus, ex hac nihil melius habemus. Cæterū sacci amictus vilitatē indumentū eorū, ac humiliationē plurimam prophetarum dei indicat, in austeritate poenitentia. Sacco namque lugentes, & corde humiliati operiri solent. Sic Ninuitarū rex indutus est sacco, sedit in cinere, vbi indignationem Dei omnipotentis ab Iona audiuit. Ionæ. 3. Et Dauid rex induebatur cilicio vbi æmuli molesti es-

Temporum
quātitas in-
certa.

Sacci amictus
quid indicet.

*Eliæ vestitus
vilis.*

*Tribulatio
nō missorū
causa aliqua
semper.*

*Hiero. super
Michæã tra-
ctat cur ve-
niat mala su-
per ecclesiam.*

sent illi. P. sal. 34. Condecet sane prophetas Dei, qui peccata populi lugere debent, non preciosis ornari induitiis, sed vilibus tegi. Hoc iam pridem facere solebat Elias, qui in desertis locis incultus & hispidus permanebat: de cuius vestitu dum Ochozias percontatur, responsum est ei: Vir pilosus, & zona pellicea amictus, accinctis renibus: qui ait, Elias thesbites est, 4. Reg. 1. Hoc idem & magnus ille apostolus de Christi martyribus protestatur dicens, Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustissimi, Heb. 11. Proinde testes isti fideles, eo ipso quod fideles sunt, in graui tentatione peccata populi lugebunt: quemadmodum olim Elias, Eliseus quoque, & filij prophetarū in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, peccata lugebant Israelis. Nunquid enim absque causa peccati vnquam tribulatio in communitatem immissa fuit? Nunquid & dies illi absque causa tales erunt? Non vti que, sed sicut Iob, 5. scriptum est, De humo non egreditur dolor, sic non pro nihilo, sed pro peccato tum quoque cōsurgit illa tribulatio: quia plusquam dici possit offenditur Deus per malitiam hominum, & scelera. Et in Ieremia dicit Deus, cap. 30. Plaga inimici percussit te, castigatione crudeli. Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi. Porro quā multa sint genera scelerum: quibus ab improbis, stultis, & vanis hominibus offenditur Deus: quærere forsitan nō erit absorum ex scripturarum locis, quale potissimū ob scelus illa tam anxia tribulatio in ecclesia Dei cōsurgere permittetur. Vir illustris, & notæ scientiæ, D. Hieronymus locum illum in Michæã pertractans: Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & propheta eius in pecunia diuinabant, & super dominum requiescebant dicentes. Nunquid non dominus in medio nostrum: Non eueniet super nos mala, propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit: & mons templi in excelsa siluarum, cap. 3. Hæc inter cætera ponit. Petrus apostolus dixit argentum & aurum non habeo: poterat vti que Simoni mano vendere quod petebat, immo poterat simulare vendere tem: Spiritus enim sanctus nec venundari, nec emi potest, sed oblatam pecuniam cum of-

ferente damnauit. Nunc videas prophetas Hierusalem non habere in ore prophetiam, & in domino requiescere: & dicere, Non venient super nos mala. Quorum causa speculatorium Dei hostili aratro diuiditur, & locus quondam pacis ruinis plenus fit: & templum domini in vepris, spinasque conuertitur, & est habitaculū bestiarū. Et post aliqua. Propter quod causa nostri, qui testes sumus, qui Sion ædificamus in sanguine, & Hierusalem in iniquitate, qui iudicamus in muneribus, qui in mercedibus respondemus, qui in pecunia diuinamus: & super hoc facta nobis sanctimoniam vendicantes dicimus: non venient super nos mala. Audiamus sententiam domini, que sequitur. Sion & Hierusalem, & mons templi, speculatorium, & visio pacis, & templum christi in consummatione & sine, quando refriguerit charitas, & rara fides fuerit, quasi ager arabitur, & redigeretur in tumulos, &c. Quum hæc dicit, profecto scire nobis, & dicere licet, Quia causa futuræ tribulationis tam magnæ, peccatum maximè graduum ecclesiasticorum: peccatum nulla virtute redimendum: peccatum nundinationis beneficiorum (vt vocant) quod modo nusquam non regnare videmus: cui iuncta est ambitio: nam quia licet modo viuere, licet etiam ambire. Sed venient venient dies, in quibus quia non licebit viuere, non licebit etiam ambire. Quando erunt ista? Quando venerit homo peccati: quando nec vendere licebit nec emere: quia nec viuere tum pius permittetur. Sicque fiet vt peccatum peccato extingatur, deleaturque, Proinde rectè sacco induti propheta testes dñi dicuntur, præ se ferentes omnium tum tēporis existentū ecclesiasticorū formā, & ritum longè diuersum quàm pacis diebus erat. Nā amicti sacco erunt, & prophetabunt vilibus induitiis, pœnitentiam agentes supplicanti Deo, quatenus plagam illā magnā, que super vniuersos irruet cessare faciat: detque eis, & populo sancto suo aliquatenus respirare: quum nemo eos saluare possit à tanto discrimine. Omnibus enim sua mala erunt, & abundabunt Christum profitentibus, cuiuscūque dignitatis fiant, & eminentiæ: vt non potestas liberare vllos possit. Dixi, ita in finem seculi hæc accipi, vt possint & aliis atatibus competere. Proinde fuere semper qui in pœnitentia aliis

Nota bene.

*Prædicator
lugere debet
in penitentia
iniquitatem
populi.*

prædicarint, & prædicent vsque adhuc, amicti fassis, humiliati corde, lugentes ac Deo immortali supplicantes, vt auferat iniquitatem populi sui, & auferat iram indignationis suæ, in ardore vindictæ effusam, quam nemo diu sustinere possit. Potest & aliter locus exponi: vt videlicet duo in his genera martyrij veritas proteſtetur: vnum in habitu, alterum in actu. In habitu soli Deo cognitū corde gestatur, etiam si aliquando patiendi tempus minimè suffragatur. In actu verò etiam publicè coram hominib⁹ adimpletur, quando oportunitas persequutionis innascitur. Aliquando enim videtur martyrium deesse animo: aliquando in aliis animum deesse martyrio. Hinc beatus Cyprianus dicit, Primus est victoriæ titulus gentiliū manibus apprehensum dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum domino reſeruari. Illa publica, hæc priuata confessio est. Ille iudicè sæculi vincit: hic contentus Deo suo iudice, conscientia pura cordis integritatem conseruat. Quod etiam de duobus filiis Zebedæi manifestissimè comprobatur. Nam Iacobus ab Herode necatus, publica confessione martyrio dedicatur: frater verò eius Ioannes euangelista secreto apud dominum martyrio coronatur: claret quippe dominum pridem vtrisque dixisse, Calicem quidem meum bibetis, vnus videlicet in actu, alter in habitu. Et hæc vtrique temporari apta congruunt, hoc est, tam vltimo quàm præcedenti: quum hæc genera martyriorum vtròque contingere possunt. Jam reliqua quoque videamus.

*o Punctus 2.

Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, in conspectu domini terra stantes.

*Candelabra
duo.*

Specialiter Enoch & Elias duæ oliuæ propter vnctionem spiritus sancti, qua illi delibuti erunt, dicuntur: iidem & duo candelabra lumen veritatis super se gestantia: qui consistunt sub conspectu domini. Vnde Elias dicit, viuit dominus in cuius conspectu sto. Generaliter vniuersi duorum testamentorum prædicatores, qui pinguedine gratiæ vncti lumen veritatis prægestant, & in tempore tentationis non recedunt, sed stant coram Deo, voluntatem eius in omnibus contemplantes, vt faciant quæcunque placita sunt illi, intelliguntur, Oliua enim typus est

pinguedinis diuini spiritus, qui Psal. 44. oleum vocatur. Candelabrum typus est rei lumen ferentis: vbi enim magis lumen ponitur, quàm in candelabro? propter quod supra cap. i. ecclesiæ sanctæ quæ lumen Christi habent, candelabra vocantur. Testes igitur domini pari sensu vocantur candelabra: quia verum lumen, id est, Christum, & veritatem eius coram vniuersis per synceram prædicationem constantissimè circumferunt: qui & oliuæ sunt, & candelabra: quia & oleum spiritus Dei, & lumen æternæ veritatis sumministrant. Rectè autem hæc duo copulantur, oliua & candelabrum: quia nimirum vbi est oleus spiritus Dei, ibi & veritatis lux. Oliua, arbor est, cuius liquor oleum vocatur: nitet à pinguedine succi, quàm in baccis reddit, ac fundit in liquorem: ostendens, quia veritatis affector, & in se nitere debet spiritus Dei pinguedine, & eandem in verbis reddere, immò fundere in vsum. Proinde non solum oliuæ, sed etiamnum candelabra censeantur verbi sancti ministri, vt luceant veritate, qui singularem spiritus & gratiæ pinguedine sudant. Apertius dico, oliuæ ob gratiam sermonis sunt, per quem spiritus Dei diffunditur in cordibus auditorum. Candelabra ob ostensionem fidei, cuius fulgentissimo lumine cunctæ errorum tenebræ dispelluntur, & vanescunt. Et ij stare debent in conspectu domini. Tunc enim accepti domino sunt, quæstant, & in conspectu eius stant: nisi enim singulari admirandaque constantia sese ad omnem fortunæ euentum statuunt, & id quidem in conspectu domini, frustra nitorem pinguedinis sui circumferunt, frustra & fidei lumen prætendunt. Constantia ergo sola ornamentum affert & meritum his qui iustitiæ viam grassantur. Ad id producimus exemplum. Minister verbi erat Paulus, qui ait, Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. i. Corin. i. Et hic dicit, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an persequutio? an nuditas? an periculum? an gladius? Subdit, Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque fortitudo, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Rom. 8. Quod perinde

Oliua pinguedinis spiritus typus.

Oliua.

Prædicatores sancti oliuæ.

Paulus pinguedo oliuæ.

est ac si dicat, **Eo** certè magnitudinis sumus ex nostro hoc flagrantissimo in Deum amore prouecti: vt non modo quæ in hac vita fortiri mala solemus, queant nos ab eiusmodi charitate distrahere: quin etiam si quis mortem futuram illam in aternis suppliciis comminetur, vel vitâ polliceatur immortalam, ided duntaxat, vt à Christo diuellatis frustra nobis persuaserit, vel minis vel blandimentis, Frustra denique vel imperatores, vel tyrannos in hac causa protuleris, qui intentant mortem, vel donant vitam: quando nec angeli ipsi, nec potestates supernæ omnes poterunt nos à Deo abstrahere: neque præsentia hæc, quæcunque sint ea allicientia territanti aë: nec futura: nec altitudo, id est, cælestia: neque profundum, id est, quæ in teris sunt: non gloria: non ignominia commouebunt: non creatura vlla, visibilis sit an inuisibilis, auertet nos à Christi charitate. Vides Pauli constantiam quàm firma sit, & galeata, suprâque herculano robore fortis: Id quod postremo rerum omnium à se gestarum, exporrecta inclinataque gladio ceruice probauit: qui vere oliua pinguedinis gratiæ spiritus sancti erat, & candelabrum, lumen fidei nusquam non circumferens. Huius comes Petrus, qui crucem sub idem (vt dicitur) tempus est expertus in gloriam consummata gratia euolauit: qui Christo passo in carne eadem cogitatione armari præcipit, in pri. epist. cap. 4. Idem, exultationem credentium producit in tēpus nouissimum, si qui nunc modicū quid patiantur in variis tentationibus, per fidei constantiam: quoniã pati oportet, vt probatio fidei multo præciosior sit auro, quod per ignem probatur. 1. Pet. 1. Et hic oliua erat, & candelabrum, in conspectu domini consistens, sudans vndique pinguedine spiritus, lucens fidei radiis. In hunc modum debent omnes prædicatores instrui omnium temporum, vt sint oliuæ, & candelabra consistentia sub cōspectu domini terræ, maxime verò nouissimi illius sæculi, quando proditurus filius perditus, non in mysterio, sed palâ, qui negaturus est Christum dominū, & seipsum in omnē altitudinem erecturus, qui etiam legem dabit & præcepta, nō vitæ sed mortis: damnabit hic impius benedictos sermones domini nostri Iesu Christi, & se Christum exhibebit, nihil nō diuinum profanaturus. Quæ o-

*Petrus oliua
& candelabrum.*

*Prædicator
quisque oliua
& candelabrum.*

Antichristus
leges omnes
cessabit.

omnia (heu) quia propter peccata nostra veniēt in nos, omnes leges sanctionēque, tum sanctas, tum profanas: & nō solū vnâ christianâ religionē turbabit, sed & sectas quascunq; euacuabit: cassabit & leges mundi varias, omni opere & industria admittēs vt solū sua lex quâ ipse constituet ster, & ab omnib; obseruetur. Ad quæ omnia miris valebit prodigiis, mira potētia: vt nemo, nisi quem singularis Dei Opt. & Maxi. seruauerit clemētia, sit, qui non seducat: dño fortissimū testimoniū præbēte, Matt. 24. Erit, inquit, tunc tribulatio magna, qualis nō fuit ab initio mūdi, neq; fiet. Clamabis hic mihi permaximū id mali futurū. Aio, Sed nunquā magnū malum, sine magno alio malo euincitur. Iam vides quāta mala suborta sunt in mundo, quot sectæ prodire, quot leges nefandissimæ, quot hæreses. Ecce Iudæi contra dominū erecta ceruice depugnant: ecce Turcarū impuritas cōspurcat omnia: Georgiani, & hi qui sub Ioanne presbytero sunt in India insanabili errore vagantur: Iacobitæ similiter: Nestoritæque in Ægypto & in Syria, & in Mesopotamia, in Armenia, & Persia, & Media, qui circumcidentur simul & baptizant. In ecclesia autem iam pridem factiones hæresum cœptæ, & multa alia spiritu sancto ingrata: quæ si incorrecta relinquuntur, maiori robore sumabuntur semper. Sed hæc omnia tollentur per filium perditum, qui quum errores raptos sustulerit: denique & leges eius, quas statuet annihilabit dominus: ipsæque tantus nihil erit. Quem spiritu oris sui dominus interficiet. Esa. 11. vt impleatur illud quod dictū est per prophetā dicentē, Vidi insum superexaltatū, & eleuatū sicut cedros libani: & transfui, & ecce non erat: quæsiui eum, & nō est inuentus locus eius. Psal. 36. vt in finē permaneat sola hæc sacrosancta & inuiolabilis lex domini immaculata cōuertens animas. quæ constantissima prædicatione seruorum Dei quasi denuo reuiuifcer tum, & erūt omnes docibiles Deo, qui subiugabūt se vltro amabili eius legi, vere agnoscētes eam solā esse, quæ solida veritate subnixæ sit, & quæ saluare possit animas eorū. Lyre sensus est. Passus iste cōmuniter exponitur de Elia & Enoch, qui dicuntur futuri testes Christi, ad prædicandū contra perfidiā Antichristi tribus annis & dimidio amicti saccis, id est, in habitu vili & abiecto, quod dicitur

duæ oliuæ per exuperantiam pietatis: & duo candelabra per ardorem charitatis: & stantes in conspectu Dei per constantiam, contra Antichristi maliciam. Dicitur etiam quòd ignis exiit de ore eorum, de quo sequens punctus innotescit.

¶ Punct. 3.

Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiit de ore ipsorum: & deuorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit eos ledere, sic oportet eum occidi.

*Elias potens
super ignem.*

Ad superiora gesta Eliæ respicit, de quo scriptura ait, 4. Reg. 1. quia quum misisset ad eum Ochozias quinquagenarium principem, & quinquaginta, qui sub eo erant: & hic ascendens inuenisset Eliam sedentem in vertice montis, ait illi, Homo Dei, Rex præcepit vt descendas. Respondensque Elias dixit quinquagenario. Si homo Dei tum, descendat ignis de caelo, & deuoret te, & quinquaginta tuos: statimque descendit ignis de caelo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui cum eo erant: hoc audiens rex misit principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo, & similiter ignis prolapsus è caelo absumpsit omnes. Neque enim pia intentione semel & iterum dicebant ei, homo Dei, rex præcepit, vt descendat. Rursusque, homo Dei, hæc dicit rex festina, descendit.

*Ignis exiit de
ore Eliæ.*

Atque ob eam rem imprecatus est eis ignem. Ecce ignis exiit de ore eius: quia ad imperium oris eius ignis inuadit eos, & absumsit. Fiet ergo, vt tum quoque ignis absumat aduersarios Eliæ & Enoch similiter imprecantium: quatenus hoc argumento sciant vniuersi illum esse Eliam de quo scriptura commemorauit, quia potestas eius super ignem. Locus indicat quanto ardore futura sit prædicationum eorum, iuxta illud, Eccle. 48. Surrexit Elias quasi ignis, & verbum illius, quasi facula ardebat. Solent namque scilicet prædicatores in magno zelo aduersus vicia confurgere, immò & aduersus vitiatorum authores: quorum ex ore velut faculæ ardentes verba minarum ac reprehensionum plena iaculantur: id quod testibus his scriptura tribuit, siue Enoch Eliasve sint: siue alij constanter illius nouissimi temporis prædicatores, aliorumve temporum: etenim de ore omnium ignis exit quoties in zelo prædicant. Illis enim dixit Christus, Ego dabo vobis os & fa-

& sapientiam, cui non poterunt resistere, aut contradicere cuncti aduersarij vestri, Luc. 21. Potens est enim sermo dei, viuus est, & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiendi, pertingens vsque ad diuisionem anime, ac spiritus, cõpagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Hebr. 4. Qui quum bonis dulcis sit & sapiens, amarus tamen malis, & ideo cruciatus ingens: vt veluti igne exurantur absumanturque sermone bono & recto ac scientiam Dei habente. Quo sensu dictum est, Et deuorabit inimicos eorum. Potest & ad tyrannos referri, quales erant omnes pietatis aduersarij, quos sermo Dei ab ore sanctorum egrediens exurebat, & absumebat. Deuorabit ergo aduersarios ignis verbi Dei egrediens de ore sanctorum, quum se victos videat, & quam nihil aduersus veritatem valere possint: ita deuorabit, vt ebulliente ira eorum concidant in semetipsis, intabescantque quia vicisci nequeant. Sequitur, Et si quis voluerit eos ledere, sic oportet eum occidi. continenter respicit ad factum Eliæ, qui quinquagenarios duos, cum suis, bis igne fecit absumi. Ergo quicumque sanctus nocent, pereunt ab igne, non solum hoc spiritali, de quo mox tractauimus, sed alio quoque igne perituri hi nempe gehennali: non enim paritur Deus impune suos opprimi, qui preciosi sunt apud illum: sed oportet vt eiusdem læsionis igne absumatur condemnatus, quo innocens quisque impugnatur inique veritate attestante, quæ ait, Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Ioan. 18. Vnde & chaldæa flamma (in Danièle) quæ pueris Dei ingerebatur, in impietatis ministros reflexa eos absumpsit. Precantur etenim vltionem sanguinis sancti, dicentes vsquequo domine, sanctus qui es, & verax, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terris: supra cap. 6. Vbi diximus, poscere sanctos vindictam sanguinis, non quia funderent aduersarij, sed modo precantur quia contempnabant sanctum Dei nomen, & ipsum Deum in ipsis calcabant. Non ergo sancti ideo precantur Deum ad vindictam exurgere in aduersarios, quia molestantur, & læduntur ab eis: alioqui quomodo sancti essent impatientiam? sed quia contempnitur Deus in ipsis, cuius honorem zelant super omnia. In honorem igitur

*Sancti quo-
vindicam
sanguinis,
non quia
funderent
aduersarij,
sed modo
precantur
quia contemp-
nabant
sanctum
Dei nomen,
& ipsum
Deum in
ipsis calcabant.*

diuini nominis, quod sanctum & terribile est (vt propheta ait) flagitant vlcisci: quod merito faciunt. Nisi enim sic flagitarent, quomodo Dei zelum haberent: quomodo sancti essent? Exaudit autem suos Deus, scriptura prophetica dicente. desyderium pauperum exaudiuit, id est, exaudiet dominus. Psalm. 9. Item. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum. Pro tanto ergo crediderim dici ignem egredi de ore sanctorum, quoniam ignis absumet aduersarios sanctorum Dei vindictam poscentium: ideoque mox subditur, Et si quis, voluerit eos laedere, sic oportet eum occidi. Denique frustra arbitrarim hunc ignem referri, (sicut quidam referunt) ad id quod Apostolus de patientibus dicit, Carbores ignis cogeres super caput eius, Rom. 12. Quod fiet, quoties maledicenti tibi benedixeris benefeceris ve: exuris namque illum redamationis igne, vt commeritus, tuis prouocetur benedictionibus beneficiisve ad tibi afficiendum, velut is loco huic sensus sit, Si quis voluerit testes Dei laedere, oportet eum aggregatis cumulatim benedictionibus beneficiisve occidi, vt non sit qualis erat impius & aduersarius, sed detricto ex eo hostili animo, ceterum pius sit, & amicus, sicut scriptum est, Verte impios, & non erunt. Quomodo non erunt te nullo modo non erunt? Absit. Sed impij, quales erant non erunt. Qui sensus etiam alius commodus sit, & haud quam contemendus: huic tamen loco minimè commodus, quod ad facta Eliae minimè faciat: qui adeo non tulit iniurias sibi inferri, q. subito zelo inflammatus insensuq; ignem de caelo prolicuerit illisq; perdidit, qui venerant ad nocendum ei: etiam si minus obliquis verbis compellere eundem viderentur. Respexit enim ad crudeles animos eorum, magis quam ad mollia verba. Id quod non mediocri prudentia est.

¶ Punctus 4.

Hi habent potestatem claudendi caelum, ne pluat diebus prophetiae ipsorum.

Innouari veterum historiarum signa praedicit, quibus potissimum improborum corda appetente saeculi fine cutienda sunt. De Elia proditum est, 3. Reg. 18. quia oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit. an-

nos tres, & menses sex. Oravit iterq; & caelum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Quod quum facere intenderet, magna cum potestate dixerat regi Achab: Vixit dominus Deus Israëli, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Quod & praesignamentum futuri erat, & ultio impiissimi regis Achab, cum sacrilega Iudaeorum gente. Dignum enim erat vt caelum impiis clauderetur, qui terram scelerè idolatriae, & ventris intemperantia polluerant. Sic digni, vt nouissimis temporibus his, qui adharebunt impiissima blasphemiae hominis peccati contra caeli dominum, caelum ipsum claudatur, ne terram in breu copluat, vt non det cibum impiis, qui reiecto Deo vana sequuntur sunt commenta daemontiorum: simulque quo agnoscat prope esse diem ultionis domini magnum atq; terribilem, quem praecursurus est Elias, similibus vt olim vsurus miraculis, spiritualiter, caelum est ecclesia, vt saepe probatum est, quae claudi potest, & aperiri: cuius potestate habitari sunt hi testes Dei, vt claudant impiis, aperiant verè credentibus: mysteria enim regni Dei his aperuntur, clauduntur illis, ne notitia consiliorum Dei imbuantur, neve imbræ gratiae perfundantur, vt non fructificent in salutem. Quid verò est aperire mysteria regni Dei, & quid claudi, nisi gratiam sapientiae Dei tradita ecclesiae non communicari immerentibus, merentibus autè comunicari? iuxta quod saluator ait. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas ne sparsertis ante porcos. Gratia sapientiae aperitur, dum misericordia excelsi Dei docetur: & hoc non in sublimitate sermonis, aut persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed simplicissima loquendi ratione: misericordia in humanitatis assumptione, redemptione, peccatorum remissione, in filios adoptione, consecratione, vt digni conspectibus Dei habeamur: atque vt ex terra indignigenis caeli ciues efficiamur. Haec sunt altissima sapientiae diuinae mysteria, caeli diuinitas. Ecclesiam ergo poterunt claudere, ne documenta gratiae influant terrae habitatoribus: hi sunt impij immerentesque, quibus Deus vult abscondi caeli mysteria, claudi virtutes gratiarum. Sed quomodo claudere poterunt? An ipsi vices pontificis gerent, cuius est ecclesiam in gratia eius

Mysteria regni Dei aperiri, & claudi.

Gratiam sapientiae Dei aperiri.

claudere impiis aperire? Ita cenſeo: Quum enim apparuerit filius ille perditus in omnibus ſignis & prodigijs magnis, reſciſſurus leges, & diuinas & humanas, vltimas ſtaruat, & poteſtates ſubacturus: qui dicente Paulo aduerſabitur, & extolletur ſupra omnia, ita vt in templo ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus. 2. Theſſ. 2. tunc quia aduerſus eum nemo erit qui exurgat, eique reſiſtat: educet Deus Enoch & Eliam, ſuos teſtes fortiſſimos, qui ſemper eius honorem zelauerunt. & ſtatuet contra eum hos fortiſſimos athletas qui reſequent eius vaſtricias, & dolos cõmonſtrabunt apertè. Habebunt ergo authoritatem hanc tanquam ab ipſo Deo immediatè conſtituti, qui eccleſiam Dei tum moderabuntur, iuxta vaticinium ſcripturæ huius. Sic olim Petrus & cum eo Paulus: Petrus in authoritate ſedis, Paulus in authoritate ſermonis, aduerſus Neronem reſtiterunt, eccleſiam Dei moderantes. Arbitror enim, ſaluo meliori ſemper patrum iudicio, eandem illos tum naſturos à Deo poteſtatem ſuper eccleſiam omnem, qualem modo habet Pontifex Romanus, in cuius manu eſt claudere cælum eccleſiæ cõtumacibus, ne plura virtus gratiæ ſuper eos.

✽ Punct. 5.

Et poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem: & percutiendi terram omni plaga quotieſcuque voluerint.

De Moyſe legimus quòd aquas Nili fluminis ex percuffione virgæ conuertit in ſanguinem: eò quòd induratum eſſet cor Pharaonis regis Aegypti, qui tenebat Iſraëlem ſub dura ſeruitute, & percuffit terram omni plaga, donec eliberaret filios Iſraëlis de Aegypto. Eandem poteſtatem habituros hos teſtes dicit ſcriptura, vt nihil inferiores Moyſe ſiant. Nanque idem Deus erit cum eis qui cum Moyſe olim fuit: qui ipſam terram percuffurum fuit omni plaga in effectum vltionis, quam ipſis terræ habitatoribus inferent: non ſecus ac Moyſes, cui dixit dominus, Conſtitui te Deum Pharaonis. Exod. 7. Spiritualiter, Ex præſcriptis patet qua ratione ipſi teſtes cælum eccleſiæ impijs claudant. Iam quum pluuia ſit ſermonum Dei & gratiarum eius typus, ipſa autem pluuia aqua ſit: quid eſt, quòd dicitur eos poteſtatè habere verendi aquas in ſanguinem: niſi quòd occasio ſient multis

ſundendi ſanguinem: quibus eo pacto baptiſmatis aqua verteretur in ſanguinem. Habebunt autem poteſtatem exhortando in profeſſione fidei, ac ſimul veritatem conſtantiffimè atteſtando. Non igitur quaſi ipſi ſiant authores ſundendi eiufmodi ſanguinem: dum tamè veritatem annunciant, & credentes cõfirmant, impij proſtrudabunt fundentes eorum ſanguinè occasione accepta à fidei annunciatoribus: quatenus hi qui ſuper ſacri baptiſmatis fonte renati erant, caſi ſanguinè fundant. Nõ enim tum ſe teſtes hi abſcondent: ſed proferent, ſed prædicabunt in magno zelo aduerſus impietate omnem: unde impij ſtimulati inſurgunt, & impugnant extinguentes omnes quotquot eiufdem profeſſionis viros ac mulieres inueniẽt, qui ſublatam impietatem fore cupiẽt. Eo modo ab initio impij ad auditã veritatem irritatores, inſenſioresque euadebant: tantum aberat vt cõuerteretur. Sed iam & reliqua videamus. Et percutiendi, inquit, terram omni plaga: ſupple habet poteſtatè. Quid terra ſit, niſi homo terrenus, terrenis inhians, vel terram inhabitans, vt ſit contetum pro continente: & ſic terram dicitur plagis percutere, quum pro diuerſitatibus meritorum atque peccantium, ligandi ac ſoluendi poteſtatè percepta, recta ſingulos cenſura diiudicant: vt ſentit Primafius. Tum itaque terram omni plaga ferient, dum terrenorum reproba ſtudia nunc ſic, nunc aliter damnant. Locus oſtendit principis eccleſiæ liberè poſſe vti plagis etiam atrocioribus in fontes pro varietate & modo culparum. Peruerſi enim difficilè corriguntur. Eccl. 1. Hieron. docet reſecandas eſſe putridas carnes. Præceptum eſt Deuteronomio: 13. Si surrexerit in medio tui propheta, &c. Propheta autè ille, aut fiſtor ſomniorum interficietur. Et cap. ſeq. Qui ſuperbie rit nolens obedire ſacerdotis impetio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur: & auferes malum de Iſraël. Legimus quia Phinees videtis Zambri ingredientem ad meretricem, ſequutus eſt eum: & ambos perſodit gladio in genitalibus: & ſic auertit irã Dei à populo ſuo. Saphyra & Ananias, à Petro mortem multati ſunt, propter denegatam pecuniam. Act. 5. & Chriſtus flagello funiculorum eiecit de templo ementes, & vendentes. Ioannis 2. Certè lupi accendi ſunt à

Teſtes duo quomodo habentur ſunt poteſtatè verendi aquas in ſanguine.

Prælati poſſunt durius animaduertere inſenſos.

grege: si apprehendi queant, etiam interimendi: similiter & hæretici, ex præcepto Deut. 13. Dominus dicit in euangelio. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intus autem sunt lupi rapaces, Matt. 7. Item Paulus, Utinam abscondantur, qui vos conturbat, Gal. 4. August. super Ioan. Nullus (inquit) nostrum vult aliquem hæreticum perire: sed aliter non meruit habere pacem domus David, nisi Absalon filius eius in bello esset extinctus: sic ecclesia, si aliquorum perditione ceteros corrigit, dolorem materni cordis sanat, tantorum liberatione populorum. Constantinus Imperator, vt tradit Eusebius) At in cum adhaerentibus damnauit exilio, eo quod volebat adherere concilio Nicæno. Theodosius imperator puniuit hæreticos Manichæos, omnium bonorum possessione, & omni successione. priuans eos: admisit in super inquisitionem fieri post mortem. Co. de hæret. L. Manichæos. Idem decreuit cum Valentiniano, ne Manichæi in solo Romano conueniendi morandique habeant facultatem. Decreuit quoque eos vltimo supplicio tradendos. Idem statuit: libros hæreticorum diligenti studio inquiri, ac publice comburi. L. Quicunque para. vlti. Valentinianus, & Martinianus omnes damnauerunt hæreticos; vltimòque supplicio coerceri. mandarunt illicita docetes: & denuo libros mandant comburi. Item co. de falsa moneta. l. Si quis vnum. Falsarij pecuniæ aut alij malefactores per seculares principes morti tradi decernuntur. In quem modum potestatem dicuntur habere. testes percutiendi terram omni plaga, quoties voluerint: velle autem debent, quoties ius falsque depostularint: propter quod & principes facti sunt, in plebe Dei: vt non solum furta, homicidia, adulteria, periuria, rapinas puniant: sed etiam hæreses sacrilegas, si sibi emerferint, iuxta legum præscripta sacrarum. Nam hoc opus est eorum ante Deum: vt improba hominum studia coercerent, maliciam expungant, innocentiam custodiant, in quæ principaliter humana leges conditæ sunt: traditæ autem cum potestate magna in manus principum, vt faciant ea quæ in eis scripta sunt. Nunc ad alia.

Theodosij imperatoris contra Manichæos statuta.

Hæretici eorumque libris extinguendi.

Legis humanarum institutio.

* *DE BESTIA ASCENDENTE DE ABYSSO, ET PRÆLIANTE ADVERSUS TESTES DEI.*

Sect. 3. Punct. 1.



Quum finierint testimonium suum: bestia quæ ascendet de abyssu, faciet aduersus eos bellum: & vincet illos: & occidet eos.

Datur intelligi, quia non prius possit quippiam in eos bestia hæc antichristus quam finierint illi testimonium suum, quod tradetur illis, etiam si vellet: neque enim ante tempus quicquam efficiet in eos, cohibete manum eius domino: eo quod cuique testimonium fidelium tempus suum præfinitum est, suusque dierum numerus ab eo qui omnia disposuit certo numero, pondere, & mensura, videlicet quousque testificationis suæ munere quisque perfungatur. Sic Ioannes Baptista non potuit extingui ab Herode, dum ad suo testimonio perfungeretur. Sic nec sanctus sanctorum dominus Iesus. Ideo dicebat, Tempus meum nondum venit. Ioan. 7. Et in horto dum caperetur dixit, Quum quotidie fuerim vobiscum in templo, non extendistis manus in me: Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum, Luc. 22. Et sic manus iniecerunt in eum: & tenuerunt eum. Item, Quum diceretur ei à quibusdam: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere, ait illis, Ite dicite vulpi illi, Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die cõsumo: verumtamẽ oportet me hodie & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Hierusalem. Luc. 13. Quibus verbis aperte ostendit & tempus præfinitum suæ passioni esse, & locum: vbi per diem annus accipitur; iuxta scriptorum testimonium; vt factum hoc primo & trigesimo anno illius intelligas. Proinde oportet testes Dei, qui hic, aut per historiam, aut in mysterio notantur, prius perficere munus debitum, & sic occidi, ac sic ad mensuram pertingere meritorum. Quod Quiddam citius plerique non aduertentes dum adhuc in corpore à do- egressi ex hoc mino peregrinantur, præproperè cupiunt dissolui, & esse mundo percipiunt. cum Christo, impingentes præ desiderio vehementi per-

Periodo suo quæque claudit.

Omnia præfinita à Deo.

ueniendi ad Christum, quod nesciant utrum perfecerint testimonium suum, an non. Ille autem sciens, & prouidens quid vel quantum superfit adhuc ad ipsorum profectum, differt complere desiderium. Id quod & de Ioanne hoc euangelista annales tradunt: de quo memoratur illud, quod saepe rogarit Christum pro sui dissolutione, atque ut hinc sibi egressus concederetur. Sed hoc illi semper responsum est, Expecta parumper, ut populum mihi salues crediturum. Sanctus etenim vir certus de salute, quam per Christum credebat sibi omnino obuenturam, egredi festinabat, nisi dominus pro aliorum commodo ulterius exitu protelasset. Ideoque dilationem suisque deique ferebat. Idem faciebat & Paulus, & multi alij, quos gustus spiritus imbuerat. Sed & impij persecutores, verbi Dei profectum inuidentes, & gloriam testimonij sancti odientes, testes sanctos quamprimum de terra auferri festinant: Deus autem seruat illos, & insidiantium conatus reprimat, & cassat: donec illi testimonium creditum finiant: ita ut etiam si occidendi sint, prius occidi nequeant, quam tempus occidendi hisdem a Deo constitutum adueniat. Omnia siquidem tum fiunt, quum plenitudinis tempus aduenerit, quod ipse solus per momenta agnoscit. Ideo & ipsum dominum Iudaei saepe interficere volentes, non prius occiderunt quam tempus occidendi aduenisset. Vnde. S. euangelista ait, Nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius. Ioan. 7. Nam sicut tempore praefinito misit Deus verbum suum in mundum: sic ante tempus praefinitum occidi non potuit. Apostoli vox est, Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Galat. 4. Plenitudo ergo temporis est finis cuiuslibet rei, quo Deus in aeternitate finem rei constituit. Sic hoc loco de sanctorum testimonio est sentiendum. Impossibile enim est, ut non impleant testimonij sui tempus, priusquam occidantur. Igitur adimpleto sui testimonij tempore, id est, non antequam finiant suum testimonium, bestia quae ascensura est de abyssu, faciet aduersus eos bellum, & occidet eos. Quia enim sancti ij testes propala facient dolos Antichristi, & docebunt ipsum non esse Christum, prout ipse se simulabit persuadens in signis & prodigijs medacibus, sed Antichristum, qui diaboli virtute faceret omnia, pre-

Tempore praefinito fieri omnia.

Plenitudo temporis quid sit.

nunciantes simul Iudaeis atque gentibus olim iam venisse Christum, & sua passione redemisse genus humanum, in quo etiam oporteat omnes homines saluos fieri, non in hoc deceptore, nebulone, qui pictam Christi faciem in sese exhiberet, quum non sit nisi deceptor, & Antichristus: quos scripturae praedixerunt, ut vnusquisque sibi prospiciat, & saluet animam suam ab illo: vnde ab eo tenti interficiuntur, quos si viuere sineret, minus forsitan rem suam successuram crederet. Bestiae autem vocabulo non solus perditus ille homo, verum etiam inhabitator eius diabolus, qui per illum exaltabitur, & extollatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: sed & omne corpus illius figurat: homo itaque ille perditus, ascendet de abyssu, id est, (Glossa Primasij) ex latebris nequitiae cordis Iudaeorum. de tribu enim Dan Antichristus traditur nasciturus, iuxta illud, Gen. 49. Fiar Dan coluber in via, carastes in semita, qui ut primum caput protulerit, & medacis suis uti coeperit, recipietur ab impijs & excacatis Iudaeis, de quorum profundis cordibus, ceu tenebroso suo latibulo proditurus est sparsa eius fama in omnes: & quum prodierit, faciet contra Dei testes bellum, verbis, factis, signis: toto quippe tempore sui testimonij pugnabit medacio acriter veritati contradicendo, & armorum strepitu, expediens cuncta cruciatuum instrumenta, quae in praecedentibus martyribus sunt tentata, videlicet, virgas plumbaras, fustes, caedentes ferri laminas, faces, vngulas, bestias, ignes, carceres, gladios, & si qua sunt alia. Sed & donis plerosque pellicere conabitur, verbis etiam persuasorijs. Ad haec valebit miris prodigijs, ementis tamen, ad seducendos etiam si fieri potest electos, ut Saluator ait, Matth. 24. Euincet illos, non ratione, sed potestate vincet, quia occidet: vel vincet, id est, pene ad victoriam deprimet: quod perinde est atque illud, Luc. 5. Et impleuerunt (inquit) ambas nauiculas, ita ut mergerentur, id est, pene usque ad summersionem premerentur. Tunc enim pius martyr in vltimis illis diebus, inter tormenta, signa non faciet, bestia autem faciet, & in hoc videbitur superior iuxta hominum iudicium: non quia ablata erit sanctis tum quoque Dei testibus potestas faciendi ea, sed erit quando non pugnabunt prodigijs, magis autem consilium tum illis erit, pia patientia, aduersus imma-

Antichristus vnde proditurus.

Antichristi instrumenta contra pijs Christi martyres.

Signa pijs cessare tempore Antichristi.

nia dimicare tormenta: alioqui nihil magis illis facerent: & ubi esset domini consilium, Matth. 5. Beati qui perfectionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum. Et cap. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et rursus, In patientia vestra possidebitis animas vestras: ut volentes subeant mortem pro domino, & iustitia eius. Cōsulte ergo in tempore illo patientiæ clypeū arripiant pro sui defensione sancti, magis quā aduersus eos dimicare armis miraculorū, aut verborū cōcertationib⁹. † Pūc. 2.

Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magna quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & dominus eorum crucifixus est.

*Hierusalem
ciuitas magna.*

Ciuitatem magnam, quantum ad literam attinet, appellat Hierusalem, quæ Dei ciuitas magna dicebatur, donec fides in ea fuit: sed posteaquam dominum suum interfecit, iam non dicitur ciuitas magna, aut Hierusalem: sed infami nomine Sodoma, & Ægyptus: quippe quum in ea plus turpitudinis, quā honestatis: plus vitij quā virtutis: plus rixæ, quā pacis, plus impietatis quā pietatis: & ob inexplebilem illam libidinem auariciamque, quibus vsque ad os prodigiose laborabat, famosoque tumore supra se eleuabat: cuius paricidalis crudelitas Pharaonem planè superabat, cum ille populū duntaxat Dei persequutus sit: hæc verò dominum Deum suum tot nominibus de se bene meritum interfecerit. Ergo ne Hierusalem ciuitas olim sancta iure Sodoma est & Ægyptus? Reuolue Esaiam, & ita de ea dicentem inuenies. Audite verbū domini principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei, populus Gomorrhæ, Esa. 1. Perspicuū est autē quod non de illis ciuitatibus igni & sulphure combustis subuersisque propheta hæc loquitur, sed de Hierusalem: ita enim in titulo operis præmiserat, Visio Esaiæ, filij Amos, quā vidit super Iudam, & Hierusalem. Proinde qui carnaliter erant Iuda & Hierusalem spiritualiter illic dicti Sodoma & Gomorra sunt. Sed & Ezechiel ca. 16. eidem populo dicit, Pater tuus Amorreus, & mater tua chetæa, ob incredulitatis & maliciæ insignia. Amorreus & chetæi, sic & Ægyptij, de execranda posteritate Cham pudendorū patris infami reuelatore sunt progeniti. Ferat igitur, &

perferat iure opprobrium suum ciuitas illa meretrix, vbi dominus crucifixus est, vt vocetur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, id est, in parte computetur ciuitas diaboli, quæ istis iisdē nominibus subicitur. Et sicut super Sodomam pluit dominus olim ignē & sulphur. Deniq; sicut in Ægypto aquæ Nili, percussione virgæ Moysi versa sunt in sanguine: sic ciuitas, quæ dominū crucifixit, igne magna iracundiæ Dei, & sulphure punitionis est à Romanis destructa, & aquæ eius (qui sunt populi) versa sunt in sanguinem per occisionem. Quæ etsi collapsa dudum sit & demolita, tamen iterum reedificata: quia quāuis atrocissime puniantur vitia, subinde tamen occultis veluti pediculis ac draconibus sibi hereticibus, & necdum successis renascuntur: vt opera herculana cum eisdem pugnare videatur. Deus, donec vna exustione tandem absumantur omnia. Ecce enim scriptura dicit, quia corpora testium sanctorum iactata in medio ciuitatis magna, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & dominus eorū crucifixus est inhumata iacebunt. Magna indignitas, immo magna ciuitatis impietas, quod & dominū sanctorū crucifixit, & sanctos eius occidit: atq; vt crudelitati summæ nihil deesse videretur, occisorū corpora in medio sui in plateis iactata ostēdet omnibus, nec sepeliri vult. Quæ omnia futurorū sunt typi: quia licet persecutio illa extrema nusquam non grassetur, nusquam non atrocissime seuiat: magis tamē circa & intra hic Hierusalem, vbi dominus crucifixus est: vbi & caput malorū horū reuelabitur, pestifer anguis Antichristus, omni mōstro & terribilior & scedior: & ideo in plateis eius inhumata sinet corpora sanctorū, vbi erit principale certamē eorū, per quod etiā intelligitur, quia Iudæica plebs specialiter adherēbit Antichristo, quousq; Enoch & Elia prædicātib⁹, qui ex ea saluādi sunt, reuertātur ad Christum, iuxta illud, Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo illū accipietis, Antichristū intelligēs. Ioan. 5. Porrò quod dicitur, vbi & dominus eorū crucifixus est, cōstat dominū extra portā ciuitatis Hierusalem crucifixū: nā eduxerūt eum extra ciuitatē, de quorū cordibus iam pridem eiectus erat Iesus, vt non saluarentur impij. Significat autem, quia Christus in suis membris

in toto mundo erat passurus. Ita est ciuitas magna, quæ Babylon vocatur, in qua diabolus regnat: sicut & Hierusalem, in qua Christus triumphat. Illa cœpit à Cain, ita ab Abel. Denique Sodoma interpretatur muta, Ægyptus tenebræ: Quibus nominibus illi comprehenduntur, qui metu nimio compressi non audebunt tempore hoc confiteri fidem Christi, sed in tenebris infidelitatis cœcati, inque tenebris peccatorum retenti, negabunt illum, insuper etiam calcabunt ciuitatem sanctam: nam communium in fidelibus manu, & ipsi infideles facti, compriment ecclesiam sanctorum, sanctam & dilectam sponfam christi. Negat. D. Hieronymus scribēs ad Marcellam de sanctis locis, hæc carnaliter intelligi posse. Spiritualiter igitur inquit, intelligenda sunt singula: & ciuitas magna, quæ videlicet prius ædificauit Cain, & nominauit eam ex vocabulo sui, hic mundus accipiendus est: quem accusator fratrum suorum diabolus, & fraticida perituris extruxit vitis, sceleribus condidit, iniquitate compleuit, qui spiritualiter vocatur Sodoma, & Ægyptus. De qua Sodoma scribitur, Restituetur Sodoma in antiquum, quod scilicet ita restituendus sit mundus, vt ante fuit: neque enim possumus credere rursus ædificandam Sodomam & Gomorram videlicet, Adamam & Seboim in perpetuos cineres relinquendas. Ægyptum autem nunquam pro Hierusalem legimus, sed semper hunc mundum. Hæc ille:

✽ Punctus 3.

Et videbunt de populis, & tribubus, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium.

Manifesta persecutio sanctorum ostenditur in omnibus gentibus futura, quum dicitur, quod omnes populi, & tribus, & linguae, videbunt corpora eorum tribus diebus, & dimidio. Tres dies & dimidium possumus intelligere, (vt iam notatum est) tres annos, & sex menses: quos in vltima hebdomade Danielis quoque prophetia prænuñciat, affuturos: more scripturæ diem pro anno computans: sicut legimus de quadraginta diebus, quibus exploratores terram chanaam circueuerunt, annus pro die reputabitur. Num. 13, vt in Enoch & Elia generaliter omnes pij intelligantur martyres, verbique dei ministri, qui ob fidē chri-

Dies pro anno.

sti tunc occidentur. Et ne ex incerto nostræ expositionis surgat intentio, oportet ipsius loci verba ponere, si quomodo valeamus abdita loci huius penetrare. Sic enim de septuaginta hebdomadis sanctus propheta scriptum reliquit, vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades sexagintaduæ erunt: & post hebdomades sexagintaduas occidetur christus, & iam non erit eius populus, qui eum negabunt (Iudeos intelligens) & ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus (Romanus scilicet) cum duce vêturo (Tito & Vespasiano.) Et post paululum. Confirmabit, inquit, pactum multis hebdomade vnâ, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & in templo erit abominatio desolationis, Dan. 9. Huius loci meminit dominus, Matt. 24. Quum videritis (inquit) abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, &c. Cuius equidem loci prima pars ad primum Christi referitur aduentum: Illud tamē quod post diuisionem hebdomadam, quam secretiore supernæ inspirationis typo distribuit: primum memorans septuaginta, postea sexagintaduas, postremo vnâ, quam & ipsam in duas diuidit partes, ad finem puto referendum. Nam quod post septuaginta, & sexagintaduas hebdomades christus veniens occidatur, seque occidentes reprobans, eadem gens iam nõ eius, & quod confirmarit pactum multis hebdomade vnâ, quum omnia testamenti veteris dicta vel gesta, quæ christi aduentui typice seruiebant, ipsius præsentiae veritate impleta sunt, qui finis est legis, rectè quidem accipitur: præcipuè tamen etiam ad finalem mundi decursum huius hebdomadis intelligentiam pertinere conuenienter existimo: quum ibidem mox audiam, Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Nam & in sequentibus dicit, quia in tempus temporum & dimidium temporis: & quum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur vniuersa hæc. Et post paululum, Quum ablatum (inquit) fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolatione, dies mille ducenti nonaginta: qui numerus circa trium annorum, & sex mensium curricula diuersatur, (supple) erunt. Qui legit intel-

Hebdomades Danielis.

ligat. Abstrusa sunt hæc: nisi enim abstrusa essent, nõ diceret dominus, qui legi intelligat, vnde & Daniel dictũ est, Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones vsque ad presinitum tempus. Eligentur, & dealbabitur, & quasi igni probabuntur multi, & impie agẽt impij, neque intelligent omnes impij: porro docti intelligent. Tu autem Daniel vade ad presinitum, & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum. Dan. 12.

*o Punctus 4.

Et corpora eorum non sinit poni in monumentis.

Perditus ille, quum occiderit corpus. post hoc amplius non habebit quid faciat, nisi vt occisorum corpora inhumata iacere iubeat in plateis: hoc quã sepe facturũ sit, nemo, qui sanctorum gesta vel passiones martyriũ legit, ignorat. multo tamen magis fiet temporibus Antichristi, cuius tyrannis prædictorum dierũ calculo complebitur, vnde id solum colligendum, quod tanta in pios atrocitate tũ impij deficiant, quod nec mortuorum quidem miserabuntur, quorum corpora minime sinẽt sepeliri: vt vel post mortem superare videantur eos, quos viuos superare nõ poterant: atq; vt alij terreantur sauitia, & à veritatis confessione abtineant. At parum efficient, quibus pro christo gladio percuti voti tum erit. Porro quod hic de sanctis testibus dicitur, hoc in ipso domino nostro Iesu christo Iudei primum effecissent, nisi lege prohibiti fuissent. Lex ita erat, Quando peccauerit homo, quod morte plectendũ sit, & adiudicatus morti appesus fuerit in patibulo: nõ permanebit cadaver ei⁹ in ligno, sed in eadẽ die sepelietur, quia maledictus à Deo est, qui peder in ligno. Deute. 21. Vbi diligenter aduertendum, quia maledictum non pœna facit sed culpa, proinde recte præmissum est, Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est: demũque subiungitur, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo. At illi, eum, qui non habebat culpam, arbitrari quidem suo, maledictum esse voluerunt ob pœnam, quibus non licuit autoritate legis suffragante prohibere sepulturam Christo: quod proculdubio in eius ignominiam effecissent, si licuisset. Nunc verò vbi Antichristus omnes leges reflexit, contra ius falsque, eius licentia permittentur extinctorum corpora insepulta es-

*Antichristi
arrogantia.*

*Mal: d: Et
culpa facit
non pœna.*

se, ac sine omni honore conculcari ab omnibus. Ideo nãque in monumentis corpora reponuntur, vt ibi quiescãt, & diem expectent nouissimum. Hinc Sapien. 44. dicitur. Corpora eorum in pace sepulta sunt. Tunc autem non sinit eos poni in monumentis, vt non viuant eorum nomina. Monumentum quippe dicitur eo quod moneat mentem, quia dum monumenta sanctorum cernimus, qui sua corpora tradiderunt pro Christo in mortem, venerationem illis impendere monemur: eo quod per eos glorificatus est christus: quod tum negabitur sanctis, nec alia quã christi causa, vt non sit in memoria Christus, nec veneretur ab vllõ. Idcirco namque Antichristus filius ille perditus dicitur, quod in vniuersum contrarius existat Christo. Et licet, multi hanc nuncupationem promereantur, excellentius tamen ille in fine reuelandus: in quo vno veluti in capite cẽsentur omnes, quotquot sunt aduersarij Christi: qui eum persequuntur in membris, & agunt contraria Christo. De quibus est sermo Ioannis in prima canonica cap. 2. Nunc autem Antichristi multi facti sunt, vt intelligeres pietatem solum suffragari Christo, in qua si quis inuentus fuerit, beatus: ceteris omnibus in perditione existentibus, vt partem habeant cum illo quem ducem sequuntur: quibus cordi est malum facere, bene autem operari nesciunt: qui omnes ad vnum corpus mysticum pertinent: cuius ipse Antichristus est caput, omnium malorum cõciliabulum sentinãque, & lues execranda.

*o Punctus 5.

Et inhabitantes terram gaudebunt super illos: & iocundabuntur. & munera mittent inuicem: quoniam hi duo propheta cruciauerunt eos qui habitant terram.

Peccatum peccatorum omnium pessimum ac teterrimũ est impios lætari quum male fecerint, & exultare in rebus pessimis. Prouerb. 2. quibus, qui talia agunt multus & inexhaustus thesaurus est repositus iracundiã Dei viuẽtis. Hoc eiusmodi peccatum, lætari videlicet in opere malo, competere in illos occisores testium Dei, graui cẽsura denotat enunciatio hæc, qua dicitur, Et inhabitantes terram, gaudebunt super illos, & iocundabuntur, &

*Cur corpora
in monumentis
ponuntur.
Monumentis
à m mendo.*

*Antichristi
appellatio
vnde.*

*Multi anti-
christi vnus
princeps.*

*Lætari in
male gestis
pessimum.*

*Primasius
Vicensis epi-
scopus comen-
tator Apoca-
lyptisimus*

*Malis bonis
graves ad vi-
dendum.*

*Malis latent
super occisio-
ne bonorum.*

munera mittent inuicem, &c. Vides quàm nihil à proprie-
tate sermonis discedat. Ideo enim gaudebunt, quia inha-
bitantes terram terreni erunt non cælestes, alioqui nequi-
ter suorum factorum eos poeniteret. Primasius Episcopus
Vicensis vir apprime eruditus, qui sub Theodoſio impe-
ratore secundo floruit, circa annos à nato christo, ccccxi,
qui quinque in Apocalypsin commentariorum libros scrip-
ſit, super hoc passu ait. Mirum non est si terrena sapientia
iustorum mortibus gaudeant: nam præter plagas, qui-
bus propter testamentum Dei, humanum genus argue-
tur: etiam visus ipse iustorum grauat iniustos, sicut scri-
ptum est. Sap. 2. Grauis est nobis etiam ad videndum.
Non solum grauat, sed etiã tabescere facit. Hinc. Psa. 111.
Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, & ta-
bescet. Etenim oculis egris odiosa lux, quæ puris est ama-
bilis. Et palato nõ sano poena est panis, qui sano est sua-
uis. Et bonorum vita detrimentum est pessimorum, qui
grauiter auribus audiunt, & oculos regunt, ne videant bo-
num: qui quum dixerint, Pax, & securitas, tunc superue-
niet eis interitus repente, vt vitare non possint. In prom-
ptu esset hic de gestis ac preliis sanctorum verissima pro-
ferre testimonia: quibus demonstrare facile esset truces
homicidas prostratis martyrum legionibus lætatos, qui
in medio iacentium corporum discumbentes epulabantur,
tanquam magnis potiti triumphis, quod in membra
populum dei, nihilque manibus reluctantem profigarunt
iniuste: nisi festinanti procurſu ad alia atque alia rapere-
mur: & ne opus immensum, præter institutum exurgeret.
Vnũ tamen de domino nostro Iesu christo minimè præ-
teream: quem teste omnium euangelistarum, quum cru-
cifixerent Iudæi, lætabantur: & in summa eorum læticia
huc atque illuc gradientes, mouebant capita sua, & dice-
bant, Vah, qui destruis templum dei, &c. Potuit fieri & vt
munera post perpetratam cædem inuicem miserint præ-
læticia cordis eorum, tanquam perpetuo cruciatu iam fo-
rent occiso christo liberati, quod is peccata legis eis im-
properaret, comminaretur & gehennæ mala. Ideo hæc a-
gebãt, quia terreni erant: quos solos cruciat veritatis lux,
carni omnino impaũbilis.

DE

DE RESUSCITATIONE
TESTIVM.

Sect. 4. Punct. I.



*E*t post tres dies & dimidium, spiritus vitæ à
Deo intravit in eos: & steterunt super pedes
suos: & timor magnus cecidit super eos, qui vi-
derunt eos. Quantum temporis supra signi-
ficauerat in mensibus quadraginta duobus,
& diebus mille ducentis sexaginta: tantumdem significat
in tribus hic diebus & dimidio. Tempus ergo & tempo-
ra, & dimidium temporis, id est, annos tres & semisse,
tres dies & dimidium appellat, quæ sunt tempora Anti-
christi, vt supra probatum est: post quæ futurum est, vt
iussu dei omnipotentis spiritus reuertatur in corpora eor-
um: & qui mortui erant, & iacuerant in pulvere integri
resurgant, & stent erecti in pedes, & viuant. Et hoc quan-
tum ad illos testes futuros, in quorum resuscitatione po-
teris intelligere & communem omnium resurrectionem
in vltimo illo die, qui erit post antichristi tempora. Vnũ
ergo tangit, & aliud intelligit. Tangit illos testes duos E-
noch & Eliam: Intelligit autem communem omnium re-
surrectionem, quando malos & qui damnati sunt corrip-
iet insanus timor omnes, vt dictum illud. Sap. 5. impleat-
ur in illis, Videntes turbabuntur timore horribili & mi-
rabuntur in subitatione inſperatæ salutis, gementes præ
angustia spiritus, & poenitentia agentes, dicentes. Hi sunt
quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudine
improperij nos insensati vitam illorum æstimabam⁹ in-
saniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo cõ-
putati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum
est. Duo obserua. Primum temporis in verbo mutatio nõ.
Secundo quod dicit spiritum vitæ à Deo in eos intrasse.
Hactenus enim de futuro facta fuit enunciatio per ver-
ba, sic. Et ciuitatem calcabunt. Item. Iacebunt in pla-
teis corpora eorum. Denique, Videbunt de populis &
gaudebunt. Nunc veluti à prospectu retro conuertens o-
culos præteriti temporis verba assumit dicens, Spiritus
vitæ à Deo intravit in eos, Et, steterunt. Nimirum hoc

*Resurrectio
futura mor-
tuorum.*

K

indicio mutatam loquentis personam à superiote denuncians . Nam ab eo ; quo dicebatur ; Atrium autem quod foris templum est ; hucusque eius personæ verba sunt , qui calamum dedit : hic vero rursus persona Ioannis loqui incipit , eodem tempore & modo verborum , quo superius ; præterito indicatiui . Quod non inuisitatum est prophetis : plerumque enim futura canunt per præteritum , ob prophetiæ certitudinem , quatenus doceant tam indubiè obuenturum esse quod futurum est , ac si esset præteritum . Quod autem dicit spiritum vitæ à Deo intrasse in eos , datur intelligi quia potentia Dei fiet resurrectio mortuorum , qui extinctorum corporibus reddere potest animas : ergo ultra potentiam naturalem fieri habet mortuorum resurrectio . Alij exponi volunt locum hunc magis spiritualiter , de spiritali videlicet resurrectione potius quam corporali : quod extinctis alijs tempore tribulationis alijs excitentur testes domini : qui priorum spirituum in se habeant , ferantque constantissimè de Christo testimonium , & veritate eius . Quod dum fiet , quasi priores suscitati videbuntur , ac terrebuntur illi , qui Christi virtutem extinctam esse putabant in prioribus dicentes . Quid profecimus ? Ecce priores occidimus , & alijs suscitati sunt : vñ nobis , quia nihil proficimus .

¶ Punctus 2.

Et audierunt vocem magnam de celo dicentem ipsis . Ascendite huc . Et ascenderunt in celum in nube , & viderunt illos inimici eorum .


Si de Elia & Enoch præsentem scripturam intelligas , non sine magno Dei omnipotentis miraculo id fiet , quod hic futurum prædicitur : namque hi postquam resuscitati fuerint : mirantibus aduersarijs iubentur conscendere in celum antequam finiatur orbis : & antequam illa vniuersalis resurrectio fiat . Quod quum fiet , dei omnipotentia , & Dei beneficio vertetur in salutem multorum : vt pudefiant & conuertantur ab antichristiana perfidia , cui crediderant , falsis eius miraculis persuasi , & deceptionibus seducti . Quod si olim ob fidei edificationem in infirmis , crebra legimus facta miracula : adeo vt nonnullorum etiam animæ post fata cælos inter turmas angelicas conscendere viderentur : Quid mirum si tum , quando magis

Alia expositio.

Elia & Enoch resuscitatio.

expediat , ob consolationem fidelium , & reedificationem illorum : quorum fides labefactata per antichristum & suos in periculo versaretur , tanto christus miraculo , eandem in multis confirmare velit . vt testes suos veracissimos de corruptione suscitaret , illisque rediuuios propalam allumeret in celum : vt sic sine mysterio annorum tres dies & dimidium simpliciter tibi curant . Ad quod tam stupendum miraculum procius sequetur & terremotus magnus , in quo decima pars ciuitatis cadet , occisis in terramotu septem millibus hominum quorum nomina erant in terris : reliquis ex terrore conuersis . Hi erunt drachma decima perdita , & ouis centesima , qui tum irreparabiliter pereunt , in perfidia æternum sopiti , vt nec ad tantorum miraculorum coruscationem euigilent : pereunt autè quia non sunt ad vitam præordinati . Et quia tropo duorum testium vniuersalem resurrectionem mortuorum in hunc modum adumbrat : proinde in fine visionis istius tercia , quum debuisset dicere de communi resurrectione omnium , non aliud dixit , præterquam quod adueniet ira eius , & tempus mortuorum , iudicare , & reddere mercedem seruis eius prophetis , & sanctis timentibus nomen eius : pusillis & magnis : & exterminandi eos qui corruerunt terram . Quod non faceret nisi in mysterio , quod per historiam in particulari de duobus testibus hic dicit , referre velit etiam ad vniuersale . Dicatur ergo . Et audierunt vocem magnam de celo dicentem ipsis . Ascendite huc : & que sequuntur . Vox ista , quæ eos vocat , & cælos conscendere iubet , ad generalem resurrectionem referendo , ipsa est , de qua Apostolus . i . Thessa . 4 . dicit . Ipse dominus in iussu , & in voce archangeli , & in tuba Dei descendet de celo . Ascendite ergo huc , ad mediam videlicet cæli regionem , ad caput vestrum , qui estis membra eius : non enim ultra manebitis in terra , sed sicut facti estis ciues sanctorum , & domestici Dei habitabitis in celo , quo semper aspirastis dum in carne viueretis mortales . Legimus in Act . apost . quod dominus in nube sit venturus ad iudicium : sic enim dixerunt angeli testes ascensionis domini . Hic Iesus qui assumptus est à vobis in celum , sic veniet quemadmodum vidistis eum

Decima pars ciuitatis drachma decima & ouis centesima.



ascendentem in cœlum, videlicet, in magna gloria. Sicut ergo Christus venturus est in nube, ita & omnes sancti unde per semetipsum dominus dicit, Tunc videbunt filiū hominis venientem in nubibus, cum potestate magna & maiestate, Lu. 21. Hoc est quod Apostolus quoque prædicat, dicens. Nos autē qui viuimus, qui relinquitur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiā Christo in æra: & sic semper cum dño erimus. 1. Theff. 4. Quod si quis hanc Pauli sententiam intuens, inquirat, qualiter generalis illa sententia inflicta primo homini, cum tota progenie, qua dixit illi Deus, Terra es & in terram ibis, cōpleatur in nobis illis, qui viuimus, qui relinquitur pro illo tempore, simulque rapiemur cum illis resuscitatis de puluere; scire debet, veram Dei esse, & Pauli sententiam. Quia & viui reperientur homines, ex quorum persona, hoc apostolus loquitur: qui, vt beatus dicit Augu. in ipso raptu nubium etſi momentaneam gustabunt tamen mortem. In terram autem reuertentur iuxta vocem domini: quia corpora eorum exeunte anima, remanebunt etiam si in momento temporis per se, quæ vtique non aliud quam terra sunt. Itaque securè dicimus, quia in momento, in ictu oculi, in ipſis nubibus, spiritum vitæ accipient, hi qui in aduentu domini viui reperientur, mortem momentaneā gustantes. Impij autem remanebunt in terra, quam dilexerunt, pro qua & digladiati sunt, qui electos supraque eleuatos in æra iudices super se tum verebūtur: quos in terris dum agerent, contempserunt, iudicauerunt & dānauerunt, opprimentes iniuste. Quid miraris ô homo? diuina sient hæc potentia, cui nihil est impossibile, agit quod vult, & quomodo vult, & quādo vult. Aut quomodo aliter ostenderet suam potentiam, si non opera mirabilia faceret? Cuius est potentia solius pro libito omnia agere, nostrum est glorificare eum in omnibus, quæ de illo aut audimus, aut legimus: quia magna, & sancta, & admiranda sunt opera eius, facta in veritate & æquitate.

† Punctus 3.

Et in illa hora factus est terramotus magnus: & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in terramotu nomina hominum septem millia: & reliqui territi sunt: & dederunt gloriam Deo soli.

De raptu viuentiu in generali resurrectione.

Mors momentanea in extremo die.

Quum dominus Iesus potēti virtute operatus fuerit circa duos testes vt palā eos resuscitet, iubeatq; in sublime conscendere, alij terrebuntur, qui hæc videbunt: non tamen ex hoc terrore omnes conuertentur: sed sicut hæc scriptura dicit, factō terræmotu decima pars ciuitatis collapsura sit: & nomina hominum septem millia ex terræmotu interitura. Denarius numerus perfectus est, ita & septenarius. Quod si non esset à parte totum intelligendum erat. Dicit enim ciuitatem in reprobis collapsam, de quibus legimus. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. 1. Ioan. 2. Obserua nomina hominum dicit occisa, non homines: neque enim inter homines computandi sunt, qui Deum non aduertunt, nec se intelligunt, comparati iumentis insipientibus, & similes facti illis. Vel noīa dicit, propter eos, qui magnificant nomina sua in terris: quales sunt omnes superbi & hæretici, de quibus, D. psaltes loquitur. Psal. 48. Vocauerunt nomina sua, in terris suis. Reliqui autem, qui territi fuere dederunt gloriam Deo cæli. Hi sunt supra petram ædificati, qui aliis terræmotu cadentibus, id est, ex persecutione fidem abnegantibus: de stabilitate sua firma moti non sunt, immo glorificauerunt deum ore & opere. Meminisse autē debemus, quia quod supra ciuitatem magnam dixit, quam & spiritaliter Sodomam & Aegyptum vocari perhibuit: id nūc non ciuitatem, sed decimam partē ciuitatis, quæ est Hierusalem appellat: quam corruisse testatur, & merito: nam collectio malorum, non ciuitas, sed ruinæ quædam sunt magnæ illius & sanctæ ciuitatis Hierusalem cælestis: cuius nouem sunt ordines angelorum: & idcirco, qui inde ceciderunt, de illorum sorte sunt, super arenam stantes. Quo circa instanter nobis vigilandum fuerit, ne ruina simus ciuitatis, mancipium diaboli: nec super arenam vestigia figamus, magis autem supra petram firmati, ciues sanctorum ciuitatis sanctæ Hierusalem, in timore illi soli seruiētes, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sui: qui solus est immortalis, lucem habitans imperferutabilem: benedictus in sæcula.

∞ Punctus 4.

Vah secundam abiit: & ecce Vah tertium veniet cito.

K iij

Nomina hominum quid importent.

Prædixerat aquila tria vñ futura, habitantibus in terra cap. 8. quorum duo in præhabita narratione præcesserūt, tertium adhuc restat. Primum indicauit mala locustarū. Secundum, locutionem quatuor angelorum: quibus solutis occisa fuit tertia pars hominum, à tribus plagis, igne, fumo, & sulphure. Tertium respicit tempus illud, quum in extremis diebus insanire cœperint, Gog, & Magog. De his cap. 20. infra habes, vbi sic legis. *Quum consummari fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo: & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog: & congregabit eos in prælium: quorum numerus est sicut arena maris. Hoc futurum est post Antichristi tempora longe: (Nam post duo prima vñ, confestim sequi debebit communis pacis optatum tempus, quo vniuersus orbis ad Christum conuersurus exultabit, & lætabitur vehementer,) sub tuba septimi angeli: de quo mox sequitur.*

*O D E CANTU, SEPT. ANGELI.

Sect. 5. Punct. 1.



Septimus Angelus tuba cecinit: Et facta sunt voces magna in celo, dicentes. Factum est regnum huius mundi Dei nostri: & Christi eius: & regnabit in secula seculorum. Amen.

Sex priores tubæ varios bellorum exortus, varios ecclesiæ casus cecinere, quibus ecclesia erat exercenda: hæc autem cantu suo prodit aureum illud & amabile sæculum: quod omnes exoptare debemus, & dicere. Adueniat regnum tuum, quod sequetur ad præcedentes tribulationes quando pacata erunt vniuersa, & cor quærentium dominum exultabit vehementer: quod & supra sub apertione sigilli septimi in silentio dimidiæ horæ monstratum est: id enim nostræ huic sententiæ apprimè suffragatur, & probat omnino veram esse: vt non subito rapiamur ad sabbatum illud æternum, quod alij hoc loci non satis probabiliter coniectant. Nam si id verum

esset, quid igitur admodum referre videbatur dicere regnum huius mundi: & non potius æternum, quod in beatis est, nec est quod hoc loci dixeris: factum, id est, finitū: sed innouatum, & quasi ab interitū restauratum, vt dicemus. Præterea eleuat sententiam horum, illud quoque, quod vigintiquatuor seniores in suis gratiarum actionibus addunt. Et qui venturus es. Si enim venturus est, nondum adhuc venit. Si nondum venit: quomodo sabbatum æternum erit regnum hoc quod hic spiritus indicat? Igitur ordo visionum, & collatio locorum, magnum quid efficiunt ad veram intelligentiam scripturæ huius: quibus duobus hactenus, Dei gratia, stylum diteximus, ne operam frustra nauasse videremur, semper cum iudicio sententias componentes aliorum: ne quid sententiarum varietate opus dissonaret. Sed vt ad rem retentamur, dicit scriptura. Et septimus angelus tuba cecinit. Audiuimus superius cap. 10. quod angelus stans super mare, & super terram, iurauit per viuentem in sæcula seculorum, quia tempus non erit amplius, sed in diebus vocis septimi angeli consummabitur mysterium Dei, videlicet, quod in fine mundi præsignauit implendum, de quo loquuti sunt prophetae Dei. Quomodo autem tempus non erit? Aut quale tempus nõ erit, ibidem notauimus, vbi tempus hoc interpretari sumus de fine mundi, & extremo die, quando ultra non erit tale tempus quale præcessit, videlicet peregrinationisque & tribulationis bonorum. Nam tum consummabitur mysterium Dei, quod consummandum est in diebus vocis septimi angeli. Nec sunt plures, nisi septem angeli mystici tubicines, ergo in diebus septimi mysterium erit consummandum, quod euangelizarum est per prophetas de tribulatione ecclesiæ, quæ tum consummabitur. Quomodo ergo tertium vñ, hoc est, tertia tribulatio, per Gog & Magog, post hanc communem pacem ecclesiæ totius excitabitur, si hic consummabitur? Ausculta, totum tempus ab hoc vsque in finem, septimæ tubæ est, in quo multa euenient: id quod Angelus perpendens conuenienter dixit. In diebus vocis septimi angeli, id est, quum cœperit ecclesia sancta vltimam suam prædicationem diffundere, cõsummabitur mysteriū Dei, hoc est, arcanum decretum, quod

*Temporū arti-
culi nobis in
cogniti.*

modo latet, tunc reuelatum implebitur. In diebus dixit, pluratiue, significans diuturnitatem temporis huius, & multa in eo accidant. Fiet ergo, & pax prædicanda, & tribulatio succidanea, & finis mundi sub hoc tempus, aliis atque aliis diebus. Hæc sunt tempora, & articuli temporum, quæ pater posuit in sua potestate, de quibus curiosus inuestigare superuacaneum fuerit: satis sit ita distinctim digessisse: quia hoc prius, illud posterius futurū est: quibus autem temporum articulis hoc atque illud fiant, nemini reuelauit Deus, etiam si mysteria, & ordine quo fiant reuelauerit. Porro voces magnæ nihil aliud sunt, nisi magna laus, magna gratiarum actio futura in ecclesia Dei, quam cæli typus exhibet. Beatus qui ad illud tempus peruenerit, quando ubique gentium erit pax & gaudium, & gratiarum actio, quando solus Christus ubique triumphabit, cum ingenti omnium gratulatione: cui laus ab omnibus tribuetur & gloria: quia per suam magnam misericordiam potentissime liberare dignatus est eandem ecclesiam suam a tyrannide antichristi, interficiens eum in spiritu oris sui, sicut dixit Esaias. Tunc enim uero uniuersi conclamabunt uerbum hoc. Factum est regnum huius mundi Dei nostri, & Christi eius. Quid est, factum est? An consummatum est? Non utique. Neque enim tum adhuc consummabitur militans ecclesia in hoc mundo, quæ perdurabit usquequo ueniat Dominus. Ergo factū est, id est, innouatum, vel de uo instauratū: nō enim apparebat facies ecclesiæ tempore Antichristi, quando non erat pax piis, nec dabatur uiuere illis: quo tandem pereunte reddetur uita omnibus: & ipsa uniuersalis ecclesia quasi à morte resuscitata restaurabitur. Sequitur. Et regnabit in sæcula sæculorum. Nam licet per Gog & Magog turbanda, sit hæc pax, non fiet tamen tanta tribulatio, quanta præcessit sub magno Antichristo, dicente domino. Erit tunc (notans tempus Antichristi) tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mūdi usque modo, neque fiet, Matth. 24. Quod dicit, Neque fiet, proculdubio, post hæc indicat aliam futuram, & hæc erit post communem pacem, vel in diebus pacis huius, minimè tamen uniuersalem pacem eleuans, in qua uenturus est dominus ad iudicium, prout colligitur ex Euangeliiis, quia in pace

*Gog & Ma-
gog tribula-
tio.*

mundi uenturus est dominus ad iudicium non speratus à multis. Ita enim dicit. Sicut fuit in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes: nubentes, & nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intrauit in arcam Noë & non cognouerunt donec uenit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis, Matth. 24. Idè habet & Lucas. cap. 17. Quid ergo est quod ait dominus, Veruntamen filius hominis ueniens puras inueniet fidem in terra? Luc. 18. Sed nihil repugnat, ostendit autem quia in illa pace rursus homines in uitiis carnis dissoluentur. Longa etenim pace incautus quandoque dissolui in uita solemus: quum non cauere sed nutrire magis diuturna pax soleat uitiis. proinde dum vexamur minus, minus afflictionibus præmimur, siue etiam pœnitentiæ: carceribus nos coercemus, minus probi inuenimur. Nuncque aduersitas remedium quoddam est, ad expugnanda ac depellenda uitiis, & sanandum internum totum hominem, quo minus ardeat, minus aduersus sacrosanctam Dei legem concupiscat: sed ut fide uiuat, fide Deum colat, fide bene operetur, atque in uniuersum spiritualis fiat. Cogit enim intra se hominem tribulatio, & ad sui limpidiorem cognitionem compellit: ut dum se introactus recognoscit, & quàm nihil in sese eiusmodi præsidij, quo saluetur, inuenit, ad Deum fugere cogatur, cui in pace omnis uirtus concidebat ut & Dei in primis creatoris obliuisceretur, & sui. Producamus exempla. In persecutione Dauid sanctus fuit, & fortis: in pace deliquit. Salomon diuturna pace à fide defecit: qui in templi edificatione occupatus alienus à uiciis fuit. Sic variè peccatis externis malis internum malum suboritur. Proinde consultissime quidam pacis tempore bellum sibi metipsis indicunt assumpta pœnitentiæ: quatenus eius uredine, oborta uitiolorum seges tota exarescat, quæ nisi contratio nescit domari. Laudanda ergo in oibus, maximè uerò in uiris religiosis est carnis afflictio, & illa spontanea uoluntatis obligatio: quæ si libera sit plus criminis quàm uirtutis, plus dānationis quàm salutis nouit operari: eò quòd sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, Gen. 8. Disciplina militaris armis suis utitur: nec spirituale certa-

*Persecutione
uilitas.*

*Aduersitas
remedium.*

men affurgit ad palmam, nisi suis præmunitum sit præfidiis.

✠ Punct. 2.

Et 24. seniores, qui in conspectu Dei sedent, in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes, Gratias agimus tibi domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam: Et regnasti.

Seniores qui habendi.

De senioribus qui sunt, satis iam dictum est: primarij enim in ecclesia Dei sunt, qui vices Dei in hoc mundo exercent, in iudiciaria potissimum potestate: qui sedere in conspectu Dei dicuntur, eò quòd faciant quæ placita sunt illi. vnde habemus illos solos inter seniores recensendos, qui eiusmodi sunt, hoc est, qui inculparè viuunt, & ministerium Dei fideliter implent: qui etiam rectè in facies suas cecidisse dicuntur, quòd omnia opera sua ad eum referunt, & quidquid boni habent tribuunt illi, qui dicit, Sicut palmes nò potest fere fructu à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Infert deinde. Sine me nihil potestis facere. Ioa. 15. Proinde ab illo vno se habere omnia recognoscunt, qui facit omnia. Omnia enim quæcunque voluit dominus fecit in celo & in terra, Psalm. 113. cuius voluntas est prima rerum omnium causa: & prima legum omnium regula: nam leges omnes secundum suum beneplacitum instituit, quarum utique 24. isti seniores sunt ministri: vt rectè legum administratores Deo gratias agere debeant cadentes in facies suas coram eo & adorantes. Quo sanè docemur nos quoque, vt omne bonum quod in nobis est, vel esse credim⁹, aut suspicamur: fidelissima recogitatione, sincerissima affectione, gratissima deuotione, totum Deo tribuamus, nihil pœnitius nobis referuantes, aut nostris tribuentes viribus. ne gloriam Dei de donis, & bonis collatis, nobis usurpare videamur iniquam. Quid enim habes quod nò accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? 1. Corin. 4. Malum, quod nobis hæret, nobis ipsis ascribere possumus, prout est veritas, iuxta diuinum illud oraculum, Perditio tua ex te (ò Israël) tantummodo in me auxilium tuum. Osæ. 13. Et dominus in Euangelio, Vos inquit, quum sitis mali. Ecce malum solum habe-

Bonum semper à Deo habemus.

mus à nobis: quod verò bonum est in nobis, à Deo est. Hoc tibi certum sit, & ita credas: nullum actum elicere posse hominem, quod meritorium sit, ac salutare, & Deo placens, sine gratia eius. Paulus dicit, Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Corin. 3. Alibi quoque, Deus inquit, est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Phil. 2. Ex quibus habemus, (vt aliquid eruamus ex promptuarijs etiam theologorū vulgarum) quòd hos tres actus, cogitare, velle, & perficere, Deus per suam in nobis operatur gratiam: vt perspicuum sit, quia pro tribus his actibus triplex requiritur gratiæ influxus. Primus ad ipsum cogitatum, quem gratia in corde seminat: non ita intelligendo, quòd sine speciali Dei influxu non possumus de bono cogitare obiecto, vt de iustitia, de pietate, de Deo, de homine Christo, eius passione, &c. de quibus & Iudæus cogitat & Turca. Hoc nēpe commune est omnibus, & bonis & malis, electis reprobisue, quum & ipsi dæmones cogitant de illis, dum enim generalis de his habetur sermo, quis non auditorū cogitat: aut dum quis priuata lectione meditationeque talia reuoluit: ad quæ nullus tum specialis requiritur gratiæ influxus: sufficit enim generalis hæc influentia, videlicet, factas virium ingenitarum: quæ cuique inserta est naturaliter. Quod verò Apostolus dicit nos nò esse sufficientes aliquid cogitare à nobis tanquam ex nobis, intelligendum est, de salutari cogitatione, quod in nobis speciali gratia operatur Christus. Neque enim Apostolus inibi de generali loquitur sufficientia, secundum quod omnis creatura etiã inanimata recipit à Deo ad agendū suā sufficientiã: sed de sufficientia salutari: alioqui nihil opus erat de hoc meminisse theologo magno, quod natura rerum nos doceret. Proinde hoc modo intellige: quia nullus cogitatus, quatumcunq; exiguus de salute, hoc est, salutaris ac sibi proficuus, commouebit cor, excitatque, aut stimulat, sine speciali diuinæ gratiæ influxu. Quod sic persuadetur. Auscultant duo eundē sermonem: alter compungitur, salutis spiritum cōcipiens: alter duro corde persistit. Cunque hi ambo eundē sermonem audiant, sed nò eodem modo

Gratia influxus varij.

Gratia prima operatio.

Sufficientia nostra.

Gratie diuinæ influxus; necessitas.

gratiam recipiunt : hic audit tanquam Promethei fabulam, aut aliquid tale: ille tanquam salutarem doctrinam. Item : Cogitant duo offerre missæ sacrificium , alter pro salute: alter ex cōsuetudine, nihil passionē Christi corde rememorando : nec finem in quem institutum est missæ sacrificium, videlicet in remissionem peccatorum, & Dei gratiam obrinendam : quatenus pro charis ceterum habeat nos Deus. Ille spiritali influxu gratiæ: communi hic, tanquam agens officium debitum. Id quod & in audientibus missam, & orātibz vsu venit: vnus pro impetratione veniæ delictorum orare cogitat, alter ex vsu. Quæ est causa differentiæ huius? Respondeo, collatio gratiæ specialis, & negatio: domino in scriptura sacra dicente, Plui super vnam ciuitatem, & super alteram nō plui: pars vna compluta est, & pars super quam nō plui, aruit. Seminat ergo Deus salubrem in corde cogitationem dupliciter: vel per externum adminiculum : puta, exhortationis, institutionis, prædicationis, lectionis, &c. vel per internam inspirationem, irradiationem, illustrationemque. Seminat autem dupliciter, generaliter & specialiter. Generaliter immittēs homini fructuosum de sua salute cogitatū, id quod & in malis facit, qui facit solem suum oriri super bonos & malos : pluit super iustos & iniustos, nihil interim cor interna inspiratione mouens informantis. Specialiter dum ad eiusmodi cogitationem cōcutit cor, & mouet, & inducit per gratiam præuenientem : de qua Psalmographus ait, Misericordia eius præueniet me. cuius operatio est circa primum actum, videlicet, cogitatū, primum inibi iaciens salutis exordium : quod tamen minus sufficit, nisi & alij actus gratiæ subsequantur. scilicet, velle, & perficere, de quibus iam est dicendum. Secunda ergo operatio gratiæ in nobis est, inflectere voluntatem in bonum : habita nanque salubri cogitatione, quoquomodo, siue per internam inspirationem, siue per externū adminiculum, oportet spiritaliter ad id moueri voluntatem per alium gratiæ influxum, stimulantem videlicet & excitantem & impellentem quodammodo siue inclinantem ad surgendum, siue à peccato, siue ab ignauiā, ad virtutem & diligētiam : hic si non aderit, nihil fructuum de bono cogitatu capietur. Frustratur enim prima gratia

Cogitatio salutaris semens Dei.

Gratia præuenientis opus.

Gratia secunda operatio.

præueniens suo fructu saepe in flore: hæc autem voluntatis inclinatio dicitur patris attractio, de qua Saluator ait, Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. attractio verò hic non est per violentiam coactio liberi arbitrij : sed inclinatio voluntatis ad assensum, vt aliquid habeat voluntas ipsa nostra de suo, quo magis opus sit meritotium. Quamquam enim Deus immensa sua liberalitate bonitatemque posset sine omni actu nostro, & cooperatione producere fructus bonorum operum in nobis, & pro charis habere nos, in futuro quoque sine meritis nostris beatos nos efficere, id quod plerisque videretur magis ad suæ maiestatis spectare præconium: hoc tamen facere minimè decreuit, scriptura testante, quæ multipliciter & merita commēdat, & præmia: quin potius, vt gloriam assequamur, cum qualicumque laude propria vult. Prout dicit Apostolus. 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cōsilia cordium, tunc laus vnicuique erit à Deo. Nihil autem haberet homo laudis in remuneratione, si non præcederent merita: nec merita essent, si liberum arbitrium purè passiuè se teneat, velut truncus informis ad opificem se habens, vt nihil penitus gratiæ cooperaretur. Gratia itaque liberū arbitrium non cogit, nec necessitat: sed ita efficaciter afficit, inclinat, & trahit voluntatem, quod in idipsum ad quod trahit consentiat. Attractus ille ascribitur gratiæ, tamen non fit à sola gratia, sed cum voluntatis consensu. Nullus enim habitus infusus animæ ita potēs est, quod liberum arbitrium originali concupiscentia semel oppressum, & multiplici mali vsu, atq; assuefactione subuersum, variis extrinsecis obiectis, tum incentiuus, tum voluptuosis irritatum, & illectum, posset ab his retinaculis, quæ suauius implicant, liberare, & ad bonum efficaciter statuere : nisi gratia desuper adfit : vt necessario fateamur opus gratiæ esse conuersionem peccatoris ad Deum. Spiritus ergo patris & filij, sanctus, & benedictus, hoc operatur in nobis, qui per gratiam inhabitat corda nostra, nec ociosus diuersatur ibi, sed agit indefessè stimulatque ad bonum : si quo pacto homo motibus eius obtemperare velit. Porro liberum arbitrium, aliam actionem nō habet immanen-

Attractio gratiæ.

Cum voluntatis consensu operatur gratia.

Peccatoris conuersio opus gratiæ.

Liberi arbitrii actio in conuersione.

Consensus naturalis proles voluntatis.

Gratia subsequens.

tem cum gratia in opere bono, præter consensum (vt Bernardo placet) quo saluari sancti spiritus habet acquiescere mortui, & quo cooperari dicitur gratiæ. Ceterum consensus ille actus est voluntatis ab ipsa ortus, sicque proles naturalis voluntatis dicitur, adoptiua autem gratiæ. Nunquam enim voluntas illum actum produceret, nisi gratia inclinaret. Quia verò acceptatio illa ipsius consensus à Deo in ratione meriti, in ordine ad præmium æternum, potior est in ipso actu: dicitur actus ipse, vel consensus, verius, nobilius & perfectius esse proles gratiæ quam voluntatis propter diuinam acceptationem: eo quod esse gratiæ nobilius & perfectius est, quam esse naturæ. Nunc superest tertius actus gratiæ qui est perficere, cōsensum firmans in bono volito, vt executioni demandetur, mancipeturque, ne fiat abortiuū: ad quem tertio loco exigitur gratia, vt quod primo loco salubriter suggestit per cogitatum: secundo fructuose promouit per inclinationem ad consensum ipsam voluntatem: nunc denique efficaciter perficiat omnes vires roborans ad huiusmodi actus operationem. Et hic requiritur vis rationalis illustratio per sapiētiam diuinalem, irascibilis vegetatio per discretum zelum, concupiscibilis excitatio per ardētem charitatem, & omnium virium inferiorum coaptatio per confortationem: que omnia operatur vnus atque idem spiritus. Et hæc dicitur gratia subsequens, de qua adducitur illa vox ppheta: Misericordia tua subsequatur me. Psal. 22. Et sic omnia opera nostra tribuenda sunt deo, quum ipse principaliter per triplicem actum gratiæ suæ, præuenientem, cooperantem, & subsequentem omnia efficiat in nobis: & nos eius sumus, qui gratiæ eius cōsentimus: vt iure sancti seniores, qui in conspectu Dei sedere visi sunt in sedibus suis, ceciderint in facies suas, & adorauerint Deum, dicētes. Gratiās tibi agimus domine Deus omnipotens. Eadem supra cap. 4. in fine legis de his senioribus, vbi coronas suas mittit ante thronum: hic verò gratias agunt. Idem nanque est ibi coronas mittere, quod hic gratias agere. Quinque autem ex ordine commemorant. Primo, qui es. Secundo, qui eras. Tertio, qui venturus es. Quarto accepisti virtutem tuam magnam. Quinto, & regnasti. Quæ omnia Christo conueniunt. Quod gratias agunt,

ex debito hoc faciunt: debemus enim illi agere gratias, à quo tāta bona percepimus, præsertim quū id solū prestare possimus, qui bonorū nostrorū alias minime indiget. Vnde ppheta ait, Quid retribuā dño pro oibus quæ retribuit mihi: cōtinuò subdit, dicens. Calicē salutaris accipiā, & nomē dñi inuocabo. Ps. 115. Calix iste benedictionis est & gratiarū actionis. De quo dicitur, Mar. 26. Accipis calicē gratias egit. que aposto^l benedictionis appellat. 1. Cor. 10. Obserua. hoc verbū præsentis tēporis es, im mutabilitatē deitatis signat in Christo. Eras, æternitatem qui erat ante sæcula cum patre. Quod verò venturū illū adstruit, iudicij tempus demonstrat. Breuiter in his verbis malā aduersariorū omniū percutit voluntatem, qui hoc agere nitentur, vt nō esset Christ⁹ Iesus: & nō memoraretur super terram, sicut ipse idem in Psal. 40. ait. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius. Item aduersariorum eius vna vox erat, Mittamus lignū in panem eius: eradamus eum de terra viuentium, & non memoretur nomen eius vltra. Ierem. 11. Sed profecto ipse est dominus Deus omnipotens rex omniū seculorū, qui per omnia sæcula viuuit: id quod piis magnæ cōsolationis est. Sequitur. Et accepisti virtutē tuam magnā. Queritur, Quādo accepit Christus hanc virtutē magnā? Respondeo, secundū diuinitatē ab æterno: sicut ab æterno natus à patre, cuius virtutem ipsum eundem appellat Paul. 1. Cor. 1. Nos autē prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapiētiam. Secundum verò humanitatē in tempore, quando morte sua deuicit mortē, & refractis carceribus inferni eduxit victos: Indēque resurgens ex mortuis accepit potestatem in cælo, & in terra: quando etiā regnauit, hoc est, super mortem & infernū triumphauit: iuxta illud. Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est dominus fortitudinē, & præcinxit se. Psal. 92. Tūc ergo secundū decorē gloriæ, & secundū fortitudinem virtutis magnæ indutus dñs quādo surrexit à mortuis. Quia enim regnauit, hoc est, triūphauit, ex hoc debuit sibi gloriæ decor: & quia gloriæ decorē induit, simul etiā fortitudine roborat⁹ est, & accepit virtutē suam magnam secundū humanitatē, quā habuit ab æterno secundum diuinitatem.

¶ Punct. 3.

Et iratae sunt gentes, Et aduenit ira tua, Et tempus mortuorum, ut iudicetur: Et reddas mercedem seruis tuis prophetis, & sanctis: Et uimentibus nomen tuum. pusillis & magnis: & exterminandi eos qui corrumpunt terram.

Punctus iste pars cantici seniorum est, qui in cōspectu Dei ceciderunt in facies suas: postquam enim quaedam propriam diuinitatis in cantico eorum perstrinxissent de Christo Iesu domino nostro: continuādo dicunt. Et iratae sunt gentes, &c. Quae gētes: Nemp: de quibus loquitur Psal. secundus dicens. Quare fremuerunt gentes? enim postquam abiecerunt veritatem, & Christum dominum crucifixerunt: è templo facti sunt atrium, quod datum est gētibus: quia parem sortem nacti sunt cum illis, ut in principio capitis huius diximus. Quare autem iratae sunt gentes? Quia Christus improperebat eis peccata legis, prout exponit Sapiēs dicens, Venite circunueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis: & contrarius est operibus nostris, & improperebat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinae nostrae: promittit se scientiam Dei habere: & filium Dei se nominat. Factus est nobis in cōtradictionem cogitationum, animarum nostrarum, grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & imminutae sunt viae eius. Tāquam nugaces facti sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immundiciis, & praefert nouissima iustorum: & gloriatur patrem se habere Deum. Sap. 2. Hae sunt causae quare iratae sunt gentes Iudaei in Christum. Primo quia arguebat mala opera eorum. Secundo, quia filium Dei se (vt erat) nominabat. Tertio quia dissimilis erat vita, vtpote iustissima & sanctissima, eius ab illorum nequissima & impurissima. Quarto obseruabat se à viis illorum tanquam ab immundiciis & inquinamētis. Quinto quia nouissima iustorum praeferebat gloriae illorum, quae cito transitura erat: iustorum autem permanens. Sexto quod patrem se habere Deum gloriaretur. Pro his omnibus gentes iratae dicuntur, & quam indignè, vides: dum enim pro his potius amari debeuerat ab eis, ipsi eum acerrimo odio persequebantur, & spernebant: & dabant odium illi pro dilectione. Et quum omnino eum perditum in primo quoque tempore cuperent, in crucem egerunt:

*Iudaei quibus
ex causis irati
contra do-
minum.*

rant: sed ipse adeo nō periit, vt tum maximè regnare ceperit, deuicto herebo cū omni potestate eius, & spoliato, propheta dicente, Dominus regnauit, irascantur populi: qui sedet super cherubin: moueatur terra. Psal. 98. Quod sic intelligitur. Dominus Christus secundum quod Deus regnauit ab initio super omnes, & regnat, qui intra sacra sanctorum sedere solet super cherubin, vnde & responsa dat. secundum quod homo eandem potestatem exercet super omnia vtut populi Iudaeorum irascantur, nescientes sacramenta Dei, nec intelligere volentes: terrenae plusquam caelestia diligentes: vt non meliores sint gentilibus, qui terra sunt caelestium inanes, cum quibus irascantur & mouebuntur contra eum, vna quasi conspiratione: multo autē vehementius quādo surrexerit à mortuis: & regnate ceperit accepta à patre potestate super omnia: quando Iudaei & gentiles aduersus eum maiora bella concitaturi sunt. Ergo irascantur licet populi tam Iudaei quā gentiles: & vt volunt moueantur: sed dominus idem qui sedere solet super cherubin modo, & responsa dare: regnabit semper. Hoc est quod sancti seniores in suo cātico ad praesens dicunt. Et iratae sunt gentes. Sed quid sequitur? Et aduenit ira tua. Quia enim sic iratae fuerunt Iudaei cū gentibus vt interficerent Messiam suum: superuenit grauissima ira tua vt disperderes eos: & ciuitatem sanctā eorum destrueres. Quod factū est deniq; à Romanis ipsis. qui & ipsi similiter perierunt in ira Dei: nam postquam occidere ceperunt sanctos, amiserunt imperiū orbis. Quo sensu cecinerunt sancti seniores canticū hoc Deo omnipotenti. Erunt qui contrito Antichristo hoc idem canāt. Et etiam postea quā ecclesia liberata fuerit à persecutione Gog & Magog, id quod principaliter locus scripturae huius videtur respicere. Ideo sequitur. Et tempus mortuorum, supple, aduenit, vt iudicentur. Nam; quod instat iam aduenisse dicitur. Tam ampla est huius breuis cantici intelligentia, vt tria tēpora complectatur: Iudaeorum primum & gentium Romanorum: deinde quod erit post Antichristū: hinc vero quod Gog sequetur & Magog. Dicatur ergo. Et iratae sunt gentes: & aduenit, &c. *Deum irascitur prius irascitur.*

nino spiritualis est, vnde etiam prodit ira Dei per zelum iustitiæ eius, sicut dixit David, Extunc ira tua, Psalm. 75. Cuius iræ nemo resistere valet, Iob. 9. Est ergo sensus. Quia te prædicante iustitiam, gentes penitentiam recipere noluerunt, magis autem iratæ sunt & infremuerunt aduersus dominum Deum omnipotentem, & aduersus Christum eius: iuste nunc ultrix ira tua seuit, vt disperdat illos, tanquam diuinæ maiestatis contemptores, & vltro oblata gratiæ repulsores. Vel aduenit ira tua, id est, cito adueniet, cuius iam quidam initia cæpta sunt. Ira Dei manifestatio iustitiæ eius est aduersus impios quos punit: nec in ipso punit mutationem, scilicet in effectu. Iustitia enim Dei impunè mala elabi non finit, quæ multo in finem plus sese exeret in vltimo die, qui tempus mortuorum est, vt iudicentur resuscitati à mortuis. Sequitur, Et reddas mercedè seruis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum. Hoc addit, ne putaretur omnes iudicio hoc condemnaturus: sed quòd bonis merces repederetur pusillis & magnis, omnibus pro merito. prophetis primum, hoc est, sacri verbi Dei annuntiatoribus: deinde aliis sanctis timentibus nomen sancti Dei, ergo coniunctionem hanc, & expositiue pro id est: vt exponatur & declaretur, qui sint hi sancti, quia timentes nomen Dei, cape. Denique vbi in fine dicit, Et exterminandi eos, qui corruerunt terram: subintelligendum est, aduenit tempus, id est, adueniet cito, quod iudicij est: quando & pij remunerabuntur, & impij mercedem iniquitatis recipient. Hic consummabitur mysterium Dei, prout declaratum est. Ex hoc loco palam est, quàm multum velint sancti & dilecti Dei vbiq; regnare Deum, & quàm cupiāt iudicij tempus, vt eorū gloria reueletur, vtq; exterminentur ij, qui corruerunt terram, vel per pestilètem doctrinam, vel per malam vitam. Denique nihilominus palam & hoc est, insignes quosdam sanctos, & summates ecclesiæ & doctores per seniores debere intelligi. Postremo quòd in voce septimi angeli consummabitur mysterium Dei, iuxta vaticinia prophetarum. Tandem, corruptores terræ sunt, hæretici, hypocritæ, raptores, & qui se viciis profigant, crapula, ebrietate, ac luxuria, &c. Hi omnes in fine separabuntur de medio iustorum, & mittentur in ca-

minum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. Matt. 13. & 22. Sic ergo exterminandi hos adueniet tempus iræ ac iudicij Dei, quando dicetur eis, Ite maledicti in ignem æternū, &c. Custodiat nos dominus ab hac maledictione, & igne, receptos semel in cõsortium fidei eorum, qui selecti sunt in regnum æternum. Amen.

CAPVT XII.

† DE TEMPLO DEI ET ARCA
TESTAMENTI. Sect. I. Punct 1.



Apertum est templum Dei in celo. & visa est arca testamenti eius in templo eius.

Hæc est visio quarta principalis, vna ex septem, in qua innouat iterum reuelationè mysterij Ecclesiæ suæ Christus, resumès ab exordio, sub aliis verbis, & signis. Vbi aduertèdum quòd cælum significat Ecclesiam, seu collectionem vniuersalè fidelium: Templū, sacer locus in ea est, vbi dominus Deus omnipotès colitur, & inuocatur, quod apertum in nouo testamento ideo dicitur, q̄ pateat omnibus quicūque ob cultum Dei ingredi voluerint: vbi sunt Dei aures apertæ ad exaudiendam precem orantis, ocelli quoque similiter aperti ad respiciendum qui quali corde & affectu intrent in illud. Sed altiori sensu magisq; spirituali templum hoc apertum memoratur: quo scilicet intelligeres mysteria Dei omnia sic reuècta esse per Christū q̄ appareat palam cuius arca testamenti Dei que propitiatio: vt sit iam apertus ad Deum accessus. Vnde bene quidam scripturam sacram per templū intelligunt, in qua colitur, & adoratur Deus: quæ figurarū inuolucris olim clausa erat, nunc reuelata per Christum. Ipse enim aperuit eam, quādo in se impleuit mysteria redẽptionis nostræ: quod nemo alius potuit: qui solus iustus & sanctus fuit, Deus & homo: qui post suam resurrectionem aperuit suis sensum vt intelligerent scripturas: quibus & dixit, Quoniā sic scriptū est: & sic oportebat Christū pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicare in nomine eius penitentiam & remissionem peccatorum in omnes gētes. Luc. vlt. Arca testamenti mysteriū incarnationis filij Dei est & Dei propitiatio in illo: qui ad modum illius arcæ testam. & tabulas

*Cælum est
Ecclesia.*

*Arca testa-
menti.*

intra se Moysa tenebat, qui legem non soluere venerat, sed adimplere: (Quia nimirum quotquot Dei promissiones sunt, impletae in illo sunt,) & urnam auream Manna continentem: quia spirituale pabulum corpus suum per manna illud verus figuratum nobis consecrauit deditque edendum. Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, & dat vitam mundo. Ioan. 6. Et virgā Aaron, quae auctoritas directionis & magisterij eius est. Ipsum namque dedit pater praecceptorem mundo, metatorem templi sui. Sic ergo aperto templo aperta scriptura sacra aditque ad Deum patefacto, arca testamenti visa est in caelo: quia reuelato ecclesiae mysterio patuit omnibus credentibus notitia incarnati Dei: reuelataque veritas eucharistiae eius est. Sed quid est quod non simpliciter arca dicitur, sed cum addimento testamenti eius: aut quid testamentum eius est?

*Federis signa
Deus apud
populum suū
relinquebat.* Quia altius hic mysteriū veritatis insinuat, alius rem ipsam exordiar, & plenius persequar, modo adsit mihi fauor diuinus. Si quidem olim Deus quaecumque insigniter foedus iniiit cum plebe sua, signum aliquod velut obsides pacis apud illam relinquere solebat, quod obseruari veneratque ab omnibus in primis volebat, & in eo sibi seruitiū exhiberi: per quod innotesceret, quia ex infenso iam deinceps propitius redditus esset illis. Vnum erat, circumcisio data Abrahae, Gen. 17. Vbi dominū Deum legis dixisse ad illum. Ambula corā me, & esto perfectus, ponamque foedus meum inter me & te. Et iterum. Ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium: nec ultra vocabitur nomē tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te: faciamque te crescere vehementissimē: reges ex te egredientur. Et post pauca. Tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te, in generationibus suis: hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos: circumcidetur in vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem praeputij vestri, ut sit in signum foederis inter me & vos. Eruntque pactum meū in carne vestra in foedus aeternum. Denique iterū quum foedus cum Moysē, & Israelitis iniiret, ut esset ipse dominus eorum, ille verō populus & oves pascuae eius: dedit duas tabulas lapideas, in quibus erant decē verba foederis, hoc est praeccepta decē. Exod. 13.

Praeterea placuit eidem domino omnipotenti sicut legis, Exod. 37. ut fieret arca de lignis sethim, quae cariem non sentirent, nec putrescerent vnquam: cuius longitudo haberet duos & semis cubitos: latitudo cubitum & dimidium: altitudo similiter cubitū & semissem. Et hanc quidem auro mundissimo intus & foris obductam esse voluit: quae coronā auream haberet super se per circuitum: & quatuor circulos aureos: in qua posita fuit urna aurea, de qua Exod. 16. legitur, quod praeciperit Moyses, ut sumeretur vas vnum, & mitteretur in illud Manna quantum potest capere Gomor, reponereturque coram domino, ad seruandū in generationes sequētes. Testat & Paulus ipse in arca fuisse urnam auream, in qua Manna erat: virgam quoque Aaron, quae fronderat, & tabulas testamēti, hoc est, praecceptorum dei, scriptas vtrāque digito Dei, Hebr. 9. Cui ad latus positum erat Sephor thorath, id est liber legis. Sic enim, Exod. 24. legitur. Scripsit autē Moyses vniuersos sermones dñi: & mane cōsurgens aedificauit altare dño ad radices mōtis, & duodecim titulos p̄ duodecim tribus Israel: misitque iuuenes de filiis Israel, & obrulerūt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas domino, vitulos duodecim. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuā fudit super altare: assumensque volumē foederis legit audiente populo. quia dixerūt: omnia quae loquutus est dominus faciemus, & erimus obediētes: Ille verō sumprum sanguinem resperxit in populum, & ait, hic est sanguis foederis, quod pepigit dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Dicebatur itaque arca testamēti, siue foederis, hac ratione, quod in ea tabulae testamenti, & circa eam verba foederis erant, de qua hic mētio fit: quā Christi incarnationem, id est, incarnatum Deum referre diximus, ut non ab re semper super arcam sedisse dominum Deum exercituum creditum sit ab eis: siue haec fuerit in castris, siue iuxta Iordanem, siue iuxta Hiericho, siue in domo Obededom, siue in Silo, siue apud Philisteos, siue in domo Aminadab, siue in templo Salomonis. Sic enim sacra Regum historia prodit, quod dum populus miserat in Silo, & inde tulerant arcam foederis domini exercituum, quod sederit ipse dominus super cherubin: hi fuere

*Arca Dei
forma.*

*Arca testamēti
cur vocaretur.*

ambo aurei, & productiles ex parte oraculi expandentes alas, & operientes utrunque latus propitiatori, respicientes se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operiebatur arca, in qua positum erat testimonium Dei. Sed quia per Ezechielem vatem suum promiserat dominus nouam legem, nouos ritus, nouum spiritum, nouumque testamentum: ideo nouissimè pacto sempiterno foedus inire, non cum vno Iudaeorum populo, sed cum toto genere humano decreuit per Christum: qui completis omnibus, quae complenda erant: pro figurarum inuolucris, pro hostiarum differentiis, pro legalibus ceremoniis, tandem nouum propositionis panem instituit, & suum sanguinem proprium calicem noui testamenti dedit: in quibus testatur pro charis habere aeternum nos: ideoque noui testamenti panem, & calicem dici maluit. Sic enim, Mat. 26. legitur. Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamēti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus autem euangelista hanc institutionem his verbis descripsit, cap. 14. Hic est sanguis meus noui testamenti: qui pro multis effundetur. Lucas verò cap. 22. sic expressit, hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Descripsit & Paulus, hic, inquit, calix nouum testamentum in meo sanguine. Visa est ergo arca testamēti, id est, foederis nouiter initi cum Deo & sempiterni, quod corporis & sanguinis domini est sacramentum in templo eius. Ita enim videbatur Ioanni, vt arca testamenti tali mysterio esset proposita in templo Dei. Sacramentum dico, vel signum sacrae rei, vel res realiter ipsa in signo contenta. Res, quia realiter inibi Christus continetur: signum quoque nouiter pacti foederis, quo pro charis habet nos Deus. Diximus in arca illa testamenti manna conditū fuisse, de quo per quadraginta annos populus Israël in deserto nutriebatur, quod de caelo instar seminis coriandri albi cadebat, vt habetur Exodi. 16. Et in hoc sacramento, quod per Manna figurabatur, hoc est, verum corpus Christi, & verus sanguis nobis in cibum & potum tradita continentur: cuius veritatem per semetipsum dominus Iesus pronuncians ait, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ioan. 6. Rursumque, Panis, quē ego

*Eucharistia
institutio.*

*Eucharistia
res & signū.*

dabo, caro mea est, pro mundi vita. Quod autem proferret, iuramento veritatis astruxit, dicēs, Amen dico vobis, de hac re verba faciens dominus, Ioan. 6. oēties confirmat per Amen. Et quum adhuc litigarent Iudaei dicentes ad inuicem, Quomodo potest hic nobis carnē suam dare ad manducandum? Iterum verbo veritatis quasi iuramento firmavit dicens, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinē: non habebitis vitam in vobis. Quo maxime doceret magister veritatis, immo ipsissima veritas, quid de hoc sacramento sentiendum sit, sub arcæ nomine designato: quod aperto templo, id est, patefacta veritate, venit in notitiam hominum, vt crederetur ab omnibus sicuti est, esse scilicet Christum realiter in sacramento altaris, in quo foedus perpetuum firmatum est. Legalibus quippe finem impositurus dominus Iesus sacramentis, postea quā legalem eam cēnam finierat cum discipulis suis, in sanctas suas ac venerabiles manus panem accepit ac fregit dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Similiter & calicem, postquam cēnauit, dicens, Hic est calix noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Hac iussione & institutione audenter freti Apostoli, cunctiq; sacerdotes, per totum terrarum orbem: sacrosanctum, & nunquā satis laudandum Eucharistiæ sacramentū, quod visum est in templo Dei, consecrare consueuerunt: ex pane corpus, ex vino sanguinem conficiētes: & nos conficiamus oportet, quoniam vita est nobis, & Dei propitiatio, nec Sirenis haereticis contradicentibus assentiamus. Dominus dicit, Amen dico vobis, nisi māducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et, hic est panis qui de caelo descendit. Et, ego sum panis viuus. Noli mirari quia panis est, & caro christi est. Potentissimo Dei verbo fit ex pane caro: qui dixit, & facta sunt. Deus dixit fiat lux: & facta est lux. Gene. 1. Operatorius est sermo Dei, efficax est, vt faciat quod dicit: alias in quo excederet communem sermonem hominum: qui dumtaxat solet significare, nec efficere illud quod significat. Dei solius sermonis est efficere quod dicit, dicit ergo & facit. Dicit sic, hoc est

*Eucharistia
institutionis
modus.*

corpus meum, quod pro vobis tradetur: & Hic est sanguis meus, &c. ut non in tanta re hesitemus: sed firma fide simus. Contemplemur arcam Dei in templo eius: quod suis mysteriis patefactum est nobis. Supra hominem hic fieri oportet hominem, ut sincerè veritatem contempletur.

* Punctus 2.

Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & tremor terræ, & grando magna.

Post ubi apertum est mysterium regni Dei, palamque conspecta arca diuina: statim (mirum dictu) subsequuta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & tremor terræ, & grando magna, quæ sunt per allegoriam dicta, quatenus cælestia rebus cælestibus propinquius explicentur, plûsque à nobis capiantur. Fieri enim non potest quin tonitribus magnis, iaculatisque fulguribus, tremore terra quatatur: ad quæ sæpenumero grando cõsequitur, iuxta illud Vergilij Aeneid. 4.

Prædicationes Apostolorum fulgura & tonitrua.

Interea magno miscevi murmure cælum, Incipit, insequitur commissa grandine nimbus.

Namq; ubi apostolorum prædicatione cælum, quod est ecclesia, itonuit: fulgura iaculata sunt, crebris micauit ignibus æther, terra ab imo fundamine quassata contremuit, sequuta est & grando magna. Fulgura ardentes apostolorum prædicationes sunt: tonitrua, diuinarum scripturarum auctoritates quæ voces prophetarum sunt: quibus non raro utebantur Apostoli: tremor terræ autem hominum corda ad suscipiendam fidem commota. Neq; enim tanta res absq; commotione fieri potuit, vel in principio susceptionis fidei, vel post in demutatione terrænæ vitæ in cælestem, ut dicerent. Nostra conuersatio in cælis est, ut ad hanc recto ordine secuta sit grando acrioris persecutionis tyrannorum gentilium. Quæ quidem persecutio proprie per grandinem signatur: grando quippe dum cadit, nocet: sed vnde nocet inde se comminuit. Sic multi infidelium cadentes sese comminuebant, dum à sauitia conuersi sub christi iugo se humiliabant. Accipe aliud quoque mysterium: grando terræ nascencia vastat, sed vastando terræ proficit, quando in aquam deliquata eam humectat, & fecundat. Fiebat namque ut fuso martyrum sanguine, ecclesia ipsa fecundior foetu fieret: dum perspecta eorum

constantia plures conuerterentur. Dicebant enim, nunquã isti boni viri tam libenter pro christo Iesu morerentur, nisi eis constaret aliam multo hac vita meliorem: & illum ipsum viuum potètem ac iustum regnare felicitate meliori, qui possit eis reddere præmia meritorum. Ecce nos idola surda & muta colimus, quæ nihil nos iuuare possunt: sed nec benefacere: opera enim manuum nostrarum sunt: nobis authoribus dii constituti, nullum numen vltra habentes. Qui d igitur tanta cæcitate diu opprimuntur? cur veritati credere nolumus: cur respuimus vitam hac longè meliorem, ad quam illi tam proniter currunt? Sicque se le mutuo cohortantes ad fidem certatim conuolabant. Mouebatur igitur terra à fundamento, dum fulgurarent, dumque tonarent apostoli, dum voces sacrorum fidei mysteriorum ederent, nihil sauiissima persecutionis grandine vltra in eis proficiente, quàm quod se in primis comminueret, in seque dirus furor conuerteretur: non mediocriter interim ecclesia in feracissimam fecunditatem proficiens. Mouebatur itaque & ipso motu proficiebat. Quid est quod dico fratres? Intelligite. Non enim frustra, nec temere sacrosancta fides ab eis suscipiebatur, quãdo magna contentione exprimebatur vita Iesu in ipsis, cadebat superbia, altitudo humiliabatur: calcabatur fastigia quæque mundi, honores respuebantur: aurum & argentum vitæ erant adminicula tantum, non auaritiæ pabula. Si quis vicio vel leui laborare deprehendebatur, pro portento habebatur, flagrabant omnium pectora diuino igne, nemo male concupiscebat: inuidebat nemo: sic dolebant singuli quique de alieno malo tanquam de proprio. Sic ergo mouebatur terra, & motu suo proficiebat. Sed vide rerum ordinem: prius fulgura vibratis coruscant ignibus: hinc voces æduntur. Quia nimirum sancti prædicatores primi temporis, lucis primum exempla de se mittebant: ac sic deinde fidei verbum disseminabant, indicantes sane nihil commercij, esse fidei cum viciis, plurimum autem cum virtutibus, quas solas agnoscit fides: & ita agnoscit, ut eas solas osculetur, habeatque amicas. Fulgura sunt & miraculorum vibrata lumina, quibus apostoli magno vsu ecclesiam crebrescebant, incunctanterque mortales excitabant. Petrus prius ad speciosam portam solidatis plantis

Ecclesia martyrum sanguine fecundabatur.

Fides anti-quorum creditur non vana.

Apostolorum prædicationis successus.

claudum ex matris utero in pedes mirabilibus populis subito erexit: ac deinde Iudæorum mentes ad fidem verbo sanctæ exhortationis instruxit. Vnde etiam prouenit, ut tanto fructu prædicatio eorum succederet, quando nostra vix exiguo succedat vsu apud iam credentes licet, forte quia lucis exempla obtenebrata sunt in nobis: nec eo feruore prædicatio, ut olim, fulguret è nobis: non est ultra gustus spiritus in sermone nostro, quando philosophia præualuit: ut argutiæ plus quam pietatis habeat. Scindimus, diuidimus, euripis nihilque nostris excurrimus: & suspensam plebeculam sine vilo pastu relinquimus. Videas iam pleròsque passim pro mercede docere Euangelium, quandoque etiam vita reclamante. Placent hæc Christo, qui suos ab omni auaritia excussos esse voluit, pauperes spiritu, quos lucem mundi, sal terræ fore iussit? Sunt denique & grauium comminationum, ac excommunicationum contra rebelles, in ecclesia tonitrua. Itidem iudicij diuini intentiones. Post voces tonitrua fiunt: quia videlicet hi, qui forte miracula non aduertunt, nec sanctorum exemplis ad eò intendunt, verba salutiferæ exhortationis minus capiunt: terroribus comminationum, excommunicationum vi, si prodigiosi sunt, ac iudicij diuini intentionibus magis commoueantur. Sensus igitur verbi est. Mox vbi Christus declaratus est otibi, cæpitque in ecclesia ab omnibus conclamari, adorari in Eucharistia, erupere simul & voces prædicantium in signis & virtutibus: vnde terrena hominum corda ad celestia appetenda non sine vi commouerentur: persequutorumque rabies contra ecclesiam efflueret, quod grando magna utique erat, qua variè cæderentur credentes: nec tamen deficerent, immo multipli carentur in immensum: ut maiori etiam liuore draco contra eos insurgeret. In quod sequitur.

✦ Punctus 3.

Et signum magnum apparuit in celo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.

Apostolis per vniuersum mundum prædicantibus, signum hoc apparuit, & non nisi in celo, quod mulier amicta esset sole, quæ lunam calcaret pedibus: quod profecto magni signi erat: magnæ videlicet rei consignatiuum. Signum

*Prædicatorum
nostri temporis
sterilitas.*

*Ecclesia per
mulierem com-
signata.*

námque res est aliquid aliud à se significans. Significat autem quod ecclesia per mulierem ob fecunditatem intellecta, & quia viro iuncta sit, gignatque prole ex accepto à viro semine, cincta sit sole iustitiæ, qui Christus est: quæ mirabilia calcat, arbitrans omnia ut spercora. Duplici ergo de causa, ecclesia per mulierem designata est: tum quia viro iuncta sit: tum quia fecunditate funditur in fetus, & hoc non nisi suscepto à viro semine: & ecclesia celesti sponso, non dubium, quin christo iuncta, fecunditate diuini seminis accepti à viro suo diffunditur in multiplices foetus: dicente Esaia, Letare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quam eius, quæ habet virum. Esa. 54. Gal. 4. Ecclesia hæc illa est, quæ est ex gentibus: quæ prius erat desertæ & sterilis donec sine viro fuit: postea Christo iuncta per fidem multiplices progenuit foetus, nec gignere defuit, semine verbi sancti Dei. Pauli ea vox est, Eph. 5. Ecclesia subiecta est christo. Denique, viri diligite vxores vestras, sicut & christus dilexit ecclesiam: & tradidit seipsum pro ea, ut sanctificaret eam, mundans lauacro aquæ, in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta, & immaculata. Porro si curam matrum respicias, qua nutriunt & fouent filios, iure & hac ratione per mulierem intelligitur ecclesia: quæ primo abluit aqua baptismatis infantem, quem suscipit: fonte namque baptismatis purificat ab originali rabo, fouet in sinu, miris modis curam agit, nutrit vitæ verbo, vestit virtutibus, educat sanctis institutionibus: steti tergit propriis ipsa manibus lachrymas, repromittit veniam, blanditur, basiat, consolatur & confirmat. Quod si insolentior aliquando puer euadat, obiurgat, increpat, castigat: utque vitam in melius vertat hortatur. Agit læpe causam apud virum pro delinquente: excusat, defendit, abiectum reuocat, reconciliat, exheredatum ob culpam restituit.

Quæ omnia circa nos agit accuratissima ista dilectissima mater nostra, tam dulcis, tam benigna, tam suavis, dico ecclesia: quæ sinu suo complectitur nos, & fouet, & subinde offert viro suo Christo. Iam cur sole amicta sit mulier hæc scia vel exhinc vides quia Christus

*Ecclesia cura
ergo filios.*

eam complectitur. Mulier inquit amicta sole: à quo accipit virtutem, tum procreandi, tum bene operandi. Neque enim sine eo quicquam efficere valet, à quo habet omnia. Paul⁹ dicit. Omnes quotquot baptizati estis, Christū induistis, hoc est mulier, quod collectio omnium credentium quæ est in Christo Iesu: vt bene tropus dicat mulierem fore amictam sole. De quo scriptura ait, Vobis autem timentibus nomen meum, oriatur sol iustitiæ, Malach. 4. Iam scimus arbitror cur mulier sole amicta dicatur: ideo nanque vt virtus sit illi ex sole à baptismo, in quo stat omne mysterium allegoriæ, id est, quidquid hactenus tractauimus de ipsa per allegoriam, hoc solo exprimitur. Sic amicta, sicut quisque credit, & baptizatur in Christo. Sunt qui præsentem locum scripturæ, sanctæ Dei genitrici tribuant: velut ipsa sit illa hæc mulier amicta sole, quæ Christum gestauit in vtero & carne indutum peperit, vt non raro etiam sermones suos in eiusdem commendationem ab hoc themate incipiant: sed quemodo quæ sequuntur ipsi intemerata virgini, quæ sine dolore peperit Christum orbis saluatorem, congruât, non video. Donemus tamen vt apte punctus sibi conueniat: sit enim sæpe, vt quæ de æterna Dei sapientia scripta sunt, nonnullis sacra scripturæ in locis sacra genitrici sine iniuria tribuantur: quandoquidem ipsa virgo mater de suo corpore amictu pulcherrimæ ac illibatissimæ carnis eam vestierit, lactauerit vberibus, vlnis gestauerit, atque multam eius curam habuerit, vt non illiberali consilio honorem sibi propriè debitum in scripturis eidem communem fecerit. sicut illud. Ab initio, & ante sæcula creata sum, &c. Et, Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret, & cætera huiusmodi. Eodem modo & is locus scripturæ quæ sui portione eidem tribuitur, quæ est nobilissima portio ecclesiæ. Quæ equidem tunc in primis amicta sole fuit, quando virtus altissimi eam obumbravit: illumque intra vterum concepit, qui intra omnia, extra omnia, supra omnia: & infra omnia, existit incomprehensibilis. Salomone attestante qui ait. Cæli & calorum cæli illum capere nequeunt. 3. Reg. 8. cui luna sic sub pedibus fuit, vt à nemine

*Mulier sole
amicta beata
virgo Ma-
ria.*

hæc rerum mutabilium cupido ita calcari potuerit ac cõtremni: tamen si Paulus arbitratus sit omnia ceu stercora. Duodecim autem stellæ, quæ in capite eius micant, insignia sunt virtutum, quibus præstat in cælestibus, ob perfectionem numeri duodenarij. Sed vt ad institutum ex hoc quasi diuerticulo reuertamur. Diximus quid luna sit sub pedibus huius beatæ mulieris ecclesiæ, quia rerū mirabilium cupido, quæ illi nihil omnino dominata est. Quocirca non super caput, sed sub pedibus esse perhibetur. Luna enim sæpe mutatur, & nunquam in eodem statu permanet, crescit enim aut decrescit continuè: per quã & stultitia, non quam Paulus commendat, sed quæ mundi amatores ligatos tenet, intelligitur: sicut scriptum est. Eccle. 27. Stultus vt luna mutatur. Nec te moueat quia per mulierem (sicut res est) ecclesiam figurari astruimus, quæ antea per cælum figurabatur. Hic nanque ex circumstantiis cælum tropus esse ecclesiæ non potest. Bene autem mulier in cælo visa memoratur, quod cælestem vitam habeat, mirabiliæque spernat, qua ratione lunã calcet pedibus.

Et in capite eius corona stellarum duodecim.

Quia per mulierem ecclesiam figurari diximus, necessario caput eius Christum intelligere debemus, de quo *Ecclesia caput Christum.* Apostolus Paulus testatur dicens, Ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Ephes. 1. & cap. 5. Christus caput est ecclesiæ. Sicut enim à capite vires dimanant in subiecta membra, ita & à Christo omnis virtus ecclesiæ est, qui est virtus & omne ornamentum totius corporis. In hoc capite duodecim stellarum corona, duodecim sunt Apostoli, qui sua prædicatione cælum ecclesiæ collustrarunt insignis, dispulerunt errorum tenebras luce veritatis illata. *Corona stellarum. 12. apostolorum. 12. apostolorum stoli.* Quod si hi qui docti sunt stellarum nomine designantur, Dan. 12. multo magis Apostoli id sunt, qui doctrina omnes anteiere. Per hos enim duodecim apostolos cuncti qui sunt in omni terra crediderunt in Christum, & primum per eos caput victoriam de toto mundo assequutum fuit: qui duodecim, & non amplius *Duodenarij mundi assequutum fuit: qui duodecim, & non amplius apostolorum vocati sunt, multis in rebus ab olim figurati. Hi sunt duo merus ab o-* decim fontes aquarum in Helim. Exod. 15. & Numer. 33. *Im figurat⁹.*

Fontes quidem saluatoris, de quibus Esa. 12. haurietis aquas de fontibus Saluatoris. Hi sunt illi seniores super duodecim sedes sedentes, qui iudicabunt duodecim tribus Israël. Matth. 19. Hi sunt duodecim leonculi super sex gradus hinc atque inde thronum Salomonis ambiētes. 3. Reg. 10. Hi sunt illi duodecim boues, super quos mare æneum impositum fuerat. 2. Paral. 4. Hi sunt lapides duodecim positi in medio Iordanis, Iosue. 4. qui nomine suo recensentur. Matth. 10. Duodecim Apostolorū nomina sunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus: & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Thomas & Mathæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thadæus, Simon Cananæus, & Iudas Scariothes, qui & tradidit eum. Hi sunt illi apostoli ad duodecim signa Zodiacæ, ad duodecim menses anni, ad duodecim horas diei æquali numero missi in omnem terram: quibus dedit dominus noster Iesus Christus, potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent, dæmonia eicerent, sanarent infirmos. Luc. 9. Misit autem illos, Marc. 6. unde etiam apostolos à missione sic dici voluit. Apostolus enim missus interpretatur: quos spirituali sensu inuenies vsque ad eò abundantes, ut etiam duodecim cophinos è reliquiis fragmentorum à conuiuio domini iidem impleuerint. Hi in ecclesia Dei primatum citra controuersiam tenent, iuxta prophetiam Dauid: constitues eos principes super omnem terram. Psal. 44. Sic enim ad Ephe. 4. Paulus ait, Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Et. 1. Corin. 12. Quosdam posuit Deus in ecclesia: primo apostolos, secūdo prophetas, tertio doctores. Vocantur autem ij specialiter discipuli Christi, q̄ specialiter eos erudierit, & eisdem familiarius sese cōiunxerit, & illi huic adhæserint familiarius, nusquam ab eorecedentes, cuius semper lateri hærentes, pressim vestigia eius sequuti sunt. Tamen post hos designauit & alios septuaginta duos, quos etiam discipulorum nomine honorauit: quos misit ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo ipse erat venturus. Luc. 12. In his duodecim Apostolis vniuersitas intelligitur prælatorū, qui ta-

Apostolorū nomina.

Apostolus missus Latine.

Discipuli 72.

les esse debent vita, vt lux & exemplum, & norma sint subditorum: vnde etiam bene per stellas figurantur. Stellarum nanque substantia pura est, & perfecta, alienæ tamen lucis indigua: mutuant enim à sole lumen stellæ quæ splendeant quæque cælum exornent. Sic prælati puri esse debent, & gratia veri solis Christi capaces: quam retinentes alijs lucere debent, atq; exornare cælum, hoc est, ecclesiam. Obserua, quia hæ stellæ in capite mulieris esse dicuntur & caput Christus est: profecto datur intelligi, quia prælati non debent quærere quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: quatenus ornamento sint capiti, & omnino meritum capiti tribuant, vt ipse Christus sit omnia in omnibus, qui est super omnes benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Et in vtero habens clamat parturiens: & cruciatur vt pariat.

Quam nihil iam ista deiparæ virgini in propria persona conueniant vides, nisi in mysterio, vt est pars ecclesie: aut etiam spiritualiter. Per vterum mens siue memoria in scriptura capitur, vt ibi, Ex vtero ante luciferum genui te. Psal. 109. Ecclesia ergo habet in vtero, id est, in mente recentisque semper memoria conuersionem filiorum, anxia cura pertractans, quo pacto omnipotenti Deo cōiuniat eos. Et ideo clamat parturiens orando, exhortando, precandòque, dicens illud apostoli, Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Gal. 4. Et alibi, Per euangelium ego vos genui in Christo Iesu. 1. Cor. 4. Et cruciatur, id est, aliquorū ex errore anxia cura amarescit, affligiturque de impiorum peruersitate. De qua loquitur dominus dicens, Mulier quum patit tristitiam habet, quia venit hora eius. Ioan. 16. Sicut enim mulier dum parit affligitur, torquetur doloribus, vexatur motu viui partus, & clamat ad Deum postulans liberari ex illa hora, ne superata succumbat, pericliteturve: Sic ecclesia donec ad salutem edat prolem iam sese mouentem visceratq; torquentē, tristatur & mceret. Id quod in Apostolo præcessisse dudū aduertimus, qui de Iudæis peritibus tristitiā magnā, & cōtinuū dolorē in corde gestat, cum ait. Veritatem dico in Christo Iesu, nō mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu

Vterus mens.

Ecclesia parturiens clamat.

sancto: quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Rom. 9. Idem pro Corinthiis quoque, libenter impendi desyderat. 2. Corin. 12. In actis quoque Apostolicis, loquens Ephesis ait, Per triennium non cessavi quotidie cum lachrymis monere vnunquemque vestrum, Act. 20. Cœpit ergo is clamor in Apostolis primū, qui non cessabant orare ad dominum pro filiis suis, quos parturiebant per euangelium in Christo: non cessabant denique monere, exhortarique, quo constantes essent, & perceptam fidei gratiam ne vlla occasione abiicerēt. Clamor iste est & fortissima, ac potentissima: annunciationis fidei, doctrinæque Christi: ardoris quoque, zeli, & summi desyderij, honoris gloriæque beati Dei, ac salutis omnium per Christum typus. Parturitiō connixæ meditationis summa, & contentio operationis sanctæ & proficuae. Cruciatu autem labor est & dolor, seu inquietudinis angor. Consydera rei ordinem. Prius conceptus memoratur, deinde clamor: postea parturitiō, hinc cruciatu, postremo omnium partus: vt non aliter, quàm mulieris carnale puerperium, ecclesiæ quoque spiritualis fetus perficiatur. Mulierem parturientem dolor partus discruciat, sed cruciatum tam diu in spe prolis sustinet, donec pariat: & ecclesiæ sancta in suis perfectis sustinet dolores tribulationum, donec animas salui destinatas in lucem perfectionis edat, aut cælo reddat bearas, sicut testatur Apostolus. 2. Cor. 4. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aperiuntur, hoc est, in rem ancipitem & dubiam incidimus, sed non destituimur (auxilio Dei): humiliamur, sed non confundimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus. Et post pauca, Omnia autem propter vos, vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus: sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Id enim quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus vobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Vides ecclesiæ

ecclesiæ sanctæ in suis perfectis, pro filiis sollicitudinem: vides anxietatem, laborem vides in parturiendo. Paulum protulimus, ecclesiæ intellige loquentem: idem enim Spiritus loquitur in Paulo, qui & in ecclesiæ: hoc est verus, integer, & qui confutari nequeat. Perfecti namque sepe perferunt aduersa, spe confirmandæ prolis, quam verbo veritatis Deo procreant, modo in baptismo, modo in exhortando ad pœnitentiam. Habent ergo in vtero, dum fideles sunt, & viscera charitatis gerunt in proximum, in Deum primum, clamantque in zelo gloriæ Dei, & procurandæ salutis proximi. Vel sic, habent in vtero, dum meditantur in aliis formare Christum: & hoc dupliciter, vel noua fide imbuendo, vel ad pœnitentiam restaurando: & quandiu in tali expectatione occupantur, tam diu laboris cruciatum sustinent. Parturire igitur ante partum cruciari est, iuxta illud, Ibi dolores: vt parturientis. Psal. 47. verbum enim meditatum est parturitiō. Habes hinc quàm sollicita sit in perfectis ecclesiæ de filiis, qui prædestinati sunt ad vitam & sunt in gratia: & de his qui nondum sunt: aut qui sunt, minus tamen perfecti sunt, pro quibus graui admodum angore plerumque turbatur, metuens ne quid abortiat: & ideo in clamorem erumpit interno videlicet cordis dolore compulsa. Primasius sic habet, Et erat prægnans, mente, non ventre: & clamabat in valle plorationis gemebunda, & quos parturit parit, & iam genitos parturire non desinit. hæc ille, vt totum rei mysterium breuibus verbis explicare videatur. Nunc repetamus visionem ab initio, Apertum est templum Dei in cælo: visa est arca testamenti eius in templo: facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus, & grando magna. Et signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta sole; & luna sub pedibus eius: & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens, clamat parturiens, & cruciatur vt pariat. Quare ista recensuimus? nempe vt dicta recenti memoria teneres. Quæ autem memorata sunt, hæc omnia in Christo quoque impleta esse possumus animaduertere. Adueniente namque eo in carne, & veritatem docente, fulgura miraculorum facta sunt, voces inauditæ antea personuere, nempe euangelij: tonitrua quoque comminationum terrificæ, populi com-

*Parturire
quid sit.*

motio circa eum. Nam & Iudæi aduersarij in hoc vno ipsum coram Pilato pertinacius accusabant dicentes, Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. Luc. 23. Ad quæ grando magna persecutionum in eum subsequuta est, donec in crucem adigeretur, post quem & ipsa mulier ecclesia cœpir persequi à dracone, De qua in sequentibus plura.

**DE DRACONE RVFO SEPTEM
CAPITA HABENTE, ET CORNVA
DECĒ, SEPTĒMQUE DIADEMATATA. Sect. 2. Punct. 1.**

Et visum est aliud signum in celo. Et ecce draco rufus magnus, habens capita septem: & cornua decem. Et in capitibus eius septem diademata.

Diabolus qui multiplici calliditate venena suffundit draco rufus appellatur, cruentus videlicet & saeuus: vel rufus quia telis vititur ignitis concupiscentiam incenditibus. Ephes. 6. Item quia furorum, & indignationum aduersus sanctos Dei plenus: quorum sanguinem sitit semper: & is magnus ob magnitudinem virium, quod non sit super terram, qui illius robori valeat comparari: prout scriptum est Iob. 41. typum gerens omnium pietati aduersantium, vt rectè alio longe diuerso à priore visus sit signo, mira phantasia. Quasi enim parum fuerit draconem eum esse, nisi tot capitibus etiam terribilis occurreret, in super & cornua decem contra obnitentes obuerneret, capita quoque ipsa diadematis singulis redimita esset. Sed de nomine prima sit inquisitio, variè nanque in scripturis sacris nomina huius serpentis antiqui posita inuenimus. Prima eius appellatione draco, siue serpens vocatur, sic Gen. 3. Psalm. 57. 73. 90. & 103, Item Sap. 11. Esa. 27. & 51. Ezech. 29. Secundo vitulus. Exod. 32. Item. 3. Regum 12. Tertio leo. Psalm. 21. & 90. Ezech. 19. & 32. & Timo. 4. & 1. Pet. 5. Quarto rufus. Pro uerb. 28. & Dan. 7. Quinto pardus, Dan. 7. Sexto bestia omnibus dissimilis, Dan. 7. Septimo homo, Matth. 13. Prouerb. 6. Hæc sunt appellationes eius, hæc & capita, sin-

*Demonis no-
mina in scri-
pturis varia.*

gula pro suis proprietaribus, quibus vsus est ille ab initio, tum per se, tum per suos. In serpente apparuit primis patribus quos decepti. Nocentissimum est hoc caput eius: nam pestifero veneno infecit omnes: vt bene typus mortifera malitia; venenatarumque sit artium eius. Tantum nocuit hoc caput mundo, vt dominus Deus per id abominatus sit hominem: & pœnitentia tactus quod illum creauerit furore vsque ad cathaclysmum saeuiente: neque enim cessauit donec vniuersam carnem diluuiio deleteret. Post diluuium natum est vitulinum caput illi, vt in vitulo diuinus honor illi impenderetur, quod initium quoddam, typusque erat rotius sequentis idololatræ: omnisque impij cultus. Leo fuit in Assyriorum regno, & chaldæorum duce Sennacheribo: qui immensa superbia elatus omnem ferocitatem dentibus vnguibusque atrocissime ceu leo saeuus in hereditate domini irruens conatus est exercere. Est igitur caput hoc typus in signis superbia; ac dirptionis. Porro vsus in Medis ac Persis fuit, per quos extrema internitione delere molitus est populū Dei. Quis enim Aman, (qui erat de stirpe Agag, quem in frusta concidit Samuel coram domino) vt habetur. 1. Reg. 15.) iniquum consilium dedisset Asuero, actum fuisse de Iudæis, nisi intentum malum in caput authoris dominus Deus reuertisset, ligno quadraginta cubitorum Amano suspensio. Hester. 7. Caput pardi fuis in regno Græcorū. Quis nesciat pardum, varium distinctumque colore esse: ita varius erat diabolus in Græcis contendens omnino mutare legē Dei, inque profanum redigere ritū: ministro Antiocho, qui appellatus est Epiphanes, id est, nobilis siue illustris: qui duxit exercitū cōtra ciuitatem Hierusalē, & eā expugnauit, cōtaminauit & templum, Dei, at ferens omnia vasa aurea & argētea ex eo: & insup in sacrosanctis Dei cōtumeliā Iouis olympij noie vocauit. In Garizim autē quod erat iussit cognominari Iouis hospitalis, vt Machabæorū plia testatur. Est autē pardus varietatis, itēque mutabilitatis, perinde ac vsus voracitatis summaque crudelitatis typus. Apud Romano s denique Bestia cunctis dissimilis fuit. Nusquam enim ita persecuti sunt sanctos Dei vt apud hos, qui vsque ad os ciuitatem eorum sanguine martyrum repleuerunt, donec

*Antiochus
epiphanes.*

Christus ex sua magna misericordia sese eis reuelare dignatus est: & ideo typus est magni cuiusdam excessus bestia hæc. Futurus denique homo in Antichristo, qui leges condet aduersus sacrosanctam legem Dei execrabilis: qui (vt Daniel habet) loquetur sermones contra excelsum & sanctos altissimi conteret. Dan. 7. Hoc caput draconis execrabilis sapientiæ carnis est typus. Sed antequam homo fieret in magno Antichristo, iam pridem tentare cepit omnem suam malitiam in vno Mahumete, & Mahumetanis omnibus, qui sunt Sarraceni, Arabes, & Turcæ, in quibus est primum serpens, ob longam reptationem super terram, & volubilitatem longi corporis, & sibilum, & nocentiam: & deceptionem, & venena legis suæ mortifera. Deinde vitulus, ob pecorinam vitam, & contingas cædes, & idolatriam etiam: qui contempto Christo vnico orbis seruatore, nescio quem sibi Deum magnum confinxere. Leo sunt ob crudelitatem & sanguinis christiani plurimam sitim ac effusionem, quorum ora semper in sanguinem nostrum aperta sunt. Vrsus ob iracundiam vehementem, manuumque fortitudinem, quibus conterunt prosternuntque bella, & finitima quæque vastant. Pardus ob varietatem legis Alcoranæ, quæ ex quatuor hæresibus insanissimè (vt supra memoratum est) per Sergium monachum Nestoritam fuit composita: quam tenentes & ipsi varij sunt noxiis cupiditatibus impliciti, crudelitate nimia efferati. De istis septem capitibus, quæ in alio loco dixisset angelus Ioanni, mysteria eorum exponens, Septem inquit capita bestia, septem montes, & reges septem sunt: continuo subiunxit. Quinque ceciderunt: vnum est, & aliud nondum venit, & quum venerit oportet illud breue tempus manere. Vnum tum temporis erat, videlicet regnum Romanorum, dissimile cunctis, propter nocendi malitiam, quando Domitianus Cesar vastabat ecclesiam Dei, nusquam non atrocissimè in Christianos sæuiens. Aliud in Antichristo reuelandum. Quinque ceciderant, quia regnum Aegyptiorum opprimentium populum Dei iam deletum erat. Item regnum carnalis Israël, in Iezabele & posteris, prophetas domini occidentibus, dudum exterminatum erat: Regnum quoque Babiloniorum, quandoquidem nullus Chaldaus populum

*Mahumetani
crudeliore
omnibus.*

Dei tum captiuabat, nec vllus Nabuchodonosor auream staturam adorare cogebat. Denique Persæ, & Medi non timebantur, nec Aman minas intètabat. Nec Græciæ Antiochus incubabat. Sed quid est quod de dracone dicitur, quia habebat capita septem, & cornua decem, & super capita toridem diademata? An aliud sunt capita quam cornua? Si idem: quare non in cornibus diademata sunt: Sed ita intellige, per capita quidem regna præfata designantur. Quia verò regnum Græcorum in quatuor reges fuit diuisum, ex quibus solus Antiochus nomen domini impugnavit: fiet vt cornua decem sint, propter decem reges. Attamen diademata in solis septem capitibus remanere, ob victoriam persecutionis, quod tres alij Græciæ reges nihil fecerint. Potest & aliter locus euarrari, vt sæuus ille draco septiceps habeat decem cornua: eod quod diabolus cum toto suo corpore, id est, impiis omnibus possideat multa regna: multoque reges, id est, potentes sæculi huius. Denarius quippe numerus multitudinis est typus, septenarius denique ad idem refertur. In diademate victoria designatur. Et hic in cælo visus esse perhibetur: per quod datur intelligi, quia victoria eius in ecclesia futura est, dicente domino, Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Ioan. 15. Ad hoc autem tam terribilis apparuit, vt ostendatur multos terrore exanimare, semperque paratum esse ad nocendum, qui mille nocendi artes habeat: cuius crudelitas vt notior fiat vide quod subditur.

* Punctus. 2.

Et cauda eius trahabat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.

Cauda, Prophetæ iniqui sunt, per quos suam inimicam nequitiam exercet, Esaia dicente. Prophetæ docens mendacium, ipse est cauda, cap. 9. Qui vero eorum doctrinis adhærent, in terram præcipitari dicuntur: & in tertia parte computantur, quæ est omne corpus malorum, sine in angelis, quos secum de cælo pariter mina detraxit, sine in hominibus, quos seduxit, & seducit adhuc. Porro stelle sunt, ij, quos de bonis diabolus reprobos facti. Alii mine demones designari. Cauda typus est astutiæ ac insani dogmatis draconis. vt enim draco in cauda potestatem deificandi habet, sic diabolus omnem nocendi, deificandique vim in astu-

Cauda propheta mendax.

Stellarum nomine demones designari.

tia ponit. Hac tractus primus ille parens noster est, hac multi à peccata iustitia gratia deiectioni: & (quod lugendum multo vehementius est) ij, qui pro stellis, ingenij vi doctrinaeque splendore in ecclesia habebantur, tracti ab eo sunt. Missi itaque in terram sunt, vt terrena sapere, siue doctrinam carnalem, vtque imitarentur eam, carnis voluptatem vita sectantes, in qua haberi summum putant bonum. O legendam tragediam. trahebat draco cauda tertiam partem stellarum caeli, & deiciebat eas in terram. Neque enim alia intentione trahebat, nisi vt deiceret. è caelo trahebat, & mittebat in terram. Quanta locorum dissimilitudo; quanta intercapedo: caelum sursum, terra deorsum. Dicit Deus, Caelum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum. In caelo Deus: in terra homines & belluae habitant. Hinc agnosce quantum à caelesti vita sint alienati, qui astutia diaboli decipiuntur, vt habitationem fortiantur cum his, qui è terra sunt, spectantque continuo terram: sint belluae, sint homines, quasi ex humo nati: vt ex eo homines sint potius quam ab humanitate. Quid est quod dico fratres? Nunquid non omnes cum hominibus conuiuimus, qui in mortali carne sumus? nunquid non omnes iumenta habitationis socios habemus, qui in hoc mundo degimus? Ita enim uero. Quomodo ergo defectione caeli, terra incolatum sortimur: quia astutia diaboli decipimur? Intelligite quæso. Non idcirco reprehendimur quia terram inhabitamus, & cum hominibus ac iumentis societatem uitae habemus: sed quia mores carnalium potius quam spiritualium sectamur, quibus nihil ab similes iumentis insipientibus sumus, eorum mores imitando. Habitatio ergo, morum similitudo hic est imitatioque. Hoc est, quod perpetuo lectu dolent sancti, hoc est, quod auferri à credentibus summe desiderant belluinos eiusmodi mores, & carnis ineptias. Iam tu hic mihi considera uelutrum caelestis sis an terrestris: & quod magis secteris. Si terram sequeris: draconis cauda tractus es: uirtus eius te infecit. Porro cauda infamis pars est & pestilens, caeca & immunda, in quocunque animalium genere: regit enim turpitudinem corporis postici. Ita prophetae hæreticorum turpitudinem foedi erroris fuci fallacia contegunt, vt non appa-

reat, non videatur: nihilque doli subesse in eis suspicetur: ad quos dum sine metu alij iunguntur, curuo cauda draconis complexu abstracti deiciuntur in terram, vt terrae foedis cupiditatibus hereant: nihilque ultra coeleste appetant, imitentur nihil. Hinc habes omnes hæreticos infames esse, cacos, immundos, ac pestilentes. Hos tu fidelis christiane caueo.

Punct. 3.

Et draco stetit ante mulierem, quae erat paritura: vt quum peperisset filium eius deuoraret.

Draco stetit ante mulierem, quasi aperto cum ea marte depugnaturus: quia diabolus in conspectu ecclesiae prodit, vt ei aduersetur impediatque successum, ne ullo pacto virilem foetum nutriat, sed vt orba sit semper, misera, infelix, & mœrens: Ob idque tendit illi insidias, vt mox natum filium eius abripiat ac deuoret. Magnum mysterium, obscurum & incertum: quis scire poterit illud: uerum vt notitia eius nobis palam fiat, scrutanda est scriptura in capite eius, quae prodere poterit intelligentiam. Scriptum est, Genes. 3, quia quum malediceret Deus serpenti, inter alia dixit, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. Inimicitiae quippe patentes sunt differentiae contrarietatesue. Insidiae occulta decipulae. Significatur ergo quia in principio apertas sustinere maligni huius draconis machinationes debuerit Ecclesia, in fine occultas, id est, ab apertis hostibus primum impetita, utpote, principibus tyrannis saeculi: in fine, occultis qui se mentientur pios, quum tamen non sint nisi hostes acerrimi: id quod postremis exhibent operibus, quando in enses consergent, pietatem extinguere molientes. Qualis Antichristus erit, quales & Antichristi omnes, qui primum clandestine aggredientur pios, & non nisi per dulces sermones, vt decipiant: postremo uero ubi minus conatus illorum successerit uenit ad enses, & tormenta varia: & hoc non nisi opera diaboli, cui est irreconciliabile aeternumque odium cum ecclesia Dei: iuxta illud quod dictum est, Inimicitias ponam, &c. Stat ergo draco ante mulie-

Mulier ecclesia.

*Christus
semen,*

rem, stat ante ecclesiam diabolus, & infatigabiliter stat, ut viriles eius foetus perdat, id est, ut vnumquęque a forti proposito deiciat, priuet & salute: & opus virile, id est, bonum, strenuum, & constans debilitet & cōuellat. Porro filius, cuius partu hęc mulier ecclesia laborare dicitur, nō aliud, quā semen illud, cui scriptura dicit aduersari semen serpentis intelligatur, nempe Christus Iesus, qui per verbū Dei concipitur a credentibus: pariter autem, quando cōceptus salutaris in effectum deducitur. Molitur itaque diabolus, ut si fieri possit mox uatum per bona opera filium hunc, rapiat, mactet, & deuoret. Sumpta tralatio a bestiis terrę gulosis, quę quod rapuerint deuorant. Duo hic obserua. Primum, Semper enim ecclesia parit Christum. Sed ubi? In cordibus fidelium. Quomodo? Docendo, exhortando, monendo, cui non aliorum sermo tendit, nisi ut formetur Christus in cordibus eorū: patiarūque operādo quod concipit verbo, iuxta illud: Quisquis enim uerbum Dei libenter audit, Christum concipit: Si autem opere adimplenerit Christum parit, quem Maria portauit corporaliter. Secundum, Sicut ecclesia semper parit, ita & Satan semper adnititur ut parrū tollat ac deuoret: ne uinacissimo eius spiritu fidelis anima uiuat. Cuius rei pulchrā in sese Christus ipse idem prægressisse demonstratur similitudinem, quum natus ex innuba uirgine, mox ab Herode in mortem persecutus est, per quem primum filium hunc masculum abripere ac deuorare conatus est: nec postea desit studio omni agere, ut nō proficuis fieret Christus suis fidelibus. Aggressus itaq; apostolos dum ipse Christus pateretur, dum salutem pararet orbi, tentauitq; corda eorum mille artibus. Quid multis opus: tentauit filium hunc masculum uergetum & fortem extinguere in ipso lucis fidei exortu in apostolis, aliisque credentibus, ne salui fierent: ne uere crederetur ab eis surrexisse a mortuis. Contra uero Christus artem arte repellens, subinde sese manifestabat eisdem, seque palpabilem exhibebat: loquebatur, comedebat cum eis, exhortabatur, confortabat: atque sic astus omnes maligni dæmonis retundebat, ne quid tentatione proficeret. Hoc ubi ille animaduertit, castra doli mouit in alios: atque a fortissimis ad imbecilliores se conuertit, persecutionem

principum mouens in nouellos credentes, vulgum scilicet simplicem. Sed adeo nihil hoc quoque conatu profecit, ut magis ac magis tentatione roboraret fidem in credentibus. Sic quercus magnis sæpe mota uentis, altius radices figit, seque confirmat: sic illi semper sese fortiores exurgebant tentatione proficientes. In summa. Christus ab initio persecutionem passus est a suis hostibus, & patitur usque modo: In se primum, deinde in membris. In se duplici ab hoste. Ab Herode tristissimo ac iuxta clanculario hoste: deinde a Iudæis ipsis. Herodes mox natū deuorare molitus est, simulate tamen, & non nisi per occultas insidias: unde & Magis illis respondit, Ire & interrogate diligenter de puero hoc: & quum inueneritis renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum. Matth. 2. Iudæi modo clandestino aduersus eum bello, modo aperte, usquequo eum occiderent, aduersus eum decertarunt. In membris, usque modo varie persequitur, a tyrannis, & hæreticis.

¶ Punct. 4.

Et peperit filium masculum, qui reclusus erat ante omnes gentes in uirga ferrea.

Nihil hoc magis poterit conuenire Christo, qui est filius matris masculus: quem quotidie parit ecclesia, per uerbum Dei in cordibus credentium. Cuius officium insigniter percubitur, quum dicitur, Qui reclusus erat gentes uinueras in uirga ferrea. Nam ipsi Christo domino dicitur a patre, Reges eos in uirga ferrea. Psal. 2. qui bene filius est. Nam & Elaias uates eximius filium eūdem appellat cap. 9. dicens, Filius datus est nobis. Hic masculus appellatur, id est, fortis, qui singulari fortitudine uicit diabolū, sicut scriptum est, Tu humiliasti sicut uulneratum superbū in brachio uirtutis tuę. Psal. 88. Rursum, Tu confregisti capita draconis. Psal. 73. Hęc sunt illa capita quę supra recensuimus, uidelicet serpentinum, uirulinum, leoninum, uersinum, pardinum, & dissimile omnibus bestiis terrę: constructus in fine & humanum. Serpentinum tum primum cōfregit, quum maledixerit illi, dicens. Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animalia. Gene. 3. Deinde uero ligno crucis, in quo peperit in die Parasceus, ut qui in ligno uincēbat in ligno quoque uinceretur. Virulinum, delēdo a facie terrę ido-

*Hostes Christi
duplices
occulti, &
aperti.*

*Christus masculus
filius.*

lolatram. Leoninum, regna Assyriorum, Chaldaeorumque debilitando, misso in castra Sēnacherib angelo, qui percussit de Assyriis centum octoginta quinque millia. Esā. 37. Vrsinum quoque quando Iudith sancta amputauit caput Holofernis, principis militiae Assyriorum. Iudith. 13. Demum Pardinum, Antiochum miserabili morte perimendo, 2. Mach. 9. & patrem non diu sustinendo, 1. Mach. 6. quod hic idolum super altare Dei erexerit. 1. Mach. 6. cædes multas fecerit ille, & legem Dei mutare annexus sit, non modica cæde populi Dei. 2. Mach. 6. Sed adhuc uiuit in Turca pardinum draconis caput infesti, quod certe confracturus, quum primum explebuntur destinata illi tempora: & ipsum igitur, confregisti, id est, confringes. In parte nanque fractum est velut in anteriore: restat ut in posteriore quoque frangatur. Illud verò quod dissimile omnibus dicitur quod Romanum erat: adeo non est confractum, ut & verum sit in pietatem: ut vere vel dissimile hac ratione sit cæteris, & sibi, si statum eius priorem consideras. Et hæc omnia per Christum, quem masculum mulier peperit filium, id est, fortem & inuincibilem, qui rectorus erat omnes gētes in virga ferrea. Masculi ergo vocabulum fortem indicat, & est fortitudinis typus, quemadmodum e masculus, virium infirmarum. Quum masculum adiicit, perinde est ac si dicat, hic non erit, ut cæteri, filius debilis, & qui possit vinci: sed fortis ac potens semperque inuictus, prout Esaias prædixit, Vocabitur nomen eius, admirabilis, cōsiliarius, Deus fortis, cap. 9. id quod & ferrea virga exprimit. In virga regimen est & directio, in ferro verò rigor inflexibilis: significans sanè quòd iustitia inflexibili rectissime moderaretur sibi subditas gentes vbique terrarum Christus filius masculus: quarum vniuersaliter accepit potestatem à Deo, ut omnia eius sint. Hoc per se dominus testatur, dicens, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et iterum, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Matth. vltim. Vbi velint noluit, tamen sub ditione eius cuncta sunt posita, sit Iudæus, sit Græcus, sit Scythia, sit Turca: omnia sub Christi potestate manent, qui æquissimo iudicio superintendit, & tribuit vnicuique secundum opera eius: Christiano fideli primum, dein & Ethnico:

*Masculus
fortem indi-
cat.*

illi foelicitatem, huic poenam æternam, secundum iudicij sui æquilibrium omnium facta dispensans: ut siue bonum, siue malum tribuat, pro merito factorum tribuit omnia. Hinc habes, quòd licet modo multorum flagitia impune pertranseat, attamen in fine iudicabit & puniet. Quod si punitionem accelerat facit suo iudicio, quemadmodum in plerisque id compertum habemus, quos in exemplum terròris, reprimendæque temeritatis proposuit Deus. Horum præcipui fuere vterque Antiochus reges Syriae pater & filius. Postquam enim pater, qui illustri vocitabatur percussisset Ptolemæum regem Egypti, ex victoria eleuatus nimis, reuersus ascendit Hierosolymam in multitudine graui: & ingressus templum tulit altare aureum, candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & comminuit omnia: argentum quoque & aurum, vasa omnia, & occultos thesauros, quos inuenit: & sublatis omnibus, abiit in terram suam. Post annos duos misit exercitum, & occidit multos ex Israël: & abstraxit spolia ciuitatis multa nimis, & succendiream igni, & destruxit domos & muros in circuitu, & captiuas duxit mulieres, & natos, &c. multos etiam idolis fecit sacrificare ex eis. Ad hæc misit nuncios in Hierusalem cum literis, & in omnes ciuitates Iudæ, ut sequerentur leges gentium terræ: utque prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in templo Dei: & prohiberent celebrari sabbatum, & dies solennes. Iussit quoque ædificari aras, & templa idolis, & immolari carnes suillas, & pecora omnia, relinqui filios incircuncisos, & multa alia, quæ longum esset commemorare, sicut plenissimè scriptum est. 1. Machabeor. 6. Regnauit autem annis yndecim relinquens post se heredem regni Antiochum, qui Eupator dicebatur, filium sub tutela Lyfiæ, ut nutritur eum. Hic obtinuit Asiam, nihilque paternis moribus diminuit: sed in omni impietate sectans, quod deerat addidit: qui quum afflixisset populum Dei nimis, & spolia multa exercuisset, templum quoque contaminasset, quòd erat Hierosolymis, & cognominaret Iouis olympij, in Gatizim autem quòd erat Iouis hospita-

*Antiochi
spolium quòd
fecit in tem-
plo domini.*

lis: ita vt iam templum dei prostibulum scortorum esset, &c. 2. Macha. 6. Post aliqua tempora quum reuertetetur de Perfide, ira graui incensus voluit omnem furorem effundere in Iudaeos, ideoque iussit agitari currum suum sine intermissione, agens iter caelesti eum iudicio perurgente: dirumque virus pectore efflans, & se venturum ea causa Hierosolymam subinde repetens, vt congeriem eam sepulchri faceret Iudaeorum. Sed qui vniuersa cōspicit dominus. Deus Israel, percussit eum graui, & insanabili, & inuisibili plaga: vt enim finiuit suos sermones, apprehendit eum dirus dolor viscerum, & amara torsio internorū omnium, ita vt de corpore hominis impij à postico vermes scaturirent viuentes: iussit ex internis cruciatibus viscerum carnes eius effluerent fetore intolerabili, vt ex arcibus ferre non posset. Factumque est, qui paulo ante sidera pulsare vertice se arbitrabatur, peregre in motibus miserabili obitu vita priuaretur. 2. Mach. 9. Ad id est & exemplum Balthasar regis Babylonis, qui in conuiuio quum iussisset proferri vasa aurea & argentea, quae asportauerat pater eius. Nabucho donosor de templo Salomonis capta Hierosolyma, & biberent temulenti ex eis: terribus est visione manus scribentis, & eadem nocte interfectus est. Dan. 5. Eodem modo potest suos aduersarios & nunc perdere deus regens cūctos in virga ferrea, hoc est, inflexibili iustitia, qui nemini parcat in die ultionis suae. Hic est mulieris masculus filius, in omnibus nobis per verbum Dei natus: quem decet vniuersos tremere, & seruire illi soli: qui habet potestatem super omnia: & potestas eius aeterna est.

✠ Punctus 5.

Et raptus est filius eius ad deum: & thronum eius.

Quam verissimum hoc sit, nemo est qui ignoret. Christus enim filius ille masculus, id est, fortis & inuictus, quum iam propemodum deuoratus à morte putaretur: solutus inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, rediuitus tertia die, praeter spem omnium, apparuit: & quadraginta dies cum suis saepenumero diuersatus, cum multo lumine conspicabilis tandem in caelum ascendit, patrique à dextris assedit: triumphante veritate facta: scriptura, quae ait, Dixit dominus domino meo, se-

*Antichristi
miserabilis
exitus.*

de à dextris meis, Psal. 109. Raptus ergo filius mulieris (quam sanctam ecclesiam fore astruximus) ad patrem Deum, & ad thronum eius, modo regnat: vnde despiciens vniuersa draconis capita deridet, & omnes machinationes eius sublannat, dicente scriptura, Qui habitat in caelis irridebit eos, & dominus sublannabit eos, Psal. 2. Nitatur ergo draco, reparat quantumuis contrita capita, strideat, sibilet ore, insanat, molitur, sed nihil efficit, etià si hydrae fortitudine colla attollat. Dominus est, contra quem molitur, qui habitat in caelis cui omnia seruiūt: & ad cuius nutum flectuntur omnia, ac parent illi. Hinc habes quam stulti sint, qui contra dominum caeli eriguntur. Habes etiam quam vani sint, qui huic contrito draconi adherent, qui nihil possit iuuare, quum omnia in domini potestate sint posita, qui in throno dei considerat, & deridet & sublannat aduersarij machinationes. Econtra quae prudentes qui domino se humiliant, & vocem eius audiunt, & parent ei ad nutum, legemque eius custodiunt: quemadmodum Dauid regum sapientissimus ac iuxta sanctissimus meditatur dicens, Mihi adherere Deo bonū est: ponere in domino Deo spem meam, Psal. 72. Adhaeret qui diligit, diligit qui mandata eius obseruat. Si diligitis me inquit, mandata mea seruate. Ioan. 14. Qui non seruat mandata Dei, nec diligit eum, qui ne adhuc quidem nouit deum. 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est: Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Sequitur. In hoc sciimus, quoniam in ipso sumus, si in eo perfecti sumus. Denique, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Et. 2. Ioan. 1. Haec est charitas vt ambulemus secundum mandata eius. Quae si fecerimus, rapiemur & nos, in tempore destinato ad Deum, & ad thronum eius.

✠ Punctus 6.

Et mulier fugit in solitudinem: vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta.

Solitudinem ponit huius vitae peregrinationem, in qua singulari spe beatae remunerationis, vt passer singularis, viuunt ecclesia: quae à rege sponso suo potestatem accepit

*Christi ascē-
so in caelum.*

calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici. Luc. 10. Nam & populus Israel per eremum ductus ignotos serpentes pertulit. 1. Cor. 10. quos in virtute ænei superavit. Quod forma futuri erat. Pavidus deus illos manna visibili, & ecclesiam pascet donec peregrinatur à domino pane cælesti. Præparatum autem locum habet, de quo per prophetam dicitur, Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius, Osee. 2. Loci difficultas omnis in verbo solitudinis sedet. Proinde cōsentaneū fuerit indagare quid ipsa solitudo sit, præter id quod diximus. Duas sententias super hoc verbo expositores certi habent. vna refertur ad gentilitatem, quod sancta ecclesia, à perfidis Iudæis commigrauerit ad gentes, Paulo loquente ad Iudæos, Vobis inquit oportebat primum loqui verbum dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic enim nobis præcepit dominus, Posui te in lucem gætium, vt sis in salutem, vsq; ad extremum terræ. Act. 13. Altera, secretum mentis per solitudinem intelligi vult, mysterio velut secretiore. Mens enim à mundi tumultibus segregata iure solitudo est, quæ nihil in mundo concupiscit, anhelat autem ad sola cælestia, sicut scriptum est, Sedebit solitarius, & tacebit: & leuabit se supra se. Thren. 3. Et in psalmis mysticis loquitur vir spiritualis, Ecce elongaui, id est, longe me feci à concupiscibilibus mundi, fugiens: & mansi in solitudine, subditque, Expectabam eum, qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus, & tempestate Psalm. 54. In quibus verbis prophetæ David datur intelligi quomodo secedendum sit de huius mundi turbine: & quid agendum postea. Primum ergo secedendū longe, nec in confinio subsistendum. Nō enim licet viro iusto vsquam vlla in regione circa peccatrices vrbes immorari: sed properare in montem, nisi malit perire. Secundo, vt non cunctanter, non timide, non pigre, nō quasi recusanter: sed strenue, atque (vt ita dixerim) gladiatorio, sed festinanter. Piger vult, & non vult. Non oscitantibus contingit regnum celorum, sed plane vim facientibus: & violenti rapiunt illud, quo festinantem non charorum affectus retardet: non reuocent illecebræ mundi: non remorentur curæ domesticæ. Incidenda est semel se-

Solitudo generalis.

Solitudo vera spiritualis.

Mundus quomodo relinquendus.

cularium negotiorum catena, quandoquidem aliter ab hac explicari non potest. Clamat propheta, vt fugiamus de medio Babylonis. Exitus de Aegypto fuga vocatur. Et mulier hæc fugisse in solitudinē memoratur, non sensim emigrasse. At videas plerisque comperendinantes: & consiliis nimirum lentis fugam vitiorum molientes, vbi his me curis, inquit, extricauero, vbi illud atque illud negocij confecerō. Nescientes hac in re vtilissimam præcipitationem. Negotium ex negotio seritur, vitium vitio inuitatur. Non reputa quid, aut quantum relinquant: certus esto vnum christum tibi pro omnibus satis futurum. Aude modo te illi toto pectore committere: aude omnem tui curam te illi credere: excipiet te, te enutriet, Dominus regit me, inquit propheta, & nihil mihi deerit. Tertio, vt certo proposito mundum reliqueris, vt non vltra relabare, neque respice. Sic deserenda est Aegyptus, ne quando redeas animo ad ollas carniū. Non est fas respicere. Respexit mulier, & versa est in statnam salis. Ne velis te ipsum duobus partiri: mundo & christo. Non potes duobus dominis seruire. Nulla societas Deo cū execrabili Belial. Non fert eos, qui in duas partes claudicant genu vtroque. Euomit eos, qui neque frigidi sunt, neque calidi, sed tepidi. Nimis zelotypus est amator animarū deus, solus ac totam possidere vult, Non paritur consortium diaboli, quem semel morte sua deuicit. Duæ tantum viæ sunt. Altera quæ per obsequium affectum ducit in exitium, Altera per carnis mortificationem ducit ad vitam. Quid dubitas? tertia nulla est. Harum alteram velis nolis adeas oportet. Sed arcta hæc, si seruari velis tibi potius adeunda: quam Christus & ipse calcavit. Iam vero quid in solitudine agendum sit explicat propheta dicens, Sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se supra se. Et David, Expectabam eum, qui saluum me fecit, &c. Vbi quatuor docentur. Primum, quod solitarius, hoc est liber à cupiditatibus mundi, cum propriæ, & eiusdem noxiæ voluntatis abnegatione. Etenim nihil concupiscere in hoc mundo fida, & tranquilla mentis solitudo est, in qua habet ecclesia locum à Deo præparatum, secundum æternum propositum: in quo quisquis habitat in adiutorio Dei altissimi habitat, &

in protectione eius commorabitur. Hinc confectum taciturnitas docetur, iuxta quod scriptum est, In silentio & in spe erit fortitudo vestra. *Esa. 30.* Silentium autem animi, est quies à strepitu vanarum & superfluarum cogitationum: in qua quisquis fuerit positus, in id quod sequitur vires assumet. Tertio, ut per contemplationem se eleuet in deum, magna eiusdem miracula considerando, quàm sit bonus, quàm misericors, iustus & sanctus. Quarum sequitur adhuc videlicet expectatio quadam Dei maiestatis, qui solus saluat, à pusillanimi spiritu, ac tentationum procella. Hunc talem locum parauit Deus & parat suis fidelibus: qui ad se confugientibus quietem spondet & refectionem dicens, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. *Math. 11.* Carterum, in eodem loco pascuntur, non dubium quin à Deo, verbo vitæ & spiritus. Unde refecti dicunt, Dominus pascit me à iuuentute mea. Et, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuar, ibi me collocauit. *Psal. 22.* Qui enim se commodum pastorem exhibuit, pascit equidem: id quod in scriptura pollicetur dicens, Ecce ego ipse sequiram oues meas. Et post pauca, Inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel: in riuis, & in cunctis sedibus terrarum, in pascuis vberissimis pascam eas. Rursum quoque ait. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, *Ezech. 34.* Nunc quàm diu in solitudine pascatur mulier ista designatur, quum dicitur, diebus mille ducentis sexaginta. Hoc dierum numero videlicet, qui tres semis annos colligit, totum tempus, à raptu masculi filij ad Deum, & ad thronum eius, id est, à die qua ascendit Christus in cælum, figuratur. Ab eo quippe die: quorquot salui esse voluerunt à facie draconis infesti, fugerunt in prædictam solitudinem, & pasti sunt verbo vitæ, & pane gratiæ Dei & multiuge consolationis eius. Insuper pauca Eucharistiæ, quo quotidie pascimur, & delectamur, in omni saturitate, in conspectu eius: quem quicumque corde puro, & fide non ficta comederit, mortem non gustabit in æternum. Hinc ostenditur quòd nec angelica præsidia desunt mulieri huic fugienti in solitudinem, eo sensu, quem diximus, Ecclesiam designari, quo tutior fiat in sui persecutione. Namque est in persecutione, & premi videatur, tamen

men minimè pessundabitur protegente eam christo, cum angelis suis: qui in mandatis acceperunt à Deo creatore vt custodiant eam in omnibus viis eius. *Psal. 90.*

DE PRÆLIO MICHAELIS CVM
DRACONE.

Sect. 3. Punct. 1.



P factum est prælium magnū in cælo: Michael, & angeli eius præliabantur cum dracone.

Prælium hoc, de quo hic mentio est, non de illo prælio intelligitur quod in initio creationis mundi factum fuisse narratur, quando variis inter sese studiis angeli mali cum bonis confixere, vt primum creati sunt, bonis dei virtute superantibus, ac malos è celis deturbantibus: sed de eo quod gestū est & geritur adhuc, postquam filius masculus raptus est ad Deum: & mulier fugit in solitudinem. Quo ostenditur, quàm indefinens pugna maueat inter bonos & malos vsque in hodiernum diem. Quum enim penes bonos stetit victoria propulsis malis, qui domino Deo rebellare ausi sunt, christianis pax non fuit ab eis: quibus semper animus fuit aduersari pietati, non solum nunc, sed olim quoque, ante christi aduentum, Daniele dicente, Princeps autem regni Persarum restitit mihi vno & viginti diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. Sunt enim administratorij spiritus omnes, missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. *Hebr. 1.* Et sicut pij ad vnum pertinent Michaellem in conflictu spiritali pro eis dimicantem: ita impij ad vnum draconem diabolom, pro eis sollicitum: quum omnes impij ad vnum corpus mysticum draconis pertineant. Obserua. Prælium magnum dicit, & in cælo commissum: cuius equidem magnitudinem tria exaggerant, videlicet causa ardua: pugnantium copia, & pugna diuturnitas. Causam arduam nemo est, qui nesciat, nisi is, qui Christum ignorat: cui minus constat, quid fides sit, quid iustitia, quid ve-

Prælium bonorum angelorum malorumque.

Prælij magnitudo ex tribus ostenditur.

ritas, quid salus, quid pietas, & id genus alia. Copia denique tanta est, ut in hoc exercitu nemo non sit: omnes enim siue iusti sint, siue iniusti: in altero horum sint necesse est. Iusti pertinent ad exercitum Michaëlis, ut diximus. Iniusti ad turbam draconis. Est præterea diuturnum bellum hoc: nam etsi grauius interdum accidat incruescatque solito, vel remittatur interdum ut cesset, nunquam tamen cessabit usque in finem. Piis enim & pietatis ab improbis semper vel saltem ore contradicitur. Sed ubi prælium committitur? In cælo, cælum autem ecclesia est, ob celestem vitam piorum: teste Paulo, qui ait, Nostra conuersatio in celis est. Phi. 3. quam sæpe aggreditur draco cum damnato exercitu suo, ut expugnet ac demoliat eam: sed christus est murus, & antemurale eius virtus inuictissima. Pro hac Ecclesia pugnat Michael iustus cum sacro exercitu suo: hi sunt angeli, & fortes in fide homines, iusti, & perfecti, qui luctamen sumpserunt aduersus nequitias diaboli. Michael & sui pugnant virtute dei, & inuicta constantia. Draco, & qui ad illum pertinent, imposturis, fallacibusque mendaciis, & omni sauitia: qui etsi aliquando triumphare videantur, in fine tamen succumbunt fortissima virtute Dei denicti: & sicut olim factum audimus apostatas angelos victos, & deturbatos à cælo per fideles angelos, qui indiuidue Dei maiestati ita adherent, ut ne ad momentum ab eo reflectantur, semper nuntium eius attendentes: ita per sanctos confundi impios certissimum esse debet: perireque ab ecclesia. Quid autem vincit in hac pugna, nisi fides vera, & constans veritatis assertio: Quando erit consummata victoria? Quando corporis nostri tabernaculum dissoluetur. Quando, & quoties vincuntur draco & sui? quoties illis robusta virtute resistitur. Tunc enim in cælo ecclesie propelluntur, quando vincuntur. Semper autem propelluntur, quia semper vincuntur à fidelibus. In eo enim quo indies propelluntur, in his, in quibus vincuntur locus illis securus amplius non relinquitur. Ergo semper est pugna, semper est & victoria, semper angelorum malorum exclusio: nec ante nouissimum diem hæc eiusmodi pugna finietur. Proinde tum plene implebitur illud, Et proiectus est draco, &c.

*Michaelis
pugna pro ec-
clesia.*

*Pugna cum
demonibus
continua.*

Primasius. Michaellem cum angelis suis contra diabolum configere dicit: quia secundum voluntatem pro peregrinante ecclesia orando, & adiutoria ministrando sollicitus est. Nonne sunt (inquit) omnes administratores spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hereditatem salutis capiunt æterna? Nam & nomen eius Michael, adiutorium Dei interpretatum dicitur: & congrue hoc ei opus specialiter deputatur. Ipsum enim & Daniel in nouissima pressura in adiutorium ecclesie dixit venturum. In tempore, inquit, illo consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo quo gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro, Dan. 12. Quod verò angeli eius esse dicuntur: eo hic loquutionis genere usus est, quo legimus. Quoniam angeli eorum in celis semper vident faciem patris mei, qui in celis est, eorum scilicet, quorum ciues esse in christum credendo ceperunt, sicut & hic angeli eius, quia vno præsidete rege creduntur munerari, & vno spiritu viuificante beatificari. Haymo, Angeli Michaelis, vel draconis dicuntur subditi illis, & ad obediendum missi. non tamé ab eis creati, sicut quidam vaniloqui dixerunt heretici: vel etiam, quoniam sub vno rege in vna ciuitate militare creduntur. Sic enim solemus & nos dicere, videntes eos, qui ex eadem societate sunt, Ecce mei, aut nostri. Hinc Iosue principem exercitus domini interrogat dicens, Noster es, an aduersariorum? Omnes enim angeli boni dicuntur angeli Michaelis, quia ad eius societatem pertinent: in quo numero bonorum angelorum etiam homines iusti comprehenduntur pugnantes cum diabolo. Pugnat itaque Michael, pugnant & angeli eius in cælo, hoc est, in ecclesia militante. Pugna eorum pro honore Dei est, necnon animarum nostrarum salute. Pugnant ergo pro nobis contra aduersarium, sed non proficiunt sine nobis: nec proficimus nos sine eorum præsidio. Quocirca erigamus arma securi, quia fortissimos nostra patriæ conciuēs, & inuictos commilitones nacti sumus. Inde illi fortes, vnde & nos. Inde illi inuicti, vnde & nos, id est ex Deo: sine quo nec

*Michael ad-
iutorium Dei
interpretatur.*

*Angeli bo-
ni omnes Mi-
chaelis esse
dicuntur.*

*Angeli pug-
nant pro
nobis.*

illi aliquid valent, nec nos. Pugnatur autem nunc Michael, qui est præpositus ecclesiæ Dei: ipsa est paradisi voluptatis spiritus: & pugnatur pro hac Ecclesiâ ceu paradiso, ne possideat eam malignus, quam sacro sanguine suo acquisiuit Christus: nec cessat pugnare vsquequo plenam assequatur victoriam, & triumpho potiarur optato: quod fiet in fine, quando maiore opus erit virtute & illi & nobis, acriori bello tum incumbente.

¶ Punctus 2.

Et draco pugnabat, & angeli eius: & non præualuerunt: neque locus inuentus est eorum amplius in celo.

Draconis pugna cum angelis.

Non hic purandum est, tanquam angelos Dei sanctos in celo ausus fuerit amplius aggredi, postquam per eos disturbatus ruit in terram: quo nunquam postea peruenit. Sed nec, s. Iobum ille poterat, nisi Deo permittente, tentare. Proinde celum hic Ecclesiam manifestius declarauit, ubi contra spiritualium nequitias ab vno quoque fidelium iugiter dimicatur. Hinc Apostolus, Non est (inquit) nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates: & aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Porro per draconem, & angelos eius, intelligere debemus, qui ei natura & voluntate similes sunt: sed homines quoque, qui eorum laqueis irretiti, taliu fuerint sectatores. Nam pro qualitatibus voluntatum, & de diabolo dictum est, Malus homo hoc fecit, Matth. 13. Et de Iuda, diabolus est, Ioan. 6. Hi pugnant aduersus ecclesiam, id est, pios omnes qui vere christiani sunt. Cœpit autem hæc pugna à tempore prædicationis legis euangelicæ, quando de innumerabilium hominum cordibus vbique terrarum expellebatur diabolus: secundum quod Christus passione instante prædixit, Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi euertetur foras, Ioan. 12. ac si dicat, Nunc causa protrahitur in iudicium, & ille satanas dum se victorem credit, vincetur per mortem: per quam depelletur de sua tyrannide: condonabitur enim per fidem omnibus peccatû: quo sublato fient vires eius fractæ, qui non alio telo æque fortis est ac potens, vt peccato. Denique dæmones contra angelos sanctos pugnant, quia vt possunt, eis resistunt, semperque impedire pios eorum conatus moluntur, ne quid efficiant in

Voluntas determinat bonum aut malum.

nobis. Quare autem dicitur, Et non præualuerunt: quum etiam post acceptam baptismi gratiam, atque seculi abrenunciationem, diabolus multos decipiat? Sed hoc ita intelligendum est, quod licet videantur ad tempus præualere tamen in eos qui ad vitam sunt prædestinati, non præualebunt in finem: quia etsi decepti peccent aliquando, tamen festinant quanto cyus per penitentiam redire ad gratiam, in quibus nullus locus postea apparebit diabolo, aut eius angelis: quia nullum vestigium peccati in illis remanebit. Hi sunt illi beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Psal. 31. Sic remissæ quod deletæ: sic deletæ, quod nec sint vltra in memoria. In illis inuenitur locus draconi, & angelis eius, in cuius mente regnat peccatum. Tolle ergo de te regnû peccati, & non remanebit locus diabolo in te. Sunt nonnulli vbertate gratiæ firmi, in quibus nec ad tempus præualeat, quia ad nullum mortale crimen consentiunt: qui etsi rari, creditur tamen quod sint aliqui: qui dicunt cum Apostolo, Quis nos poterit separare à charitate Christi? Proinde sanctus Apostolus exhortans ait, Nolite locum dare diabolo, Ephe. 4. Iacobus autem, Resistite diabolo, & fugiet à vobis, cap. 4. Hoc est ergo non dare locum diabolo, quod resistere malignis eius persuasionibus: quod qui fecerit beatus.

¶ Punctus 3.

Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo proiecti sunt.

Magnum, & mirabile prorsus spectaculû ob oculos mentis Diuo Ioanni dilecto discipulo obiicitur: sed maius atque mirabilius spectaculi sacramentum, dum claro lumine intelligentiæ videt ea quæ futura sunt: qualiter videlicet propulsus semel ac deiectus draco ille ingens & rufus cruentus & crudelis, iterum iterumque propelleretur de ecclesiâ: ne in aliis quam terræ deditis locum haberet: quatenus præclarissime cognosceres quàm inuitus de templis, & aris, & simulachris gētium exierit. Quod profuldio tunc ceptum est, quando iuxta historiâ raptus est filius virginis ad Deum, & ad thronum eius: quando iussit suos discipulos proficisci in mundum vniuersum, & prædicare euangelium omnibus: vt qui crederent & ba-

Diabolo locus non inuenitur in sanctis.

Deiectio draconis.

prizarentur salui fierent: quod non aliud erat præcipere, nisi quod fortem illum armatum à se iam victū de arto propellerent, qui hic varie nominatur. Hic est enim draco magnus, serpens antiquus, diabolus, satanas, cui Christus sudibus nares perforauit, circulo quoque imposito in manus fortissimorum suorum bellatorum tradidit extrahendum de aris, de templis, & simulachris gentium, quas sibi in populum peculiarem accepturus erat. Quod dum fieret mirum quam terrifici sonitus subito exorti, quam periculosa persecutionum procella per orbem vniuersum mox insequuta: quantæ denique quamque arduæ pugnae, quantæ cædes: quarum omnium rerum spectrū figuræque fuit prælium hoc visum in cælo, in quo Michael pugnabat & draco pij cū impiis: filij Dei cum filiis Belial. Obserua. Nūquam ante partum mulieris Michael cum dracone pugnasse legitur, nunquam vicisse: quod videlicet nondum draconis caput, vt vinci posset, ille huius mulieris contriuerat masculus filius: quo contrito confestim Michael correptis armis in acie stetit pro filiis Dei: strinxit virtutis suæ coruscum ensē, & confixit, potiusque victoria est. Non diffiteor quin in scripturis sacris facta insignia angelicæ fortitudinis pro hominibus legantur: vt quum percussit vnus de castris Assyriorum cænum octoginta quinque millia: tamen hoc & cætera huic similia, non erat pugnare angelos bonos aduersus caco-dæmonas pro hominibus ad deum conuertendis: sed erat angelos bonos ad impiorum hominum perditionem malorum vti seruitio angelorum. Sic enim fit vt bonus Deus vtatur seruitio malorum angelorum in explendam vltionem in impios: sicut scriptum est, Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem per angelos malos. Psalm. 77. Hic non ita est. Neque enim mali angeli immittuntur, vt homines impij occidantur: sed contra malos angelos à bonis prælium geritur, vt homines ab impietatis errore liberentur. Ipsi namque cooperabantur apostolis, & omnibus veritatis constantissimis annūciatoribus, siue in infirmorum curatione, siue in mortuorum resuscitatione, siue etiam in passionum toleratione. Sic & Domino assistit angelus confortans eum, vt Lucas habet. Hi religa-

Deus vtitur seruitio malorum angelorum in vltionē explendam.

bant draconis angelos, & extrahebant de templis arisque ac simulachris. Quod ita factum ambigit nemo, nisi forte qui historias martyrum non legit. Sic agonizanti martyri miles gentilis dicit, Vide ante te iuuenē pulcherrimum stantem, & linteo extergentem membra tua, adiuro te per Christum, qui ad te misit angelum suum, ne derelinquas me. Nunquid illi tantummodo visibili spem apparuerunt sanctis: apparuerunt & inuisibiliter, id est, assisterunt illis. Semper enim adsunt compatiētes patientibus, adhaerentes laborantibus, vulnera dinumerantes, ictus doloresque in martyribus confouentes, sanguinem fufum metientes, responsa fidei inscribentes: & inter hæc preces ac genitus, suspiria alto de pectore inter cruciatus eruta morientium, aureo thuribulo velut incensa multa suavissime redolentia coram domino reportantes, & coram oculis magnæ maiestatis adolentes: in quibus omnibus gratum domino Deo ac martyribus ipsi exhibent obsequium. Ad tempus ergo primum est id referendum, quamuis nulli non tempori quadret: quādo miras insaniæ excitabat draco aduersus sanctos Dei: cum quo subinde vicueria decertabatur à sanctis. At quo sine textus huius scripturæ explicat dicens. Er proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, &c. Quo proiectus: In terram, quo & cæteri omnes proiecti sunt, quicunque illi adhaerunt. Quid est proiici in terram, nisi de mentibus electorum, in corda reproborum pellic: non quo in eis iam antea non essent: sed exclusus ab illis, dominari in his amplius cœpit: quasi virtutem omnem colligens. Hic per terram terrena sapientes intelliguntur, in quibus illa sententia præualente diabolus cognoscitur habitare, Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, Genesis tertio. Ab spiritualibus enim exclusus vitis: hoc est, vere fidelibus: pro eorum commertis terrenos inuadit: hoc est ergo è cælo propelli quod in terram mitti. Neque illud silentio prætereundum, quoniam quum de dracone loqueretur, quatuor eum nominibus appellat, Serpentē, diabolum, Satanā, & seductore, quæ omnia proprie sibi cōpetunt. Est enim serpens ille antiquus: nepe qui in mundi principio in hoc aiali delitescens primos seduxit parentes per astutiā: Nanque est

Angeli pij agonizantibus adsunt.

Draconem in terram proiici.

Draconis quatuor nomina.

quædam astutia in serpentibus. Est & diabolus, quod Latinis sonat criminatorem: qui primus crimen adiuvent & calumnias aduersus infontes querit: accusat quoque de crimine in quod pertrahit suggestione. Satanæ vocabulum ex proprio habet, eò quod semper aduersetur Deo & sanctis eius: aduersarius enim Satanas interpretatur. Seductor etiam dicitur ab officio opereque continuæ seductionis, in qua laborat perpetuo: nec quiescit donec præualeat ac perdat, tamen nullo suo emolumento, dummodo contraria Deo faciat, à quo inique se cælo deiectum, cælique gloria frustratum exoptulat. Quid ex hac narratione accipies? nisi hoc quo cautior videlicet fias: quòve vigilantior contra has eius artes resistas: quoque te præmunias ne tibi impudentissime imponat, ne in crimen inducat, ne aduersarium Deo constituat: ne deuio errore secum pertrahat in perditionem. In quæ summa cura, summaque diligentia ab omnibus fuerit semper intendendum, nisi vltro manus quis illi dederit vt vafriçis eius succumbat, illique seruiat. Non te quæso seducant benedictiones quorundam, nec perdulces eorundem sermones te imprudentius emolliant, velut summam veri christianismi iam pridem sis assequutus, quandoquidem fidei sacramentis sis initiatus. Non equidem: neque enim nisi eximia te sequatur virtus coronæ merces ob nudam fidem tibi obtinget. Sed necdum securus eris, nisi caute diligentia inter etiam innumeras virtutes tuas, quas parasti tibi, te præmunias, Audi Cyprianum monitorem. Aduersarius, inquit, vetus est, & hostis antiquus, cū quo prælium gerimus: sex mille annorum plene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat: omnia iam tentandi genera, & artes, atque insidias deiiciendi vsu ipso vetustatis didicit. Si imparatum inuenerit Christi militem, si rudem, si non sollicitum, ac toto corde vigilantem: circumuenit nescium, fallit incaurum, decipit imperitum. Si verò quis dominica præcepta custodiens, & fortiter Christo adharens contra eum steterit, vincatur necesse est: quia Christus, quem consistetur, inuictus est. Porro præcepta ipsa diuina velut arma, pugnantibus corripienda sunt, & sumenda: illa sint militaris tubæ hortamenta, illa classica. Inde aures erigantur, inde instruantur men-

Custodia diligentissima quemque obseruabit.

tes, inde & animi & corporis vires ad omnem passionis tolerantiam roborentur. Hæc ille. Nulla ergo sunt horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra & ignaua dispensia: per Dei intelligentiam recreati spiritualmente sumus, renatique: imitemur ergo quod futuri sumus: habituri in regno sine interuentu noctis diem. Sic nocte quasi in lumine vigilemus, orantes semper, & gratias agentes. sicut dicit Apostolus, Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis. Et pauloante, Omnes enim vos filij lucis estis, & filij dici: non estis noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & ceteri: sed vigilemus, & sobrii sumus: quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, per dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus siue dormiamus, cum illo simul viuamus. r. Thes. 5. Item Philip. 6. per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia. Et Ephes. 5. Impleamini spiritu sancto, loquentes vobismetipsis, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus: canentes psallentes & in cordibus vestris domino. Me verò non frustra hæc quispiam attulisse iudicet. Arma enim nostra, quibus aduersarium tot nominibus ob sæuitiam nocendique artem nominatum superare valemus, orationes in fide sunt. Vigilate, inquit dominus, & orate ne intretis in tentatione. Oratione quippe conuenitur Deus: oratione placatur: oratione gratia imperatur: oratione regnum possiderur. Breuiter quidquid sumus per gratiam, quidquid erimus per gloriam, oratione id omne assequemur. Ora, vt noueris orationū præsidis te contra molimina, & omnes artes aduersarij defendere, promouere apud dominum nostrum Iesum Christum: cuius dominatus est in æternum. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Diem semper vigiliis exprimamus lucem.

DE CONGRATVLATIONE COELESTIVM SVPER DRACONIS DELECTIONE. Sect. 4. Punct 1.



E audiui vocem magnam in celo dicentem, nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostris: & potestas Christi eius: Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

Evidenter ostenditur, in quo nos celo intelligere ista conueniat, quia in ecclesia. In ecclesia nanque factam nouimus victoriam Christi, salutem paratam omnibus. In qua & potestatem ligandi, absoluendique esse intelligimus, quum in vno Petro generaliter omnes significari audimus sacerdotes: dicente Christo, Quaecunque ligaueris super terram, erunt ligata & in caelis, &c. Quae nunc potestate utitur Ecclesia, in quam membratim à capite Christo omnis virtus dimanat: ut merito vox magna eruisse audita sit in celo hoc, non solum ob liberationem ab hoste infesto: sed etiam ob multiplicia dona collata ecclesiae: iuxta quod hortatur propheta, Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius. Psalm. 65. Quasi dicere, Quia multiplici dono exornauit ecclesiam suam Deus, primum liberando eam ab hoste, deinde virtutem infinitam tribuendo eidem, ideo gentes, hoc est, fideles ex gentibus benedicite Deum nostrum. Notanter dicit nostrum, quasi diceret, tam beneficium qui totus noster est, & auditam facite vocem laudis eius, id est, praedicare vbique, & non fileatis laudem ei debitam: quod congruit apte praesenti scripturae dicenti, Audiui vocem magnam, &c. Magna vox, magnum electorum desiderium, magnam mentis eorum exultationem designat, dicentium, Nunc facta est salus. Nunc, id est, in tempore gratiae, in aduentu filij Dei, & redemptione eius celebrata est salus animarum nostrarum: salus in re gratiae, salus in spe gloriae. Et virtus, id est, spiritualis fortitudo per gratiam Christi, qua resistimus aduersariis potestatibus: vel virtus sacramentorum ecclesiasticorum, ad deicienda peccata, & ad confirmandos nos in omni bono. Et regnum, id est, imperium super electos iustos, & sanctos, qui vocem Dei audiunt: in quibus regnat, exercetque imperium suum Deus noster: Deus per creationem: noster per specialis gratiae collationem, qua nos specialiter sibi coniunxit. Et potestas Christi, data sibi à patre iuxta homi-

Sacerdotes in Petro omnes intelliguntur.

nem, quam ab aeterno habuit iuxta Deum: qua utitur in ecclesia sua per suos vicarios, ij sunt ecclesiasticorum aristites: principalis dominus Papa Romanus. Proinde facta est, id est, innotuit: eò quod fere in toto mundo sit extensa, & scitur ab omnibus. Vel, facta est potestas Christi, in mundi conuersione: in qua re vsque ad summum miraculum potestas haec eius euecta est: quod per paucos, & eos, quorum bona pars piscatores erant, id celebratum sit. Postremo causam tantae legitimitatis explicat dicens, Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum. Liqueat quorum vox ista sit, quia sanctorum in celo, hoc est, in ecclesia militante existentium: qui fratres suos vocant eiusdem fidei consortes. Accusator draco est, cum suis: qui tum accusare dicitur, quum in peccatum deicit, vnde merito accusare possit. Haymo, Accusatio diaboli nihil aliud est, nisi ad malum praecipitatio. Tunc enim accusat, quando dignos accusatione reddit non loquendo exterius, sed odiendo interius. Sed ab hac accusatione ille liber apparet, qui in se accusare studet, quod ab aduersario suo accusari posse cognoscit. Vides quam caute cauillandi rationes vitat, viasque obstruit in frene currentibus. Posset enim hinc sibi quispian rationes assumere pro securitate malitiae, quia si accusator est proiectus, nemo igitur timendus: sed utique accusat adhuc draco ubi accusandi causam reperit, Quare ergo proiectus? Quia propulsus de electis, quos possidebat dum gentiles ante fidem susceptam essent: ut non iam eam potestatem super eos exerceat, quam exercebat, dum infideles essent: vnde neminem non iuste accusabat. Ideo sequitur, Qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte, id est, continue. Quum enim plenus sit inuidia, paratus est semper mala commemorare, & Dei iustitiam ad vindictam inducere, quantum in se est. Porro alij vocem hanc auditam tribuunt angelis congaudentibus nobis, eò quod liberati sumus ab aduersario, praemisso loquutionis genere, fratres suos nos commemorantes: futuros videlicet conciuues eorum. Neque verò mirum si homines fratres vocent, dum ipsum Christum regem suum hoc idem fecisse iam antea norunt. Surgens enim à mortuis ait Mariae à magdalo, Vade, dic fratribus meis: vnde angeli non dedignantur homines habere

Papa Romanus principalis vicarius Christi.

Fratres eiusdem fidei consortes.

Accusatio diaboli.



Fratres angelis sumus.

fratres, qui dominum habeant hominum fratrem. Ad illam quippe ciuitatem celestem Hierusalem fideles nunc tendunt, quā angeli foeliciter incolunt. Primasius. Quod autem de cælis exclusum in terram missum gaudento dicere perhibentur: illorum redemptioni congratulantur, quos sibi dominus ad inhabitandum præparare dignatus est templum. Anima enim iusti sedes sapientiæ est. De terrenis autem, in quos dicitur descēdisse, diuinæ iustitiæ penetrabilia angeli cognoscendo collaudant: eique misericordiam, & iudicium superbe decantant: quum & in redemptis bonitas, & in perditis equitas diuina monstratur. Nam & illi per agni sanguinem diabolum superare potuisse dicuntur. Quia proiectus est, inquit, accusator fratrum nostrorum. Quo proiectus? In terram proiectus, vt terrenos possideat, qui per agni sanguinem vincere nolunt, quū æque bene possent adepta veritate, quæ in mortem solis nulli non collucet, nemini nõ largitur. Qui accusabat illos. Ante solutum quippe debitum tenebar chirographum decreti aduersum nos diabolus, quod nobis cõtrarium erat, in quo peccatum Adami perscriptum legebatur: cuius lectione subinde nos accusabat, confidens nimium, quod illo chirographo possessurus esset æternum genus humanum: verum vbi morte Christi solutū est redemptionis nostræ præcium, ablutum est simul vnda sanguinis peccatum, ne vltra possit ex eo accusare. Quod pulchre Apostolus exponēs dicit, Conuincit nos Deus cum Christo, donans nobis omnia delicta: delens, quod aduersum nos erat, chirographū decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio affigēs illud cruci: & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans, illos in semetipso. Quod vbi perfecisset imperator magnificus, & semper inuictus princeps, dominus Iesus, princeps belli: duces strenui Apostoli, accepto euāgelicæ functionis mandato, vulnerum draconem armis crucis insequuti sunt. Post hos sancti martyres: postremo confessores, & omnis sexus ac conditionis fideles auxiliariis cæli exercitibus, qui varie percusserant illum, & eiecerunt de finibus suis, de quo sequitur.

✽ Punct. 2.

*Angeli per
agni sanguinem
diabolū
superarunt.*

*Diabolus per
chirographū
nos accusabat.*

Et ipsi vicerunt eum, propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui: & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.

Causas victoriæ nescit: quæ sunt, sanguis agni, verbum Dei, ac contemptus vitæ præsentis: quæ quum in se perfectæ haberent sancti, victoria in summo triumpho potiti sunt. Obserua verborum dispositionem. Sanguis agni præcedit, sequitur verbū testimonij: postremo contemptus sui. Nisi enim sanguis Christi sanctificans omnia præcessisset, verbum potens non esset: nec sanguis aut verbum tanti momenti apud homines fuissent, nisi ministri salutis animas suas paruisfecissent, verbum quoque & sanguinem Christi prætulissent, vt non capitis interim discrimina metuerent: vade prodiit, vt pro lucro reputaret proprias ignominias, verbera, cruces, faeces lictorios: dum per ea sanguinem Christi, & verbū eius glorificari cernerent, ac succedere. Fudit sanguinem Christus, & per verbum sanctificauit omnia: non sanctificasset autem sine ministris, qui verbum disseminarunt ad omnes. Vides quàm cooperentur Deo in salutem hominum ministri Dei: quod sine his non aliquid efficiant, aut sanguis, aut efficax Dei verbum: immo nec Christus sine ministris prodesse poterat in salutem. Probat Apostolus scribens ad Romanos, Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: cuius ministros, horumque ministeria subindicat dicens, Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. De quibus hic loquitur scriptura dicens, Et ipsi vicerunt eum, non dubium quin draconem, propter sanguinem, id est virtute sanguinis agni qui est Christus, per quem datur electis virtus profligandi aduersarium: datur & victoria. Et propter verbum testimonij sui, quod testati sunt vsque ad mortem, contempta vita præsentis: vt adimplerent illud dominicū dictum, Qui odit animam suā in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ioan. 12. Nam sic odisse dilexisse est. Quippe quum diligere sit alicui bonum velle, ille vere se diligit, qui summum, & incommutabile bonum, Deum scilicet amat, & quæ ad illius summi boni adaptionem pertinent incunctanter amplectitur: respuit aduersa, contemnit carnis delicias, & cuncta quæ lege di-

*Ministri verbi
cooperatores
Dei.*

*Diligere
quid sit.*

*Stultorum
vox & con-
silium.*

uina cauentur, utpote retardantia ab assequutione huiusmodi boni. Porro, anima hic pro vita temporaria capitur, quam libenter depederunt sancti pro amore Christi. Hinc habes quod qui carnali amore se diligunt, vere se odiunt: ea etenim quæ quarunt suæ aduersantur salutis, quibus animas suas lædunt, & occidunt: & sic vitam, quæ est in Christo Iesu domino nostro insanissime amittunt. Hi sunt suauiter sibi viuentes, ac parum, aut nihil salutis prospicietes, dum modo hic ad libitum eis suppetant omnia: versant autem in ore illud, Sap. 2. Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter vino precioso, & vnguentis nos impleamus: & non prætereant nos flos temporis: coronemus nos ros, antequam marcescant: nullum pratium sit, quod non pertræseat luxuria nostra: vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est fors nostra. Non sic impij, non sic. Etenim quum breues delicias vobis paratis, vitam amittitis æternam: pro voluptate breui dabitur æternum tormentum. Proinde spectandus semper est finis, & ad hunc omnis operatio dirigenda. Neque enim ea docuit nos Christus, qui amara sustinuit: & fruit modo amplissimis bonis: & omnes qui pro regno vitam hæc contemplare, bonis fruuntur cælestibus. Etenim qui carnis ac mundi luxuriam sequuti sunt in vita, gehenna cruciantur æterna. Non est igitur nobis hac vita consilium stultorum sequendum, qui terrena sapiunt amantque: sequuntur carnem: qui se replent carnis voluptatibus: quoniam horum omnium communis est interitus: & confusio æterna. Prudentium potius actio imitanda, qui viciis, & cunctis voluptatibus carnis ab sese abdicatis, student spiritualiter legem Dei adimplere, spiritualiter in hoc mundo viuere, Deum ex toto corde diligere, illi soli seruire, vt bona assequantur cælestia: vbi summus honor, summæ delicia, summæque bonorum omnium voluptas reddat. * Pñc. 3.

Propterea lætamini celi: & qui habitatis in eis.

Qui cæli ad lætandum hortantur: Orbes cælestes: Non. Qui ergo: Beati in cælis glorificati: Minime. Sed sicut diximus, ecclesiæ sanctorum, hoc est vere credentes, qui in fidei sinceritate seruiunt domino, quacunque vocatione sint: sint liberi, sint serui, sint à sacris, sint monachi, sint e-

remite, sint virgines, sint connubio iuncti. conuenit namque ex æquo omnibus lætari de parata nobis salute per Christum & iustificatione, per quam vere liberi sumus in Christo, qui nos eripuit de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filiorum Dei. Lætitia igitur hæc, non stulte cachinnationis est, sed gratiarum actionis, quod solum ex nobis præstare possumus Deo, Si quidem bonorum nostrorum Deus non eget: vt Psalmus habet quintusdecimus. Cæterum liquet qui sint habitates in cælis, quia ipsi fideles, de quibus colligitur ecclesiæ, hoc est sanctorum collegia in terris. Lætamini ergo cæli, & qui habitatis in eis, id est, gaudia cordis vestri, in gratiarum actionibus perficiatis omnes vos qui placere contenditis Deo, plura quoque his beneficia in multam gloriam promereri. & quia liberati estis à dracone, qui eiectus est per fidem de cordibus vestris, ne quid iras in vos amplius exerceat, neque vt peculium ultra possideat, qui sanctificati estis à peccato, & adoptione sancta recepti à Deo in filios. † Pñct. 4.

Veh terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

Postquam cælos & habitantes in eis, ad communem lætitiæ cohortatus est spiritus ille à cælo loquens: quasi reducto à dextris oculo, ad læuam respiciens, Veh, inquit, terræ & mari, &c. Siue vt alibi legis: veh habitatoribus terræ & maris. Hic meminisse debemus quod ante dictum est, Et proiectus est draco ille magnus, & rufus in terram: scire etiam debemus in mysterio terram illam impiorum esse, & non credentium corda, qui terrenis affecti sunt: iidem dicuntur & mare, ob inquietudinem, curarumque multiplicium amaritudinem, quibus magno fluctuum volumine interdum colliduntur, eleuantur in sublime ac resident, & velut spumantibus vndis scopulis illisi in sese refringuntur, & dilatati vanescunt pereuntque. Veh his, ob draconem & iram eius, qui ab altitudine suæ superbiæ deiectus: modo intra se stridens sibila oralambit, ac sic furoris sui venena colligit: siue sub videnti gramine concolor abditus, siue in caernis illis suis delitescens centenis contortus voluminibus, meditans quo maiori pernicie diu conceptum peccatore virus euomat. Stridet ergo ac furit, & tanquam

*Lætitia eorum
omnis de a-
dempta salu-
te.*

saxo percussus debilis circunducit ora, & vt Maro ait
Qualis, saepe via depressus in agere serpens
Aerea quem obliquum rota transit: at grauis ictu
Seminecem liquit saxo, lacerumque viator:
Ne quicquam longos fugiens dat corpore tortus
Parte ferox, ardensque oculis, & sibilla cilla.
Ardens attollens pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.

Talis ligno crucis tractus daemones sœuit ira, virisq; suum
 in quoscunque effundere gestit: & vbi in credentes nequeat,
 eo quod sanctis nocere non possit: conuertitur in eos, quos
 velut domesticos tenet, videns nouissimam sibi superesse
 horam, breuèque nocendi tempus suppetere. Hi ergo terra
 nomine marisque designantur quos possidet, quod toti terreni
 hi sunt, & marinis fluctibus perfimiles. Iudæi primum
 deinde alij quos mordicus modo tenet, vt non ad horam
 extra voluntatem suam de manu sua liberos emittat:
 connumerantur his & qui suscepta fide defluunt in vitia
 gratia Dei abutentes: hi sunt omnes peccatores obstinati,
 qui longos trahunt peccatorum suorum innexos sibi
 funiculos, quos saepe etiam per certam maliciam iam
 errare facit, quum olim peccarent aut per fragilitatem
 carnis, aut per ignorantiam: vt neque hic neque in futuro
 peccatum eis remittatur, quod ex diametro contra spiritum
 sanctum dimicent. Porro causam tam atrocis iræ daemones
 scriptura hæc dicit, scientiam modici temporis presentis
 quod æterno collatum satis modicum vtiq; est: hora enim
 est. 1. Ioan. 2. Vis tibi te commonstram quàm vere
 modicum tempus sit quicquid est vsque ad finem mundi.
 Sex dies ærumnarum ab initio creati sunt, septimus
 requies est: quorum singulis quibusque. B. Cyprianus
 martyr mille annos tribuit. Quartus annorum mundi
 millenarius iuxta Eusebium calculum secundum Hebraicam
 veritatem supputatum completur anno Tyberij Cæsaris
 sexto & decimo: in quo & dominus noster Iesus baptizatus
 est, cœpitque prædicare euangelium regni, in signis &
 virtutibus. Quem annorum numerum Beda quoque in libro
 de ratione temporum erudite notauit, attestans dominum
 nostrum Iesum annunciasse mundo regnum cælorum
 peractis à principio mundi quatuor milibus

Annorum mundi numerus ab exordio.

libus annorum: qui sane numerus à principio mundi vsque
 in sextum decimum annum Tyberij colligitur: vt iam
 vltra dimidium sexti millenarii sumus. Septimum autem
 quietis est: quâdo mysterium sabbati in toto mundo fiet
 conuersis ad fidem vniuersis. Nam & Deus die septimo
 requieuisse dicitur ab omni opere, quod parrarat. Gen. 1.
 & ecclesia in septimo millenario conquietat necesse est.
 Octauum autem resurrectionis erit, quod nunquam finietur.
 Id quod & Tituli quorundam Psalmorum indicant, sic
 inscripti, Victori in psalmis super octauam. Psal. 6.
 Et, Ad victoriam super octauam canticum Dauid. Psal. 11.
 In his ergo postremis modicisque temporibus, non dormit
 aduersarius, nec cessat ab impugnatione bonorum: sed
 vigilat, laborat, si quos ex electis rapiat. Quia enim
 esca eius preciosa describitur, insidiatur electis continuo
 quos odit: quos ne assequantur brauium retardare conatur:
 tanto vehementius, quâto finem mundi appetere videt
 ocyus. Non quia sciat quanto erit finis mundi: sed è
 scripturis, quarum literam non ignorat, coniectat non
 multum differendum, seque igni tum denique grauissimo
 Dei iudicio tradendum. Considerat quippe prope esse,
 vt licentiam nequissimæ libertatis amittat: & quâto
 breuitate temporis angustatur, tãto multiplicitate malignitatis
 effrenatur: quos Petrus traditos esse iam igni testatur
 dicens in 2. cano. cap. 2. Deus angelis peccatibus non
 pepercit, sed rudentibus inferni fortissimis ac sententia
 decreti, detractos in tartarum tradidit cruciandos in
 iudicium referuari. Sed tamen aliis scripture locis certo
 dicimus, in aere caliginoso magnam partem remansisse
 vsque ad vltimum diem, quando baratrum vna absorbet
 omnes: non quod interim alij quoque suo carerent igni
 vbiq; locorum sint. Proinde non negamus quosdam
 etiam in infernum detruos ad cruciandum, vt ij crucientur
 simul & crucient: illi qui superne sunt crucientur &
 tentent: ad exercendum ergo pios alij in caliginoso relictis
 aere creduntur, de quibus Paulus dicit, Non esse nobis
 colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus
 principes & potestates, aduersus mundi rectores
 tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in caelestibus.
 Ephes. 6. Lege plura apud Magistrum in 2. sentent.

Demonium quidam in caliginoso aere, quidam in inferno.

dist. 6. Notandum vero valde est quod dicitur, descendere diabolum in ira magna in finem: scilicet quia modicum tempus sibi superfit. Hoc est vniuersaliter de toto tempore à Christo passio vsque in finem mundi intelligatur: poterit tamen quisque ex hinc circa se cautior fieri, vt sibi vergenti in interitum prospiciat. Fit enim vt tanto acriorem caco demonis quis sustineat tentationem, quanto plus fini appropinquat. Ipsi calcaneum meum obseruabunt. Psal. 55. Quid in calcaneo nisi postrema vite portio designatur? Est enim calcaneum postrema pars corporis, vt quisque meminerit tanto vigilatior esse debere, quanto se intelligit fini vite appropinquare. Vigilate, ait Christus, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. Et infra. Estote parati, quia nescitis qua hora filii hominis venturus est. Matt. 24. Et Luc. 12. Beati sunt serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes. Quare? beati? aut vnde beati? In hoc statim sequitur. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Quod taliter est intelligendum ac si diceretur, illis quiescentibus ipse omnem eorum feclicitatem ministrabit. Nō igitur est vnquam cessandum in hac vita, sed ita viuendum quasi hodie sit venturus qui est merces nostra multa nimis.

**DE DRACONE MULIEREM
PERSEQUENTE. Sect. 5. Punct. 1.**



Postquam vidit draco quod proiectus esset in terram persecutus est mulierem, quae peperit masculum.

Draco ille feruissimus filiorum superbiae rex, videns se ab iniunctis Dei exercitiis in terrenos homines proiectum, vt in eorum

cordibus potestatem exerceret, qui terram diligunt sapienterque terram: mox institit persequi ecclesiam figuratam per mulierem. Hæc autem persecutio cœpta est sub finem seculi temporis, quando se malignus ille à sanctis martyribus victum conspexit, magnam admodum iniuriam sibi irrogari deputans, quod primum ab angelis in caelo victus sit: nunc vero ab hominibus è luto confectis, quos naturali conditione longe sibi cerneret inferiores, vinceretur: & ideo totum corpus ecclesie aggressus est, vt

Diabolo odium inest eternum contra ecclesiam. Et veritatem.

una opera perdat oēs. Tantū namq; inest illi aduersus ecclesiam Christi amabilemque veritatem odium, tā ardēs infamia, tā atrox furor, vt quiescere eui deiectionis nesciat, quin continuo infurgat, bellaque sua reparat, nocedi semper libidine fremēs: & ita inexplebilis, vt nūquā satis se nocuisse putet, etiā si vno aggressu perturbet oia. Proinde postquam vidit quod proiectus esset in terram: vnde proiectus? primum è celo per angelos bonos, deinde de ecclesia per fortissimos fidei p̄fessores. Haymo. Sācta ecclesia designatur per cælum, similiter per mulierem. Appellatur autē mulier nō p̄pter mollicie animi, sed quia quotidie spirituales Deo filios gignere non cessat. Ipsa etenim est sp̄sā amabilis anulo fidei sabarrhata, de qua Paulus dicit. Respondi enim vos vni viro, virginē castā exhibere Christo. 1. Cor. 11. Et alibi. Desposuit sibi Christus ecclesiam, non habentē rugam aut maculam. Et in sequentibus huius libri verbis dicitur, Veni ostendā tibi sponsam agni. Ipsa est enim vxor agni in perfectione operis sancti, & morū honestate: quæ fidei prædicatione, & doctrina morū honestorū multos filios Dei generat. Crededo ergo sp̄sā, operibus sanctis inhæredo vxor, prædicatione fidei mater efficitur Christi. Toties enim parit Christum, quoties officio prædicationis, membra eius mystica quæ nos sumus, ad fidem & bonas actiones informat, ideo peperit masculum. Vbi nota, Superius in clamore parturiēs mulier descripta est, hic autem peperisse narrat. Quia videlicet Ecclesia sancta post martyrum tempora à partus doloribus liberata videbatur, eo quod vbique fides recepta esset, externaque pace quiesceret, quæ doloribus partus cruciabatur vsque ad magni Constantini tempora: quando ipsa, ceu mulier quæ peperit, fuit liberrata ab eiusmodi doloribus, dracone deuictio ac profigato: adeo vt nemo cogitaret posse iam vltra vexari ecclesiam. Atqui spiritus sanctus occidit incautos pessime se habituros, & draconem grauiora quam prius concitaturum prælia: Et profecto maiori dispendio fuere prælia in Dei ecclesia, quantum ad iudicium

Ecclesia mulier.

Ecclesia sponsa Christi vxor et mater.

Prælia grauiora à tempore Constantini quam prius. uiora à tempore Constantini quam prius. Et tunc vero clandestinis insidiis, callidissimisque artibus cœpit præliari, tanto grauiori pernicie, quanto ecclesia.

minus à plenisque formidaretur. Pax erat externa, sed interne diuersissimis studiis digladiabatur: hoc est, quod præmissus diabolus execrabiles inimicitias contra ecclesiam semper gerere. Quanto enim plus vincitur & excluditur, tanto acius irascitur, & suas exerit vires, artes explicat, arma expedit. Adde quòd à fortissimis, pugnaculis, ad simplicem murum irruerit: ab inuisissimis martyribus venit ad communem plebem. Reuocemus in memoriam de ecclesiasticis gestis, quomodo postquam draco ille proiectus in terram, desertis destructisque idolis usurpatam diuinitatis amisit gloriam, nusquam non fide christiana proficiente: iamque imperij Romani celsio fastigio mulieris istius filium adorante, qui raptus est ad Deum, & ad thronum eius, Constantino imperatore in fronte sua signum crucis gerente, Arrius presbyter magnus hæresiar-ches in blasphemiam nimis procaciter erupit, qua vniuersam pene ecclesiam permisceret, confunderet: & nube teterima inuolueret. Obserua, Non iam filium masculum deuorare nititur draco: sed mulierem, masculum gignentem: siquidem à nemine exigebat negari nomen Christi: immo hoc titulo, aliam pestem suffundebat. Persequente ergo ecclesiam dracone, relinquatur ne ecclesia: Mtime. Proinde sequitur.

✽ Punct. 2.

Et date sunt mulieri due ale aquile magna, vt volaret in desertum, in locum suum: vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.

Ecclesia in modum volucrum in primis vero aquila: duobus testamentis perinde ac duabus alis vitur: quorum remigio omnes omnium insidias inimicorum gestit euadere, gemine charitatis præcepto subnixâ. Aquila sublimiter volat, ardentemque solis radios fixe aspicit, nidum sublimi componit in petra, ne callidus raptor proxime quandoque accedat. & ipsa Dei ecclesia super Christum, solidam celsissimamque petram composita. fidei lumine solem diuinitatis irreflexe intuetur à terra nimium nimiumque subblata, vt nihil terreni spiret, sapiat nihil, spem totam vitam in solo Deo figens: cui solitudo est mundana peregrinatio. Quandiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino, in quem cor nostrum dirigimus: qui non gressu, sed affectu de mundo discedimus donec in carne sumus,

Solitudo mundana peregrinatio.

terreque aretis habitaculis continemur: dicentes cum propheta, Ecce elongaui (id est longe me feci) fugies, & mansi in solitudine. Sequitur, Expectabam eum, qui salutem me fecit (al. i.) faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate. Psal. 54. Porro desertus locus iuxta Haymonis expositionem, corda quoque sanctorum sunt valde remota à terrenis hisce cupiditatibus: prius namque à semetipsis inordinatos desideriorum motus euicunt, ac delicias quibusque fugatis semetipsos desertum quietudinis efficiunt. Hoc est enim desertum, quod iuga deliciarum, & quarumcumque corporis voluptatum. Quo sensu vir iustus in propheta loquitur dicēs. In terra deserta, & inaquosa: sic in sanctitate apparui tibi, vt viderē virtutem tuam, & gloriam tuam. Psal. 62. Terra deserta, & inaquosa est, vbi nec vite necessaria suppetunt: exprimens vitam sanctorum ita arctam fore pro hoc mundo, vt nec vite necessaria sibi suppetat: qui omnes carnis delicias ab se amouent: vt fiant sicut desertum, vbi nihil reperitur quod saltem necessitati subueniret. Et qui eiusmodi est, & ita vitam instituit, cupit videre continuo virtutem Dei, ac etiam gloriam eius. Id quod solum illi refugium est, & protectio in omnibus persecutionibus mundi. Est & consolatio magna viro iusto: quia dum mala huius mundi non diligit, sed solummodo æternam patriam appetit, magna mentis tranquillitate perfruitur: in qua solitudine locum tenet, qui in deserto mentis à querentibus inuenitur: cui per Psalmistam dicitur, Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias. Desertum ergo abrenunciatio mundanæ voluptatis est, qua feriatum vult Christus fore suum militem. Hinc habes, quod locus proprius ecclesie solitudo est, vt scilicet à sæculi noticia procul sit, & solitudine curarum sæcularium, domino dicente, Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Math. 6. Et Petrus ait, Omnem sollicitudinem vestram proicietes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. 1. Pet. 5. Quod si volatam huius mulieris in desertum intellexeris: transitum ecclesie à Iudæis ad gentes (vt quidam volunt) minime aberrabis: sed tamen vtique ecclesia in gentibus quoque simili tenore permanet, vt procul sit ab his terrarum inquinacionibus. Porro dua-

Solitudo corda sanctorum.

Desertum quid sit.

bus alis mulier vtēs draconis persequutionē euadit : quia sancta Dei ecclesia duorum testamētorum suffulta præfidiis, siue duobus charitatis præceptis subnixa : siue etiā contemplatione simul & oratione in sublimia cælorum euecta : & occultas inimici insidias irridere, & apertas nouit contemnere. Bene autem aquilæ similitudo hic inducitur. Aquila namque (vt Primasius est auctor) altius cæteris auibus volat : viso tamen cibo, indigentia naturali subacta, mox ad ima descendit: sic ecclesia in spiritalibus membris, quum ea quæ sursum sunt mente comprehendat, infirmitate tamē corporis grauata, necessitatibus subiaceret indigētia corporalis, pro quibus ingemiscit, & paritur vsque adhuc. Rom. 8. Item. 2. Cor. 5. Et in hoc ingemiscimus habitationem nostram. Rursum, Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati. Quare hæc commemorauimus? vt scilicet nemo ex hoc desperet, quasi non de Christi membris foret, quia nō semper in cœlesti contemplatione perduret. Abiice prius sarcinam tui corporis, & implebis illud, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mēte tua: quatenus prorsus in Dei dilectione absorbe⁹ viuas. Matt. 22. Deniq; per tempus, & tempora, & dimidium temporis, hoc est, trium annorum & sex mensū, omne tempus significatur, quo idolorum abiecto cultu ecclesia serpentis errores cauet, vt pascatur diuinitus in solitudine quietæ. Per omne enim tempus vitæ præsentis, domini prædicatione, vsque ad finem sæculi illo vero pane pascitur qui è cælis descendit, qui panis est & via fugientibus persequutionē draconis, & modus: est etiam locus solitudinis, & cibus. De hoc tempore satis dictum est. Quo tempore & prædicatione Christi concluditur, tribus enim annis & dimidio viam salutis annunciauir, vt creditur, in terris. Tribus autem annis & dimidio pastus ecclesie in deserto suppeditatur, per quod omne tempus præsentis vitæ intelligitur. Huius mulieris figurā expressit olim populus Israëliticus: quem fugientem à facie Pharaonis duæ columna velut duæ alæ adiuuabāt, videlicet nubes & ignis: columna nubis præcedebat per diem, protegēs populum ab aestu & feruore solis: columna ignis lucē præbens per noctem. In nube amoris blandimentum, in igne terror

Quare ecclesia aquila.

Præcepta dilectionis Dei in patria implere.

Ecclesia figura populus Israëliticus.

timoris exprimitur: per quæ duo testamēta figurantur: *Testamētum nouum in nobis figuratū.* per nubem in die nouū, in quo lenitas, & Dei multa misericordia continetur, non vindicta peccātorum. Vnde est illud, Nemo te condemnauit mulier? Quæ dixit, Nemo domine: dixit autem Iesus, Nec ego te condemnabo, vade & amplius noli peccare. Ioan. 8. Per ignem in nocte verus testamētum intelligitur, quod supplicium peccātorib⁹ minatur. Dicebat enim, Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Fugiebat olim populus ille Pharaonem, hæc fugit draconem, euasit ille periculum maris, hæc vadam ab ore profusam euasit draconis: peruenit ille in desertum, hæc quierudinem vitæ inuenit: pastus est manna populus in carnali deserto, hæc pascitur verbo vitæ & intellectus in spiritali deserto: reperit in deserto populus deum protectorem, hæc reperit multo scēlicius glorificatorem. Aeneo serpente suspenso in palo mortem ille inguitorum serpentium vitauit: hæc Christo in cruce exaltato mortēque peccati deleta, vitam immortalē accepit. Vide ergo quā pulchra conuenientia, deserti nomine spiritalis vitæ regio designetur, quā homo per peccatū amisit: sed Christus eandem per gratiam eidem restituit, vbi alitur per tempus & tēpora, id est, vsque in finem sæculi pane verbi cœlestis Eucharistia: que sacramentis: nec non internis spiritus cōsolationibus. Quod verò additur, A facie serpentis, hoc refertur ad superiora, videlicet, vt volaret in desertum: vitaret persequutiones, aculeos satanæ fugeret, virus peccati exhorrens, quod in modum diluuij ab ore eius profunditur. Sequitur enim.

*O Punctus 3.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret rapi à flumine.

Impetus grauissimæ persequutionis fiendæ ab hæreticis hic aqua designat, de quo in Psal. 123. legis, Quam exurgerent homines in nos forte viuos deglutissent nos: Quia irasceretur furor eorum in nos, forsitam aqua absorbuisset nos. Quid denique? Torem inquit pertransiuit anima nostra. Quia vero liberatus fuisset iust⁹ ab hoc vehementi persequutionis impetu, benedixit Deum dicens, Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captiōnem

Aqua impetus persequutionis.

O iiii

dentibus eorum. Rursumque. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Obserua. Prius draco erat, nunc serpens, quasi specie mutata: vertitur enim in mille formas hic lubricus hostis, quo magis noceat. Draco est ob sequitiam, nocendisque maliciam, Serpens ob uasriciam: nam & primis parentibus in serpente imposuit, quando Dei mandatum transgredi persuasit: cui hic os hiulcum appingitur aqua plenum, quam in flumen rapidissimū possit profundere. Quid os: nisi mendax persuasio eius intelligitur simile illi, quo principio coalescentis sæculi Euam primam matrem seduxerat: vt scilicet scires omne mendacium ab illo primum eruptum esse, ac deinde in mundum dimanasse, de quo Christus in euangelio testatus est dicens. Mendax est, & pater eius. Ioan. 8. Cuius eius? Mendacij. Ille enim ab initio non stetit in veritate, quia non est veritas in eo: quum loquitur mendacium ex proprio loquitur, Ibidem. Vnde datur intelligi omnes hæreticos consuetudinem cum dracone hoc habere, & ab eo virtus capere, & flumen terribilissimum mendacij hæreseos ipsorum ab hoc fonte profuere. Id quod præsens scripture locus aperte demonstrat. Hinc illud etiam accipe, quam fedo quamque abominabili statu vniuersitas sit hæreticorum, qui potu fluminis profusi ex ore draconis aluntur: cuius gurges hic impetuoso voluitur astu post mulierem, quo maiori pernicie abstrahatur ecclesia, inque putentem doctrinæ corruptionem abeat, quod est rapi eam à flumine. Maior atque validior contentio serpentis huius est contra spirituales viros, quibus abreptis minus sibi negociū putat cum cæteris futurum: eo quod per hos alios quoque dicto citius sperat posse euerri. Est ergo principale negocium illi cum fortibus, & claris viris, qui instar solis, lunæque & stellarum lucent: minus cum parte debiliore. Sed tamen vno volumine omnes nititur abripere, id est, vult vt non sit ecclesia Dei & Christi. Nota. Habet suum flumen ecclesia, habet & draco. De flumine ecclesiæ, dicitur. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Psalm. 45. Hoc flumen spiritus est, & gratiæ eius, cuius potus est vita, Ioan. 4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vi-

*Os serpentis
quid sit.*

*Hæretici
draconis fo-
tij mendacij.*

tam æternam. Et iterum. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, subdit Euangelista, Hoc autem dixit de spiritu, quem accepit erant credentes in eum Ioan. 7. Ecce quia spiritus est flumen lætificans ciuitatem Dei, spiritus autem est qui viuificat, Ioan. 6. Ergo vita est, quia vitalis spiritus. Illud verò quod serpens ex ore suo mittit, peccati hæreseos & mortis est, in quo non est potus vitæ. Hæresis enim non habetur nisi peccatum & mortem: quæ habeat licet similitudinem aliqualem fluminis: sed non est in veritate flumen illud, quod haustu possit lætificare ciuitatem Dei. Est flumen hoc lætificans & sacra scriptura, qua pascitur ecclesia, in qua est fons aquæ salientis in vitam æternam: quem serpens non habet, & ideo non potest nisi aquas mortuas ac pestilentes ex ore suo mittere, quæ occidunt non viuificant, tantum abest vt possint lætificare ciuitatem Dei. Nam & mulier ab his territa aquis fugit in solitudinem, vt se istic seruet ab illis ne bibat, per quod datur intelligi, neminem posse se seruare ab his aquis serpētis, nisi qui mere spiritualis sit, doctus in lege Dei, & perfectus in vita spirituali. Mulier enim fugit in desertum vt seruet se à serpentinis hisce aquis: & quicumque volet seruari ab eis, maneat opus est, cum hac muliere in deserto: quoniam hi soli seruantur, non qui in mundo sunt, mundi deliciis immersi, quibus non constat spiritus vitæ: qui facile potant eam aquam, quam sibi vident gratam, qui nihil à spiritu Dei aguntur, caro enim sunt, & carnalem aquam requirunt. Vbi aduerte quia & christus habet suam aquam, de qua satis diximus: & draco habet suam. Illam bibunt spirituales, hanc carnales. Dat ergo & Christus suam aquam: dat & draco suam: quia videlicet de eadē scriptura disputat hæreticus, de qua & catholicus: probat de scriptura hæreticus, probat & catholicus: videri vult hæreticus doctrinam suam sanam, sicut & catholicus. Sponder aquam vitæ quam non habet, vt magis fallaci persuasione decipiat, trahat & perdat. Disputet ergo hæreticus de scripturis sacris: proferat de eisdem sua testimonia, vel quælia profert orthodoxus spiritualis: sed in veritate non est doctrina eius aqua illa quam dat Christus ecclesiæ suæ, de qua dicit, Aqua, quam ego dabo, si quis biberit ex ea,

*Ecclesia suo
flumine pascitur.*

*Hæresis peccati
habet & mortem.*

fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et, *Qui* credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Proinde quum non sit aqua hæc hæretici, nec fiet in bibente fons, in vitam saliens æternam, sed mortem: nec de ventre eius fluent aquæ viuæ, sed languida, sed purida. Multum ergo inereft inter aquam Christi & draconis, inter aquam orthodoxi & hæretici: & tantum inereft, quantum inter vitam & mortem: tametsi de eadem scriptura facta producatur hæc atq; illa: spiritu tamē diuerso: quum illa christi spiritu fit, hæc Satânico, qui non dat vitam (vt diximus) sed mortem, mortem acerbissimam, mortem perpetuo luctu compensandam. ideóque scriptura hac testificante, non de ventre aquam mittit draco, sed ex ore, vbi omnis hæreticorū potentia residet: qui iuxta Psalmographum, Acuerunt linguas suas sicut serpentes, quorum sub labiis venenum aspidum insanabile manet, Psal. 139. Acuitas linguæ argutia est & promptitudo in eloquendo, vt solent serpētes rrisulcam celeriter vibrare linguam. Quocirca hæretici omnes ob impotentiam loquacitatis per ranas alibi designantur, quæ aquas incolunt, sed magis mortuis putentibusque & stagnantibus delectantur, quam fluentibus, quæ viuis aquis, quibus non est modus strepera loquacitatis in coaxando. Hæretici namque dum verba componunt, mirum quantum veneni interim sub ornato sermonis furo abscondunt: vt vbi cultu orationis caperis, capiaris & veneno eius necesse est: ac si per illectamenta quædam velut ridendo freneticorum more pereas deceptus: qui nisi his eorum versutiis captus fuisses, seruari poteris illæsus. Dicatur ergo, Et misit serpens ex ore suo, &c. Os serpentis possunt esse omnes hæretici, qui hæresum flumen mittunt de se post mulierem, vt eam abripiant. Os fuit Arrius qui contra trinitatem mirabile flumen emisit, personas creaturas esse vano cerebro confingens, & has distinctas esse essentia, & quod neuter personarum posset dici Deus, nisi participatiue. Cuius hoc eiusmodi flumen latissimè Italiam totam, & Aphricam, & Gothiam inundauit. Proditum namque est memoriæ, quum Gotthi fidem christi recipere vellent. Valens imperator misit eis sacerdotes Arrianorum, per quos gens illa tota infecta

Hæretici rane ob loquacitatem.

Gotthi ab Arriani fide recipere.

fuit. Hi sunt immanes populi in Europa, contermini Dacis, qui olim Italiam totam bello & armis vexauerunt. Os fuit & Macedonius, qui dicebatur patrem & filium quidem eiusdem naturæ esse, sed spiritum sanctum creatum & seruum filij. Pelagius itē & ceteri, qui maiori pernicio fuerunt ecclesiæ catholicæ, quam tyranni: quum hi extra ecclesiam essent, & ab extra eam oppugnarent: illi verò intra muros eius, & inter catholicos: qui fallacia sermonis decipiebant Imperatores, Reges, & Principes, per quos alij inferiores facilius seducebantur. Nam vnus presbyter Arrianus primum seduxit fororē Constantij sub specie sanctitatis, hinc ipsūmet Constantium, & per hunc innumeros alios: qui omnes mercedem receperunt erroris sui. Sequitur. ☩ Punctus 4.

Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum: & absorbit flumen, quod misit draco de ore suo.

Succensus ecclesiæ describitur in hoc quod terra adiuuise mulierem memoratur. Quomodo autem terra mulierem adiuuit, mox ostenditur: quum dicitur, Et aperuit terra os suū, & absorbit flumen, quod misit draco de ore suo: vbi principio omnium querendum est quid terra sit, deinde quomodo os suum aperuit: postremo quomodo flumen hoc absorbit. Si ratio temporis iuxta visionum ordinem aduertitur, Constantini metas non excedit, quādo in primis adiuuit terra mulierem, Terra ergo terrena potentia Ecclesiæ intelligitur, qua adiuta est ecclesia, quando Constantinus magnus occidentale imperium totamque Italiam in manus beati Siluestri papæ tradidit, ipse contentus orientali, Bizantium commigrans Thraciæ videlicet urbem, quam à se auctam de suo nomine postea Constantinopolim appellauit. Hæc fuit grandissima mutatio dexteræ excelſi, nemini non admiranda. Quis enim non miretur orbis totius potentissimum Imperatorem sede sua sponte demigrasse, tantumque imperium de manibus suis emittere: tradere autem in manus vnus sacerdotis: ideóque hæc mutatio dexteræ excelſi per maxima erat, cuius imperio parent omnia: iuxta Ecclesiæ ter- quod scriptura ait, Dominus pauperem facit & ditat: humilia & sublimat. 1. Reg. 2. Quod tantū profecit ecclesiæ, communita.

Siluestri papæ tempore terra adiuuit mulierem.

vt per totū orbem dilatata cresceret, roborareturque imperio. Neque cum hoc illud quod dixi superius pugnar- quia maiori dispendio draco post Constantinum belligerasset contra ecclesiam in assequuta pace, quam antea, eo quod occultis machinationibus per hæreticos plurimos decepisset: & intestina etiam bella mouisset. Profuit tamen ecclesie terrena potestas nimium, siue hæreticos confyderes, siue principes persecutores: nisi enim ea data fuisset ecclesie, fuisset pessundata ab illis, vt nec respiraret. Inualuerat enim vtriusque belli vis intantum, quod multi desperarent de Dei adiutorio credentium. Sed quū subito ita prouisum fuit à Deo, & non nisi potentissima virtute & miraculo Dei, omnibus consolatio vna fuit: Christum Iesum dominum cæli & terræ curam habere de suis credentibus & ecclesia ipsa. Nec aliter vinci poterant obstinatissimi hæretici nisi iniecto timore à potentia terrena vsque in hodiernum diem. Sed vide Christi sapientiam. Roma primum caput orbis erat, deinde facta est caput christianitatis. ab argumentorum pastoribus primum condita, postea à principibus summis instaurata. Roma, quæ prostibulum cunctorum dæmonum erat, facta est patria cælestium ciuium: è limo primum lapidibusque fundata, sed multo melius fidei veritate munita: cuius postremi fundatores Petrus & Paulus supremi gregis Dominici pastores multo eam scelicitus restaurarunt quam Remus Romulusque condiderunt, quorum studio prima mœnium fundamenta locata sunt, è quibus is qui illi nomē dedit fraterna eam cæde fœdauit: cuius imperium lapsu temporum ille accepit, qui constitutus est à Deo summus princeps vniuersæ terræ: qui potest & terræ principes subiugare, potest etiam hæreticos profligare. Habet enim & gladium materiale, habet & spirituale: quos illi sufficere dixit, qui est princeps regum terræ, & cui data est à patre Deo omnis potestas in cælo & in terra. Matr. vlti. Sic ergo adiuuit terra mulierem, vt terrena potentia superet omnem offensionem. Censet abbas Rupertus, terram adiuuisse mulierem hanc sanctam in Nicæno concilio, in quod ex omni orbe ecclesie feruor magnanimi principis Constantini conuocauit vniuersos Episcopos, Archiepiscopos, Doctores orthodoxos, vt

Ecclesiam adiuuit terra in Nicæno concilio.

publico consilio decerneretur, quid saluti vtile foret: quæ tunc ex omni terra conuenientes viri religiosi, & illustres, qui nouerant è scripturis disputare in omni eloquutionis splendore. Inter quos eminebant magnus Eustachius, Antiochenæ ecclesie præsul, & Eusebius cognomine Pamphilus, alique comp lures: quorum virtute viui curati sunt, mortui vitæ restituti. Erant inter eos nonnulli superioribus persecutionibus ob inuictam fidem ignito ferro signati, alij dextros oculos effossi, erāt & quorum dextera abscisæ erant: vnus horum erat Paphotius Ægyptus. Illic cernebatur populus athletarum viriliter pro Christo qui antea decerrauerant, qui ingenti gloria erant ecclesie. Memorabant ij passiones, & fidei agones ac fortitudinem in alterutris, non secus ac in magna summi Imperatoris aula solent digito commonitari, qui egregia bello peregissent facinora dicentes, Hic principem exercitus stravit, ille dissipauit robur belli: hic dextrum cornu perfregit, ille penetrauit aciem exercitus, hic illius spolia defert, & alia huiusmodi. Aderant simul & Syri, Cyrces, Phœnices, Arabes, Palestini, Thebai, Lybies, Mesopotamij, Persæ, Scythæ, Pontici, Asiani, Phryges, Macedones, Achiui, & Epyrotæ, cunctorum omnino ecclesiarum, quæ totam Europam Lybiâque, & Asiam replebant: simul aderant & ministrorum Dei congregata cacumina, vnâque orationis domus, tanquam a Deo dilatata intrinsecas ferebat omnes in idem, vt nou sententia in diuersum discederent. Tunc Ariana hæresis absorpta, planèque in nihilum redacta est. Sed & secūdo terra adiuuit mulierem in Constantinopolitano concilio, in quo Eunomius, Macedoniusque condemnati sunt. Tertio in Ephesino concilio, quod Nestorij impietas est sublata. In Chalcedonenfi quoque, in quo Eurychis, Dioscorique vana commenta deleta sunt. Sic aliis atque aliis etiam in spiritus sancto coactis conciliis terra os suum aperuit, impietatis omnē simul flumen absorbeus, damnatis seditionum authoribus. Aliter terram delitescētem carnem Christi Haymo intelligit: flumen, torrētem passionis eius. Ponam verba eius. Terra in sacro eloquio humana, inquit, naturam significat: vnde primo homini dictum est, Terra es, & in terram ibis, Terra itaq; in hoc

Terra caro Christi.

loco, caro nostri redemptoris intelligitur, qui quum in forma Dei esset, formati serui accepit. De hac terra Psal-
mista ait, Benedixisti domine terram tuam: auertisti ca-
ptiuitatem Iacob. Hæc terra mulierem adiuuit, quia ipse
primum omnes fluctus humanæ persecutionis pertulit &
deicit. Aperiens autem os suum flumen absorbit: quia
tempore passionis abundantiam vitæ suæ mortis principem
deglutit: & resurgens à mortuis inundans fluctus ab-
sorbit potentia diuinitatis: quia ad hoc mortuus est, vt
& viuorum, & mortuorum dominetur. Vnde Apostolus,
Dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen: vt
in nomine iesu omne genu flectatur, & vnde ipse fluctus
persecutionum superauit, inde ecclesiam ne vinci possit
adiuuit. Ac si diceret suis fidelibus, Nolite timere mortem:
nolite timere fluctus humanarum subire persequutionū,
sed confidite, quia ego vici mundum: principem quoque
mundi debellauit: fluctus vitæ mortalis resurgendo calca-
ui: quia prior ego persequutiones bibi, bibensque supera-
ui, vobisque spem resurgendi dedi. Ideoque sicut ego me
humiliaui, & per humilitatem ad victoriam veni: ita &
vos humilitatem sequamini, vt mecum postmodum re-
gnare possitis: quoniam diabolus nihil amplius præua-
lebit in corpore, quam quod præualuit in capite. Hæc il-
le.

¶ Punct. 5.

*Et iratus est draco in mulierem, & abiit vt faceret prælium
cum reliquis de semine eius, qui custodient mādāta Dei:
& habent testimonium Iesu Christi: Et stetit super
arenam maris.*

Videns draco non posse continuari persequutionem,
neque ad effectum noxia vota perducere, quibus ecclesiam
Christi de mundo auferri posse putabat: instituit bellum
cum pia generatione custodiendum mandata Dei. Bellū
hoc de quo hic fit mentio, sub quartum sigillum & tubā
quartam creditur gestum fuisse. Vbi enim parum sceleris
conatus primus in Apostolos illi, & secundus in mar-
tyres successisset, sed nec profecisset hæresibus, reliquit eā,
quam scilicet semper, fortiolem deprehenderat, vt non
deinceps fidem infestaret: venit ad particularia ab vni-
uersalibus, & à particularibus ad singula indiuidua, &
ideo super arenam maris constituisse memoratur. Non

potest hic mare sancto sensu capi, pro ecclesia, sicut supra
cap. 8. sub secūda tuba. Quid ergo mare hic est nisi mun-
dus iste: Huius arena increduli sunt omnes recte per are-
nam designati intellectique, quod multi sunt, & steriles
vtpote gratiæ humore carentes, siue omni fructu iustitiæ
Dei. Si quidem fides fecūdat & fructificat in omne opus
bonum, quæ per charitatem operatur. Videntur quidem
increduli subinde bona operari, facere etiam fructus pio-
rum, sed reuera non faciunt. Nā fides sola habet fructus,
qui digni sunt vita æterna, quam ipsi non habent. vnde
etiam opera eorum non sunt, nisi putridi fungi: immo
mera peccata. Omne enim quod non est ex fide peccatū
est, Rom. 14. Arbor enim mala nō facit nisi malos fructus,
Matth. 5. Sed qui sunt hi increduli? Turcæ sunt increduli:
qui modo omnium crudelitates contra ecclesiam Dei in sese
recapitularunt, christiani nominis perpetui hostes: quorum
persequutio cepit in quarto tempore ecclesiæ. Anno vi-
delicet christianæ salutis septingentesimo quinquagesi-
mo octauo. Gens ista truculentissima est: & in cunctis
stupris & masculorum concubitu ignominiosissima, &
infamis: quæ ex Scythis (vt quibusdam placet) qui iuxta
Meotim paludem habitant, siue à Teucris (vt supra dictū
est cap. 6. Sect. 4. punct. 2.) trahit originem. Hæc de fini-
bus suis egressa multas christianorum prouincias occupa-
uit. Primum quidem cum finitimis bello confixit: de-
inde vltius transiens, Ponthum, Capadociam, Galatiā,
Bythiniam, Lycaoniam, Pisidiam, vtranque Phrygiam,
Pamphiliam, Ciliciam, ac omnem Asiam, quæ minor vo-
catur, aliasque multorum christianorum prouincias, ac re-
gna, in suā ditionem adiecit. Et quum Hierosolymam in
deditionem accepisset, Ægyptum quoque imperio suo
iunxit. A Saracenis inde Mahumeticam sectam accepit,
quæ tempore, Constantino Heraclij filio cepra est an-
no imperij eius duodeuigesimo, Dominici verò natalis
Sexcentesimo vigesimo secundo. Deinde sub Orthoma-
nis principibus imperia latissimè dilatauit. Habuit re-
mus imperator deinde est
primus imperatorem Orthomanum, quem exigui
primus census fuisse ferunt & obscure natum. Postre-
mo quū inter principes orta esset discordia, Anno domi-
ni millesimo trecentesimo, accitis vndique latronibus,

*Impij dignos
vite fructus
non faciunt.*

*Turcarū ori-
go quando
cepit.*

*Turcarū pri-
mus impera-
tor deinde est
alii numerā-
tur.*

aliisque prædonibus, ac raptoribus, oppida non pauca discordantium principum in suam redegit potestatem. Unde factum est ut breui magnum sibi nomen, magnamque auctoritatem acquireret, & primus totius gentis suæ imperator existeret, à quo Othomanorum familia orta. Huic successit Orchanes secundus videlicet imperator. Tertius Amurates fuit, qui primus in Europam classe traiecit, Anno Christi, 1363. Quartus Palazites qui Græciam totam ac Thessaliam cepit, Anno à nato christo, 1386. Celapinus quintus, qui imperium Trapezontinum sibi subiugauit, Anno salutis, 1394. Sextus Moyses, qui Parthos deuicit. Mahumeres septimus, qui Seruiam & Valachiam suo imperio subdidit, circa annum domini, 1410. Amurates octauus, circa annum domini, 1433. eligitur: qui subiugata Thessalonia, ac deuicto ad Varuam rege Ladislao, vsque in Septem castra Vngariæ fines penetrauit. Mahumeres magnus deinde nonus imperator, Constantinopolim tristissima tragedia cæde multa Christianorum accepit, circa annum domini, 1450. & Hidruntum in Italia Calabriae prouinciæ ciuitatem primam expugnauit. Paiazites interfecto Zeliabo Turcarum decimus imperator anno christiano, 1481. subiugata omni Mæssia per Styriam in forum vsque Iulij excursions fecit. Zelinus undecimus imperator, Anno, 1512. Ægyptum subiugauit. Solimanus duodecimus imperator, circa annos domini, 1516. Imperium sumens: Anno, 1521. Belgradum primum ostium Vngariæ supra Danubium siue Istrum grauissima obsidione expugnauit, & in deditiōem accepit: hinc Rhodum quoque. Anno verò Christi, 1526. die, 29. Augusti in xixuo exercitu ueniens, in campo Mohacino regem Ludouicum Vngariæ interfecit, & omnem exercitum Vngarorum in fugam conuertit & cecidit. In quo pralio desyderati sunt ferè omnes Vngariæ principes ecclesiastici & laici. Interfectus est Archiepiscopus Strigoniensis Ladislaus humili domo & sordida natus. Paulus quoque Thomæus Colecanis Archiepiscopus, ex Franciscanorum familia, religione & disciplina militari insignis. Franciscus Perenius Varadiensis episcopus, illustri progenie magis quam morum dotibus spectabilis. Philippus cognomento More, episcopus. Quinque eccle-

sienfis;

senfis: quo oratore vsus est rex Vngariæ non semel a Romanum Ponti. Maxim. & alij, quos longum esset commemorare, quando etiam omne robur Vngariæ concidit. ut his occisis facile esset postea deseuire in omnes: vastare Vngariam, diripere non repugnantes. Vastato ergo regno non diu moratus rediit in Turciam, magna totius Vngariæ præda, rerum, christianorumque. Nec draco quiescit donec & Germaniam subiiciat sibi: sic Vngaria miserè subacta, cuius exercitus multitudo ita innumera bilis est, ut arenæ maris æquissimè comparetur, & certissimum sit eos fore arenam maris, super quos stat draco pugnaturus aduersus filios ecclesiæ. Horum in catalogo numerantur & hi qui solo nomine christiani sunt, ceterum autem impij, Ethnicis deteriores: per quos innumeras infert pijs molestias, ut sole præclarior patet. Obserua. Draco super petram non stetit, sed super maris arenam. Liquet enim, quia serpens in petra vestigium non figit, sed nec figere potest: arenam verò signat lógo membrorum tractu, mollem quoque humum. Quippe quia diabolus locum in sanctorum cordibus non habet, qui petra sunt: habet autem in his, quorum mentes carnalis concupiscentiæ humor perfundit: hinc à domino in Job dicitur, Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humilibus, id est, carnis voluptatibus deditis: qui ut calami, foris nitidi ad apparentiam sunt, intus autem virtute carentes. ut enim sub umbra qui dormit, non sine voluptate æstiuo sole dormit. sic in consuetudine mali qui iacet, inuenit refrigerium ubi voluptatem consuetudinis explet: in quibus nimirum, solis locum ubi consistat draco reperit. Magna infelicitas voluptuose viuentium, quia crudelem semper hospitem in secreto conscientie cubiculo delitescentem habent. In locis quippe humilibus, id est, spurcicia libidinis cœnosis, malèque stagnantibus cordibus volutatur malignus. Custodiat nos dominus à dracone isto semper. Amen.

P

DE BESTIA, SEPTEM CAPITA:
CORNVA DECEM: AC DIADEMATA TO-
TIDEM HABENTE: PARDO, VRSO
LEONIQVE SIMILI.
Sect. I. Punct. I.



T'vidi de mari bestiam ascendentem: habentem capita septem, & cornua decem: & super cornua eius decem diademata: & super capita eius nomina blasphemiae.

Quæ hucûque visa vel scripta tractauimus de dracone magno & rufo, tot capitum, tam multorum cornuum, qui deuorare intendebat illius beatæ mulieris filium masculum: & illo rapto ad Deum, & ad thronum eius: tam grâde commisit prælium cum his, qui habent testimonium eius, iam pridem impleri cœpta esse ante nos luce clarius est. Adhuc vna tribulatio futura est, in qua cætere omnes, quæ præcesserunt, recapitulabuntur: omnium tribulationum sauiissima, quæ fiet sub magno Antichristo, quando reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: qui aduersabitur, & extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus: cuius aduentus erit secundum operationem satanæ, in omni virtute, & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eò quòd chaitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, testante Apostolo. 2. Thessa. 2. Immittet, inquit, illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Illa inquam vna & suprema tribulatio, modo superest, quæ quòd verè magna futura sit dominus ipse grauissime testatus est, ita vt diceret, non fuisse neque futuram esse vllam, quæ illi iure exæquari possit. De illo ergo filio perduto, deque extollentia eius prodigijsque mēdaci- bus, tribulationum insuper arietibus, præsens hæc visio demonstratur: vbi principio omnium offertur bestia immanis è mari proserpens admirabili habitudine, quæ

*Antichristus
describitur.*

ipsum perditum hominem designat, q̄ de populis mundi huius, id est, impijs nasceretur, qui illum citra contro- uersiam sunt recepturi: id est, de quorum corde illū diabolus educet in apertum, & notitiam mundi, quem ante de suo spiritu progenuit, sic autem educet vt ponat in æstimatione tanquam Deum. Ascendens autem bestia dicitur, quòd ad honoris summa fastigia prouehatur, indeque magis ac magis eleuetur: totus nanque eius ascensus sui erit extollentia, grandis que apud homines existimatio: vt rectius ascendentem quam exeuntem dixerit. Bestia appellat quo crudelitatis eius ferocitatem clarius demonstrat. Bestia enim generale nomen est, agno contrarium: quo significatur q̄ populum Christi peculiarem inexorabili odio persequutura sit bestia hæc insana & truculenta, totidem retribus quot capitibus hians. Tam scimus capita bestia: regna designare, regnorum enim typi sunt, eorum, quæ vnquam ab initio ecclesiam Dei sunt persequuti: quorum sauitiã in se omnem malignus ille colliget, velut omnium potentia, seuitiãque perfungatur. Porro regni Egyptiorū tyrannidē primum caput designat, quod Israëlitis erat infestum. Secundū, carnalis Israëlitis in Iezabele & posteris prophetas dñi persequentibus. Tertiū Babyloniorū tyrannidē, Nabuchodonosore rege populū Dei abducete, & aureã statuam, quam fecerat adorare cogete. Quartū Persarum est atq; Medorum tyrānis, volēte Aman sub Assuero perdere vniuersam gētem Iudæorum. Quintum Græcis datur Antiocho Epi- phani crudelia nimis & impia exercente, vt in libro Machabæorum legimus. Sextum Romani rerum dñi sibi vè dicant, Nerone, Domitianoque & alijs ecclesiã Dei persequentibus. Septimum tyrannidem Antichristi præfigurat & regnū: quod vt postremū omnium, ita & sauiissimū, perniciosissimūq; est futurum. Quorū omnium sic tyrannides in se recapitulaturū est monstrum hoc horrendū, q̄ omnium seuitia vtatur: vt etiã captiuitate opprimat populū Dei perinde atq; Pharao olim. Abducat autem à veritate multos, seq; cum eis adorare faciet: vt Nabuchodonosor statuam erectam, Internitionem minabitur, vt Aman. Faciet impias direptiones vt vterque Antiochus. Occidet vt Nero, Domitianusque: & supra quam

*Bestia erit
Antichristus,
agno Christi
contrarius*

*Capitum be-
stia mysteriū*

ij omnes. Miraberis forsitan hic, eò quòd superius draconi magno & rufo tribuerit decem cornua, capita septem, & iuxta hæc septem capita diademata numerauerit: hic autem ad numerum cornuum numeret & diademata decem. Quæ huius discrepantiæ causa? Quippe quum utrobique in cornibus infestatio designetur: datur intelligi, vt quot imperia obtinebit, & tot etiã infestationes producat de omnibus suis aegnis contra populum Dei, crudelius omnibus. Quandoquidem Græcorum regnum in quatuor partes erat, imperiãque diuisum, è quibus solum diadema, quod habuit Antiochus, infestum fuit. Diadema imperium est: nam ob id regum capitibus diademata imponuntur, vt imperia eorum designent, quibus par fit subiugari ceteros, quorum habenas tenent. Porro quod erunt reges sibi subiugati, tot erunt huiusce impietatis & ministri: vt bene decem cornibus decem diademata imponerentur, id est, tot infestationis ministros obtinebit, quot reges sibi subditos habebit, & nullus ab infestatione abstinebit. Sed quid hoc est quòd super capita nostri huius nomina blasphemiam depingantur? nisi hoc quod in omnibus regnis suis vsurpare diuinitatem sibi velit, atque affectatã cuiusdam claritudinis similitudinem concupiscat: vtque eum omnes Deum acclamant ac saluorem. Hoc enim est blasphemiam, quòd diuinitatis vsurpatio. Bene autem in capitibus nomen habere blasphemiam bestia dicitur, quia in singulis regnis præfatis blasphemiam viguit. De regno Ægyptiorum certum est, quia blasphemauit: non tantum in eò, quòd contra Deum sterit, filios Israël premèdo, ne vllam haberent nominis domini Dei recordationem reuerentiãque: verum etiam in eò quòd ipsam similitudinem Dei affectauit. Vnde & tyrum tenet diabolus: domino in exprobrationem eius, propheta Ezechiel dicente, Fili hominis dic Pharaonis regi Ægypti, & populo eius: cui similis factus es in magnitudine tua? Et post pauca, Cui assimilatus es, ò in clyte, atque sublimis inter ligna voluptatis? Ezech. 21. De regno quoque Israelitarum certo habemus, quia Iezabel blasphemauit, non modo cogens idolon Baal pro Deo coli: verum etiã peruertens iurationem nominis domini tunc temporis vsitatam: vt quia solitum erat sic iurari. Hæc mihi faciat

Blasphemiarum super capita bestia existentium mysterium.

Quæ regna ab initio diuinitati sibi vsurparunt honorem recensentur, in suis principibus.

Deus, & hæc addat ipsa iurabat, contra Eltam dicēs. Hæc mihi faciant dii, & hæc addat: nisi cras hac hora posuero animam tuam, sicut animam vnus ex illis, subaudi prophetis Baal, quos occidisti. 3. Reg. 16. & 19. cap. De regno babiloniorum notum est, quia erexit statuum aureã compellens cunctos vt adorarent eam. Item quia dixit, Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu meas Daniel. 3. Scriptum est in libro Iudith, quòd præcepit Holoferni Nabuchodonosor rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, seque solum ab omnibus Deum appellari cogeret, quoscunque subiugaret imperio. cap. 3. De regno Persarum atque Medorum id constat, quia Aman iratus fuit valde, quòd Mardocheus nollet eum adorare: cuius hæc responsio satis admodum in Deum pia fuit, Libenter pro salute Israël etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem: sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem: & ne quem adorarem excepto Deo meo. Hester. 3. & 13. Quo sane dicto vir fidelis exprimit, quia insolens ille nebulo, non qualemcunque adorationem, sed illam sibi exigebat, quæ soli Deo competeret. Nam est adoratio, qua, saluo honore dei, liceat adorari hominem, adorareque: quam Mardocheus non tantopere refugisset, quum & propheta Nathan regem hominem adorauerit. 3. Reg. 1. De regno Græcorum nemo est ferme qui nesciat, qui sacras litteras legit, quia in Antiocho blasphemauit: qui ascendens Hierosolymam in multitudine nimia egressus ad sancta sanctorum, & loquutus est superbiam magnam. 1. Machabæor. 1. De quo sic Daniel. 3. legis, Et magnificatus est vsque ad fortitudinem cali: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas, & vsque ad principem fortitudinis magnificatus est, & ab eo tulit iuge sacrificium, &c. De regno Romanorum apertè constat, quia blasphemiam nomen altius sibi inscripserit, communicando suis regibus deitatis nomen. Nã, vt ceteros taceam, Octaua Augustus adhuc vitens, & in corpore præsens Deus inuocatus est: templum quoque erigi, atque aras, necnon simulachra & ritus sacrificiorum sibi mer institui stultus præsumptor admisit. De regno Antichristi superfluum videtur quippiam dicere, de quo Paulus testatur, quia extolletur super omne quòd dicitur

Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostēdens se tanquam sit Deus. 2. Thessal. 2. de quo & in hac scriptura dicitur paulò post, Datum est ei os loquens magna, & blasphemiam: & aperuit os suum in blasphemias ad Deū, blasphemare nomen eius, & tabernaculū eius. Igitur super capita bestiarum nomina blasphemiarum sunt: quia singula regna, quorum in semetipso tyrannidem aduersus ecclesiam Dei usurpaturus est homo ille peccati, suis regibus diuinum nomē adscripserunt: vel ipsi reges Deo cæli aduersantes, sibi praripuerunt. Breuiter, quæcunque regna ditioni suæ subiecta erunt, diuinū ei nomen aduantes tribuent.

☞ Punct. 2.

Et bestia, quam vidi, similis erat pardō: & pedes eius sicut pedes vrsi: & os eius sicut os leonis.

Pardo bestia cur similis. Pardo propter varietatem gentium, quas subactus est, bestia comparatur: & etiam propter legis varietatem, ut ex omnibus capiat aliquid, vnde suam confarciat: ad hæc propter multiplicem blasphemiam, & ambitionem.

Pardi natura. Vrsō comparatur, propter malitiam bestialē. Leoni propter robur, & virtutem potentiarum, necnon linguæ superbiam. Pardus in Daniele cap. 7. regnum significat Macedonum. Est enim bestia velocissima, quæ præceps fertur in sanguinem, & saltu ruit in mortem: sic & regnum illud in Alexandro rege velocissimum in dilatando imperio fuit: ut nihil victoris eius velocius sit: Ab Illyrico quippe & Adriatico mari vsque ad Indicum Oceanum, Gangem fluiuium, non tam præliis quàm victoriis percurrit: & sex annis Europæ partem, & omnem Asiam sibi subiugauit. Bene ergo bestia similis pardo describitur: quia in ea malignitas bestiarum, & velocitas, quæ erat in Alexandro in subiugandis regnis demonstratur: ut pro miraculo fiat quæta celeritate vniuersum orbē sibi subiciet. Ut enim apparuerit, receptusque ab hominibus fuerit: mox dimittet prædicatores sui mendacij sagacissimos per vniuersum orbem, qui annunciantur mira contentione mendacia, docentes è scripturis: cuius prædicatio & potestas pertinet à mari vsque ad mare, ab oriente vsque in occidentem, à meridie vsque in septentrionem, regesque ac principes & potestates adharebunt illi, per quos perse-

Alexandri magni velocitas in subigendo regna.

Antichristi malignitas exprimitur.

quitionē in ecclesiā Christi in toto orbe excitabit: hoc est super cornua singula, singula sint etiam diademata. Porro in pedibus volūtas describitur, quo intelligeres voluntatem in Antichristo ad perdendum crudelem futurum. Vrsus in visione Danielis regnum Persarum est, atque Medorum ob crudelem malignitatem. Sed qui erūt huius pedes? nisi nequitia eius satellites per totum mundum discurrentes, parati ad effundendum sanguinem: quemadmodum regni olim Persarum pedes erant. Primus Aman Agagites, dein posteriores, qui à rege Assuero crudeles epistolas de occidentis Iudæis deferre festinabant, ut primò quoque tempore sanguis eorum fundetur. Pedes ergo eius sicut pedes vrsi, id est, affectus crudeles nimis: & ministri domino crudeliores atque etiam ad perdendum veloces. Os denique ut leonis erit, foetidum, semperque deuorare paratum. Leona in Daniele est, non leo, quæ sauior est multo: significat autem Babylonicum regnum, siue propter luxuriam, siue propter sauitiam, quæ inter cætera vicia excellenter erunt in Antichristo, & ministris eius, quod legibus utatur carnalibus, pro libito institutis. Obserua. Primum bestia dicitur generali appellatione: dein in ore leo. Per quod mystice designatur, quia omnis crudelitas, quæcunque vsquam fuit aliquando siue etiam excogitari possit, futura est in illo, sine vlla exceptione, ut ipse sit solus vnicum totius malignitatis exemplum. O domine Deus omnipotens, quare irasceris in plebem tuam, ut tam horrendum tamque crudele monstrum immisurus sis in eam? Sed peccata nostra hoc demerere, quibus irritatus iram indignationis tuæ sustinere ultra nequeas quin effundas in finem: licet & id, ut cætera omnia in bonum nostrum sis facturus, qui vteris subinde malo nostro in bonum nostrum. Credo equidem non in finem obliuisceris nostri. Pater enim noster es, nec potes obliuisci nostri, etiam si mater obliuiscatur filij vteri sui. Id enim nos intentis præcordiis nostris abs te efflagitamus, ut sanctificetur nomen tuum, quod paternitatis est in nobis dulce natura, benignum ac pium: quatenus dulcedinem potius pro tua misericordia & paterna lenitate sentiamus, quàm

Precatio ad Deum.

seueritatem : eo quod illa alliciat nos , exterreat ista .
Amen .

Et dedit illi draco virtutem suam , & sedem suam , & potestatem magnam .

*Antichri-
stus secundum
operationem
satanæ erit .*

Quæ in præcedentibus dicta sunt , de perditio illo , hoc puncto non parum roborantur : draco dedit illi virtutem suam , & sedem suam , & potestatem magnam . Sedes regni typos est : dare ergo sedem est dare regnum : dare virtutem , est dare potentiam seducendi , & quicquid ad hæc pertinet immittere in cor , vt est , docere omnem calliditatem , maliciam , dolos , figmenta , & artes , quibus incautos decipere seducereque cõsuevit . Hoc est quod Apostolus docet . 2 . Thessal . 2 . Cuius , inquit , aduentus secundum operationem satanæ in omni virtute & signis , & prodigiis mendacij , his qui pereunt . A quo eodem satana erit illi & sapientia , & dolus , & virtus ædendi miracula , & regnum , & potentia magna : quæ omnia suis ipse communicabit , quorum ministerio in id operis vteretur . Tria dicit draconem bestię darurum . Primo virtutem : deinde sedem suam . postremò potestatem magnam : virtutem inquam seducendi , qua præualebit . Ipse est enim ille callidus seductor orbis : Sedem quoque dominandi super omnia regna mundi , quia est rex super omnes filios superbiæ . Iob . 41 . Et potestatem magnam , cui nulla super terram potestas conferri valet . Iob . 41 . Erit ergo is Antichristus super impiis omnibus rex cum satana : vt quemadmodum Christus ingenti gloria sedet in throno Dei , ita ille sedeat in throno diaboli , regnans cum diabolo : perinde atque Christus (si conferri fas) cum patre Deo . Habet Christus omnia à Deo : habebit & ille omnia à

*Antichristi
cum Christo
pugnans col-
latio .*

diabolo . Item , Christus plenus gratia & veritate , ita ille plenus futurus est peccato & iniquitate . De plenitudine Christi nos accepimus omnes , Ioan . 1 . De plenitudine mendacij illius accepturi sunt filij perditionis vniuersi . Ad hæc consummabitur in illo iniquitas omnis & peccatum , sicut veritas in Christo & gratia cõsummata sunt . Denique quemadmodum spiritus Christi operatur in omnibus sanctis mysterium veritatis , & bonitatis immensa : ita spiritus perditus illius operabitur in omnibus iniquitatis ministris , & magistris , plus minusve . Nam ad vnum

corpus capitis Antichristi omnes mali pertinēt ab initio : sicut ad vnum corpus mysticum Christi , omnes pij qui sunt , & qui erunt , & qui futuri sunt . Postremò , quemadmodum Christus vt homo accepit à Deo potestatem ædendi miracula , quæ nemo alius potuit : ita ille à diabolo quo autore vsurus est , accipiet potestatem in prodigia magna ac mirabilia mendacia , tum ex eo quod finget se ea diuina virtute edere , quamuis satanæ edat potius astutia : quibus etiam efficacissime seducet plurimos , qui non veritati consensere antea , vt facerent eam . Hoc ne cui incredibile videatur , eiusdem satanæ opera multa sepe mirabilia sunt edita : & vt ea quæ in libris gentilium leguntur missa faciamus , reuocemus in memoriam , quid malignus ille satan in sancto viro Iob egerit : mouit subito Sabæos , Chaldæosque : per quos egit , vt boues , asinæ , chameli quoque , & quæque in agris sancto viro erant , diriperentur , pueri quoque occiderentur præter illum nuncium per quem voluit ad maledicendum sacrosanctum nomen domini Dei sanctum inducere Iobum . Prolicuit idem è cœlo ignem , qui consumeret oues : pueros quoque vice altera . Excitauit & ventum quo domus primogeniti concussa rueret , omnesque opprimeret . Percussit denique ipsum in carne hulcere pessimo , vt non inueniretur ei loc⁹ præterquã in sterquilinio . Fecit hæc diabolus , sed nõ sine deo fecit : cuius permisso agebatur omnia . Nihil enim potest , nisi quod , & quantum illi permittitur à Deo : qui est benedictus in sæcula . Ex præscriptis colligimus quod perditus ille , homo quidem verus erit : sed quemadmodum habitauit in Christo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter (vt Paulus testatur) ita in illo vere habitabit omnis plenitudo maliciæ & peccati , doli , & sapientiæ diabolicæ , & potentia : quem inhabitabit corporaliter ipse satan , qui operabitur in eo laxatus in omnia .

✠ DE QVASI OCCISO CA-
PITE REDIVIVOQUE .

Scct. 2. Punct. 1.



T' vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem : & plaga mortis eius curata est.

Vnum caput.

*Antichristus
finget se re-
diuuum a
morte.*

Vnum ex capitibus eius dicit Antichristus: quia septem nõ numero sunt, sed significatione vniuersitatis regni terreni, agno contrarij. Vnus enim atq; idem homo peccati Antichristus, & bestia septiceps est, & vnũ de capitibus: nam quia maliciam omnium regnorum, ab initio pietati aduersantius in se recolliget: septem, & vnum est, tanquam occisum in morte, sed rediuuum, quum plaga mortis fuerit curata in eo. Iuxta literam ferrur hoc de Antichristo, vt fingat se quasi occisum & rediuuum: vt scripturam de Christo loquentem, & iam impletam: in se eximie mentiatur recen- ter impletam. Quo loco dicit Haymo. Tanta quippe temeritas erit in illo damnato homine, vt ad deludendos animos paruulorum, imitatio ne veri capitis Christi, occisum se dicat: propterea ne forte veritas putetur, magis autem illusio: nequaquam affirmando dicit, sed præmittitur, quasi, aduerbium videlicet similitudinis, vt per hoc (sicut diximus) non veritatis esse, sed mēdacij designetur res. Alio mysterio, Satan qui in perditio homine principale caput est, diuina sentētia, modo quasi occisus apparet: sed tum viuus manifestabitur in eodē homine, quem obsessurus est totumque possessurus. Vel sic, Satan occisus fuit, quum diuinæ sentētiæ acutissimum gladium super se recepit: viuit autem quia semetipsum nimis pertinaciter defendit: neque se pro mortuo, pro Deo potius haberi contendit, quum supra omnes se cupiat exaltari, neque sibi quicquam plagam mortis nocuisse putari: vt sit velut in templo Deus, cui libamina holocausto maraque offerri fas esset: non secus ac quis rebellis gladio feriatur anathematis, nec tamen iniectum sentiat ictum, tāquā plaga mortis curetur in eo existimatione: Quumque se in conscientia videat condemnatum, tamen per contumaciam sese defendit, tanquam nihil eiusmodi pateretur, probēque integer sit, & viuat. Multi ad hunc modum grauitersa conscientia non putant se læsos, quemadmodum & volunt ab aliis putari, nondum iustitiam Dei agnoscentes. Hi vel nunquam redeunt ad pœnitentiam: vel si redeunt, agrè redeunt, quæ perfectam sui in

primis notitiam postulat, & deiectionem. Sequitur.

¶ Punct. 2.

Et admirata est vniuersa terra post bestiam: & adorauerunt draconem, qui dedit potestatem bestia: Adorauerunt & bestiam dicentes: Quis similis bestia: & quis poterit pugnare cum ea?

Imbecillus fide populus facile tot prodigijs delusus seducetur: vt in existimatione apud illum habeatur autor tot prodigiorum, nomine bestia designatus: post quam vniuersa terra sic admirabitur, vt etiam diuino cultu eam censeat prosequendam: dicatque verba in laudē eius magna. Terram posuit pro terrenis, qui eum sequentur, iuxta consuetudinem scripturæ huius, tanquā terrena sapientes, nihilque cœlestē habentes, vacui spiritus lumine. Et adorauerunt draconem. A bestia transitum facit ad draconem autorem videlicet sceleris principalem, qui operabitur in bestia Antichristo vniuersa: vt quum terreni corde ac spiritu post bestiam, in sapientia sermonis, & in miraculorum magnitudine ducti admirabuntur, cogitatione ferantur in autorem draconem, interne illum obfidem, tribuentes illi diuinum honorem: eo quod talē dederit vicario suo bestia Antichristo potestatem, a quo erit illi & virtus, & potētia, & diuitia multæ nimis. Causam tanti erroris posuit Apostolus. 2. Thess. 2. repulsionē charitatis fidei, dicens, Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideo mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio. Est ergo in homine libertas arbitrij recipiendi vel non recipiendi gratiam Dei, quæ in omnes desuper æque collucet: licet non omnes æque recipiāt eam. Nam quia illi veritatem recipere noluerūt, iusto Dei iudicio in errorem mittentur, quibus Deus gratiam suam negabit: quia recipere noluerunt quum poterant. Sicut enim misericors est Deus, ita & iustus: ad misericordiam pertinet largiri desyderantibus gratiam: ad iustitiam negare non desyderantibus, vt Chryostomo placet. Negabit ergo, & negat de præfenti, quicumque eam recipere nolunt. Nolunt qui non desyderant, non flagitant, vim non faciunt pro ea assequenda. Quæ forma recte dixeris, Quia adorauerunt draconem, idcirco errare permittentur vt adorent & bestiam. At dicis.

Quo pacto impij adorant draconem diabolum, quem saepe execrantur: Sed enimvero adorant, quum peccata amant & faciunt, etiam si ipsum interim execrentur. Omnis, inquit dominus, qui facit peccatum seruus est peccati. Ioan. 8. Facit, qui amat & delectatur, in quo adorat libéter peccati authorem, cui addictus seruus fit. Dicatur ergo. Et admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerunt draconem, id est, adorabunt: quia admirabuntur post bestiam, ideo autem admirabuntur, quia vident Antichristum non solum diuitiis & potentibus, verum etiam electorum signis admirabilem. Si solum potétia seculari diuitiisque & non virtutibus signorum cõmuniretur, forsitan contemni possét. Rursumque, si solum virtutibus signorum, & non seculari potentia præstaret, parum forsitan aduertetetur: modo quia vtiq; id est, & potétia, & virtutibus omnes antecellat, merito omnis terra admirabitur: vt dicat, Quis similis bestiæ? Et quis poterit pugnare cum ea? Pape quàm admirabilis, quàm potens, quanta virtute eminens, vt nulla vis ei conferi possit: nec quisquam cum ea decertare audeat: non considerantes homines miselli falsa ammiratione seducti: quòd eo potentior sit Deus, qui quondam Pharaonem superbum eum omni exercitu demersit in mare, vt vnus ex eis non euaderet. Ergo vnum caput huius ille contriuit: tradidit in occisionem, & Iezabel prophetarum sanctorum impiam persecutricem, quæ deiecta per fenestram soliso capite sanguinem cum spiritu fundit: in qua secundum quoque caput contractum est. Sed & Nabuchodonosor eiecit ex hominibus, vt fenem comederet, quemadmodum bos. Balthasarem huius filium nocte peremit, in quo tertium caput amputatum est. Aman in patibulo suspendit, in quo quartum caput amissum est. Antiochus putredine intestinorum periit: & sicut Daniel dicit, sine manu contritus est. Nero notissimæ crudelitatis & luxuriæ infame prodigium, interfecit Petro & Paulo, eo quòd vtrique Christum prædicaret: & quia pellex sua, cuius amore deflagrabat, Pauli prædicatione peius a fide suscepisset: nec thorum eius vltra repetere vellet, & multis sanctorum millibus peréptis, quum à senatu quaereretur ad pœnam, è palatio fugiens, ad quartum vrbs

Draconis capita per Deum contracta.

Petri Paulique mortis causa.

milliarium, in suburbio liberti sui inter Salariam & Numentanam viam semetipsum interfecit, anno etatis suæ trigesimo secundo: in quo omnis Cæsarium familia consummata est: vt nullum iam illi caput superesset in præcedentibus. Et hic qui sex capita confregit, poterit & septimum confingere, in Antichristo: vt non stulta admiratione dicant, Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Docemur ex gestis præcedentibus, & Deum potentiorum eo agnosceremus, qui statim perditurus est, & hunc tam admirabilem, tam potentem, tanta virtute coruscum. Huius stultæ admirationis typus olim præcessit in adulatoribus Herodis, de quibus Act. 12. scriptum legimus, Quia statim die regia veste indutus, concionabatur ad plebem. Plebs autem splendore vestium in summam admirationem adducta, supra hominem eum cepit existimare, vt diceret, Dei voces, & non hominis. Porro bestiam nominat scriptura Antichristum: nec tamen bestia à suis sequacibus appellabitur, aut credetur sed Christus: qui eum ammirabuntur & post eum currét, & Dei voces acclamantes tribuunt illi deitatis honorem, quum non sit nisi bestia præter rationem ferox, profusor sanguinis sanctorum, & animarum viuentis interemptor, cõtempitor Dei maiestatis, & totius pietatis euertor, proculcator autem sanctitatis totius. Mira insania, sed per errorem fienda, vt stultus populus ex hac quasi excusabilis fiat, & ab errore facile suo tẽpore corrigatur. Quid enim stultius, mox perituram bestiam Deum acclamare? & que se saluare nequeat Deum credi? Quis inquit, similis bestiæ? Sed vnde hæc fiet de ea tanta reputatio? Quia videlicet neque in seculari potentia, neque in miraculorum mendacio similis quisquam ei inuenietur. Quia in re nec adeo peccant: sed quòd diuinum illi tribuunt honorem, peccat in infinitum. Iusti dicunt deo, Quis similis tui in fortibus domine? Et rursus, Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Psal. 75. Hi vero de bestia prædicat, Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea.

✱ Punctus 3.

Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias.
Tremendo, sed non iniusto Dei iudicio dabitur sapientia Antichristo ad loquendum magna, non quia bona,

Deus confregit Antichristum.

ed quia inaudita, & tremenda, ad ludificandum reprobos animos. Ausculta. Quemadmodum enim dominus promittit suis os & sapientiam, cui non possint contradicere aduersarij eorum. Luc. 21. ita deitatis amulator draco insanus suppeditabit miram astutiam suis aduersus regnum Dei, vt multi seducentur ex ea, qui in omnibus rebus, & artibus per illum vtentur aduersus pios. Dabitur autem os, id est, loquendi facultas ingētia, & blasphemias, quæ erunt commenta fallacia aduersus sacra instituta euangelij, & ipsum christum quem tollere de cordibus fidelium contender, & legem sacram euangelij rescindere: in quæ erit ei os magna loquens. In magnitudine temeritas nimia loquendi blasphemias exprimitur. Magna loquitur, qui tumido ore superba loquitur, erumpitque in blasphemias: quoniam ex superbo ore blasphemiarum prodeunt. Qui humilis est in conspectu domini, humilia sentit, & dicit: quem ex alto respicit Deus, & super eum quiescere facit spiritum suum. Super quem respiciat (inquit) nisi super trementem sermones meos. Mira res. Excelsus dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Quid est à longe alta cognoscere, nisi sese longe ab altis, id est, superbis facere. A longe cognoscis, & non de prope: quia videlicet non eligit, quem in superba elatione reprobauit. Scriptum est quia longe a peccatoribus salus. Qualibus peccatoribus? respicientibus? Non. Qualibus ergo? Superbis, id est ingentia animo volentibus & non cum humilibus cōsentientibus quibus semper resistit: de quibus loquitur Psal. 72. Posuerunt in celum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. Quid est in celum ponere os, nisi blasphemare deum cæli, qui ait, Celum mihi sedes est. Blasphemare autem deum cæli, est honorem eius vsurpare, dare creaturæ: aut negare quod illi conuenit, tribuere quod non conuenit. Primo modo blasphemabit Antichristus deum, extollens se supra omne quod dicitur Deus: & in templo adorare se faciens. Secundo blasphemabit, negans deum saluatorem Iesum christum esse, & quod non redemisset uos, &c. Tertio denique quod fuisse seductor, id quod primum Iudei quoque ei impingebant. Deinde quod Deo odiosus esset, ideoque nec clamantē è cruce eum exaudire voluisset.

Multa erunt eius commenta, quibus euertet animos imprudentium: vt negato Christo, vero saluatore nostro, sequi se faciat: contra quem premoniendus erit cuiusque animus veritate fidei, & simplicitate cordis, vt castos inhabitet nos deus: qui si nobiscum fuerit, qui aduersarius nobis nocebit? Magnum quippe est salutis negocium, contra quam mundū conspirasse vides: quod si mundo conueniret fides nostra, nequaquam tam acri odio in eam aut delendam aut opprimendam insurgeret: modo quia nihil conuenit fidei cum mundo, mundus ipsam odit, & persequitur. Domini vox est ad suos. Si odit vos mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Causam subiicit, Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, Ioan. 15. Iam verò antea his qui de mundo erant dixerat, Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo: quia opera eius mala sunt. Ioan. 7. Odit igitur & persequitur semper impietas pietatem: Nā & bestia magna loquetur, & blasphemias vomet donec tempus ei datum compleatur. *o Punctus 4.

Et data est ei potestas faciendi menses quadraginta duos.

His etiam mensibus tres anni cum sex mensibus adimplentur. In tribus enim annis cum dimidio quadraginta duo menses sunt, quibus specialiter vltimum tempus, & persecutio Antichristi designatur. Generaliter autem omne tempus à Domini prædicatione vsque ad finem seculi: sicut & supra cap. 11. per dies mille ducentos sexaginta capitur. Quia ergo per quadraginta duos menses omne tempus, quo diabolus contra Ecclesiam pugnat: siue etiam quo aperte solutus acrius pugnatur est, intelligitur, videndum est in ipsius numeri ratione, quare eam expugnare nequeat aut vincere. Equidem numerus hic constat, ex denario, quaternario & binario. Si ob quatuor notissimas orbis partes legale decalogum, in quo perfectionis est signum quater duxeris quadragenarium complex: his adice duo charitatis præcepta, & quadraginta duo perficies: quibus prenu-

Antichristi tempus.

*Mansionibus
42. filij israel
ingresse sunt
terram pro-
missionis.*

*Antichristus
quomodo à
Deo habebit
potestatem.*

nita Dei Ecclesia permanet illabefactata, insuperabilis-
que & inuicta. Numerum hunc prætulcrunt filij Israel,
qui quadraginta duabus mansionibus ingressi sunt pro-
missionis terram, quorum peregrinatione præsentis vitæ
decurfus præ figuratur, in qua peregrini sumus, & ad patriam
tendimus. Data est ergo ei, non dubium quin Antichri-
sto, potestas faciendi, id est in terris agendi, vbi reuelatus
fuerit, menses quadragintaduos, quibus expletis finietur
dominatus eius. Vides quia aliunde dabitur, aliunde erit
potestas faciendi immania Antichristo, & non à se, quæ
admodum mentietur ex se habiturum omnia, & vitam.
Sed vnde erit: vnde dabitur? non dubium quin à Deo, à
quo solo sunt omnia: qui vltra non poterit nisi ad præfi-
nitum tempus vel viuere vel agere. Quod non ita intelli-
gas velim, quod malam voluntatem inmitteret illi deus:
non utique est ipse author mali peccati, sed quia vice fla-
gelli permittet venire malum in filios, quos intendit ca-
stigare ex dilectione, qua ardet salutem omnium, vt hoc
omnes in meliorem vitam expergefaciatur, & vt conuertatur
vniuersi à malicia sua, quam multiplicatam videt valde
in suis, quæ aliter deleri non poterit, sed nec corrigi: vt
verum sit quia sæpe vsu venit, vt vnum malum sit ruina
ac pernicijs mali alterius. Nostro ergo emolumento sũt
omnia, quæcunque à Deo fiunt: cuius iudicium, & altitudinem
consilij, mirari possumus, discutere nõ possumus.
Satis nobis fuerit credere omnia in bonum nostrum fieri
quæcunque fiunt à Deo: quoniam ipsi cura est de nobis. 1.
Pet. 5.

† Punctus 5.

Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum: blasphemare nomen eius: Et tabernaculum eius: Et eos, qui in celo habitant.

*Contrarietas
Antichristi
cum Christo
domino no-
stro in prædi-
catione.*

Quam contrarius domino futurus sit is homo peccati,
manifeste ostenditur quum dicitur, Et aperuit os suum in
blasphemias ad Deum, &c. Hoc de domino non legis,
immo sic. Et aperiens os suum, docebat eos dicens, Beati
pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum:
nonies beatos prædicans, eos, qui exemplo sui virtutes imi-
tarentur, Matth. 5. Diuersi enim spiritus diuersa profes-
runt

runt pro more suo dogmata, vt bonus bona profert, ma-
lus mala dño dicente, Bonus homo de bono thesauro profert
bona: & malus homo de malo thesauro profert ma-
la. Matth. 12. Et cap. 7. Non potest arbor mala bonos fru-
ctus facere, neque arbor bona malos fructus facere. A
bono ergo doctore bona dogmata prodeunt, & quæ sa-
luti imprimis conducant: à malo omnino bona prodeire
non poterunt. Qualis enim vnusquisque est, talia dicit, &
taliam operatur. Increpans dominus Iudæos maligno spi-
ritu aduersum se concitatos, dicebat, Progenies viperarum,
quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali: ex abun-
dantia enim cordis os loquitur, Matth. 12. Aperuit ergo os
suum, id est, aperiet, blasphemias loquendo contra Deum
cæli, & contra nomen sanctum eius, & contra ecclesiam,
& eos qui habitant in celo: ita vt omnis eius cogitatus,
& studium, & contentio tendat in excelsum & contra ex-
celsum: qui se efferet supra omne quod dicitur, aut quod
colitur deus. 2. Thess. 2. vno oim pessimo laborans vitio,
ambitione scilicet, vt sibi non temperet, quum succedere
sibi ex sententia omnia videt: quin & contra excelsum ele-
uetur, agatque. Tanta est improbitas humani ingenij
paululo aliquo interdum inuitata successu: vt dum pro-
speratur intumescat, eleueturque: quod sine defectu gra-
tiæ non fit. Nam vbi gratia, ibi pondus, ibi vilitatis natu-
ræ consideratio, & consequenter ibi diuini nominis cul-
tus & honorificentia est. Nã omnia tribuuntur Deo tan-
quam authori. Sancti igitur viri exaltati, quia vacui gra-
tia nõ sunt, pondere sui considerationis pressi, nihil audet
presumere, nihil magni de se existimant: sed humiliati in
se subsidunt: deumque maiore, vt dignum est, se pensant: à
quo etiam credunt omnia esse, & ideo agunt illi gratias, &
illum solum super omnia glorificant, & metuunt semper:
qui solus humiliat, & sublimat, pauperem facit & ditat.
Sic Abraham: sic Dauid: sic alij quoque vtriusque testa-
menti viri insignes, qui ex toto corde deum dilexerunt, sub-
limati subsidebant, quos singulariter amauit christus &
in quibus delectatus est & honorificatus. Quia verò Anti-
christus citra controuersiam opinione oim plenus erit
diabolo, quem replebit suo spũ, immo seipso daemone, cuius
superbia ascendit semper, fieri non poterit quum in

Christus nomen Dei.

Christus declarauit Deū secundū totum suum mysterium.

blasphemias execrabiles erumpat rapiaturque, vt verum sit quod presens scriptura dicit. Et aperuit os suū in blasphemias ad deum blasphemare nomen eius. Nomen Dei Deus est: sicut nomen patris, pater est. Quod si nomen à notificando dicitur (vt grammatici volunt) Christus erit nomen dei: Ipse enim notificauit dei maiestatem toto suo mysterio mūdo: neque enim ante eum tam dilucide nouerat mundus deum, nisi quod deus esset, qui creasset omnia. Christ⁹ tamen manifestauit nobis deū illum trinum esse in personis: vnum in substantia. Quodque dicitur pater & filius, & spiritus sanctus, vnus deus in distinctione personali, & quod vna persona non esset alia: quia realiter ab inuicem personarū distingueretur, vt ibi: Ego & pater vnum sumus, Ioan. 10. Item, Solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Ioan. 8. Item de spiritu sancto loquens dixit. Paracletus autē spiritus sanctus quem mittere pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Ioan. 15. Contra itaque nomen hoc erigetur malignus ille homo peccati, vt fidei salutaris subruat fundamentum, seque exaltet. Quum verò id molietur, non sine detrimento diuini honoris fiet: loquetur enim miras insanias, prout suggeret illi cacodæmon, qui illum possessurus est: & ingenium ei versatile, malignum, ac ferox suppeditaturus: vt non vereatur homo rabidus sacrosanctum Dei nomen, quod est terribile blasphemare. De quo non sine timore Paulus loquitur dicens, Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua cōfiteatur, quia dominus Iesus christus in gloria est dei patris, Phil. 2. Sic ergo erigetur vt loquatur: sic loquetur, vt neget christum Dei filium esse: quem Paulus dei virtutem & Dei sapientiam rotundo ore pronunciat. 1. Cor. 1. Atque in hoc vno, vt scilicet neget christum dei filium esse, Dei virtutem, Dei sapientiam, versabitur omnis eius predicatio, cum summa Dei iniuria. Ioannis vox est in priorē epistola. Omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit: & nunc iam in mundo est ca. 4. & in ca. 2. Nouissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt, quatenus intelligeres dicere

voluisse Ioannem, nondum in persona quidem venisse Antichristum, malicia autem iam vigere cepisse in illis, in quibus malicia illius operatur in omni virtute & contentione aduersus sanctos dei, & pietatem. Tunc autem quum venerit, implebuntur omnia que de ipso vaticinatus sūt propheta dei: quia extolletur supra omnia, & quod dicitur deus, vt ne à tabernaculo quoque Dei abstineat. Tabernaculum hoc potest dupliciter intelligi. Primo vt sit spirituale ex fidelibus congregatū. Secundo vt sit materiale ex lapidibus siue lignis constructum: quorum vtrumque demoliri conabitur impius ille homo peccati. Illud in credentium seductione: hoc vero partim demolitione, partim in honorem suum conuersione. Sedebit (inquit Paulus) in templo Dei, ostendens se tanquam sit deus. 2. Thes. 2. Neque vero contra deum solummodo eius erit blasphemia: sed etiam contra sanctos Dei, qui in celo habitant. Videant noui theologi hæretici: ne singulariter ipsos mordeat hic scripturæ locus, qui contra deū in ritibus sacris & nomen sanctū eius, & tabernaculum, & ipsos quoque sanctos Dei, qui iam celo relati sunt, nō desinunt os blasphemum aperire, linguam exertare virulentam, dicentes ea quæ non conueniunt: contra quos, & eorum confutandū errorem iam plena volumina ab his, qui lumina ecclesiæ sunt, scripta circumferuntur, vt nō sit opus mihi de eis amplius comminisci.

*○ Punctus 6.

Et datum est illi bellum facere cum sanctis: & vincere illos.

Datum est, id est permissum est: nisi enim permitteretur pilum nō proficeret: proficiet autē quia permittetur, excitaturus bellū squissimū aduersus sctōs Dei, qui in ecclesia christi erunt, eos seducendo, affligēdo, variēq; occidēdo. Quæres forsità cur bonus Deus sanctos suos sic pmittat impiorum persequutionibus vexari? Cui quæstioni respondendo, aliam subinfero quæstionem vt vna opera tota res nota fiat. Cur aurifaber aurum quod præciosum habet concoquit igne? Nisi ideo, vt pulchrius sibi splendeat, magisque metalli fulgor oculos irretet: vt iam non tantum materia in precio sit, sed etiam nū immixta splendor in delectatione habeatur: Alioqui non video

*Tribulatio-
nū immixta-
rum causa.*

Quid opus haberet concoctione. Ad hunc modum & Deus permittit suos igne tribulationis concoqui: quos illustriores euadant. Legis Sap. 3. Vt enim aurum per ignem probatur, ita in persecutione electi. Et in proverbiis sacris dicitur. Sicut igne probatur argentum, & camino aurum: ita corda probat dominus. Item Dan. 12. Eligentur, & dealbentur, & quasi aurum probabuntur plurimi. Sinentur ergo sancti igne tribulationis vexari, quo probatione illustriores euadant. Modicum, inquit, Petrus, nunc si oportet contritari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo preciosior sit auro, quod per ignem probatur: utque inueniatur in laude, & gloriam, & honorem, in reuelatione Iesu christi. 1. Pet. 1. Nam & christus igne passionis coctus est, atque ad regni sceptrum gloriamque illustrior peruenit. Est & alia quoque ratio afflictionis factorum in hac vita, quo videlicet erga eos maior Dei dilectio innotescat. Ego quos amo arguo, & castigo: dicit dominus in hac scriptura supra cap. 3. circa finem. Et Pauli Apostoli ea vox exhortationis est in epistola scripta ad Hebraeos. Filii mei, nolite negligere disciplinam domini: neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Tertio ad demonstrandam eorum patientiam in virtute sua, sicut. s. Sob. Quarto ad meriti augmentum, sic Tobiam. Quinto ad virtutum illis collatam custodiam, ne superbia intumescant, sic Paulum. 2. Cor. 12. Sexto ad penitentiam suscipiendam pro peccatis sua delam, sic Dauidem. Quia vero reprobi, quos odit Deus, talia remedia non percipiant, probantur indigni vita utique aeterna & regno, qui modo tanquam dilecti a Deo creduntur: nec corriguntur a viis eorum pessimis, ut non salui fiant. Sed veniet tempus, ut quibus nunc iratus Deus, per tribulationum immersionem videtur, tunc placatum inueniant: reprobi autem, qui fauere plus sibi modo deum existimant, tunc experiantur insensum, implacabilem, inique crudelē eis versum: ut ira quae nunc misericorditer a sanctis incipit, in reprobis sine misericordia sauiat. Vnde Petrus ait, Tempus est ut incipiat iudicium a domo dei. 1. Pet. 4. Quod perinde est atque diceret, In hoc seculo electi iuxta oculum dei iudicium miris affliguntur modis, quorum afflictio desinet

in reprobos, ut quum illos temporaliter vrar, hos cruciet aeternaliter, iuxta illud, Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fex eius non est exinanita. bibent omnes peccatores terrae. Psalm. 74. Iudicij etenim saueritas a sanctis in peccatores desinet: nec simpliciter sed fecis impuritate. Datū est ergo illi bellū facere cum sanctis, & vincere illos. A quo datū: a deo, A quo omnis potestas est. Ro. 13. Nam & dominus Pilato dixit, Non haberes in me potestatem vllā, nisi tibi datū esset desuper. Io. 19. Datū ergo illi bellū facere, id est permissum. Vel datum, tāquā p aegrotis medicina daretur quae plus profit, quā noceat. Datum est inquam non tā pro illo quā pro nobis. Neque enim illi proderit, sed nobis: ut quū pius pater virga percussit filiū: hoc non virgae prodest, sed filio cui in emendatione adhibetur: neque enim in alium finem adhibita erat virga, nisi ut emendatio ex ea sequeretur in filio, quae in actu disciplinae sepe rumpitur, & posthac quādoque etiam in ignem mittitur. Id quod & infans piorum persecutoribus subinde vsu venire solet. Receptis namque filiis post correptionem in gratiam patris, illi in odio remanebunt, in ignem post abiiciendi. Hoc autem quod posterius additur, Et vincere illos, non ita est intelligendum, quod a fide deficerent electi, tanquam victi ex pena: sed quod ita videbitur mundo tanquam vincerentur pii ab impiis, quādo omnia quaecunque volent, facient illis. Sic & Apostolis olim martyribusque eueniebant: de quibus tamen dicitur, Sancti per fidem vicerunt regna, Hebr. 11. Qui a deo non sunt victi, quod etiam victores dicantur impietatis regnorum. Quum ergo vincuntur sancti in mundo, vincuntur. Sic & christus vicit victus, qui dicit, Confidite quia ego vici. Fide autem vincimus. 1. Ioa. 5. haec victoria quae vincit mundum, fides nostra. Quae tum demum vincit in nobis, si firmi permanferimus, & non vacillantes tanquā vento agitati. Qui vacillat similis est fluctui maris, qui a vento mouetur, & circumfertur, Iac. 1.

* Punctus 7.

Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: Et adorabunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vite agni, occisus est ab origine mundi.

Q iij

*Quomodo
vici dicatur
pij ab impiis.*

Mirum est quod proficiat in dies magis atque magis gliscens bestię autoritas: vt nulla fiat gens, nulla natio, que non experiatur potētiam eius, prout ex scripturę huius autoritate plane perspicitur. Et data est inquit illi potestas in omnem tribū, & populum, & linguam, & gentem. In tribu & populo Iudeos intelligimus, eo quod popularis ille per tribus erat distinctus, & populus dei peculiaris appellatus. Porro in lingua & gente, omnes nationes totius orbis includuntur. Non enim in Iudeis solum, sed etiam in omnibus gentibus erunt sancti, contra quos accipiet potestatem bestia hec, vt interficiat eos, & agat pro libito suo in omnibus. Denique in vtrisque erūt qui victi succumbent: quorum multitudo tanta erit, vt paucissimi præ illis inuicti videantur: sicut semper plures mali quam boni, plures pereuntes quam salutem consequentes. Ita enim veritas ait. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Nanque etiam ex vocatis pauci eliguntur, eo quod pauci vias domini calcent, aut legem obseruent, propter quod dicitur. Et adorabunt eam, non dubium quin bestiam, omnes qui habitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitę agni, qui occisus est ab origine mundi. Obserua. Christus licet occisus in temporis plenitudine: prædestinatus tamen vt occideretur ab origine mundi, quando videlicet Adam peccauit: non quia non iam ante omnia secula nõ fuerit prædestinatus christus, vt occideretur pro peccato, nõ sicut ab æterno deus prædestinavit christum ex semine Dauid futurum, ita etiam prædestinavit eius mortem pro peccato: qui præsciuit hominem casurum, quem prædestinavit creandum. Sed quia mors christi, quæ erat in prædestinatione dei æterna: statim quando peccauit Adam, & doluit quia peccasset: per fidem infusam, mors christi prædestinata eius cepit adhiberi peccato, tanquam medicina morbo, dicitur ab origine mundi agnus occisus. Nec probarim quorū dā cōstructionē vt ab origine mundi, cū particula scripta, cōstrueretur, hoc modo, Quorum nomina nõ sunt scripta ab origine mūdi, in libro vitę agni, qui occisus est. Nā sic sensus spūs prorsus inuenteretur, vt clarū est. subductio tāto mysterio, tanto sacramento. Namque nisi Christi mors subito, vt Adam peccauit, ipsi per fidem adhibita vt me-

*Reproborum
multitudo
probat.*

licina fuisset, hōcque illi innotuisset, facile desperasset: nec Dei prouidentia processisset, qui hominem ad suam creauerat gloriam. Nunc illud mihi aduerte. Parū quippe erit si de bestia que agno contraria tortes ponitur, dicetur: Non est agnus, aut non est Christus quod se fingit: sed nec in libro agni scriptus est, aut ipse, aut eorum aliquis qui ei consentiunt, de quibus per Ieremiam dicitur, Recedentes à te, in terra, scribentur cap. 17. Proinde ait, Quorum nomina non sunt scripta in libro vitę agni, id est, qui prædestinati non sunt, nec scripti in libro vitę agni, id est, in merito passionis christi, in qua sola cōtensus est pater de nobis, de que salute nostra, non computantur. Vel aliter, vt sit liber vitę prædestinatio glorię beati dei, quam nobis meritorie acquisiuit Christus vt homo: reddet idē autoritatiue vt deus. Hic liber cælum alibi vocatur, dicente domino, In hoc autē gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cælo, Luc. 10. sicut cōtra terra liber mortis est, vt in citato Ieremię loco expressè habes, domine omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes à te in terra scribentur. ij sunt de quibus. d. Pfaltes ait, Deleat̄ur de libro viuētium, & cum iustis non scribantur, quorū deletio est non scriptio. Quia enim nõ scribentur impij cum iustis, ideo deleri dicuntur. Proinde alterum horum fiat necesse est, aut scriptum esse in libro vitę agni, aut scriptū esse in libro mortis hominis peccati. Quotquot enim nõ sunt scripti in libro vitę agni, scripti sunt in libro mortis filij perditionis. Et, quemadmodū omnes sancti, qui fuere ab initio, in hoc libro vitę & non mortis, ob fidei virtutem conscripti sunt: ita vniuersi reprobi ob incredulitatem signati sunt in libro mortis & non vitę, disparibus demeritis eorum. Illi quia habent spiritum agni, qui est gratia & vita: Isti quia habent spiritum hois pcti, qui est ipsummet pctm & mors. Quippe sicut agnus est caput oim electorū, ita homo ille pcti est caput oim reproborū. Deniq; sicut xps, iuxta quod homo, est summum ac precipuum omnium dei operum: ita ille summū oim operum diaboli erit. Est liber vitę agni, & præsciētia Dei, cuius scriptio prædestinatio est, iuxta illud. In *Liber vitę* tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuen- *præscientiæ* tus fuerit scriptus in libro. Dan. 12. ergo soli scripti *Dei.*

in hoc libro saluabuntur: de quibus loquitur Paulus iam dicens, Elegit nos in Christo (non dubium quin Deus pater) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, Ephe. 1. Hinc habes qui & quales scripti sunt in libro vitæ agni, quia sancti, hoc est, legem Dei viuui custodientes: vnde & sancti dicuntur, quod sanctitas à Deo institutaque leges obseruent, & immaculati vitæ innocentia sint: quam etsi interim vitæ fragilitas conspurcet in eis, ablucere tamen proterius festinant, poenitentia: ut nihilominus immaculati persistant in conspectu Dei in charitate. Rectè autem apposuit charitatem, quod sine hac cetera nihil sint. Quæcunque ergo eligit Deus per fidem in Christo, opus est illi his tribus præsertim ad fidem: ut sit sanctus, & immaculatus, & charitate deuoratus: alioqui fides vana fit illi necesse est. Breuiter laudatissimum est scribi in libro vitæ, contra verò ignominiosissimum in libro mortis poni. D. Haymoni. Liber vitæ in quo iustorum nomina merentur inscribi, vis quædam diuina est, quæ ante mundi constitutionem ad vitam æternam sanctos prædestinavit futururos: Qui videlicet liber prædestinationis, sicut fixa æternitate electos tenet ascriptos: ita nequaquam vlla ratione reprobos admittit scribendos. De occisione agni dixim⁹: quomodo videlicet agnus hic ab origine mundi dicatur occisus, quia prædestinatus diuina sententia ut occideretur pro peccato ipsius Adæ ut primum peccauit. Vel occisus quia tum ipsi Adam fuit reuelatum quod deberet occidi pro diluendo peccato eius, quo vniuersum genus humanum ex se proditurum damnauerat in mortem. Aliis videtur non in se debere intelligi Christum occisum, sed in suis membris, quæ occidi cæpere ab origine mundi: sicut in Abele, & in multis aliis: quia sicut in suis pascebat Christus, ita in suis occiditur. Vnde est illud, Saule Saule, quid me persequeris? Vel certe in prædestinatione occisus est, quia ante omnia sæcula decreuit De⁹ pater, (quæ admodum præfati sumus) ut in fine temporum veniret Christus, & occideretur: quatenus sua morte nostram redimeret vitam. Vel in ipso agno, quem Abel obtulit? Aut certe (ut verius dicam) ipse Abel innocens à fratre peremptus eum figurabat. Quia nimirum in Abel occisione Christi

*Liber vitæ
vis diuina.*

saluatoris fuit præfigurata occisio: propter quod ait Aug. quod Christus fuit in Abele occisus, & in prophetis ex-honoratus. Rursus, quoniam passio Christi hoc egit implenda, quod facit impleta. Omnes enim qui in Christum ante eius aduentum crediderunt, per eius fidem saluati sunt. Christus ergo ab origine mundi, scilicet à tempore Adæ, occisus est quodammodo virtualiter: quoniam virtute suæ passionis, & ipsi protoplasti parentes sunt saluati. In quem modum Euangelium dicitur æternum. Data est ergo illi, non dubium quin Antichristo, potestas, in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem & quæ sequuntur. Cur bonus Deus immittat tribulationes in sanctos suos dictum supra puncto præcedenti. Nunc autem cur Antichristi magnum excitaturus sit in fine temporum, illius quoque præ est ratio. Nam aliter corrigi morbus aliquando non potest, nisi abscissione partium insanabilium. Item, ut vno errore generaliter immisso, alij particulares tollantur: & quum se viderint mortales decepti tam manifesto errore seductos, & sceleris tanti authorem turpiter periisse, qui non erat, quod se fingebat: Deum se fingebat, & non erat nisi homo peccati, pudefiant, & citius ad fidem Christi conuertantur, ommissis superstitionibus suis & sectis quibus nuper maiores ipsorum & ipsi fœdissime tenebantur, amplexi pulcherrimam veritatem. Tunc autem, id est, in sexta ætate ecclesiæ, & non prius, sinet venire generalis huius erroris ministrum: præsertim ob totalem charitatis defectum (Nihil enim sine ratione Deus ille bonus facere solet in nobis) ac iuxta abundantiam iniquitatis. Nam sicut dominus dicit Matth. 24. In diebus illis refrigescet charitas multorum, & iniquitas abundabit. Qua de re digni erunt omnes ij à Deo derelinqui, & tanto monstro obitici: cuius aduentus erit (iuxta Paulum) in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eò quod charitatem veritatis non receperunt, qua salui fierent: ideo immittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed confenserunt iniquitati. 2. Thesal. 2. Vnde in Iob dicitur, Deus regnare faciet hominem hypocritam, propter peccata populi. Queritur an aliqui electorum per Antichristum seducantur? Dicendum, quod Antichristo occiso multi

*Ratio immis-
sionis Anti-
christi.*

erunt qui conuertentur, & efficaciter penitebunt, quos constat esse electos. hinc illud quod Saluator ait, Matth. 24. Erit tribulatio magna, ita vt in errorem ducantur, si possibile est, & electi: intelligendum est, quod etsi decipiantur in primis, finaliter tamen non poterunt decipi, sic vt in errore persistant: & sic omnino nec pereunt, gratia electionis adiuti.

✽ Punc. 8.

Si quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet. Et qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum.

Quoties hic ea spiritus dicit, quæ intētius audiēda sunt, ita præmittit. Si quis habet aurem &c. Facta enim mentione illius potestatis quæ accepturus est diabolus homo, Antichristus, in bestię forma designatus: ne magni pēdendum esse ruinosi culminis momētaneum supercilium putaremus, tanquam cognitioni humanę admirabile stupendūque, instruit quę mala illum sint subito exceptura. Qui in captiuitatem, inquit, duxerit, in captiuitatē vadet. Et qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi, ac si dicat, qui nuper captiuitate, & gladio plerōsq; territauit, premebat, occidebatque: & ipse capietur, premetur & occidetur, id est, Ille qui suis modo deceptionum laqueis gentes in captiuitates redigit, erit quando & ipse cum suis complicibus in captiuitatem redigetur. Iustus nanque dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius. Psal. 10. Propterea dicit, Et ipsum oportere gladio occidi, absolutē ponens perditū illius personam, tanquam habitantem cum habitaculo. Qui captiuum inquit, duxerit, & ipse capietur: & qui gladio occiderit, & ipsum gladio oportet occidi. & iuxta illud quod dominus in euangelio dicit: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Matth. 7. hinc Apostolus. 2. Thessa. 2. dicit, Reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Quando hoc fiet? Quando implebuntur tempora eius. Interim tamen oportebit sanctos patienter & longanimitē expectare. Quapropter subiecit, hic est, inquit, patientia sanctorum, fidēque. Vnde Paulus, Fratres inquit, non deficiamus: tempore enim suo metemur non

deficientes. Gal. 6. Potest & generaliter dici, qui sanctos affligit, captiuitate, gladio, cæterisque vexationibus in corpore: ipse in spiritu vadit in captiuitatē diaboli, coarctante eum diuina illa sententia per gladium intellecta, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & cetera. vt qui sanctos corpore captiuarit, ipse spiritualiter capiatur. Nan proinde fiet magis satana, ac criminis captiuus, sicut scriptum est, Iniquitates suæ capiunt impium. Et, Vnusquisque peccatorum suorum vinculis constringitur. Et dominus in Euangelio dicit, Omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. Ioan. 8. Item. 2. Pet. 2. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Dicatur ergo, Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet. Haymo. Hæc sicut pertinent ad omne corpus Antichristi, ita & ad ipsum principē malorū Antichristum, qui duobus modis captiuabit credentes. Primo à fide christi eos separando: deinde à fidelium societate beatorum seiungendo: quippe qui ei obaudierint perpetuo captiuitatis exilio dannabuntur. quemadmodum & ille primū captiuabitur in anima dum diabolo tradetur possidendus: deinde dānabitur in inferno captiuitate perpetua. Sequitur, Et qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Et hoc similiter duobus modis intellige. primo de gladio malæ persuasionis, quo interficiuntur pij in anima: deinde de gladio materiali, quo interfecitū est duos illos eximios prophetas dei euāgelistas Enoch Eliamque. Forsitan de hoc gladio spiritali Regius ille propheta plusquam materiali se liberari precabatur, cum diceret, De gladio maligno eripe me. quippe quia potentior est hic, magisque formidandus quam ille. Et certe siue hoc siue altero quicumque occiderit alium, occidetur tandem & ipse. Omnes (inquit dominus) qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matth. 26. Et alia scriptura dicit, Qui-
cunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Gen. 9. Proinde nihil mirum si vtroque malignus ille pereat, quē dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. 2. Thessa. 2. id est, iudicio suo, quod occurret ei in gladio forsitan etiam materiali, vt exterminet eum: qui solebat fidem sanctorū, itēque patiētiā explorare tormentis, vt requies non daretur illis. Sed antequam iudicium

Gladius duplex spiritus & materialis.

Sanguinem fundēi fundetur sanguis

descendat in eum, oportet multa pati sanctos ab eo, pre-
barique tum fidem tum constantiam eorum per illum. vt
non ab re subiunctim dicatur. Hæc est patientia, & fides
sanctorum. Ac si diceretur, In huiusmodi tribulationum
æquanimi perpeffione innotescet & paciētia, & fides san-
ctorum, quibus vtrifque tum illis vehementer opus erit.

DE ALIA BESTIA COR-
NVTA AC VOCE DRAGONIS
LOQVENTE, QVÆ ASCEN-
DEBAT DE TERRA.

Secl. 3. Punct. 1.



E T vidi aliam bestiam ascendentem de terra, Et
habebat duo cornua similia agni. Et loqueba-
tur sicut draco.

In bestia illa septem capitum, priorem
videlicet, Antichristū in se accepimus: qui
crudelitibus regnorum omnium, quæ vnquam perle-
cuta fuere populum Dei, vsurus est in sanctos, hoc est,
Christi fideles, id enim numerus septenarius significavit
in capitibus eius: & ideo septimum quod suum regnum
demonstrat, crudelius omnibus & maiore discrimine fu-
turum est. Nūc autem bestia hæc terrestris, alia à marina
illa: aliud corpus ipsius designat: eos videlicet, qui cum
prædicaturi in omni virtute sunt. Omnia ergo doctorū
impiorum impias doctrinas & leges perditū hominis as-
sertorum, typus est bestia hæc: quæ etiam de terra idcirco
ascendere dicitur: quia doctores hi terrena sapiētia erunt
præditi quam animale & diabolicam vocat Iacobus,
solo terrenorum affectu ad docendum moti: qui etiam
de terrenis commōdis, & diuitiis, quibus pollebunt in su-
perbiam abutentur ambitione gloriæ, ac auaritia foedif-
sime laborantes. De terra quippe ascendere est, pro terre-
nis rebus in superbiā eleuari, & in terrenis summum fieri.
Equidem multi ab orbe cōdito fuere falsi prophætæ, qui
aduersus promissi seminis fidem & verbum aliquid do-
cuerunt, futuri sunt plures, qui autore Antichristo men-
dacia sua seminabunt. Et sicut Antichristus in suis mem-
bris iam ab orbe condito de profundo cordis humani

*Antichristi
fuere ab ini-
tuo.*

cœpit emergere, ita etiam prophætæ eius, de cupiditate lu-
cri terreni nascuntur, qui diebus Antichristi multi appa-
rebunt, & nimis exaltabuntur. Nullum enim (proh dolor)
vnquam sæculum suo caruit Antichristo: nullum vnquã
sæculum caruit prophetis eius cupidis & mēdacibus: vno
tamen tempore plus luxuriat hæc pessima seges nascen-
do è terra quàm alio. Qui idcirco hircones in modum
agni dicuntur, quòd hildem testimonii. quibus agnus v-
rantur. Agnus est Christus, de quo Ioannes dixit, Ecce
agnus Dei: & omnes qui fide vera, innocentiam eius se-
quuntur agni nomine designantur. Duo cornua in eis vt
Primasio placent, duo testamenta sunt agno competentia,
quæ sibi vsurpant pseudoprophætæ, ad sua sensa corrup-
pentes ea, quemadmodum & omnes heretici. Possunt per
duo cornua intelligi, sermo, & virtus miraculorū, in qui-
bus duobus potentia Christi demonstratur, Luc vltimo.
Qui fuit vir propheta potens in opere & sermone coram
Deo, & omni populo, Item Matth. 7. Erat enim (non du-
bium quin Christus) docens sicut potestatem habens. Idē
scribit & Marcus cap. 1. Hæc in Christo imitabuntur mō-
stra hæc, quatenus autorem tanti erroris Antichristum, se
quoque ponant apud homines in existimatio ne: parēt-
que regnum illi ac sibi, quo pro desyderio perfruantur:
sed non diu hæc huiusmodi eorum felicitas perdurabit.
Prouida nanque dispensatione Dei abbreviabuntur dies
eorum propter electos, quorum clamorem nō diu susti-
nebit Deus, sicut scriptum est, Quoniam requirens san-
guinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem
pauperum, Psal. 9. In tribus nanque annis & dimidio co-
angustabuntur dies eorum. Berengandus. Sicut mihi vi-
detur, in tribus annis, & dimidio persecutionis tempus
tantummodo comprehenditur: in quo & per se & per
suos discipulos, & per ostensionē signorū, tota virtute la-
borabit, vt culturam deitatis omnes homines sibi impen-
dant: ergo hoc illorum regnum in tribulatione iugi erit,
vt nunquam conualescant, nunquam amabili pace per-
fruantur, non congaudeant, quam nec optant, qui conti-
num alioqui intra se conscientia durissimum sustinent *Pax in solo
flagellum, propheta dicente, Non est pax impiis. Esa. 57. Christo inue-
quæ in solo Christo quærenda est, & ibi inuenienda, qui mendat.*

*Agni duo
cornua duo
testa.*

est pax nostra. Porro, Cornua quidem habebat bestia agni similia, sed vox longe diuersa: quippe loquebatur ut draco. Draconem diximus diabolum figurare, qui draco est ob venenum, & malicie nocumentum, astutiam quoque: qui in dracone Euam seduxit. Quia enim domino atrestante ex abundantia cordis os loquitur: qualis quisque sit lingue prodit discerniculum. Iacob proditus est per vocem sub veste Esau tectus. Petrum manifestum lingua fecit. Sic & tinnitu suo quæque æra dinoscuntur. Quum ergo bestia agni cornibus luserit, tamen lingua eam proderat draconem, subdola, mendax & seducens.

¶ Punct. 2.

Et potestatem prioris bestia omnem faciebat in conspectu eius.
Ostenditur nihil minus habituros in edendis prodigiis, sermonibusque declamatis suos prædicatores, quam ipsum Antichristum, qui prior bestia est. Quia sicut Antichristus dolo, blanditiis, doctrinis impostricibus, potentia, terroribus ac tormentis imponet plurimis, ita & omnes ministri eius. Ideo ait, Et omnem potestatem prioris bestie faciebat in terra. Priori bestie de mari ascendenti (ut visum est) draco, qui est diabolus, dederat omnem virtutem faciendi miracula: hanc eandem habituram dicit & hanc posteriorem bestiam, in qua colliguntur omnes eius pseudoapostoli, quatenus utraque bestia vnius nequitie intelligatur: & hæc illi demiliter. Sed quid est quod dicit. In conspectu eius posteriorem bestiam facturam potestatem omnem? Nunquid omnes prædicatores Antichristi semper in eius præsentia versabuntur? Non vtrique, immo discurrent per vniuersum mundum & potestates eius prædicando, miracula faciendo, &c. verum ubicunque locorum fiant, ita ea facere studebunt, quæ illi sciunt placita: ut quasi semper ab eo videantur, & in conspectu eius consistant. In tantum enim illum honorabunt, ut quicquid agant, se coram illo agere dicant, tanquam nihil sit quod eum latere possit. In quem modum & sancti, quia iugiter Dei voluntatem custodiunt, in conspectu eius se versari dicunt, ut est illud: Viuit dominus, in cuius conspectu sto. 3. Reg. 17. Et Apostolus, Sicut ex Deo coram deo in Christo loquimur. Et ad Abraham dominus omnipotens ait, Ambula coram me, & esto perfectus, Gen. 17.

Itē. Esa. 38. Ezechias rex dicit, Memento obsecro domine quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto. & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Semper ergo cuius placita facimus, in conspectu eius stare, ambulare, atque adeo operari dicimur. In summa, simia erunt sanctorum, etiam si contraria sanctis faciant pestes istæ ministri Antichristi: ut sicut sancti coram Deo se intelligunt, ita isti coram suo authore versari sese continuo sentiant: ut omne quod loquuntur aguntve ipsum caput sibi præponant: sicque potestatem, quasi in conspectu eius, super populum exercent. Quales ministros & nostro hoc perditio sæculo licet passim intueri, crudeli domino crudele satis ministerium exhibentes, ut non secus ac semper in conspectu domini eorum versari videantur, etiam si solo disuncti sint.

¶ Punct. 3.

Et fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.

Hoc est quod dicebatur, quia bestie huius posterioris (in qua intelliguntur omnes ministri & prædicatores hæreseos Antichristi) cunctum studium illi priori, qui est Antichristus demilitabit: id quod hic rexus aptissimo tropo subindicat, dicens. Et fecit terram & habitantes in ea adorare bestiam primam. Quid est terra & habitantes in ea facere adorare bestiam, nisi & simplicem vulgum, & primores seducere ut adorent Antichristum? Quia in re quoque vehementia magna & vehementissima persecutionis vis exprimitur: quia videlicet corpus & animam miserabili seruitute bestia sibi subiiciat: ut sit captius corpore & mente, quencunque apprehendit. Vel intelligere debemus per terram & habitates in ea homines terrenos thesaurizantes sibi in terra, non in celo, quorum seductio non adeo difficili negotio fiet: quum alioqui cupiat interne, quod eis externe offertur. Quid offertur? diuitiæ, honores, reputatio secundum sæculum & id genus reliqua, quibus etiam facile persuadebunt ipsis adorare bestiam. Vel aliter ut coniunctio, & capiatur expositiue. pro, id est, hoc sensu. Fecit terram, & id est, habitantes in terra: diuinos primæ bestie honores exhibere, cuius curata est plaga mortis, sicut supra expositum est. Finger enim se tanquam triduanum mortuum & postea resuscitatum:

vel mortis sententiam nihili esse ducens, qua & is qui in ea erit diabolus percussus est, & ipse Antichristus per id quod dicitur. **Qui non credit iam iudicatus est.** Et, Princeps mundi huius iam iudicatus est. Ioan. 16. Ex his propalata est quid vox huius bestie posterioris sit, qui ut draco sibilans loquebatur in hypocrisis, & simulatione veritatis, in quod agni duo cornua assumpsisse visa, ut quum agnum se simulet, vere draco sit. Agno similis non esset, si aperte ut draco loqueretur: nec tantam hominum seduceret multitudinem. Nunc autem quia agnum sese effingit, agnus creditur, quum non nisi virulentus iuxtaque nocentissimus draco sit: qui haud alia ratione agni speciem sibi infumet, nisi ut innocuus existimetur, ne si apertus esset minus noceret, proficeret minus cunctis eam fugietibus. Simulat ergo speciem innocui ut incautum minimèque uentem inuadat, maletet & deuoret. Neque vero modica id quidem virtute efficiet, quum omnem prioris bestie potestatem obtineat, cui non aequatur potestas vlla in terris. Propter quod statim subditur.

¶ Punct. 4.

Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de celo descendere in terram in conspectu hominum.

Quum multa signa dicatur tristis hæc ac potens bestia facere, hoc tamē memorabilius ceteris prætulit, quo ignem faceret descendere de celo, imitans sane Eliam qui coram omni multitudine super holocausta & struem lignorum inuocato Dei nomine ignem de celo descendere fecit. 3. Reg. 18. Itē. 4. Reg. 1. super duos quinquagenarios, prolicuit de celo ignem, & absumere fecit omnes. Legimus & in Actis Apostolorum quod die Pentecostes spiritus sanctus in ignis specie descendit super Apostolos, quo repleti cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei: qui & ipsi postea in eos quos baptizabant spiritum sanctum simili ignis specie aliquoties visibiliter faciebant descendere, ut similiter omnibus linguis loquerentur: unde per motus Simon sacrilegus allata non modica pecunia, Petro & aliis dixit, Date mihi hanc potestatem, ut cuiusque imposuero manum, accipiat spiritum sanctum, ut possit loqui omnibus linguis. Sed Petrus ut erat mundus ab omni cupiditate & avaritia, ut hominem improbum durissime eum increpans ab sese abegit. Facient ergo pseudo-

prophete

prophete ij, ut ignis descendat de celo. Dei nutu celo eis obsequete: ut decipiant, qui perfecti stare in ecclesia sanctorum noluerunt. & hoc daemonum ministerio. Id quod etiam in veteri testamento fecisse eos testatur parientissimi Iob historia, cuius tactas oues puerosque, ignis de celo prolicitus absumpsit. Facient ergo ignem descendere in terram visibiliter, ut varie loquantur homines, quod fiet siue ex varietate gentium, siue ex satana fallacis excelsibili astutia, ut hoc quasi iudicio donum spiritus sancti sese propalam percepisse iactent. Quod sane precipuum credendum signum dominus quoque commendat dicens, Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo demonia eiicient, linguis loquentur nouis. Non ergo mirum si bestia, quæ sibi simulare tunc temporis agni occisi & rediuiui nomen usurpabit, hanc etiam sancti spiritus per imitationem fraudulentam usurpet specie tenus largitatem: quo signo excellentius Ecclesia non habet. Nam quum multa nobiscum hæreses habeant communia, hoc singulariter donum sola se habere gloriatur ecclesia de Christi Ecclesia: quo & magos Pharaonis similia Moysi scensius spiritus sancti in suis conatibus & artificio succumbentes, vera victi confessione dicerent, *Digitus Dei est hoc.* *Digitum autem Dei spiritum sanctum dici Euangeliste protestantur, quum vnus dicit, In spiritu Dei eiicio demonia, Matt. 12. Alius, In digito Dei eiicio demonia. Luc. 11. Vnde etiam vehementia seductionis promonstratur, ut illum habere spiritum bestia posterior putetur, quo resistente fraudulentia olim magorum vacuabatur. Ita ergo bestia hæc ignem faciet descendere de caelis: quia prædicatores Antichristi falsa imitatione per impositionem manus dare suis sequacibus fingent spiritum sanctum. Magnum miraculum & stupendum, sed quibus docet Apostolus, Qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salui fierent. Nam quum præmississet de Antichristo loquens, Cuius aduentus erit secundum operationem satanae in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, subiunxit, his qui pereunt. Euidenter ostendens, quia nisi prius intra conscientiam iam dudum perissent, minime seducerentur: & nisi charita-*

Signum excellentissimum ecclesie de- scensius spiritus sancti in igne.

Intra conscientiam perditam seducuntur.

R

*Abbatu Ru-
perti senten-
tia de periti-
tibus.*

tem veritatis prius intus reliquissent, nequaquam foris mendacibus prodigiis acquiesceret. An non iste est consuetus & antiquus ordo pereundi? De primis parentibus idem omnes sentimus, quia nisi prius intus per superbiam periissent: nisi charitatem veritatis reliquissent, non tam facile foris tentati cederent: non tam cito fallaci colloquio serpentis bruti animantis seducerentur, nec promissionibus eius crederent. Quapropter id quod nunc vniuersaliter Pauli dicere nouimus, singulariter in primis parentibus impletum cernimus: tremendo sane ac lamentabili exemplo vniuersorum, eorum qui charitatem veritatis negligunt. Nam, domino vaticinante, conuergit pseudo Christi, & pseudo propheta, & dabit signa, & prodigia: ita vt in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi.

Punct. 5.

Et seducet habitantes in terra, propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae, dicens habitantibus in terra vt faciant imaginem bestiae, quae habet plagam gladij, & vicit.

*Terreni sem-
per pereunt.*

Per habitantes in terra (vt iam saepe diximus) terreni intelliguntur, qui idcirco seduci poterunt a ministris Antichristi, quoniam plus terrena quam caelestia amant: & ij sunt qui charitatem veritatis relinquunt, quod terrenus affectus, & charitas veritatis simul non consistant, admirantes signa, quae crebescere vident ab impostoribus, quanquam nihil noui in eis fiat, vt iure miraret. Si dicas, quia ignem facient prodigiose e caelo descendere, hoc nouum non est, quum longe antea factum legamus, siue dum oues puerosque S. Iob. ignis e caelo descendens consumeret: siue dum duos quinquagenarios ad iussu Eliae combureret. Quod vero imago bestiae spiritu intrante loquatur, olim creberrime huiusmodi imagines dabat responsa. Nam & serpens voce humana loquutus, dum primos seduceret parentes. Si haec stulti admiratores nesciunt vani sunt: si autem sciunt, & necdum sibi temperant quin mirentur vanissimi: & vt propheta dicit, Simul insipientes & stulti peribunt, Psal. 48. Item. Esa. 44. Cor insipientes adorabit illud, & non liberabit animam suam. Talium signorum Christus Iesus nullum fecit, immo rogantibus interrim Iacobo & Ioanne vt sineret eos ignem in Samarita-

nos deducere: non modo non acquieuit, sed etiam cum increpatione rerudit eorum carnalem eiusmodi appetitum, dicens. Nescitis cuius spiritus estis. Luc. 9. Et Herodi- cu pienti aliquod signum ab eo fieri nihil profus respondit: quod solummodo in causa, & in tempore opportuno signa edenda putauit, & quae in primis salutis aliorum suffragarentur, non vanitati seruirent. Hinc & Ioannis discipulis respondit dicens. Euntes renunciate Ioanni quae vidistis, & audistis, ceci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Talium pietatis signorum non erit opifex aduersarius pietatis Antichristus, sed nec propheta eius. Proinde non simpliciter cornua agni habere dicitur bestia, sed similia, quod sub pietate agni exprimere in speciem contendat: quam cito demutatura sit in feralem crudelitatem. Ita enim hypocrita solent vt primum innocentiam simulent, deinde quales intus sunt licentius promonstrent: ita & principes omnes sanguinarij primum pij fuere, vt Nero & caeteri, deinde impiissimi. Dicatur ergo, Et seducet habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae, & quae sequuntur. Tam quid terra sit intelligimus quia terreni terram cupientes: & pro terrenis digladiantes, praecpta ac legem vitae contemnent. Signa autem sunt prodigia quaecunque in gratiam prioris bestiae factura est bestia posterior, quandoquidem hoc est facere in conspectu bestiae, rem placitam facere illi. Quod vero dicitur: quia iu bibit haec posterior bestia habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiae prioris, Antichristi videlicet, obscurum non est, quid velit: Facere namque imaginem, adorare hoc scripturae loco est. Vt ergo faciant imaginem bestiae prioris & adorent eam cogit bestia posterior. Sed quos? habitantes in terra. Nam illos cogere non poterit quorum conuersatio in caelis est. Porro, haec simulatio, quae erit in signis & prodigiis pseudoprophetarum, vno agmine per bestiam posteriorem intellectorum: eo stultitiae in plebibus progredietur, vt seducti miselli ij mirabili assensu illis fauentes, ipsi se sua sponte mutua cohortatione incitent bestiae imaginem erigere, adorareque: funesta satis affectione illecti, vt cui imaginem in cor-

R ij

dis phantasmate iam fabricauerant, fabricent & in theatris: & quam intus in conscientia adorare iam ceperant, adorent & foris in publicis locis: utpote qui iam nihil vitia existiment fore dubitandum, verbis decepti, signis quoque pellecti fallacibus quin vere ipse sit Christus, quauis in Antichristo diabolus delitesceret, qui habet plagam gladij, vel sententiæ diuinæ, vel quia cicatrices retinuit suæ simulatæ occisionis, postquam rediuuium sese exhibuit.

Punct. 6.

Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestia, & ut loquatur imago bestia: Et faciet ut quicumque non adoptauerint imaginem bestia occidantur.

Vt non leui causa concitatum populum terram inhabitantem post bestiam cum admiratione intelligeres: profiteretur ministros Antichristi tanta potestate vsuros, ut immisso spiritu satanico idolum illud execrabile à terrenis hominibus sic erectum respõsa quoq; dare faciant: quod sane efficacissimum erit ad seducendum homines, qui hisce mirabilibus potētius capiuntur: nõ omnes, sed qui charitate veritatis (vt diximus) carent. Datum ergo est. A quo datum? A Deo, permissiue tamen, ex magna iracundia in peccatores vt iudificentur perpetuis erroribus, qui apertam veritatem sequi nolunt. Iam vides quòd ex magna Dei omnipotentis iracundia, permittuntur homines iudificari: causa existente penes homines, quòd spiritum rectum suscipere contemnunt in grauissimam Dei contumeliam: vt etiam in sensus hinc deus artibus ad id proficientibus sinat procedere malignos. Tanta res est homini cum Deo, qui sæpe in modum irati parentis se exhibet, quòd aliter, eos, qui prædestinati sunt, nequeat ad se cõuertere. Vel certe (vt res habet) vult Deus punire malos, permittēs iudificari per eosdem puta dæmones, quorum voluntati consentientes, nihil veriti sunt contra autorem Deum peccare. Quæris me: Omnes ne errore hoc capiuntur: Minime. Erunt nanque & boni, qui despuant in simulachrum hoc, feruenti corde zelantes honorem Dei: qui contraria impossitoribus sacrilegis prædicent. Hi quotquot erunt, contemnent adorare idolum bestia: huius, & prædicabunt non esse illum Christum, vt falso credit vulgus, sed Antichristum iam pridem iusto damnatū iu-

Error in hominibus permittitur à Deo.

dicio Dei: etiam si propter peccata mundi permissus sit clarescere, vt in errorem deducantur multi qui non sunt scripti in lib. vitæ agni: quãdo ij soli pereunt. * Punc. 7.

Et faciet omnes pusillos & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu: aut in frontibus suis.

Bestia, per quã mirabiliter operabitur Leuiathan, longe dissimiliter similem sese exhibere contendit Christo, vt sicut ille promiscue ex omnibus absque personarum acceptione colligit sibi promissionis filios: ita & hic omnes pusillos & magnos, diuites & pauperes, & liberos, & seruos, sibi asciscet. Et sicut ille suos signat spiritu promissionis sancto in sacramento baptismi, ita & hic, diuersimode tamen: hic enim in iusto & visibili caractere, quo dignoscantur sui ab alienis, vt solent bestia: causa differentia in armentis signari. Ille autem inuisibili fide in cordibus suorum. Paulus ait, credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Ephe. 1. Quod vero dicitur, Et faciet habere characterem in dextera manu: ad literam intelligendū est, quòd suum characterem inurere faciat manui dexterae suorum, quicumque credent in illum: amulationem petens è scriptura, vbi præceptum est, Verba quæ ego præcipio tibi mediteris sedens in domo tua: & ambulans in itinere, dormiens aut confurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua. Deut. 6. Quod Iudæi carnaliter intelligentes, charulis inscripta præcepta Dei gestabant in suis manibus: quatenus exinde ad Deum pertinere crederent: tamen si Deus voluerit id intelligi spiritualiter, vt opere implerēt quæ scripta essent. Per manus enim operationes intelliguntur, eo quòd manibus operemur corporis necessaria, vnde etiam à philosophis manus organum vocatur organorum, id est, cæterorum membrorum quasi mancipium, & in seruum deditum membrum. Quòd multo peius Iudæis intellecturus est executurusque in funesto opere Antichristus, qui iniusto caractere signaturus est suos in frontibus, & in manu eorum dextera: vt palam fiant sui, hoc discerniculo cogniti. Sic ergo potest simpliciter textus intelligi, vt pusilli sint ætate tenelli: magni similiter viri ætate robusti & fortes: diuites for-

Antichristus imitabitur Christum in colligendo populo ad se.

tunis pollentes, ac rerum abundantia locupletes; pauperes inopia rerum familiarium constricti: liberi nobiles sunt, nec alicuius seruitute obnoxij: serui sub aliorum potestate redacti. In summa voluit variis his hominum conditionibus eos exprimere, quos confusa draco in vno complectetur corpore. Moraliter pusilli sunt, qui malum, quod intellegunt, & volunt, non possunt perficere, quasi imbecilles: & qui nihil fortiter faciunt. Possunt esse & timidi qui nihil eriguntur quoties tentationibus perurguntur. Aut simplices, quos malignus ille facile seducturus est, eo quod persuasionibus verisimilibus facile capiuntur nulla forti cogitatione fidei sese roborantes. Magni sunt, qui perfecti in vita spiritus sunt fidei magnitudine, qui & hi poterunt decipi. Tanta erit vehementia seductionis. Diuites vero qui dotibus spiritus praediti sunt, siue quibus cognitio mysteriorum Dei abunde suppetat. Pauperes, qui his carent dotibus, nec bonorum operum exercitibus student abundare: nec curant clari esse virtutibus ignaui & socordes. Sunt pauperes & spiritu, quos beatos praedicat Christus. Matth. 5, qui nihil terrenorum concupiscunt: de quibus nescio si praesens loquatur scriptura: tamen quia & in his potest esse quandoque aliquid imperfectionis aut etiam inconstantiae: fiet certe, vt aliqui etiam ex his seducantur. Liberi sunt iustificati a peccato per fidem Iesu Christi, iuxta illud, Nunc autem liberati a peccato, serui autem facti Deo. Rom. 6. Vel sic clarius, pusilli, quos characterem habituros fore dicit in manu dextera, sunt bene incipientes in via domini, qui in omnibus timent, & nihil praesumunt: cogitantes subesse peccatum, etiam vbi nullum subest peccatum. Magni proficientes, qui roborari ceperunt in via domini perfectius opera sancta facientes. Diuites perfecti in omnibus mandatis domini, & virtutibus. Pauperes spiritu, qui terrena contemnunt. Liberi quos fidei iustitia a seruitute peccati liberauit. Serui autem carnales qui passionibus desideriorum inseruiunt: qui omnes, id est, aliqui ex singulis horum generibus, seducuntur, vt accipiant libenter characterem in dextera manu: aut etiam in frontibus suis, testantes propalam se fore de exercitu magni illius imperatoris, sub cuius po-

testate redactus esset vniuersus orbis. Potest intelligi in manu dextera operario sub pia intentione: quod seducti credant se bene fecisse, quod acquieuerint persuasionibus impostricibus pseudoprophetarum, remque placitam ceterum se in omnibus operibus secundum illum errorem se facturos deo. Iuxta illud, Omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium praestare deo. Ioan. 16. Frons mens est, vt enim frons semper delecta pars ac superior capitis est, sic mens animae. Sic igitur seducti affectu magni Antichristi habebunt promiscue characterem in manu dextera & in frontibus, vt mente & opere consentiant antichristo. D. Haymo. In fronte, inquit, fides exprimitur: quemadmodum etiam fides in christum est character sanctorum, id est signum, ita malignitas in reprobis signum erit filiorum perditionis. Habent ergo inquit characterem in dextera manu, & in frontibus suis: quia vbi debuerunt habere pura opera virtutum fideique, vbi dedecorosi criminis maculas contrahunt erroris. In manu habent Iudaei quoque huius informis monstri characterem, quia opera diaboli faciunt. In fronte, quia in eum credunt, & illum recepturi simulatque emerferit, iuxta illud dominicum oraculum. Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo illum recipietis Ioan. 5. Similiter habet & illi, qui consentunt se nosse deum, factis autem negant, vt dixit Apostolus. Hi fidem verbotenus habent, sed fidei opera non habent. Proprie autem ad illud tempus pertinet quando mali aperte illum sequentur reproba fide, & reproba actione.

* Punctus 8.

Et ne quis possit emere vel vendere nisi qui habuerit characterem: aut nomen bestiae: aut numerum nominis eius.

Hunc locum spiritualiter expendere voluit, D. Haymo de talento doctrine dicens. Negotium istud spiritualiter est agendum. Dominus quippe committens suis fidelibus tanta talenta doctrine, dicit. Negociamini dum venio, Et bene praedicatio negotio comparatur. Sancti enim doctores doctrinam praerogant, & fidem a populis reportant: fidem impartiantur, & eorum protinus vitam sumunt. Tēpore itaque Antichristi nemo talium, id est, bonorum

R. iiii

*Attende
Christiane.*

prædicatorum poterit vedere aut emere, id est nemo poterit prædicare libere christum, quia carceribus recludetur & in super interficientur, nisi qui habuerit characterem bestię, id est, fidem illius tenuerit, & nomen eius, & numerum nominis, de quo in sequentibus dicimus. Character autem & nomen bestię: numerus nominis eius, vñ sunt: verum ista prædicatio non cessabit in his qui electi fuerint, quoniam prout valebunt, talentum domini, talentum diuini verbi erogare curabunt. Ad has enim nundinas adueniunt illi eximij negociatores Elias & Enoch: qui oculis hominum præclaras ecclesię merces ostendit & explicant: vt nõ solum fidei christianę dediti, verum etiam illi eas concupiscant, qui characterem bestię habere videbantur: domino de altero eorum loquente, Elias veniens restituet vobis omnia. Quę omnia tum fient. Aget enim tum bestia pro virili vt uomen sacrosanctum domini; quod inuocatum est super nos abradatur de frõtibz christianorum: & nomen suum execrabile inscribatur, id est vt fides denegetur christi, & Antichristi professio suscipiatur, vtque ad nutũ eius operentur omnes. Scimus equidem in baptismo recepisse nos characterem, id est, fidem Christi, & nomen, vt christiani dicamur: & numerum nominis eius quando baptizati sumus, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, quod nomen est super beatissimę trinitatis. Signaculo sanctę crucis, in super consignati toties sumus, vt & characterẽ haberemus impressum semper in anima seu mente: & recogitaremus quia per crucem redempti sumus: in qua sola se gloriari astruit Paulus. Non solum autem hæc in mente, sed & in opere, exhibeamus oportet, id est, vt respondeamus vita fidei promissã, quod est in manu characterem gestare, & nomen, & numerum nominis eius. Sic luceat lux vestra (ait dominus) coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrẽ vestrum, qui in celis est, Matt. 5. Et Paulus; Sic nos existimet homo, vt ministros christi, quod dum facimus, quid aliud agimus, quã quod portamus characterem Dei & domini nostri Iesu christi, & nomen, & numerum nominis eius? Ad quam formã vult suos fore hæc bestia enormis, dũ reuelabitur in zelo execrabili, vt pote cupiens semper honorem diuinum apud

*Character
fides in bap-
tismo susce-
pta.*

*Numerus
nominis Dei.*

*Fides in mē-
te, crux in
fronte.*

homines sibi vindicare in terris: qui apud angelos non potest, nec in cęlis: quo non pertinget.

¶ Punctus 9.

Hic est sapientia. Quis habet intellectum, computet numerum bestię, numerus enim hominis est, Et numerus eius sexcenti sexaginta sex.

Obscuritatem huius loci considerans beatus Ioannes attentum voluit facere lectorem: atque iccirco eum præmonuit quatenus numerum bestię consideret: & quia homo erit Antichristus, plenus tamẽ dęmone subiungit, Numerus enim hominis est. Ac si diceret. Attendite diligenter, quia homo erit simpliciter, non deus, quem ipse se iactabunde astruet: & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Quid vero est quod numerum nominis eius supputari vult ita dicens, Qui habet sapientiam computet numerum bestię: Num istud intendit vt cõputando sapienter hoc totum perquiram? quot in isto numero sint monades, aut certe decades? Quis sapientiam habens istud tam grandi scripto quæreret, vel quarendum proponeret? Ergo, quoniam sic scriptura hac præmonemur, vt bestię numerum computemus faciamus periculum, vt in numero nomen eius cognoscamus. Numerus eius (inquit) sexcenti sexaginta sex. Quia enim Gręci, ad quos liber gręcę scriptus est, litteris alphabeticis calculos numerorum reddunt, & his pro notis numerorum vtuntur: secundum idioma linguę eorum, si literas alphabeticas ad summam aggregates Arnoumã reddes: in qua dictione si vltimum diphtongum, qui alias per epsilõ pronuntiatur in e mutaueris, dixerisque Arnou me numerum ipsum nominis reperies. A, enim symbolum est unitatis. r, centenarij. n, quinquagenarij. o, sexagenarij. u, quadringentorum. m, quadragenarij. e, quinarij: quę compacta reddunt plenum numerum in textũ expressum: videlicet, sexcenta sexaginta sex: qui numerus est figura omnium mundi temporum ab Adam vsque ad huius bestię exterminium. Nam in primis sexcentenarius typus est sex mundi ætatum, in quibus huius bestię membra aduersus Christi membra depugnarunt ab initio. Prima numeratur ab Adam vsque ad Noë: Secunda hinc ad Abraham: Tertia ad Moysen: Quarta ad Dauid: Quinta

*Antichristi
nominis nu-
merus.*

*Nomen an-
tichristi ex
numero refer-
tum.*

*Antichristi
spiritus à mū
di exordio vi
scit in repro
bis.*

*Sabbatum
christiani
orbis.*

*Arnoume
negare signi
ficat.*

ad transmigrationem in Babylonem. Sexta ad dominura nostrum Iesum Christum. Denique sexaginta significant sex sigillorum tempora, quibus fortunæ varietatem & æstum persecutionum experietur ecclesia: de quibus copiose tractauimus. Sex residui figuram tenent sex septenariorum id est quadraginta duorum mensium: aut temporis per hos menses figurati, quo perditus ille reuelabitur, contra sanctos ecclesiâque defeuiturus. Ex quibus colligitur, quod ipse bestia spiritus à mundi exordio mysterium iniquitatis sit operatus in reprobis: deinde quod omnia fere secula sint diuisa numero senario: septimumque velut ablatum addatur, ad quod minime sit bestia peruentura, in suo senario deficiens: tum enim temporis adueniet verus ille Christus dominus noster, qui vere in se credentibus sabbatum cælestis gloriæ præparauit: quanto tamen post hoc tempore solus ille nouit, qui in numero, pondere & mēsurâ statuit omnia. Hoc unum constat, quia post mortem Antichristi vincietur satanas, & sancti cum multa pace agent, damnatis bestia & pseudopropheta eius. Erit tunc sabbatum quale non fuit ab initio. Verum enimvero solent antiquæ hæreses subinde reuiuiscere, & vitia renasci: soluentur enim in vitia homines rursus, quasi reliquæ priorum qui perierunt, quos seducet satanas: ij quasi diu victuri ædificabunt domos, plantabunt vineas, matrimonia celebrabunt, scortabuntur, inebriabuntur, aliena diripient, & cuncta facient quæ facere solebant membra infani corporis: & quum non sperabunt, quasi fulgur edito tonitruo in tuba descendet dominus ad iudicium. Significat autem nomē hoc quod ex numeris confarcitur, negare, quo nihil competentius monstro huic competit, abnegaturo omnia, & rescissuro: vt recte Arnoume, id est, nego, sit nomen eius. Quia si ex verbo Dei qui spiam dixerit hoc bonum est: negabit ille, & dicet, nequaquam: quæ vox primum in paradiso ab ore satanæ excidit, quum mulierem aggressus, temptationis virus illi impressit, plane ostendens se illius spiritu duci: quo intelligeres totum hoc deceptionis fore laqueos quicquid gereretur. Confarcitur & aliud quoque nomen ex Græcânicis literis simili quodam mysterio, id

Antemos est, quod interpretatur, honori contrarius, quod & hoc ipsum illi bene conuenit, quia Antichristus verò christo saluatori contrarius dicitur: hoc enim nomē præcedentem in se continet numerum, hoc modo, A. i. N. l. T. ccc. E. v. M. xl. O. lxx. S. cc. quæ supputata, sexcenta, sexaginta sex faciunt. Quo circa per numerum nomen: & ex nomine supputatus numerus inuenitur, atque ipse interpretatione nominis qualitas meritorū agnoscitur vt siue Arnoume, quod nego est: siue Antemos, quod honori contrarium sonat, dixit, iure ad Antichristum referri vtrunque probaueris: vt pote per duas partes orationis nominis scilicet & verbi, & personæ qualitas, & operis ratio insinuetur. Dicatur ergo, quasi digito monstrando. Hic est sapientia. Qui habet sapientiam, computet numerum bestia: numerus enim hominis est, & numerus eius. De numero bestia, qui numerus nomen ei componit, satis dictum est: nunc autem alio mysterio duo hic numeri occurrunt, alter nominis eius, quod sibi usurpabit, Dei videlicet, vt pro Deo habeatur, alter hominis. Homo enim merus erit, licet inhabitet eum diabolus. Alius ergo est numerus Dei, Alius hominis, perinde atque creatoris & creaturæ: nisi homo dissentiens alium sibi peperisset numerum transgrediendo mandata, vtique habuisset eundem cum Deo numerum. Numerus Dei septenarius est, scriptura attestante quæ ait, Compleuitque Deus die septimo opus suum, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauit ab omni opere suo, quod pararat. Numerus denique hominis senarius est, sexto enim die creatus est homo, & quidem ad hoc, vt post obedientiæ opus consummatum, cum Deo in septimo sabbatizaret, id est, requiesceret: eoque completeretur bono, quod significatur dicendo, Compleuitque deus die septimo opus suum, quod fecerat: significat namque dies septimus remunerationem boni operis: sed ipse abiecta obedientia opus suum haud consummauit, vt non cum Deo die septima sabbatizaret: proinde ait: Numerus enim hominis est, &c. Præmiserat quippe, Si quis habet sapientiam computet numerum bestia. Quod perinde est atque diceret, Si quis

*Antemos
nomen An
tichristi.*

*Numerus Dei
alius quam
hominis.*

*Dies septimus
remuneratio
boni operis.*

*Antichristus
homo erit in
senario desi-
ciens.*

habet sapientiam: quum viderit illum hominem peccati potentia ac diuitiis pollentem, resistentes sibi necantem, magnificēque in omnibus triumphantem, cōsideret quia quicquid loquitur, quicquid agit, non pertinet ad illam requiem: nec enim est de illa septima creatoris, de dei verbo, de regno charitatis æterno: sed totū de creatura mundi citra septimam facta, de concupiscentia carnis, & oculorum, & de superbia vitæ: ac sic certo consumatus argumento sciat, & dicat, quia homo est, non Deus quem se pollicetur. Quum igitur dixisset. Numerus enim hominis est, senarius scilicet simplex, qui est creaturæ simpliciter, hominis & angeli, & aliarum rerum pro tempore existentium. Ille enim homo erit simpliciter, non deus, cui se totum diabolus insinuabit, & ideo aduentus eius erit secundum operationem satanæ, vt dixit Apostolus. Quocirca & numerus, inquit, eius sexcenti sexaginta sex. Iam senarius tertio repetitus in duplum, atque in centuplum multiplicatus est, notum est quod dicimus Arithmetis, quia senarius character de primo, id est, singulari limite in secundum, id est, decimum transgressus sexaginta facit: in tertium transuolans, domum, videlicet, centenarij, sexcentos efficit. Quum ergo dicit, Et numerus eius sexcenti sexaginta sex: senarius, qui erat numerus hominis ad septimum diem minime pertingentis, id est, requiem dei, ex sua pruaricatione, secundi, & tertij limitis transgressione multiplicatus est vehementer: quia videlicet diabolus, secundum cuius operationem erit aduentus illius perdit, & qui in illo totus habitabit: postquam semel à requie dei, id est, sabbatismo cœlesti sese excussit, secūdo ac tertio conatum multiplicauit. In celo primum, deinde in paradiso, postremo in Antichristo multiplicaturus. Bene ergo quum dixisset, Numerus enim hominis est: addidit, Et numerus eius sexcēti sexaginta sex, ter quasi repetitus: quia scilicet labor peccati, qui in homine cum deo nō sabbatizante simplex est: in illa bestia notis incrementis secūdo ac tertio multiplicatus est. His animaduēsis non ab re erit considerare dehinc quia plagam mortis eius ter commemorat. Primum quum dicit, & vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Secundo, Et fecit, inquit, terram & in ha-

bitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Tertio, vt faciant imaginem bestię, quæ habet plagam gladij, & dixit. Bis etenim malignus ille plagatus iam est. Primo in celo, quādo iudicatus sententiam damnationis accepit. Secundo in paradiso, quando in serpente maledictione multatus est. Super est vt tertio quoque plagetur, quando dominus Iesus interficiet illum spiritu otis sui. Hic est ergo numerus illius bestię, sexcenti sexaginta sex.

CAPVT. XIII.

¶ DE AGNO STANTE SV PRA
MONTEM SION, ET CENTVM QVA-
DRAGINTA QVATVOR MIL.
ET CANTICO NOVO.

Sect. I. Punct. I.



T vidi: Ecce agnus stabat supra montem Sion: Cum eo centum quadraginta quatuor millia: habentia nomen eius. Nomen patris eius scriptum in frontibus suis.

Denunciatis ecclesię grauissimis persecutionibus, consolatorium quoddam adhibet, sane reducens mentem afflictorum ad dominum, qui non derelinquet confidentes in se, cum quibus diuersari gaudet: commemorans ipsum dominum in typo agni supra ecclesiam suam aduigilare, quam montem Sion nuncupat. Sion enim speculatio interpretatur, sanctam significans ecclesiam, quę contemplationi dei maiestatis iugiter inhæret, prospiciens futura, cauenda denunciāns. De hoc monte in psalmo dicitur, Mons Sion ciuitas regis magni. *Sion ecclesię.* Psal. 47. Et dominum in alio loco loquentem introducit dicēs. Ego autē cōstitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius. Psal. 2. Rex enim est christus, ita enim Græcis interpretatur qui messias. Iudæis est: qui ita cōstitutus est rex à patre supra ecclesiam, vt nec ad momentum quidem derelinquat eam: iuxta illud, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem

seculi, Matth. vlii. Quod magnæ consolationis nobis vtiq; res est, etiam in medio vmbrae mortis positus, quandoquidem praesentem vbiq; habemus dominum: qui est rex, & custos, & afflictiis pius pater compatiens. Et vidi ergo: Et ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Vbi illud in primis aduertendum quod numerus hic positus, videlicet centum quadraginta quatuor millia, licet vniuersitatem credentium suo merito exhibere possit: tamen visitationis ordo exoptulat, vt illos principaliter commoneat qui post interitum antichristi futuri sunt, reddita vniuersali pace ecclesiae, quæ erit in septimo millennario, qui maiori parte sabbati filiorum dei erit: & pacis communis totus, prout dictum est. De ipso autem numero ex coniectatione Abbatis Ruperti ita accipe, Centenarius quippe numerus in diuina scriptura perfectus non raro ostenditur. Vnde est illud, Terra bona fecit fructum centuplum. & homo quidam habuit centum oues. Rursum qui reliquerit domum vel fratres &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Quadragenarius quoque numerus in mysterio est consecratus. Moyses quadagesimo die legem accipere meruit. Elias quadraginta dies peregrinatus ad montem dei Oreb peruenit. Christus quadraginta dies ieiunauit & noctes. Quaternarius item sacer est ob quatuor notissimas orbis partes: quatuor Paradisi flumina: & quatuor euangelia. Millenarius summa perfectionis est. vnde legis, Verbum deus mandauit in mille generationes. Quum enim constet nequaquam ad centum generationes mundum extendi: quid in mille generationibus nisi generationum vniuersitas complectitur: Nam & in hac sacra Apocalypsi sancti cum christo mille annis regnare dicuntur, id est semper, qui semper stant cum christo super Sion montem sanctum eius: qui etiam in frontibus suis nomen agni, & nomen patris eius scriptum gerunt. Iam diximus non semel quid per frontem accipiendum sit nisi mentem. sicut enim frons superior pars capitis semper detecta est: ita sanctorum mens detecta deo, estque superior animæ portio. In frontibus ergo, id est, in mentibus suis sancti gerunt nomen patris & filij:

Centenarij numeri perfectio.

Quadragenarij quoque.

(Nec spiritum sanctum exclude, qui etsi non commemoratur: quia tamen amborum nexus est iuxta intelligitur) & ita gerunt quod profitentur propalam libera confessione, se patris & filij & spiritus sancti, vnius & veri dei esse seruos: summam videlicet trinitatem ineffabili voce laudantes. In quem modum dictum est illud, Vt porret nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis israel. Act. 9. Querit Rupertus abbas quid sit nomen patris: & quid nomen agni? Responder. Nomen patris est pater, nomen agni est agnus. quibus inquit vocibus nos patris vnius esse filios, & in hac gratia agnos nos oportere esse, id est, immaculatos & innocentes intelligimus. Aliter, nomen patris est idem quod filius, verbum incarnatum, deus & homo, messias in lege promissus: qui eo quod nonificauerit patrem mundo nomen est. Est autem hoc nomen Iesus, nomē videlicet illud tetragrammaton: quod quatuor mysticis literis apud Iudæos scribitur, Y oth. he. Vau. he. quæ voces suis punctis compositæ. Y ohesua efficiunt: id quod latine dicimus Iesus, hebræi per Adonai efferunt, nomē non vocale nec scriptum, nec volatile: sed reale, sed permanens, sed æternum, quod est ipse deus saluator per essentiam: vt coacto sensu cum hebrais pulchra quadam vocis harmonia consonemus: vt quod ipsi per tetragrammaton obscuro satis sensu, & pene vix intelligibili reddunt: præclarior nos, velut iam reuelata facie deum specularantes magnis vocibus acclamemus Iesus, ex illis quatuor literis vocabulum conserientes: quod nomen dei ipsissimum est, & reale: quo deus pater declarauit se mundo. Quod quidem nomen non fuit mundo cognitum vsque dum veniret christus: quod tum quando angelus dixit Mariæ Luc. 1. vocabis nomen eius Iesum; primo fuit manifestatum & scitum: quod alius Euangelista Matthæus cap. 1. cum declaratione mysterij posuit di. Vocabis, inquit, nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Matth. 1. Quod non erat nomen, sed verbum donec fuit in mente patris nobis absconditum. Postea vero quàm incarnatum est verbum hoc, nomen factum est, augmentum simul ac venerabile: neque enim est aliud nomē sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos sal-

Iesus nomen essentiale dei.

Verbum & nomē quomodo filius in diuinitate.

uos fieri Act. 4. Quod ita demonstratur, conceptus nostri intellectus, quo apprehenditur res in suo essentiali, dicitur verbum, vsquequo per vocem veniat in noticiam hominum: quo facto verbū, quod abstrusum in intellectu, latebat, videlicet conceptus ille rei definitivus, in voce nominis vocabulū assumit, a sui videlicet notificatione: quod per eiusmodi vocem ceteris notificetur: ideoque nomen vocale dicitur: aut scriptum si scribendo notificetur. Dupliciter namque conceptum nostri intellectus notificare solemus: voce, aut scripto. Ad hunc modum diuus Augu. 13. de trinitate docet verbum patris de essentia eius ab æterno genitum, soli sibi fuisse cognitum: quo pater se comprehendit secundum totum pelagus, & plenitudinem suæ diuinitatis: per quod tanquam per artem ex tempore dixit, id est, creauit omnia ad extra: & per hoc ipsum idē verbū siue nomen manifestauit se mundo, & voluntatem suam expressit perinde atque nos per vocem mentis nostræ cōceptus solemus manifestare, & exprimere voluntatem: qua etiam vna ex causa sentiūt Theologi verbum illud æternum in temporis plenitudine fuisse incarnatum vt scilicet voluntas patris manifestaretur hominibus per ipsum, quatenus omnes saluarentur per ipsum: propter quod dicit, hæc est enim voluntas eius, qui misit me patris: vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitē illud in nouissimo die. Denique, hæc est voluntas patris mei, qui misit me: vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ioan. 6. Vides quā recte dicantur sancti gestare nomen hoc sacrosanctum, & saluificum in frontibus suis: qui corde credunt ad iustitiam, ore autem consententur ad salutem: quod non solum ij qui mortali cinguntur corpore, sed etiam qui celesti potiuntur gloria gestant: in quibus signo perpetuo relucet, quod in nomine domini Iesu salutem adepti sunt & gloriā, plus quā carnis viribus. Nec debemus hoc (ait Haymo) carnaliter intelligere, quasi habeant picatiola circumligata frontibus, in quibus sit nomē agni, vel patris eius conscriptum: sed in suis frontibus, nomen agni & patris portant, quorum fidem tenent, & operibus ornant: & quia in nomine patris, & filij signantur, & hoc signo crucis indicatur fidē nos

nos

nos debere in operibus sanctis continere, & penitentia: Crux enim spiritualiter penitentia est, iuxta illud, Qui vult venire post me abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me, Matth. 16. Sed qui eum sequimur, non omnes crucis trabem in humeros leuamus, vt illi configamur: opus ergo est rem spiritualem spiritualiter examinari.

* Punc. 2.

Et audiui vocem de celo tanquam vocem aquarum multarum: & tanquam vocem tonitru magni: & vocem quam audiui sicut citharedorum citharizantium in citharis suis.

Stante agno ac felicissime triumphante super Sion, in tempore illo, quod septimi millenarij fore confidimus, post interitum Antichristi, qui in numero hominis peribit, nec poterit ad dei numerum peruenire, vt sabbatizaret cum fidelibus: vocem Ioannes audit tanquam vocem aquarum multarum: & tanquam vocem tonitru magni, quam mox, ne admodū terrificam fore crederes, cithararum suauissimo tinnitu moderatur, cui vocem tonitru magni persimilem dicit. Non erat cui æquius communis tripudij vox quā vocibus aquarum multarum & tonitru, & cithararum compararetur, quæ excitant & delectant. Aquarum nomine populi designantur. Habes infra cap. 17. & Psal. 76. Viderunt te aquæ deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. neque enim aquæ visum habent, nisi aliud per eas designetur. Populi ergo per eas designantur, & qui fideles sunt: illi enim per fidem vident deum, & timent: qui omnes grata ac consona voce concinunt in ecclesiis victoriam christi, & ipso concentu mire gaudent corde lætanturque. Quod dum fit, id est, dum pariter voces fundunt, tenelli pueri cum grandioribus maturisque iam ætate viris: siue etiā inter sese viri ipsi, maxime in ecclanti, quem nomlis quadris figuratū dicimus: vbi diuinitate harmoniarum mirus ac persuasus sonus redditur, haud aliter quā si per strepens aquis amnis super strata saxa decurrat. Potest esse & alia ratio cur per aquas populi, & non alij quā credentes designentur. Nanque hi ex aquis baptismalibus renascuntur, vt semper originem referant, nomineque vocentur originis: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate

§

viri, sed ex deo in aquis baptismalibus nati sunt. Ioan. 1. Sed est in tonitruo aliud quoque mysterium. Per quod non aliud intelligo, quam fortissimam sancti verbi dei predicationem: quod inuictissimi præcones tunc temporis sunt annunciaturi. Quod recte cum laudantium voce auditur: quia fidei verbum cum gratiarum actione & laude ubique personare debet. Igitur his & cithara, in qua est sonitus delectatio, significans sane ad terrorem subinde sequi debere confortationem in consolatione spiritus sancti. Sæpe enim fit; vt dum constantissimi verbi dei prædicatores fidei sacramenta denunciant, iudicij simul terrorem immisceant: quem nisi misericordiarum lenitas excipiat, pauper conscientiam in desperationem obrubat. Qui modus in prædicationibus in primis fuerit obseruandus, quod in serie scripturæ sacræ occurrit legentibus, vt post terrorem iudicij consolatio spiritus non raro sequatur, quæ est in promissione gratiæ & veniæ. Vnde palam fit: & tonitrua, & citharedos, sanctos debere intelligi predicatores. Tonitruum est Paulus, quum ira sæui aduersus Corinthios, quod fornicatorem notorium inter christianos conuersari paterentur. Et quum Galathas in sensatos dicit: & quum negat in vitis sedetibus regnum cælorum obuenire: quumque adhæc ad tribunal raptos quosque rationem reddituros prædicat. Item quum astruat quemque onus suum portaturum: & ignem probaturum opus vniuscuiusque. Est & citharedus, vbi dulciori quodam spiritu loquitur dicens, consolamini inuicem in verbis istis, & iustificari ex fide pacem habemus ad deum per dominum nostrum Iesum christum. Rursum. Quum inimici essemus, reconciliati sumus deo, per mortem filij eius: reconciliari autem salui erimus. Ro. 5. Item, Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in christo Iesu. Ro. 8. Ibidem. Ipse spiritus, non dubium quia sanctus, testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem dei, coheredes autem christi. Et, Diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Innumerabiles sunt eiusmodi consolationum voces apud Paulum, vt plus citharedus quam tonitruum tibi videatur. Similiter alij quoque nouæ gratiæ assertores fidelissimi vt Petrus, Ioannesque & cæteri in Episto-

lis suis. Per tonitrua ergo terrores comminationum: per citharas lenitas gratiarum iure capiuntur: adhibitis illis, in sermone fidei, vt a peccatis fideles absterreatur: hac autem ne desperent, ne in conscientijs paueant. Probat autem tonitruus terror magis hunc scripturæ locum de ecclesia militante, quam de triumphante capi debere: quum in illa, quæ est superiorum patria, nihil terroculamenti fas sit credere: in hac plurimum, propter infirmitatē carnis nostræ, demonum quoque insidias, ac mundi illectamenta, tum multa tum varia: vt vix sue integritati quisquā possit consistere. Ad quæ quandoque superuenire oportet horrissoni quoque tonitruus clangorem, vt non in vrianuis aures dormiamus, non suauius nobis viuamus, nec in carnis desiderijs conuiescamus: quoniam vindex est dominus malorum, qui punit scelera vsque in tertiam, & quartam generationem.

*O Punc. 3.
Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem Dei, & ante quatuor animalia: & seniores.

Filij ecclesiæ cantant quasi canticum nouum, quum gratiam euangelicam ubique personant: quæ merito sui canticum nouū fore putatur. Primo quia antiquas legales illas ceremonias abiicit, Neomenias, sabbata quoque ac circuncisiones, quæ in christo sunt euacuata. Secundo, quia christum nouū regem recipit olim promissum omnia renouantem. Tertio, quia nouas institutiones sacrificiorum habet, & nouos ritus sacramentorum: vt sunt baptismus, ordo sacerdotalis, pœnitentia. Vnum autem & præcipuum sacrificium Eucharistiæ: quod nouum est, ac per omnem modum commendabile, præciosum, dulce, & omni suauitate ac gratia repletum: ob idque Eucharistia vocatum: eo quod gratia bona repletum: quod iuge esse nobis, ac perpetuo offerendum debet: in quo corpus domini & sanguinem verum deo primū per peccatis offerimus, ac deinde ore libamus in sapore spiritus percipientes: quoniā dulcis est dominus, & suavis spiritus eius, quo reficimur: & corroboramur, spiritu nostro semper renouato immutatoque ad omnē gustū eius: quo in primis testatur deus nos pro charis semper habere, ob idque testamentū nouum est, datū nobis in fœdus sempiternū. Ad hæc nouum canticum est, quod noui cantant filij ec-

Canticum
christianorū
cur nouum.

Eucharistia
vis & effica-
cia.

clefiæ: quia videlicet euangelium virginitatem præfert
 cælibatui, & celibatum coniugio: quum huic tricessimum
 fructum polliceatur, cælibatui sexagesimum, virginitati
 tanquam virtuti præcellenti centesimum: nec vana fide:
 vbi nanque est maius meritum, ibi maius præmium, ac
 merces, quæ multa est in cælis. Dicatur ergo, Et cantabunt
 quasi canticum nouum, quia videlicet filij gratiæ
 puritate vitæ christum sectantes, singulari quodam gau-
 dio afficiuntur, quum charismatibus plenius imbuuntur:
 vt exhilarati in cordibus suis, & dilatati dicant, Domi-
 nus regit me & nihil mihi deerit: in loco pascuæ, ibi me
 collocavit, Et, Super aquam refectiois educavit me &c.
 Psal. 22. Nunc quid particula, quasi, importet: requira-
 mus, est enim aduerbium similitudinis quandoque ima-
 ginem quandam rei referens, sæpe & ipsam planè verita-
 tem approbans affirmansque: vt ibi. Vidimus glori-
 am eius: glori-
 am quasi vnigeniti à patre. Vbi quasi non infert si-
 militudinem, sed veritatis planè approbationem & affir-
 mationem cum quodam pondere: quomodo dicimus:
 quasi vir fecit: vbi quasi approbat & affirmat illum vi-
 rum esse, qui tam egregium opus fecit: & in saluatore
 affert affirmationem quòd sit patris dei vnigenitus: alias
 etiam gloriã de se non promonstrasset. In quem modum
 & hic quasi affirmare poterit canticum, quòd sit nouum:
 quia de nouis christi operibus, quæ verè noua sunt om-
 nia, inaudita prius sæculo: quod cantant christi fideles. Id
 quod solum debet esse christi fidelium proprium canti-
 cum. Nanque aduerbiũ hoc, quasi, habet etiam quiddam
 proprium. Quod si ad similitudinem referas, significat
 nempe hoc vitæ canticum nouum similitudinem illius
 cantici noui, quod in patria canunt sancti in gloria de
 christi triumpho, & glorificatione sanctorum. Dicerem
 ego, circumspectis causæ partibus, canticum hoc, quod
 cantabant illi centum quadragintaquatuor millia, simile
 dici illi cantico, quod beati cantant in gloria liberati ab
 omni discrimine, vt nihil vnquam vltra timeant, propter
 læticiã liberationis a magno antichristo, & seuita perse-
 quutionis eius magnitudinem. Ingens enim & intolerabile
 erat persequutionis eius vis, ingens & intolerabile
 periculum draconis & infestationum eius: a quo quia sic

liberati beneficio christi sancti, quibus exinde contigit
 gloria sempiterna & læticia exuberans, gaudent in cælis,
 & cantant canticum nouum, videlicet noue liberationis:
 similiter etiam christi fideles post liberationem ab anti-
 christiana persequutione, quæ maxima erit in tempore
 illo cantaturi quasi simile canticum sunt, quia quasi pro
 simili causa. Similis causa est, quia liberatio a periculo
 quasi similis, quia celestes sine vltiore metu: terrestres,
 quia cum aliquo casu futuri metu. In summa hoc aduer-
 bium, Quasi, quandoque refert similitudinem quandam
 rei, vt ibi. Mulier fortis quasi vir. Quandoque rei verita-
 tem approbat & affirmat, vt Ioan. 1. Vidimus gloria
 eius, glori-
 am quasi vnigeniti a patre. Quandoque etiam
 significat proprietatem: vt si dicas. hoc quasi meum est
 id est: proprium mihi: quibus omnibus modis hic, quasi
 capi poterit diligenter inspicienti: hoc est, & per simili-
 tudinem: Nunc enim videmus per speculum, & in æni-
 gmate: tunc vero facie ad faciem, sicuti est. 1. Cor. 3. vnde
 etiam magnitudo cantici huius exoritur necesse est. Et
 per veritatem, vt quasi nouum sit canticum. id est, vere
 nouum, inusitatumque antiquis auribus: quod totum
 christo tribuitur, qui solus veritatem in mysterio cantici
 huius in se implet: quo secure sancti liberati ab anti-
 christo canere illud possint in veritate. Et etiam per
 proprietatem iure capies, vt quasi proprio cantico vtan-
 tur. id est, peculiariter ipsis conuenienti. Sed ne exortes
 nos quoque ab hoc quasi nouo cantico stamus. Dicatur
 & de nobis. Et cantabant quasi canticum nouum: cantici-
 cum antiquis auribus inusitatum, ideoque nouum: quòd
 depulso comminationis metu, peccata modo gratis
 condonentur, & promissa hæreditas reddatur: quatinus
 quàm longissime absit ab homine iam verè christiano
 diffidentia salutis post perceptam gratiam. Quod vero
 illi, qui sub numero centum quadraginta quatuor mil-
 lium designantur, cantare ante sedem dei: & ante qua-
 tuor animalia: & seniores dicuntur, significatur certe
 vt quicquid in laudem dei fide inconculsa illabefacta-
 que a credentibus promittitur: deo id totum placitum
 esse, & sanctis primariis approbatum, qui in doctoribus
 & prælatis sunt: qui animalia fuere dum viuerent, quia

viri spirituales, spiritualiter & non carnaliter viuentes, moribus graues vt assolent senes integerrimi sine vlla leuitate sese moderari in vulgo, vt facile eorum exemplo ceteri regerentur. Qui approbant omne id quod in laudem christi promitur, cuius beneficio & ipsi quoque liberati, seruati gratia. Id quod ab eis libri quoque conscripti vsque in hodiernum diem testantur, placere videlicet deo, & ipsis, qui singulari gratia erant prouisi, quicquid a fidelibus fieret in gloriam christi: quod est ante sedem dei, & animalia, & seniores cantare, fide plena atque perfecta, quod non facit impius Turca, non quiuis incredulus: neque enim nisi vera in christum credentia id perficitur, & vita inculcata: vnde nec spurco cui piam commune erit hoc canticum: nec haeretico, quod solummodo sanctorum simplicium est, perfectaque credendum: non illorum tantum, qui post interitum Antichristi futuri sunt: quos specialiter locus scripturae huius indicat: sed cunctorum cuiuscunque saeculi, qui fideles domino inueniuntur. ij enim aequae omnes cantant domino canticum nouum, placens & amplectendum, qui soli consistunt cum domino semper, eumque sequuntur. Iam scimus quid sit sequi dominum, quia moribus quam candidissimis illum exprimere. Refert Abbas Rupertus locum hunc ad patres qui superiores, qui erant ex Iudaeis, cum quibus olim stabat christus in figura agni immolaticij: isque supra montem Sion, qui est in Iudaea, habes supra se dei templum aedificatum, in quo habitabat deus: colebaturque in arca, quae erat in templo in monte Sion: hi cantabant quasi canticum nouum, id est, nouae legis mysteria praedicabant, opere exercentes veterem legem, in quibusdam similitudinibus figurisque nouam adumbrarent. Verus enim lex non simpliciter nouum canticum erat, sed quasi, quod eam complecteretur praescriberetque, in qua admirabili prophetici spiritus potentia peruidebatur euangelicae gratiae sacramentum: secundum quod velut exemplar propositum faciebat. vnde ipsi docebant legale mysterium, & per figuras competentes profitebantur agnum christum innocuum pro salute orbis passurum: & hoc ante sedem dei, & ante quatuor animalia, & seniores, id est, in praeparatione regni dei, in obsequio christi ad eorum institutionem: quorum venerabilis senectus,

hoc est, vita modesta & viciis carens modo regit ecclesia Dei in nouo testamento. Dicitur est supra sedem Dei esse regnum, siue ecclesiam fidelium, in quibus sedet & colitur Deus: Animalia annunciatores verbi Dei sunt, inter quos praestant quatuor euangelistae. Porro per seniores primores ecclesiae intelliguntur, quos Graeci presbyteros vocant: coram quibus cantabant veteres illi, pij tamen, & salutis minime exortes, quasi canticum nouum: adumbrantes veterem illa ceremonia, & legalium institutorum differentia, fidei canticum, quod pro eorum canticum nouum erat. Denique quia Ecclesia pro more scripturas ad rem iuxta competentiam applicando, praesentem locum tribuit sanctis Innocentibus, qui pro domino occisi sunt ab Heroe: & hi cum ceteris similiter dicuntur cantare quasi canticum nouum, quod ante legem gratiae fuerint: ita quod iis sit canticum nouum: lex gratiae quae noua est causis praedictis: & quod sit de aeternis, & spiritualibus: non de temporariis, neque de carnalibus, de quibus exiit canticum Moysi: similiter & Annae, & aliorum: praeter canticum Zachariae patris Ioannis Baptistae: quod exiit, propter verbi aeterni incarnationem, & redemptionem Israelis per ipsum verbum mox celebrandam. Praeterea nouum, quia spiritu sancti missione continet peccatorum remissionem, iustificationem, reconciliationem, redemptionem, caeli apertionem, glorificationem, aliasque nouitates in consolatione spiritus: qualia non continebat vetus illa lex, sed quasi tale quid continens erat: continebat enim hanc illa, eratque quasi rota in rota iuxta visionem Ezechielis. Veritas ergo erat legis illius canticum: sed in figura erat veritas: adumbrabat namque opera christi & ipsum christum qui est veritas & vita. Ioan. 14. quo auctore canticum nouae gratiae prodiit, ideoque nouum: & quia noua omnia in eo sunt, vt sunt, mors christi, mundi redemptio, salutis reparatio, spiritu sancti visibili specie mundo infusio, remissio peccatorum, caeli apertio, scaelae Iacob ad caelum erectio: quod iam nemo christianorum, qui pie viuit sperat infernum patrum: nec dicit cum Iacob, Descendam ad filium meum lugens in infernum. Genes. 37. sed, ascendam ad populum accinctum nostrum, Abac. 3. Non omittam quod quibusdam placuit locum

*Innocentes
sancti occisi
pro domino
ab Heroe.*

istum referre ad sanctos, qui cum Christo gaudent in cælis in beata gloria : vt Sion sit sedes beatorum : & centum quadragintaquatuor millia , ij qui virginitatem tum carnis , tum mentis illibate seruarunt . Vbi illud aduerte , quòd licet olim virginitas , in veteri lege , non magni momenti fuerit : tamen in noua gratia non solum magnæ gloriæ est , sed etiam placens Deo . Vnde non parua gloria nouæ gratiæ exordium eluxit , quòd Christus , nouæ gratiæ author , fons idem & origo , de virgine matre nasci voluerit : & ipse virgo permanfit , & virginitatem chariorem omnibus discipulum habuit : cui etiam secreta sua familiaritè commisit . Bene quidem olim in lege veteri maior laus erat connubij , in his , qui populum Dei auxissent : quando carnalia omnia illis erant , & ipsæ ceremoniæ : nunc autem postquam per Christum lex spiritus est excitata , omnia etiam spiritualia facta sunt : & ideo spiritualis quoque generatio carnali generationi , tanquam perfectior prælatæ : adeo vt deinceps iam non forent obnoxij maledictioni , qui non auxissent populum Dei carnaliter : quòd etiã corona maneat multo gloriosior , qui inuiolabiliter obseruant carnis & spiritus virginitatem . Nec cogit modo præceptum illud , Crescite , & multiplicamini , & replete terram . Gene . i . Postquam lex carnalis in spiritum abiit : cuius vir durauit secundum Augustinũ vsque ad Christi aduētum , qui est princeps legis spiritus . Propter quod dicit Apostolus , Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem , qui corrumpitur secundum desyderia erroris : renouamini autem spiritu mentis vestræ : & induite nouum hominem , qui secundum Deum creatus est in iustitia , & sanctitate veritatis , Ephes . 4 . Docuimus supra cap . 7 . spirituali generationi magis in lege spiritus attendendum esse , in benedictione Dei , quæ est bona operatio : citando locũ , ex Psal . 127 . Filij tui sicut nouellæ oliuarum , &c . ne sit opus plura hic de eadem re disputare . Videntur enim virgines hic promptius Christum imitari , exprimere excellentius : vt non nõ temere illic quoque familiaris cum eo conuersari videantur . Quomodo autem virgines in cælo dicantur cantare quasi canticum nouum , iam expositum est su-

pra , quoniã hæc dictio , quasi , non solum rei imaginem , sed ipsam plane quandoque veritatem significat , vt est illud , Tu pater amas me quasi filium . Habet etiam quiddam proprium , quale est , Tu obiciis , quòd oratione produxerim , quasi tu idem non feceris . Ergo non similem nouo cantant canticum : sed vt res est , nouum canticum : quod est assequutæ gloriæ & immortalitatis æternæ , habentes de seruata virginitate spiritale præmium , qui est fructus centesimus , qualem non capit corruptio : qualem & ipse Christus , & sancta mater eius circumfert in multa gloria : vt hoc sit proprium , illud vero veritatis . Veritatis quidem , quia vere nouum cantant virgines canticum proprium , quia eorum est ita proprium vt non sit aliorum . neque enim alij ita proprie habent virginitatis canticum . In quod sequitur .

☞ Punct . 4 .

Et nemo poterat dicere canticum , nisi illa centum quadragintaquatuor millia , qui empti sunt de terra .

Quia locus ad literam , refertur à plerisque ad canticum virginum , quales erant sancti Innocentes pro domino cæsi , eo accipiendum est sensu , quod dicitur , Et nemo poterat dicere canticum , &c . Quia singulari gaudio ij omnes de sua virginitate lætantur , quibus spiritualis aureola confertur , quorum vniuersitas per hunc numerum designatur . Beda dicit , Singulariter canticum agno cantare , est cum eo in perpetuum præ cæteris fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere : quod canticum cæteri electi audire possunt , dicere non possunt : quia per charitatem eorum celsitudini gratulantur , etsi ad ingentia præmia non assurgant . Atqui non est arbitrandũ , quòd simpliciter virgines maioris sint meriti in præfenti , & præmij in futuro : quàm cæteri electi , qui vel coniugio , vel aliter virginitatem profigarunt , postea resurgentes à casu : sed quòd in accidentali quodam merito præmiique excellant , cæterisque paribus beatiore sunt . Nanque qui in charitate dei fuerit in hac vita ardentior : hic absolute , & eminentior , & gloriosior erit : eo quòd gloria ex diametro respondeat diuinæ dilectioni . Consequens ergo est , quia non omnes virgines in illo beato regno coniugatos præcellant : quum non omnes virgines , eos qui post experientiam resurrexere claritate superent . vnde qui pu-

Virgines vtrum maioris sint meriti .

trauerūt virgines solos inter ordines angelorum assumendos, insanissimi sunt. Sequitur. Qui empti sunt de terra. Qua de terra empti? Aut quali precio empti? Per terram carnales designari alibi diximus, de quorum nempe societate ij fuere segregati, & de fragilitate carnis gratia subleuati: empti autem sunt, non corruptilibus auro vel argento, sed precioso sanguine agni immaculati. i. Petr. i. Nisi empti essent nihil virginitas proficeret. In hoc autē solo potissimum gaudium omnium impletur, quia empti sumus, & consecrati postquā empti sum⁹ per christū, cuius virtus operatur in nobis. O donum admirabile, o meritū fragilis vitæ excellentissimum, cuius tam præclara est commendatio. Sic nempe empti segregati sunt de terra virgines, vt præcipuum sortiretur præmium: magis angelis, quàm æquarentur, deo in primis accepti: inter quos vel ipsa similitudo parit amicitiam: vt deus & virgo semper mutua perfruatur amicitia. Summa enim puritas est deus, & quicquid virtutis est vsquam, deus est: siue pax, siue iusticia, & alia. Vnde Ambrosius, Supergreditur, inquit, virginitas conditionē humanæ naturæ: per quàm homines angelis assimilatur, maior tamen est virtoria virginum, quàm angelorum. Angeli nanque sine carne viuunt: in carne triumphat virgines: hinc illa Beati Aug. vox exhortatoria est, Pergite sancti dei pueri & puellæ, mares ac feminæ, cœlibes & innuptæ: pergite perseueranter in finem: laudate dominum dulcius, quæ cogitatis vberius: sperate foelicius, cui seruitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius, lumbis accinctis, & lucernis ardentibus expectate dominum, quando veniat à nuptiis: vos affertis ad nuptias agni canticum nouū, quid cantabitis in citharis vestris: vti que tale, quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vidit vos in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat: ipse vos vidit duodecies duodena millia sanctorum citharedorū illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ veritatis in corde: sequimini eum virginitate cordis, & corporis, quocūque ierit.

✱ Punctus. 5.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi sequuntur agnum quocumque ierit.

Vel hinc habes, quàm optimo iure hæc possunt etiam de virginibus carne capi, qui videlicet carnem non polluerunt iniquatione: qui quantum placeant Christo scriptura hæc palam ostendit: nanque ex omnibus hi soli illum sequi commemorantur: quod sane summæ atque perfectæ gratiæ est indicium. Quum enim summæ illa & incommutabilis sapientia, qui est christus Iesus, sit per se summa puritas, & candor lucis æternæ, speculumque sine macula iuxta deum, quemadmodum è scripturis didicimus: iuxta hominem verò, præ filiis hominum forma speciosus, vt Psal. habet. 44. summe puritatem diligit pro cognata similitudine, eo quod similia quadam vi ingenta contrahantur. Vnde etiam in Canticis canticorum, spōsa loquitur di. Dilectus meus cādus, & rubicundus. Cant. 5. Quis dilectus hic spōsus Ecclesiæ est, nisi christus Iesus, qui est candidus per summam puritatem: rubicundus per summam charitatem, qua se in passione mortis sanguine proprio infect. Ideo virgines sequuntur agnum tanquam suum dilectorem, quocumque ierit. Nunc oportunitas ipsa admonet hic de virginitate dicere. Vbi primum querendum nobis est. An sit virtus. Scio enim apud plerosque non satis constare virginitatem esse virtutem: contra quos diuus Hieronymus copiosissime disputauit, & multi alij post eum. Virtutem hi dicunt à natura non tribui, sed acquiri oportere per exercitij studium. Item amissam recuperari posse aliquando virtutem, immo sæpe cumulatius: exemplo probant Petri Apostolorum principis, qui post negationem fidelior exurrexit: virtutem denique plurimum vtilitatis rebus tum publicis tum priuatis afferre solere: at in homine simul nasci virginitatem, nullaque operatione acquiri, nec semel amissam posse postea recuperari, quæ vt fructu est sterilis, ita prorsus per se inuilis: quare non magis inter virtutes, quàm sterilis arbor inter fructuosas connumeranda. Primis duabus argumentationibus palam falluntur, eo quod virginitatem in sola corporis integritate reponunt. Neque enim virtutem virginitatis habere creditur mente corrupta virgo: eo quod

*Virginitas
an sit virtus.*

Virginitas non a natura, sed a proposito comendabilis.

Ad virginitatem occisi non perueniunt.

Natura materia praestat non formam virginitati.

virginem commédabilem oportet esse méte & corpore, non mea sed apostoli Pauli sententia. 1. Cor. 7. immo Iesu Christi, qui fatuas virgines in sola carnis integritate gloriantes, repudiatas a sponso virginitatis ostendit. Matth. 25. Licet igitur virginitati quota sui portione suffragetur natura ipsa, hoc tamen perquam exiguum est, & quasi materia, cui nisi accedat integritatis electio, & firma perseverandi voluntas recta ratione moderata, nunquam ad virtutis gradum peruenisse credenda est. Non est enim christo docente virtuosa virginitas sine prudentia. Prudentia porro virtutum est norma, quam natura non profert, sed mens in bonis exercitata cogitibus sibi conquirat. Itaque non est virginitas a natura, sed magis a sancto proposito supra naturam homini tributa: quamdoquidem vires naturae excedit, carnem esse, & carnis desideria superare. Ad virginitatem itaque non peruenitur ociose, sed multo labore, multo studio, multis denique angustiis. Nam si circa difficile virtus versatur (vt placet philosophis) quid quaeso potest esse difficilius, quam seipsum vincere: naturae impetum rapidissimum in seipso compescere: sarragines fomitis restringere? coniugij solatia despiciere: & liberorum dulcedinem fugere: Magno certe ad id conamine, magno studio, & duro opus est labore. Siquidem, quae alias virtutes impugnant, extra nos sunt posita: quod virginitatem insectatur, in nobis nascitur: nobiscum est, nec aliunde accersitur, presto semper est: vltro se offert, quandoque etiam nobis inuitis. Constat ergo virginitatis formam per bonam voluntatem comparari, materia praestari a natura. Quod vero virginitas semel amissa amplius recuperari nequeat, materiae hoc defectus efficit. Recuperatur (fateor) aliae virtutes, quoniam abeuntibus illis earum manet materia: quae si amittatur, nihilominus recuperabilis est gratia exempli. Desinat quis esse liberalis, non desinit illi liberalitatis materia: quod si desinat, tamen acquiri poterit pecunia, vnde adsit illi facultas liberalitatis. Accipe & aliud. Qui temperantiam deserit, epulas non necessario amittit: a quibus abstinento, temperas effici possit. Item qui in pusillanimitatem cadit, inueniet denique vnde bene possit audere, & intrepidum se praestare contra casuum pericula. Qui cor-

poris integritatem amiserit, nulla vnquam illam poterit creata virtute reintegrare, quod materia eadem opera amissa sit in vniuersum semel, nunquam humano studio recuperanda. Deus tamen qui suscitatur mortuos, numerumque solutam corporis compagem in eosdem omnibus, pristinosque conceptus instaurat: iura virginitatis in integrum potest reducere. Et fortasse in illa superna ciuitate, vbi non nubent mulieres, neque viri vxores ducunt, sed erunt homines omnes sicut angeli Dei: discreti quidem sexu: sed sexus ministerio, sicut angeli non egent, penitus non egentes erit fortasse hominibus omnis corporis integritas restituta suscitatis ex puluere. Quod si fiet (immo forsitam fiet: quoniam corpus, quod animale est, resurget spirituale) non est omnino negandum virginitatem secundum corpus, id est, materiam virginitatis a Deo posse restitui, quae beatis omnibus in corporum re assumptione fortasse tribuetur: quae in hac vita secundum formam quoties cogitatione amittitur per penitentiam restauratur: alioqui quis aureolam assequeretur? Ille vero qui corpore violatur, resurget quidem, si vere tamen doleat ex corde: sed non aureolam, quae proprie virginum est, assequetur. Quod si violatio talis praeter voluntatis consensum fiat, nihilominus manebit virginitas in méte, id est, secundum formam: quae sola aureola coronatur. Testis est sancta Lucia, quae non nisi de consensu mentis in libidinem hominem inquinari posse Paschasius respondit: vt dicere cogaris ipsam deficiente interim materia minime deficere: quemadmodum nec deficiente pecunia, & per summam inopiam ad extremam rerum egestatem deueniente homine liberali, deficiet liberalitatis circa illum commendatio: donec prompta adsit illi ad distribuendum voluntas. Nec iustitia deerit ius non dicenti, si adsit intentio vnicuique quod suum est tribuere: & neminem laedere. Denique inepta est quorundam nuptiariorum ratiocinatio, qui putant nihil, aut parum utilitatis. Reip. afferre virginitatem. An non est vtile reip. aliorum necessitatibus subuenire? Liberos proximorum ad religionem educare? orationum suffragiis releuare cadentes? religioni pietatibus operam dare: Quae omnia commodius faciunt virginitatem seruantes, quam nuptiis operam dantes: neque si

Voluntas exequendi forma virtutum.

*Virginitatis
fructus per-
maximus &
preciosissim⁹.*

654

COLLECT. IN APGC.

mundo non pariunt, pariunt Deo: si mundo nō educant, educāt deo: vt iure dixisse Hieronimum tute fateare. Nuptię replent terram, virginitas paradysum. Iam vero quāte sit fertilitatis ipsa virginitas palā est, quę nobis in beata Maria deum protulit incarnatum: quod nullum coniugium effecit, sed nec efficere potuit vnquam. Quantę denique honestatis sit ipsa virginitas, quantę glorię, & laudis, testatur cælum, testatur & terra, & omnis creatura, siue quę in cælis est siue quę in terris. De Euzæ connubio non nisi ruina nobis processit, & corruptio: de virginitate Marię reparatio. Depulit nobis Euzæ connubium amabilem pacem, priuauit beatitudine: sed Marię virginitas illam reduxit, hanc reparauit. Non norunt angeli connubia, norunt virginitatem, norunt & amant. Nam & sæpe virgines visitasse feruntur. Denique hi soli christum agnum sequuntur, quo cunq̃ue ierit: vt omnium gloriā virtutum ipsa sola virginitas palmāque rapuisse videatur. Hęc dixisse de virginitate, deque ipsius commendatione dicta sufficiant. Nunc ad reliquias cladis Antichristianę siue ecclesię renascentis ex oppressione superiore Antichristi, quos in primis scriptura hęc indicat, tam largissimo sensu, vt interim etiam aliis loqui videatur, siue quę in cælis sunt, siue quę in terris, vt omnia pro merito palam faciat. Quum enim præmisset. Agnum visum super montem Sion, & cum eo centum quadragintaquatuor millia: deinde exprefit canticum eorum nouum fuisse canticum, quod nemo poterat cantare, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empri sunt de terra, id est, de terrenis hoibus segregati, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, & q̃ virgines ij sunt. Nunc videndū est quid per mulieres secundū illud tēpus significetur. Vbi sciendum quod non raro in scriptura sacra doctriņę sp̃m impostorum mulieres sunt, doctriņę demoniorum, nequam doctriņę mendaces: in quem modum Salomon accipit in Prouerbiis: quarum primas tenet Iezabel spiritibus imundis acquiescens. Hęc sunt mulieres alienigenę, mulieres pellices, & Syrenę deceprices, capiētes & illaqueantes miseras hominum mentes: ante quas cera obturandę sunt vtręque aures electorum, vt non capiantur car-

*Mulieres
doctriņę de-
moniorum.*

CAP. 14. SECT. I.

655

minibus. Super quibus præceptum dei est 3. Reg. 11. Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredietur ad vestras: certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum. Nonne causa permagna est, vt merito tollatur agni caticum de ore eorum qui eiusmodi mulieribus consentiunt. Scriptum est enim, quia fornicatus est populus dei cum filiabus Moab, quę vocauerunt eos ad sacrificia sua, & permanet vsque in præsentem diem macula huius sceleris in illis. Numeror. 25. & Iosuc. 22. Contra quos stricto velut ferro depugnat Apostolus siue scribēs Corinthiis, siue Galatis, aliisue ecclesiis. Et certe quemadmodum virginitas carnis amittitur per commixtionem: ita fidei virginitas amittitur per cōsensum falsarum doctriñarum. Ex his palam est, qua ratione capiendus sit prædictus textus, vt dicas. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati &c. Quod perinde est ac si dixeris, Hi sunt qui doctriinis hæreticorum antichristianorum non sese agglutinauerunt: synceri enim sunt, & chari agno, quem sequuntur siue ad vitam siue ad mortem, quo cunq̃ue ierit, vt cum eō glorientur. Quod nō solum illis competit, qui antichristianę cladi supererūt & non consenserunt iniquationi eorum: competit & aliis synceris, qui similiter quoquē tempore repererunt: cū quibus stat christus & regnat. *Opunct. 6.

Hi empri sunt ex hominibus primitia Deo, & agno: & in ore ipsorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Sicut ex multo grege optimus quisque eligitur agnus: & ex fructibus præcoces primitia: ex frugibus gratiores sunt, ita & ista eliguntur ex multitudine sanctorum. qui tanquam primitias semetipsos deo offerunt: sed quorum erunt primitia: Respondeo. Sanctorū illius septimi milenarij qui commendantur hic primo à confessionis veritate, quod seuiente licet antichristo, non tamen terrore abnegauerunt fidei veritatem: propter quod dicitur. Et in ore ipsorum non est inuentum mendaciū. Secundo à vita puritate. In quod sequitur. Sine macula enim sunt ante thronum Dei, quatenus intelligeres ista duo summe necessaria, primo confessionis veritatem, quę

fidei est. deinde vitę puritatem. Obserua. In gręcis voluminibus correctissimis: non omnibus, vt quidam codices corrupte habent, sed hominibus legitur: prout & nos ponere curauimus veritatem scripturę imitantes. Porro hæc vox, hominibus, hoc loco emphasim habet: quemadmodum & Esa. 32. *Ægyptus homo, & non deus dicitur.* Est ergo sensus. Hi quos tam sublimes agnus fecit, & tā mirifice obfirmavit: quique soli summo Deo cantica dicere possunt, cum agno ambulantes, intacti, impollutique, primum à carnis immundicia, ne conspurcarentur, neue pudicitiam profligarent: deinde vero à falsis dogmatibus hæreticorum antichristi, empti sunt ex hominibus. Ac si dicat spiritus sanctus, Vides in eis magnum Dei opus: qui qui ex obscuris illustres, & ex oppressis, gloriosi facti sūt: in te idem fiet, si putum mundumque te seruaueris, primitiasque intentionis tuę deo obtuleris. Hi ergo empti sunt per agnum, ex hoibus aliis, quos perfidie noxa, siue etiã carnis inquinatio cōmaculauit. Empti autem vt primitiæ quædam sint sanctorum. Quia verò Ecclesię communiter vtuntur his scripturę versiculis in laudem sanctorum innocentum quos herodiana eodem die sustulit scinitia & iam publicis etiamnum concionibus adstruit virgines magnis attestationibus primitias esse sanctorum qui tāquam primitias semetipfos per carnis integritatem Deo offerentes centesimum fructū referunt, qui etiã domino proximius accedere creduntur, eo quod incorruptio (vt scriptura ait) proximum faciat Deo: cum quibus inambulare agnus gaudet, delectatur etiam propriis eorū cantibus, qui vitę delicias omnes ob amorem eius contempserūt. Magnum ergo virginitatis meritum, sed maius præmium. Esse namque primitias sanctorum virgines num paruum est præmium? Num parua merces? & quid cum hac iure contuleris: Quid illi exæques? Empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno, virgines: & adhuc audes detrahere virginitati: quæ primum glorificata est in virgine matre Dei: consummata in filio Dei. Augustini verba sunt. Habent coniugia bonū suum: non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant: & procreatos pariter, salubriter, instantēque educant: quia tori fidem inuicem seruāt: quia sacramentum

sacramentum coniugij non violant: hæc tamen omnia humani officij sunt munera: virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est: & in carne corruptibili incorruptionis perpetuę meditatio: cedat huic omnis fecūditas carnis, cedat pudicitia coniugalis. Et post pauca, Profecto habebunt magnum aliquid præ cæteris in illa cōmuni immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne. Empti ergo sunt, id est electi, ex hominibus, quos aliquādo spurcicia carnis commaculauit: primitiæ, id est, gratiores Deo & agno. Vel empti in sanguine Christi: in quo & precipui habiti sunt virgines, tanquam specialiter in virgine sanguine consecrati sublimatique. Ad hoc ergo empti, vt primitiæ sint, & grati. Iam scimus quid primitiæ sunt, idque in primis ex Leui. 23. Num. 15. Deut. 18. aliis quoque scripturę locis & quod segregarentur primitiua Deo: essentque in vsum sacerdotis, qui summus esset. Sunt enim ex multis pauca, præcocia & grata: quæ primum erant in frumento, vino & oleo: deinde aliis etiam, priusquam illorum esset plenus ac liber vsus. Græde mysterium, ex multis pauca: eo quod non omnibus contingat virginitas, neque donum eius detur omnibus. Rara auis in terris est, nigroque simillima cigno, vt poeta Saty. ait. vnica phœnix est virginitas, paucissimi enim sunt virgines. Verum non te moueat: non esse ex illis primitiuis. Satis tibi sit ad eandem beatitudinem te quoque pertinere. Bonus est dominus, fidelis & iustus est, qui reddet tibi quoque pro tuis virtutibus coronam, quia felix futurus fias in æuam: dummodo ne te pigeat recte agere: atque honorem Dei pro virili, in te, & in tuis proximis, quoad liceat promouere. Sumus omnes empti præcio sacrosancti sanguinis Christi, qui baptismum fidemque accepimus, etiam si non omnes paria dona sumus consequuti: vt hic in vna, ille in alia dote iuxta mensuram donationis Christi felicius glorietur. Sequitur, Et in ore ipsorum non est inuentum mendacium. Quale mendacium? Aut quomodo non est inuentum mendacium? Sed mēdacij nomine peccatum quandoque designatur, sicut alibi, Omnis homo mendax. Psalm. 115. Quos sanguis Christi purificauit, siue in innocentibus paruulis pro do-

Augustinus
de laude vir-
ginitatis.

Primitiæ
quid sint.

mino occisis, siue qui holoseruicam baptismi innocentem custodierunt. siue etiam (quod magis presenti loco competit) qui non consenserunt mendaciis hæreticorum Antichristianorum, vt pariter & ipsi mendacia loquerentur in perfidia corrupti: & etiam qui primariam intentionem domino consecrarunt, aut qui carnis virginitatem in semetipsis custodierunt: qui omnes sine macula consistunt ante thronum Dei, id est, placent Deo: hoc enim est ante thronum dei consistere, placere Deo, vt non semel probauimus. Potest & aliter. Thronus iudicium Dei est, ante quem sancti donec in carne viuunt se intelligunt consistere. In quem modum si & nos intelligeremus, rarius peccaremus, rarius mendacium loqueremur: modo quia procul abesse nos ab hoc throno Dei intelligimus, id est, non aduertimus Deum vltorem fore nostrarum iniquitatum, frequentius peccamus, frequentius & mendacium loquimur.

DE ANGELO VOLANTE PER
MEDIUM COELI, HABENTE EVANGELIUM
AETERNUM, ALIIS-
QUE DVOBVS ANGELIS VO-
CIFERANTIBVS.

Sect. 2. Punct. 1.



*E*t vidi alterum angelum volantem per medium caeli habentem euangelium æternum, vt euangelizaret habitantibus super terram: & omni gæti, & tribui, & lingue, & populo dicens voce magna. Iam quæ sequuntur ita præclarissime tempus illud vltimum, quod futurum est post interitum Antichristi exhibent, vt neque possunt in aliud detorqueri. Angelus autem iste tam solenniter per medium caeli volans vniuersitatem prædicatorum, qui tum fient, ostendit: qui per medium ecclesiæ discurrent in omni fortitudine annunciantes euangelium æternum. Hi enim angeli nomine designantur & in Malachia capite secundo vbi sic legis, Labia sacerdotis custodiunt scientiam: &

*Angelus
predicator.*

legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est, vt minus dubitares sanctos prædicores, angelorum nomine designari. Quod verò angelum hunc volantem describit, indicat sane prædicatorum ardens studium in officio: vt non fatigentur, non cessent. Volat enim quisque quò docet, aut scribit, dogmata fidei. Et sicut dicit, Qui sunt ij, qui vt nubes volant: & quasi columbæ ad fenestras suas: cap. 60. Qui quum celestia plus quàm terrena doceant, caeli appellatione alibi leguntur: vt, Cæli enarrant gloriam Dei. Psalm. 18. Vbi primum considerandum quales debeant esse prædicores, quia Dei habitaculum: sedes enim Dei est cælum. Sicut scriptum est, Cælum mihi sedes est. Et in euangelio legis, Cælum thronus Dei est. Deinde vt dotibus ingenij & cunctis virtutibus, veluti gemmantibus astris sint quàm pulcherrime ornati: vt & sapientia in primis luceant in ipsis & morum decora exempla. Hinc. D. Ambrosius in libro, cui Hexameron indidit nomen, Cælum dici putauit, quòd impressa stellarum lumina velut signa habeat, tanquam cælum argentum: quod signis extantibus rigeat. Est enim cuius circumflexu cuncta teguntur: & stellis splendet quasi quadam cælatura à cælo sculpo, eo quòd cælum sit, hoc est, syderibus sculptum siue signatum, ad hæc vt gloriam Dei non suam querant: alioqui fures diuini honoris conuincerentur: postremo, vt cuncta Dei opera & eius iudicia, & gloriam multa cum laude extollant, quibus rebus quiuis cælum esse potest, vt pulchrum sit ei monstrari, & dici, hic est. Non solum autem cælum sunt prædicores, sed etiam angeli: presens scriptura indicat, Vidi, inquit, angelum volantem per medium caeli. Angelus missus latinis sonat: ergo nisi mittantur prædicatoris officium assumere non audeant. Quomodo inquit apostolus, prædicabunt nisi mittantur: Rom. 10. Quo contra de quibusdam conqueritur dominus, Iere. 23. Non mittebam eos, & ipsi curabant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Quos alibi spiritus sanctus obiurgat dicens, Quare tu enarras iustitias meas: & assumis testamentum meum per os tuum. Psalm. 49. Verorum ergo prædicatorum figuram hic

*Prædicator
quales esse
debeant.*

*Cælum vnde
dictum.*

*Prædicator
mitti debet.*

T ij

angelus prægestat, & ideo volans per medium cæli describitur: & qui habeat euangelium æternum, ut euangelizet illud in omni gente, & tribu, & lingua & populo: oportebit enim iterum nouiter exoriente ecclesia in omnem terram novos exire prædicatores, ut in signis & miraculis super omnem orbem latitudinem dilateretur sonus prædicationis eorum: ut sicut antea prædicatio Antichristorum ubique corrumperat gentes, tribus, linguas, & populos super omnem terram: ita prædicatio verorum Christi discipulorum appositis veluti emplastris sanet ubique plagas eorum. Sed serupulum mihi mouet: cur euangelium æternum hoc huius angeli, dicatur? An quia ab æterno fuit, ideo æternum putetur? Ita arbitror. Neque enim vllum fuit æuum, quo non euangelij vis operata sit in cōdonatione peccatorum per fidem Iesu Christi gratis iustificantis peccatorem: cuius effectus cepit primum in protoplastis operari, deinde lapsu temporum ubique in omnibus illis, in quibus locus illi erat, præordinatis ad vitam. Nam & vetus testamentum non nisi euangelium in eius virtute erat: adumbrabat enim Christum in omnibus præceptis eius, per quem solum gratia reuelanda erat. Reuelatio ergo gratia Dei est euangelium, gratis peccatorem iustificans, per fidem Iesu Christi: cuius originem

Euangelium æternum.

Matthæus quando euangelij scripsit.

*Literarum vsus cur re-
pertus.*

*Literarum in-
uentores.*

in carne, vitam, & miracula quatuor euangelistæ veracissimè describere. Primus (ut ait Hiero.) Matthæus euangelium suum hebræa lingua hebræis scripsit anno Christi .42. volens ex Iudæa discedere, ut sic remaneret apud eos, qui credentes erant memoria eorum, quæ docuerat. Namque vsus literarum ob id repertus est, ut dicit Isidorus, in eo libro, quem de ethymologiis scripsit: ut memoria rerum, quæ per infirmitatem memoria facile solent obliuione elabi, tenacius literis illigetur. Sed nec in tanta rerum varietate, aut dici omnia poterant, aut memoria retineri: ut bene rerum indices literæ, signaque verborum ab eodem dicantur: quibus tanta vis est, ut dicta nobis absentium sine voce loquantur, vnde non mediocriter debemus gratiam his qui primum literarum characteres repererunt. Hebræorum quidem characterum Moses traditur inuentor, Syrorum & Chaldæorum Abraham: proinde numero quoque & sono pares sunt,

characteribus differentes. Aegyptiorum literas suis characteribus Isis regina Iuachii filia, à Grecia veniens in Aegyptum docuit. Græcarum literarum vsus, primi Phœnices inuenerunt, testatur Lucanus, cuius hæc carmina sunt.

*Phœnices primi, fama si creditur, ausi
Mensuram rudibus, vocem signare figuris.*

Cadmus Agenoris filius Græcas literas ex Phœnicæ. 17. attulit in Græciam: Isponiades Troiano bello tres adiecit. Post quem Simonides miles tres alias addidit. Latinas porro literas Carmentis nympha, prima Italix tradidit: dicta à carminibus, quòd carminibus futura caneret. Hæc proprie vocata Nicolstrata. Chartarum verò vsus in Memphi Aegypti ciuitate vrbibus, decataissima primum inuentus est, auctor est Isidorus. 6. Ethymologiarum libro. Ante enim scribebatur vel in tabulis marmoreis vel latericiis papyris quoque corticum, arborum: vel folijs, cæreis alijs tabulis. Apud barbaros Phrygius Dares de Græcis & Troianis primus historiam edidit, quam in folijs palmarum ab eo conscriptam ferunt. Ut vero vsus literarum ab vtilitate earundem metiamur, Ioannes Solobriensis in Prologo Polycrationis ait, Exempla maiorum, quæ sunt incitamenta quædam ac fomenta virtutum, neminem omnino erigerent, aut seruarent, nisi pia sollicitudo scripturarum, & triumphatrix inertix diligentia eadem ad posterum transmississet. Idem. Quis Alexandros sciret, aut Cæsares? Quis stoicos, aut peripateticos miraretur, nisi eos insigniret monumeta scriptorū? Quis porro Apostolorum amplexada imitarentur vestigia, nisi eos posteritati diuæ literæ consecrarent? Sed nec euangelium æternum volans per medium cæli angelus habere diceretur, nisi literarum officio conscriptum esset, ita enim videbatur, ut hic angelus librum euangelij cōscriptum teneret in manu: qui typus est (ut dixi) omnium facti verbi Dei ministrorum. Quod si scriptum non esset, actum iam forsità de nobis, deque fide nostra esset. Sed ut ad id vnde digressi sumus, ex hoc veluti diuerticulo redeamus. Primus ipse Matthæus euangelij scriptor

*Quod scripto-
ribus antiquis
tanti à nobis
debeat gratia.*

*Euangelista
quando euā-
gelia sua cō-
scripserit.*

exiit. Secundus Marcus, anno sequenti Græca phrasi (vt testis est I sidorus) in Italia Petri discipulus contexit: cuius euāgelium primus Apostolus idem Petrus approbavit: quo etiam viri excellentia in hoc facto demonstratur, quod quæque audisset aut à præceptore primario didicisset, non inuidia occultauit: sed flagranti charitate fecit communia omnia. Tertius Lucas Græci sermonis eruditissimus in Græcia, in Achaiæ partibus, sub Theophilo episcopo, cuius phrasis elegantior est quàm cæterorum: utpote qui ex Demosthene, aliisque Græciæ luminibus rhetoricam didicerat. Quartus & vltimus Ioannes in Asia rogatus ab Episcopis credentibus, maxime verò quòd non nihil alioqui vrgeretur & ab hæreticis tam sublimiter, & tanta compositione sententiarum, vt non nisi cælitus lapsum eius euāgelium videatur: coronaque aliorum. Voluit enim Christus vt quatuor essent testes veritatis, per quatuor orbis partes dilatandæ, & non vnus: eo quòd in ore duorum aut trium testium stet omnè verbum, Matthæ. 18. Deutero. 19. Et tam mira cōcordia, vt quatuor vnum omnino sit euāgelium: nec tamen vnum, sed quatuor: vnumquodque proprium quid habens, nihil tamen discrepans: sed ne sic quidē ita vnum, vt non sua peculiaria habeant alia. Si enim idem omnino essent, ergo alia superfluerent: & vnum sufficeret. Si omnino diuersa nec concordarent, fidem abiicerent. Vt ergo certum esset testimonium, & nihil contingeret superfluum: disposuit spiritus sanctus, vt aliqua singulariter tractarent, aliqua communiter: nulla verò discrepantes. Ideo August. de consensu euangelistarum dicit, quòd non omnes Euangelistæ diem dixerunt: sed vbi concurrerunt in idem narrandum non discordant, Præterea circūferbantur & Apocripha euāgelia alia quibus non est adhibita plena fides, vt Nicodemi, & Jacobij & aliorum. Dist. xv. c. Sancta Romana Ecclesia. Sunt autem apocripha dicta secreta, quæ in dubium veniunt. In quibus etsi inueniatur aliqua veritas: tamen propter multa falsa, nulla est eis canonica autoritas. Nam multa aliquando sub nominibus prophetarum prodibant volumina, multa sub nominibus Apostolorum: quæ omnia canonica autoritate

*Apocripha
quæ dicuntur.*

diligenti examinatione præhabita, remota sunt. Est denique & euāgelium reuelatum, quod Pauli est Apostoli: de quo idem Gal. 1. Notum vobis facio euāgelium, quod euāgelizatum est à me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per reuelationem Iesu christi. Ergo scripta aplice euāgelium dici merentur reuelationis dignitate. Post hæc omnia, est euāgelium largo nomine tota scriptura sacra, iuxta vocabuli interpretationem. Euāgelium enim bona annunciatio est. Græce enim, Eu, bonum: angelion, annunciatio dicitur, quod est euāgelium hoc æternum, de quo scriptura hæc loquitur bene nuncians nobis æternam veritatem dei temporaliter reuelatā, quod est tota scriptura sacra. In summa quicquid veritatem habet euāgelion est: ideo dicit Hieronymus: & habetur. 1. q. 1. Marchion, & Basilides, & cæteræ hæreticorum sectæ non habent dei euāgelion, quia non habent spiritum sanctum, sine quo humanum fit euāgelium, quod docetur. Nec puremus in verbis solis scripturarum esse euāgelium, sed in sensu: non in superficie, sed in radice: non in sermonum foliis, sed in medulla rationis. hæc ille. Quæ verba contra illos dicta sunt, qui literam tantum quatuor euāgeliorum nomine euāgelij volunt intelligi. Nos vero omnem scripturam dei vltra quatuor Euāgelia, quam angelus hic volans vno libro quem tenebat in manibus exhibuit. Dicitur ergo, Et vidi alterum angelum volantem per medium cæli, habentem Euāgelium æternum, vt euāgelizaret habitantibus super terram. Communis lectio habet sedentibus: vt qui in terrenis affectibus comquiescerent, ad spiritualia appetenda deinceps exurgerent: de quacunque gente, tribu, & lingua, & populo: per quæ nomina vniuersitas mortalium pro distinctione propria ingenuitatis intelligitur. Quod vero voce magna clamasse subiungitur: indicatur prædicatoribus ardens studium in prædicando ineffe debere: sicut & in Esaia legis, Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, &c. Sequitur.

✽ Punc. 2.

*Time te dominum, & date illi honorem, quia venit hora
T iij*

*Euāgelium
reuelatū Pau-
li apostoli.*

*Euāgelium
tota scriptura
sacra.*

iudicij eius: & adorare eum, qui fecit celum & terram, mare, & fontes aquarum.

Quia nouam faciem illustriori quadã hilaritate, postquam liberata fuerit à turbine persequutionum Antichristi, fecidissimi monstri, induet ecclesia: noua etiam simul illi fient omnia. Nam &, externa pace fruatur, & multiplicabitur nimis & dilatabitur per vniuersum orbẽ confluentibus vndique ad suscipiendam fidem inuiolabilem Iesu christi, in qua & stamus: vt non aliud sonet tũc vniuersus orbis, quàm Iesum christum orbis vnicum saluatorem, per quẽ videlicet salus obuenit omnibus: nec præter illum alium agnoscant orbis saluatorem, nec consistantur alium, nec sperent alium, qui iandudum implet mysterium redemptionis nostræ. Cuius euangelium predicabitur vbique, prædicatoribus discurrentibus per latitudinem vniuersi orbis: quorũ vox hæc erit vna omnium: Timere dominũ &c. eo quod timore domini vnusquisque ab sese dispellet peccatum: nec spes est cuiquam sine timore consequi iustificationem. Bene autem timor & honor iunctim posita sunt: nanque vbi timor ibi & honor. Nũquam enim honor sine timore erit. Time deum, & honor illi erit apud te: quem nisi timeas, non honorabis: nec vnquã carebis peccato. Nũ timuit satanas deum, & nec honorauit: sed inflatus suum honorem promouere contendit: & non stetit. cecidit autem casu irreparabili: quia diuinum honorem appetit: vt verum sit, quia ante ruinam semper exaltatio. Qui timet deum faciet bona: & qui continens est iusticia: apprehendet illam, docet Ecclesiasticus scriptor. Non potest commendatio virtus in homine esse quàm timor: hic enim nihil erigitur per tumorem cordis, sed subsidet semper: semper contentus vna humilitate, vt non audeat supra se attolli: nec magnifica cogitare de se, de deo magis sublimia omnia, qui solus dignus est omni honore & gloria: vt recte sancti illius temporis prædicatores non æque aliud impense studeant mortalibus persuadere quàm timorem iuxtaque honorem, rotundo ore: facundia plena dicentes, Time deum: & date illi honorem. Carpit hic versiculus satanam primum, qui hoc in cælo non fecit: & petiit. Car-

pit Antichristum eius ministrum, Antichristo sive omnes: citra timorem omnes erant: nec dabant deo honorem, & ideo perdidit eos deus. Carpit omnes infanos quoque mundi huius amatores, diffidentia filios, qui abominabili superbia tument, nec norunt glorificare nisi seipfos: hi sunt sine deo, fide carentes, & sibiipsis placentes, proterui: rebelles, deo & hominibus contumeliosi: quos iudicabit dominus: quando veniet hora iudicij eius. Sequitur & adorare eum. Quem eum? Dominum, qui fecit celum & terram, mare, & fontes aquarum. Decet certe, vt creatura suum recognoscat creatorem, & timeat eum, qui potest perdere & saluare, qui perdidit rebelles contra se omnes: saluauit autem humiles & se timentes, & honorificantes: timeat & det illi honorem, qui honorificabit se honorificantem. Sed non hæc sufficiunt: opus enim est, iuxta hanc scripturam, vt etiam adoremus eum, sicut dignum est: quia ipse est creator omnium, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum. Adoremus autem adoratione latræ, que soli Deo conuenit ratione creationis & superexcellentiæ: à quo nos esse consisteamur seruarique ab eo, in cuius sortem recepti sumus per christum, vt gloria diuinitatis eius beati simus. Sed derident hæc carnales, qui sine timore sunt: nec opus fore amplius homini christiano timore, quia abstulerit christus timorem ab suis, vt non paueant vltra conscientias suis: afferuntque illud Aristotelis, 2. Rhetoricæ. Timeamus ea ex quibus nobis mala proueniunt: non aduercentes, malum pene non esse malum simpliciter, sed secundum quid: in quantum videlicet lædit eos, quibus infertur: magis autem bonum, quia ex ordine diuinæ iusticiæ prouenit. Eapropter vt intelligant omnes, quare timendus sit deus, à quo prouenire solent mala omnia pœnæ ex iudicio eius: Angelus ille volans electos hic alloquitur, qui diem iudicij operiuntur, ac cupiunt: scientes quia tum eorum redemptio plena erit, gloria eorum reuelata. Simul edocens quod in primis prædicatores sancti edocere credentes debeant, quia timorem, quo reueretur deus: quemadmodum & in Psalmis scriptum est, Timeat dominum omnis terra, Psal. 32. Et in seq. Timeat dominum omnes sancti eius, quoniam non

Pœna magis bonum quàm malũ dicitur.

Timor domini inculcãdus omnibus.

est inopia timentibus eum. Ipse est enim, qui omnia nostra mala non solum manifesta, sed etiam secreta, & quæ in corde delitescunt prænoſcit: scrutatur enim etiã intima omnia, & medullas ossium. Iob. 42. Scio domine quia omnia potes, & nulla te later cogitatio. Et prouerb. 5. Respicit dominus vias hominis, & omnes gressus illius considerat. Item Eccle. 7. Non te iustifices ante deum, quia cognitor cordis ipse est. Ideoque timendus. Quare timendus? Quia non est homini vsque ad vitam gloriæ securitas. Angeli de celo perire: primi parètes in paradiso peccauerunt: Loth diu iustus, in monte cum filiabus incestum fecit, Gen. 19. Id tibi persuadeas, defectus timoris est causa plurimi mali: vt bene scriptum sit, Qui sine timore est non iustificabitur. Eccl. 17. Et, Qui timer deum faciet bona. Hinc Iosaphat constituens iudices in cunctis ciuitatibus iuda, ita eis præcepit, Sit timor domini vobiscum, & cuncta cum diligentia facite. Scriptum est, quia Abdias dispensator domus Achab regis Samaria timebat dominum Israel valde: nam quum interficeret regina Iezabel prophetas domini, centum ex eis viros illustres abscondit, & pavit. 3. Reg. 18. Porro Iudith quoque insignis raræque virtutis foemina, timebat deum valde. Iud. 8. Inter alia, de quibus commendatur Iob, erat timor cap. 1. Vnde ipsum dixisse legis, Semper quasi tumentes super me fluctus timui deum. Iob. 31. Iussit Tobias senior filio suo, ne quenquam adhiberet mensæ suæ nisi timetem dominum Tob. 1. Si timendus est quispiam dominus, quia multa possit donare, contra verò facile perdere: profecto in primis dominus Deus erit timendus. Hinc per se veritas ait, Timete eum qui animam & corpus potest perdere in gehennam ignis, Matt. 10. Veritas est quod dico. Prima cura fatanæ est tollere timorem de corde fidelium: quo factò, non erit postmodum negocium illi precipitare illum in quoduis vitij genus, qui timorem dei de corde suo abiecerit. Sequitur. Quia venit hora iudicij eius. Venit quia iam Antichristus iudicatus est, & peritit. Vel venit, id est, in proximo est, vt veniat. Venit quippe non multo post magni iudicij dies. Propinquitatem ergo iudicij hæc loquutio indicat. Venit hora iudicij eius, quando remuneraturus est iustus iudex pios, damnaturus impios. Vbi

*Timorẽ que
incutere possint.*

primum quod erit, summa potestas iudicis, qui disceptaturus est cum æmulis. Omnes quippe videbunt eum maiestate fulgentem, potentem, cunctis dominantem, qui in magno zelo tunc erit, & austeritate & seueritate, vt non discedat vsquam à iusticia: non flectetur timore, non demulcetur muneribus, non persuasionebus seducetur, quia est potes, quia iustus, quia sapiens. Hinc Aug. Veniet dies iudicij, in qua plus valebunt pura corda, quam astuta verba: & conscientia bona, quam marsupia plena. Sed quod proprie presens locus indicat, Venit hora iudicij eius, qui iam iudicauit impios piorum persecutores, & damnauit in infernum, Antichristum, & Antichristianos omnes: propterea o vos oes, qui dei misericordia superstites estis cladenque euasistis, & non in eo incendio peristis. Timete deum, vt nõ peccetis: peccatorum enim demerito immissum erat hoc malum super vniuersam terram in grandi furore domini. Iam vexatio det vobis bonum intellectum, vt abstineatis ab iniuriis dei, vt non eum prouocetis vltra ne peiora eueniant: quia fecit, vt vidistis, vnum iudicium super omnem terram immittendo hoc vniuersale malum, vnde misericordia dei vos erepti estis. Fecit & aliud, Antichristum perdendo & vniuersos affeclas eius piorum persecutores: facturus & tertium. & cito facturus: quando vniuersa impietati sine imponet: quãdo non nisi timentes deum & honorantes & adorantes salutem consequentur.

✽ Punc. 3.

Et alius angelus sequutus est eum dicens, Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.

Quanta laticia, pereunte Antichristo magno, & omnibus eius complicibus, totaque impietate simul contrita, futura sit in christi Ecclesia in illo aureo seculo vides. Primus angelus, id est, primus ordo sacri verbi dei ministrorum timorem domini docuit. Nunc iste secundus, qui secundum ordinem prædicantium figurat, prædicat magno gaudio iam cecidisse impietatis congeriem in Antichristo. Quamuis autem omnes veri prophetæ, hoc est, prædicatores, verbum dei habeant: diuersa tamen diuersis reuelatur. Proinde præter illum priorem angelum, nunc alius est subsequutus: qui typum gerit eorum qui mi-

*Iudicium fuit
mundi quod
princeps eius
fuit eiectus
illata veri-
tate.*

fera, & execrabilis Babylonis casum annuntiabūt. Prior ille dixit: Quia venit hora iudicij eius: hic autem dicit, Cecidit, cecidit Babylon, ubi ad prædicta accipe, quia antequam veniat dies illa terrificæ extremi iudicij, tot vocibus prædicata prophetarū: à primo aduentu Christi semper fuit iudicium veritate reuelata vincente: de quo dominus Ioan. 12. ait, Nunc iudicium est mundi, Quale autem iudicium mox exprimit dicens, Nunc princeps mundi huius eieciatur foras, per idipsum ergo iudicium factum est mundo: quia diabolus, qui præsidebat mundo per varios falsæ culturæ errores, illata cognitione veritatis, exturbatus est: quod semper fit vsque in hodiernum diem: vt recte venisse horam iudicij Christi annunciet prior ille angelus, secundus autem casum Babylonis magnæ. Babylon, quod interpretatur confusio, regnum significans peccati, totiusque perfidiæ, principatum mundi, latrocinium diaboli: quæ verè magna ciuitas dicitur: nam multi pereuntes sunt, pauci electi. Ciuitas ergo illa magna, corpus omnium reproborum, in Antichristo quia cecidit, rectè iudicium factum est, princeps mundi huius in homine peccati iudicatus est: exinanita est omnis erroris confusio, ubi euāgelium interuenit, ubi virtus Christi per miraculorum operationem illuxit, dilatatum est in credentibus regnum Christi, atque in iusticia, pace, innocentia, & puritate: ac theosebia. i. diuino cultu, in fide & charitate iterum confirmatum est. Nota. Tria commemorat arma ciuitatis magnæ Babylonis, quibus nocere consueuerat, Vinum, iram, & fornicationem, quæ potentissima sunt. Vinum enim, fomes ignitæ concupiscentiæ est, in quo & Paulus posuit luxuriam, dicens, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, Ephes. 5. Ira ardor sanguinis circa cor, vnde ipsum cor flammam suscipit ac effertur. Fornicatio insatiabilis concupiscentiæ paltus. Vñtatum est autem in prophetis scripturis eam poni idololatria, quæ non raro per fornicationem intelligitur, vt ibi, Perdes omnes qui fornicantur abs te. Psalm. 72. Et Num. 25. Fornicatus est Israël in Beelphegor. Potest hic simpliciter pro turpi congressu capi, in omnibus suis speciebus, in quibus tentabitur secundum desyderia sub Antichristo, qui vt totus erit carnalis, ita nihil intratum re-

Babylonis arma triplicia.

linquet. Cui vitio vinum præbet incendium, id quod iræ quoque non frigidus fomes est. Cecidit ergo Babylon, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Quæstio multiplex est. Prima. Quare dicit vino iræ & fornicationis? Secunda. quare non tantum iræ, sed etiam fornicationis: aut contra? His quæstionibus respondendum est, quod si non sufficienter, tantummodo pro nostra possibilitate vt non litera in tenebris sit, ponatur autem in lucē. Prima igitur quæstio est de vino iræ & fornicationis. Obserua. Vinum luxuriosa res est: & vt diximus, fomes ignitæ concupiscentiæ: proinde Paulus, Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria: & tamen suauius gustatur: aptum enim est ad bibendum, & naturæ humanæ conueniens. Ira quis exasperatur, perdit colorem, amittit rationem, & totum hominem exiit: tremunt labia, vox hæret, flammescunt oculi, inhorrescunt membra. Fornicatio tota turpitudine est, vt quum aliis peccatis extra corpus peccamus: in corpus hoc peccamus. Paulus dicit, non ego. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 1. Cor. 6. & tamē reprobis suauius gustus sunt & iræ & fornicatio, quibus veluti suauis quodam liquore Babylon potat suos ciues. Secunda quæstio erat, Quare non tantum iræ, sed etiam fornicationis, aut contra, potare dicitur ciuitas hæc maledicta Babylon suos habitatores? Suspicio quia grauissima ira furoris domini homines sine cultu veri Dei existentes permittuntur labi in eiusmodi vitia, vnde contumeliis afficiant corpora sua: eueniantque omnia illis quæ perstrinxit Paulus Rom. 1. Hæc igitur Babylon, id est, vniuersitas Antichristorum, quia à vino iræ fornicationis potatura est omnes gentes, omnesque orbis nationes, proinde cader: & quia duplex in eis malum peccati erit: duplici malo poenæ, duplicique contritione conterentur, sicut scriptū est, Et duplici contritione conterere eos domine Deus noster: dum corpore & anima pereunt. Est autē tralatio à vino forti, quo quis inebriatus fuerit facile exandescet in iram, quandoque & in luxuriam, quæ vicia cognata sunt in peruentibus: communiter enim luxuriosi iracundi sunt: vt dum non abstineant ab vno, cadant in aliud, nec sine alterutro sint,

Quæ autem est huius tropi intelligentia, quo dicitur, A vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes? Aut quæ hæc potatio fit? Scimus hereticos dogmata sua circumferre, sæpe per domos oberrantes: unde quoscunque idoneos nacti sint auditores, velut vino falso suo dogmate potant, quandoque etiam usque ad ebrietatem: ut eius incendio flammati commotique cæterum sectentur pestiferi dogmatis fornicationes, effundant & furores in quoscunque animo inebriato impelluntur: nec inter fas nefasque aliquid discriminis videat, quod totum dæmonis maligni instinctu fit, qui inflammare solet incendia, vicia cumulare. Quo in loco illud mihi aduerte: ex quo cecidit malignus dæmon deturbatus è caelo, non desinit moliri aduersus Deum creatorem suum, cuius iustitia illum deturbauit. Obfirmatus enim semel cõcepto in scelere, cupit semper sui excellentiã, & pro Deo haberi contendit. dominatus eius fuit super orbem terrarum per multa sæcula, patiente Deo causa admirabili: qui veritate ilucente in cordibus mortalium quia eiectus est dolet, tristatur, laborat. Molitur semper, ut electos deiiciat ipse primum deiectus: abripiat sponas à sponso Christo, qui fornicationis vino potat & inebriat & dementat in terris manentes. Horum ciuitas cecidisse hic ea ratione dicitur (ut adhuc repetã) quod Antichristo mirabiliter perente subita omnis vna cum eo impietas corruerit, ut iustitia cæterum regnet: in cuius luce gaudentes ministri verbi Dei, hæc prædicabunt voce magna dicentes, Cecidit, cecidit Babylon, &c. q. d. Cecidit in Antichristo, cecidit & in ministris eius siue prædicatoribus. Sed adhuc serupulum alicui iniicit illud, quo dicitur, Babylon vino fornicationis & iræ potare omnes gentes. quum enim Babylon non sit aliud, quàm vniuersitas reprobatorum: quomodo ergo ipsa dicatur potare omnes gentes, quum ipsa non aliud sit quàm omnes gentes in pereuntibus. Sed ego quæstioni alia quæstione occurram. Quæro igitur, qua ratione dicatur Ecclesia sancta docere omnes credentes, quum ipsa non aliud sit quàm omnes credentes: & tamen utique ecclesia docet passim credentes, & edicta dat credentibus? Sic ergo Babylon à vino iræ fornicationis suæ potat omnes gentes, ut præmissum est. Babylon

vniuersitas impiorum est: vinum impietas, & error vi sua mentem occupans, & euertens à sua constantia. Fornicatio corruptio per immundiciam quamcunque & abalienatio ab authore Deo. Ira, furor: potest & diuina vltio esse, quia fit, ut alienati à Deo sua impietate & immundicia contabescant & pereant. ¶ Punct. 4.

Et tertius angelus sequutus est eos, dicens voce magna, Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius: & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice ira ipsius: & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu angelorum sanctorum: & ante conspectum agni.

Tertius hic angelus tertium ordinem ministrorum sacri verbi Dei post interitum Antichristi futurum præfiguratur, qui diuersis causis iuxta tempus emergentibus diuersa argumenta tractanda assument secundum mensuram donationis Christi. Primus angelus de timore præmisit: quo vniuersi commonescerent ad timorem domini, ne vltra abiecto veri Dei cultu ad idola dilaberentur, quemadmodum nuper contigerat multis per Antichristum informe monstrum deceptis. Secundus de ruina regni peccati meminit in casu Babylonico. Unde incitari debent vniuersi credentes in gratiarum actiones Deo immortalis, qui singulari virtute eripere nouit suos ab vltimo internicio. Tertius hic angelus præmonet de studio, ne videlicet quis vltra relabatur in fœditatem iniquationum Antichristi, in qua diu multumque laboratum fuit à seductis. Dicatur ergo, Et iterum angelus sequutus est eos, dicens voce magna, &c. Vox magna, ardens prædicatorum desiderium est, & virtus fortissima in annunciano veritatem contra impietatem. Bestia ipse Antichristus per se est. Imago eius, statua in honorem illius à stulto populo erecta, impulsione discipulorum Antichristi: de qua dictum est, supra cap. 13. Sic & Nabuchodonosor, erigi sibi statuam fecerat, eamque adorari. Character in fronte, aut signi realis candenti ferro impressio est: aut aperta erroris illius professio, prout frons semper detecta pars capitis est. Manus operationem designat. Hæc itaque erit vox illa magna

*Characterem
bestiæ Anti-
christi qui
habent.*

tum temporis prædicatorum : vt si quis adorauerit Antichristum, qui extulerat se in omnibus signis & prodigijs supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sederit, ostendens se tanquã sit Deus. 2. Theff. 2. aut eius imaginem: acceperitque characterem in fronte sua, ita vt aperte profiteatur se esse de numero asseclarum eius, simul operatione confessionem attestans : hic bibit de vino iræ dei, & c. id est, similiter peribit vt ille. Et quia ab initio operatur mysterium Antichristi, mysteriũ iniquitatis in hominibus : quæres, Qui sunt, qui habent characterem bestię in fronte, & in manu. Qui denique in manu tantum, & non in fronte? Respondeo. Iudei habent modo in fronte, & in manu sua bestię characterem: qui in eum modo in mysterio credunt: vnde & statim, vbi emerferit credent in eum: quem recepturi sunt pro messia, errorem mittente Deo in eos, eo quod veritatem recipere noluerunt. Ideo inquit Apostolus, mittit illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati: sed consenserunt iniquitati. 2. Theff. 2. Hoc & dominus testatur dicens. Ego veni in nomine patris mei, & nõ accepistis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Ioan. 5. Idem opera illius faciunt, blasphemãdo Christum, & nequissimis eius operibus alijs quasi illi iam deferuendo. Porro falsi christiani habent characterem, id est, formam ingenij eius (quod enim nos formam, Græci characterem dicunt) qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Dum ergo ij nefandis operibus Christum abnegant: proculdubio Antichristi sunt, contraria Christo facientes, vt similiter cum Antichristo animaduersione Dei atrocissima pereant. Proinde recte subditur, Et hic bibit de vino iræ Dei: quia videlicet similiter damnabuntur falsi christiani cum Iudejs professionem & opera Antichristi iam in mysterio habentibus. Denique quod vinum est, hoc & calix, videlicet vindicta iracundiæ Dei omnipotentis. Idem ergo sunt. Nanquẽ & nos quum vinum in calice damus: non dicimus, Ecce vinum & calix: sed tantum, aut vinum, aut calix. Nec tamẽ vacat à mysterio ita locauisse verba, quasi per superabundantiam. Proinde vinum & calicem posuit: vt ostenderet, quia quod erat in calice

calice cum mero mixtum ad comparationem meri turbidum dilutumque erat. Merum quippe purum dicimus. Sunt enim in hoc calice simul mixta: feces cum vino mero, id est, puro. Per vinum itaque merum, vt dilucidus intelligas, vindicta diuini examinis erga pios capitur, qui in præsentia flagellantur: vt postmodum abundantius glorificetur. Per feces autem damnatio peccatorum exprimitur, qui in extremo examine acerbissimis cruciatibus tradentur. Nam vinum superne est: feces inferne, atque in ipso latent fundo. Quia videlicet sancti in præsentia affliguntur, aduersum quos in aperto diuinum sæuit iudicium: reprobi autem quasi in fundũ demersi plenius acerbiusque furorem eiusdem iudicij in futuro sentient, qui modo flagello libello liberi ad voluptatem viuunt: vt qui modo rem suam sæliciter proferunt, tum infeliciter coangustati, quod remansit in fundo quasi latrans occultumque bibant: in quibus omnibus contraria omnino iustorum atque impiorum, reproborum electorumque conditio exprimitur. Reprobi quippe post degustatam vitæ huius voluptatem æternis ignibus tradentur, qui modo punitionis flagello deseruntur: electi vero post temporariam disciplinã in gloriam assumentur, qui in paucis vexati, in multis bene disponentur. Hebr. 11. Ad hunc sensum adducitur illud, Psa. 74. Calix in manu domini vini meri plenũ mixto. Et quod sequitur, Et inclinauit ex hoc in hoc: veritatem fecis eius non est exinanita: bibet ocs peccatores terræ. Quibus verbis aperte innuitur, quia nimirũ Deus iudicij sui acedinem, turbidamque vitionem effusus est in impios in finem, qui dum viueret absque flagello in pace fuerunt, sanctosque Dei affixerunt. Quocirca fecis vitionis diuinæ nõ deficiet eis, eo quod habeat semper Deus vnde puniat eos, qui in terra viuẽtes ab iniurijs Dei non abstinerunt, terrenis inhiantes, & pro terrenis digladiantes. Sed vide diuinum consilij admirabilem & potentissimam rationem. Sic nanque calix iste vini meri domini in manu est: vt non continue in tenore persequendi sanctos perseveret, sed his liberatis de persecutionis afflictione: vt aliquando afflictio conuertatur in peccatores terræ, qui affligebant sanctos: & hoc potissimum in fine, aut quum exeunt de hoc mũdo, aut quan-

*Vinum purũ
præfens tri-
bulatio.*

*Fecis vini æ-
terna dam-
natio.*

do generale fiet iudicium: id quod dicere intēdebat propheta, recte tamen, Et inclinavit, inquit, ex hoc in hoc, quasi de vno calice in alium liquor funderetur: quandoquidem à sanctis vertetur persequutio in peccatores, nihil acre fece eiusmodi vini evaporante, id est, tenebit seueritas diuini iudicij suum vigorem, & illam acredinem, qua puniat impios, vt nihil ei desit virtutis. In quod sequitur, Et cruciabuntur igne & sulphure, &c. Quum sint in inferno tanta tamque innumerabilia tormenta, quāta nec dici nec aestimari possunt: breuiter tamen in his duobus omnia comprehenduntur. Est enim ignis non ad lucendum, sed ad vrendum. Est & sulphur, quod & fomentum præstabit igni, & fetorem: ac sic ex igne fetor, & ex fetore ignis procreatur. Quorum alterum quum ad cruciandum malos sufficere possit, vtrumque tamen redundat: vt & ardorem sustineant & fetorem, magna satis ratione. Qui enim ad peruersa desyderia ex carnis fetore nūc ardent: dignum est, vt postmodum igne & sulphure puniantur: quatenus ex iusta pœna condiscant, quid ex iniusto desyderio patrabant: nihil tum iam fera sui recognitione in correctionem proficiente. Porro, angelorum vocabulo, in quorum conspectu cruciari dicuntur reprobi: non solum angelici spiritus, verum etiam electorum ecclesia designatur. Quod ideo fit, vt dum impiorū cruciatus iusti conspiciunt, in dei laudes impensius aslurgāt, & gaudeant: sicut scriptum est, Lætabitur iustus, quum viderit vindictam. Ps. 63. Ad eorum ergo cedit gaudium malorum supplicium. Quia videlicet cernunt in se bonum, quo supra meritum sunt remunerati, & in illis supplicium, quod misericorditer euaserūt: & sic gratulabuntur, & gratias misericordie Deo agunt, per cuius bonitatem tanta mala euaserunt, & tanta bona sunt consequuti quibus æternum beatos se sciunt, Sequitur, Et ante conspectum agni. Quid est quod dicit? An visuri sunt impij Christum in æternum, cuius visio beatos omnes efficit? Non equidem: iuxta illud quod dicitur, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. sed tanto terrore corripientur, vt videatur eis Christus Deus omnipotens semper præsens coexistere, eisque iræ vltionem inferre. Sic Cain ille primus parricida, qui manu sua fratrem germanum vnicum

*Dammatorū
pœna ignis
& sulphur.*

*Reprobatorum
cruciatus co-
ram electis.*

*Dei furor
prestem re-
probos in se-
quitur.*

occidit: persequentem Deum & continuo ipsum præsentem fugiebat, dicebatque, Ecce euicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar: & ero vagus, & profugus in terra: siue vt in septuaginta scriptum est, Gemens, & tremens super terram, Gene. 4. Sic & Adam postquam in Deum peccauit, præsentiam Dei fugiens se abscondit. Scelerata nanque mens sic præsentem sibi irari Dei vulturnum considerat, vt flagella quoque conscientie ab eo infligi sibi sentiat. Dicat ergo tertius angelus, dicat & omnes illius temporis prædicatores, Si quis adorauerit bestiam, id est, pro Deo (vt solebat) Antichristum habuerit eum, aut coluerit: & imaginem eius statuam in honorem ipsius fabricatam, & publice in templo Dei erectam: & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu: hic biberit vna cum illis, id est, Antichristo, & eius ministris de vino iræ Dei, id est, vltione, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Hoc est, etsi videatur is aliquali pace frui, donec viuat in terris: tamen non deficiet ei in fine vltio diuina, immo multo maiori plenitudine atque acredine imbuet eum, & inebriabit, & amen tem faciet acerbitate pœnarum eum. Nanque cruciabitur igne & sulphure, & in conspectu angelorum sanctorum, & etiam agni: quos præsentem sibi esse tum conspiciet ad maiorem pœna: suæ cumulum: hunc, quia redemptionis mysterium, quod ipse non aduertit, impleuit: illos quia in ministerium dati sunt credentibus, vt nihil præteritum esse in re salutis quispiam queat causari.

☞ Punctus 5.

Et fumus tormenti eorum ascendet in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerint bestiam, et imaginem eius: Et si quis acceperit characterem nominis eius.

Singularem in plurali excipit dictione in tertia persona: quum enim singulariter præmisset loquens de Antichristi fauoribus, nunc eos pluraliter nominat, dicens, Et fumus tor. eorum, quia videlicet ad vnum perditionis corpus illi omnes pertinent: & ita seorsim vt gregatim punientur, qui vna quasi professione, partique animi tum vitium cōtentione vicia perdiri hominai

Ignis corporis reproborum.

sequuntur. Magnus fumus magnarum flammarum est incitium: quantum enim sine nutrimento lignorum, corporalis tamen erit ignis reproborum, in sulphure videlicet & spiritu procellarum. Psal. 10. cuius modo sempiternum dicit hæc scriptura fumum ascendere: & hæc pars, id est, fors & hæreditas calicis, id est, pœnæ eorum. Ibidem. Quia ergo in igne reprobos sine fine ardere conspicit, fumum tormentorum in sæcula sæculorum ascendere dicit. Quo in loco error Originis aperte cõfutatur qui dixit. Post mille annos reprobos redire ad vitã, iustos autem reuersuros ad pœnam: alioqui falsum esset quod veritas pronũciat, dicens. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Et alibi, Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Ioan. 5. Credere non ausim è tanto ingenio tam puerilem stultitiam prolapsam. Nunc cur pro temporali peccato æterna pœna reprobos maneat mirandum utique est. Sed districtus iudex veniens, non tantum facta pensabit, sed etiam voluntates ipsas. Nam reprobi, si fieri posset, semper in hac vita viuere cuperent, vt semper suis se peccatis pascere, semper etiam noxias voluptates gustarent, & carnis delecta se volutarent: proinde nunquam carebunt supplicio, qui nunquam carere voluerunt peccato: & nullus erit iniquis terminus vitionis, qui nunquam voluerunt habere terminum criminis. Si enim (vt aiunt) quandoque finienda sunt supplicia reproborum: consecrarium est, vt quandoque finienda sint & gaudia iustorum. Quod si hoc verum non est, quod minatus est: neque illud verum erit quod promissit. Verum, inquiunt, idcirco æternam pœnam comminatus est peccatoribus, vt eos à perpetuitate peccandi compesceret. Nanque creaturæ suæ æterna supplicia comminari debuit, non inferre. Quibus citius respondebimus. Si falsa comminatus est, vt ab iniustitia corrigeret: falsa etiam pollicitus est vt ad iustitiam prouocaret. An putas æternam & incommutabilem ludere verbis veritatem, quia dixit, Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transient. Luc. 21. Ludit equidem minime, qui tam mature, tamque constanter pronũciat omnia: immo pure & aperte loquitur confirmatque, vt tergiuersari nequa-

Reprobi pro momentaneis cur æterna recipiant.

quam possis. Cæterum per diem & noctem continuum *Dies & nox* tempus intellige. Vnde est illud, Erit tempus eorũ in sæcula sæculorum. Deficiat nanque miseri sine defectu, *quid significat.* sempiternus erit in eis quod crucietur: quia semper ad cruciamenta reparabitur, quod defecit. Possunt & vicissitudines pœnarum per hæc intelligi iuxta illud, Job. 24. Ad calorem nimium transibunt ab aquis niuium. vt simul acuitates duorum contrariorum in summo perpetuantur in pœnam, qui summum aduertere neglexerunt, in gloriam. *o Punct. 6.

Hic est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei: Et fidem Iesu.

Sancti attendetes quàm crudelis sit exitus pereuntium reproborum, qui bibunt semper in æternum de vino iræ Dei, & cruciantur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni, in eorum maximum dedecus & ignominiam, quorum tormenti fumus ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte: sibi prospiciunt ne similiter pereant, ac proinde tribulationes huius mundi libenter pro iustitia sustinere in corde destinant: magis volentes hic affligi improbitati non consentiendo, quàm consentiendo perire, & his omnibus pœnalitatibus, quæ dicta sunt se facere obnoxios: patientiam insumunt, sustinentes libeter huius temporis aduersitates, quibus solent affligi boni ab improbis. Vnde postquam de pœnis reproborum horrenda facis præmissa essent: consequenter statim subiunctum est, Hic est patientia sanctorum. ac si dicat, in huius æternæ damnationis reproborum consideratione sancti patientia sese in hac vita præmuniunt: pensitantes, quia pro temporali afflictione, æternam beatitudinem sint adepturi: impij vero, & tribulatores sanctorum, pro sua impietate infernalem mereantur damnationem: vt proinde minus turbentur, ferantque omnia æquanimiter, in custodia mandatorum Dei sese totos obstringunt, seruantes fidem Iesu, atque intellectum: & voluntatem captiuantes in obsequium Christi: non necessitate, sed libere: quorum omnis amor Iesus est, & iustitia legis eius: quam meditando & faciendo implent, vt sempiterna beatitudine potiãtur.

Nam & Petrus dicit, Modicum si nunc oportet contritari in variis tentationibus, vt p̄batio fidei vestrę multo preciosior sit auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione Iesu Christi, quem quę non videritis diligitis. & post pauca. Propter quod inquit, succincti lumbos mentis vestrę sobrii, perfecti sperate in eam, quę offertur vobis gratiam in reuelationem Iesu Christi. i. Petr. i. Hic est ergo patientia sanctorum. Pronunciandum est cum percussione libri, aut tabulę subiectę manibus, cum p̄dere & parum elatione vocis, ac prospectus admiratione & etiam grauitate vultus: vt sono simul pulsu edito & grauitate vultus, mirabundęque prospectu, & voce grandiuscula auditorum mentes in considerationem tãtę rei adducantur: nec reculent, si quando ingruant, temporis huius tribulationes subire pro iustitia. Duo dicit; mandata Dei, & fidem Iesu: quandoquidem hæc vehementer faciunt ad salutem, videlicet habere fidem Iesu, & mandata eius custodire, & si quid aduersi interim suboriantur ferre patienter, maxime ob iustitiam. Nam beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Et Paulus dicit, Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem Dei. Nanque fides illuminat, mandata dirigunt, patientia probat, id est, ostendit probatum: fides iubet in vera agnitione credere in Deum, fideręque illi. Mandata in sui obseruatione actuali, dilectionem Dei quoque fidei ostendunt. Dicete domino, Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est qui diligit me. Ioan. i. 4. Patientia palam facit omnibus vere credentem: & quod dignus sit remuneratione æterna, tanquam athleta fortis & constans, & fidelis. Proinde dicebat Apostolus, Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, Hebr. 12. Enimvero post lapsum primorum parentum adeo humanum genus est passionibus continuis obnoxium: vt nõ sit vnus in hac vita, qui omnino aduersos fortunę assultus non aliquando in se experiat. Insurgunt igitur aduersa mala, subeunt afflictiones, coarcentur bella, infirmitates corporum animorumque recurrunt: nunc quoties iniuriis impetimur, virulētias linguarum mordacium sustinemus: vt hos eiusmodi impetus,

aliõsque incurfus, & repentinos motus, non nisi ferendo æquanimiter euadere valeamus. Hoc solũ est nobis refugium in omnibus tentationibus nostris: hæc medicina: quam si sustuleris, omnis virtus in te concidat necesse est: nec constet ratio. Superanda (inquit ille) omnis fortuna ferendo est. Non erit fortis qui non est patiens, nec perseuerabit in finem vt saluus fiat: abiectis enim armis fugiet, nec egregij aliquid efficiet. Sola igitur virtutum aut prestantissima est patientia, aut certe non vltima. De qua nõ erit incongruum aliqua cõmentari hic, vt legentes multo fortius patientiæ robore firmentur, vtque beati fiant. Hanc Lactantius Firmianus, Li. 5. diuinarum institutionũ *Patientiæ definitio iuxta Lactantiũ & Tullium.* definit in hunc modum. Patientia est malorum, quę aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate toleratio. Hanc Tullius eandem in suis Rhetoricis pro ingenij fidelitate honestatis, aut vtilitatis causa, rerum difficultium & arduarum voluntariã ac diuturnam perfeccionem descripsit. At quia solemus subinde falli specie virtutum: proinde distinguere volunt sacrarum literarum tractatores de ipsa hoc modo, vt prima sit Socordium, quibus videlicet ex officio incumbit reprehendere, corrigere, vel punire peccantes, & tamen ignauiter tolerant: contra quos est c. Facientis. 36. dist. vbi dicitur. Facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere negligit. Et. 33. di. c. consentire. Consentire videtur tractanti: qui ad refecanda, quę corrigi debent, non occurrit, & non est patientia sanctorum. Secunda est patientia mundanorũ, *Patientiæ multiplex distinctio.* eorum qui propter mundum quoscunque labores fortiter tolerant, de quibus dicitur. 47. distinct. c. omnes. Omnes huius sæculi dilectores in terrenis his rebus fortes sunt, in caelestibus autem debiles: nam pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua nec parum quidem in labore subsistunt: pro terrenis lucris iniurias quaslibet tolerant, & pro caelesti mercede vel tenuissimi verbi contumelias ferre recusant: terreno iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione coram domino vel vnus horę momento lassantur: sepe nuditatem, deiectionẽ, famem, pro acquirendis diuitiis atque honoribus tolerant: superna autem laboriosẽ quarere tanto magis dissimulant, quan-

tomagis ea retribui tardius putant. Et non adhuc sanctorum patientia. Tertia, stultorum est: eorum qui sciunt quoddam peccando mortaliter diabolo seruiunt, à quo permittunt sic de peccato in peccatum trahi, nec sic patientia sanctorum, quam quærimus est. Quarta hypocritarum, de quibus dominus dicit. Matt. 6. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes, nec talem quærimus patientiam. Quinta igitur eorum est, qui student virtutibus, de qua dicit Augu. virtus animi quæ patientia dicitur, tam magnum donum Dei est, ut etiam ipse, qui eam nobis largitur præconio prædicetur. In patientia namque (dixit ille) possidebitis animas vestras. Lu. 21. Et Iacobus cap. 1. Patientia opus perfectum habet. Et Apostolus. 2. Cor. 6. In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros: in multa patientia. Hæc est patientia sanctorum quam quærimus. Huius autem officium est, conseruare bonum rationis contra tristitiam, ne succumbat. Nam virtutes morales ordinantur ad bonum, in quantum conseruant bonum rationis contra impetum passionum. Inter alias autem passiones tristitia efficax est ad impediendum illud bonum, rationis videlicet. Iuxta illud. Eccl. 30. Multos occidit tristitia. Propterea dixit Lucanus (si misceri debeant profana factis) Gaudet patientia duris. Et quia sola hæc est illa patientia, quæ pertinet ad regnum: notandum nobis est, quod aliud est passionem, & afflictionem in aduersitatibus non sentire: aliud non sufferre. Qui homo est, angustias & tribulationes sentit: sed si non est studiosus & fortis animo in passione deficit: & multa cogitat, aut loquitur, aut facit, quæ non conueniunt. Qui vero studiosus est, etsi ut homo aduersa sentiat, tamen in dolore modum adhibet, & modestiã seruat. Propterea Seneca maximus ille inter ethnicos morum magister, de consolatione ad Paulinum. Non sentire, inquit, mala sua non est hominis, non ferre non est viri. Et Tullius de oratore. Li. 2. Magna laus & admirabilis videri solet tulisse casus sapienter aduersos: non fractum esse fortuna: retinuisse in rebus asperis dignitatem. Porro

Patientia in quibus rebus probetur. quærendum nobis est, in quibus rebus patientia hæc probari soleat, quæ proprie sanctorum dicitur. Quinque eiusmodi numerantur. Primo in contumeliarum

illatione. Solent namque homines nequam, & mali, molestare bonos: nunc detrahendo, nunc contumeliando, nunc contumelias inferendo. Sed utique ibi virtus est, ubi boni patienter sciunt sufferre. Gregorij sententia est. Si boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis æquanimiter tolerate malos, nam quisquis non tolerat malos, ipse sibi per impatientiam testis est, quia bonus non est. Idem. Abel esse renuit, quem Cain malicia non exercet. Lact. in 5. diui. insti. Non minus, inquit, malum est referre iniuriam quam inferre. Nam vnde certamina inter homines, contentionesque nascuntur: nisi quod improbitati opposita impatientia magnas sæpe concitat tempestates. Quod si patientiam, qua virtute, nihil melius, nihil in homine dignius inueniri potest, improbitati opposueris: extinguetur protinus tãquam igni aquam superfuderis: si autem prouocatrix illa impatientia improbitatem sibi comparem nata sit, tantum excitabilis incendium: ut id non flumen aliquod, sed cruoris extinguat effusio. Magna itaque patientiæ ratio est, quam sapiens quisque tenebit. Secundo probatur patientia, & in bonorum temporalium ablatione. Tertio in charorum amissione. Quarto in flagellorum Dei corporali perpeffione. Quinto in voluntaria operatione, ut sunt ieiunia, orationes, vigiliæ, & disciplinæ, aliorumque bonorum operum: quorum præmium vita æterna compenfat.

* Punctus 7.

Et audiui vocem de celo dicentem mihi. Scribe: Beati mortui, qui in domino moriuntur.

E cælo vocem audit: quo scires Dei esse sermonem hanc Apocalypsin. atque ut intelligeres quàm sit ei assentiendum: beatus namque qui audit, & qui legit verba prophetiæ huius: & seruat ea, quæ in ea scripta sunt supra cap. 1. Porro hanc vocem non corporalem, neque à foris per stridulos sonos strepentem auribus audit, sed intus formatam per angelum qui totam Apocalypsin iussu Christi mirabilibus formis revelauit. Audiuit ergo interiori auditu, non dubium quin spiritali de cælo, ita enim videbatur: sicut in visionibus imaginariis, siue etiam in

tellecualibus fieri solet. Eo sensu loquitur Zach. cap. 1. Angelus, inquit, qui loquebatur in me egrediebatur. Sequitur. Scribe. Vides angeli fidem ac diligentiam, quin potius eximium erga mortale hominum genus affectum, quo percipit seruari quemque, ideo salutarem doctrinam commendari litteris iubet, ut ad omnes dimanet, ut omnes mente percipiant: quando quidem beati sunt mortui illi, qui in domino moriuntur. Quid est hoc? Nepe quod mortuum est vita caret. Quod autem vita caret, nec moritur, nec mori potest, nisi prius viuificetur. Itaque intuedum. Namque verbum hoc multipliciter exponi potest. Primo, Beati mortui, id est, felices illi quidem vita sancti, qui in domino moriuntur, id est, in domino obierunt diem suum, scilicet in statu salutis, in charitate, in diuini nominis confessione, in mentis ad Deum conuersione. Tales enim securi sunt, quod nunquam auertentur a Deo, etsi veniale quid secum deferant, non eis imputatur, propter fidem quin felices caelum subeant. Saepe autem in scripturis verba connotatione temporis absoluuntur: & verbu vnius temporis pro verbo alterius temporis ponitur, etiam in his quae historialiter confectibuntur: quod in euangelio. S. Ioannis frequentissime fieri constat. Secundo sic, Beati mortui, id est moribundi & quibus supremus spiritus ad iugulum est agonizantes. Solemus enim de aliquo leraliter aegrotante, mortique iam proximo, dicere, quod sit mortuus homo: vnde, Iayrus Archisynagogus, qui apud Marcum Christo dicit, Filia mea in extremis est. Id quod alius Euangelista ita reddidit, Filia mea modo defuncta est. Qui in domino moriuntur. Hoc vniuersaliter verum est, quandoquidem ea mentis dispositione, seu conuersione qua moritur homo, permanebit anima eius perpetuo. Ideo qui in domino moriuntur, videlicet in conuersione mentis ad Deum, nunquam auertentur ab ipso, iuxta illud, Eccle. 11. In quocunque loco caeciderit lignum, ibi erit. Propter quod asserit Damascenus. Quod angelis est ruina, hoc homini mors. Tertio sic moraliter. Beati mortui, id est, qui mortui sunt hic seculo & peccatis, immo sibi ipsis videlicet propriae voluntati, & omni vitiosa affectioni, atque mundanae vanitati: qui cum Apostolo dicere possunt, viuo autem iam non ego,

Beati in domino mortui.

viuit vero in me Christus, Gal. 2. Et, Mihi absit gloriari in cruce domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, Gal. 6. De taliter mortuis alibi dicit Paulus. Qui mortui sumus, peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? Ro. 6. Et Coloss. 3. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum christo in deo, hi sunt qui dominantur amici cupiditatibus, & feris sensuum affectionibus & vincunt seipsos, odiuntque peccare virtutis amore, immo dei amore, qui dominus virtutum est, Psal. 13. Qui in domino moriuntur, per separationem anime a corpore. Hi enim perseverando vsque in finem non nisi in domino feliciter moriuntur, quacunque morte praeueniuntur. De talibus scriptura loquitur dicens. Iustus si morte preoccupatus fuerit in refrigerio erit. Sap. 4. Quali refrigerio? Quali sancti in celis: vbi actum laborum, ignemque tribulationum, quae sanctos vtere rotareque solet in carne, hic glorioso triumpho superantes: deo refrigerium placidum, ac permulcens illis conferente, quiescunt & delectantur. Sequitur.

✱ Punct. 8.

A modo iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur illos.

A modo, id est, a tempore isto vitae praesentis, siue a tempore mortis, iam dicit spiritus. Quis spiritus dicit? Angelicus? An ille deus, qui sanctus per se est? Ad utrunque referri potest inquit Dion, quidam Carthusianae factionis, qui integrum volumen scripsit in hanc Apocalypsin, cuius verba haec sunt. Potest autem hoc loco per spiritum intelligi angelicus spiritus, cuius ministerio deus ista reuelauit: vel spiritus sanctus, per quem propheticae reuelationes, per appropriationem quandam fieri asseruntur, quemadmodum septem dona dicuntur, dona spiritus sancti: quum vtrique sint dona totius superbeatissimae trinitatis cuius indiuisa sunt opera. Et quia tota trinitas spiritus est, dicente Paulo, Dominus spiritus est. 2. Cor. 2. Et Ioan. 4. Spiritus est deus, potest per spiritum deus trinitas accipi. O quam felices ergo illi, & terque quaterque beati, qui fide vitaeque probabiles inuenti hinc meruerunt superas ad auras euadere, regnumque beatorum laudarius ingredi: quibus dicit spiritus, ut de caetero

requiescant a laboribus suis : pacēque perfruantur quieta ac per benigna. quod propter eos præsertim dici quidam volunt, qui in vinea domini laborantes non defecere: aut pro fide agonizati sunt. Omnibus tamen vniuersaliter pollicetur felicitatem : quatenus norint vniuersi , quia quietudinis fructus laborum anxiorum maneat omnes: nec quisquam frustrabitur mercede sua , quocumque studio in gloriam dei laborarit. Nunc ad reliqua , sequitur enim. Opera enim illorum sequuntur illos. Grande verbum: & semper memoriter tenendum. At quomodo opera, quæ præterierunt, iamque esse desierunt poterūt mortuos sequi? Nonne potius opera nostra præcedunt nos ante mortem, & præparant viam, quum oratio humiliantis se, & deprecatio iusti penetrat celos. Eccl. 35. Et Cornelio dictū est, Orationes tuæ: & elemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu dei, Act. 10. Respondeo, Opera siue bona sint, siue mala, sequuntur morientes, perguntque cum illis. In electis quidem, in quantum splendor virtutum, & ratio obtinendi felicitatē celestem permanent. & comitantur eosdem. In reprobis autem, in quantum macula ac turpitudine vitiorum, & etiam reatus penæ æternæ, cohererent notabiliter. Haymo, Quia enim post opus merces sequitur operis, ipsum opus electorum eos comitari dicitur. sicut scriptum est, Quia est merces operi tuo, dicit dominus Ieremiæ, 31. Dicerem, & ita esse confido, per opera intelligi debere ipsa merita quibus ex diuina promissione correspondet merces, vt ex Hieremia clarum est. hæc enim operantes recte sequuntur, quod ex diuina promissione assequantur quod merentur: Nam promissioni sua deus debitor est, vt bene operantibus reddat bona. Meritum enim in stricta & vulgari sua acceptione dicit opus, cui ex debito correspondet merces æqualis. & tunc dicit duo. primo debitum mercedis, deinde æqualitatem precij & apreciati. Secundo meritum accipitur pro opere, cui ex diuina promissione respondet merces: quomodo accipitur apud sanctos, sicut dicit August. merita sanctorum esse dona dei. Merces autem tunc respondet non tam operi quam promissioni, ex cuius fide operamur. vnde sequitur primū modum nequaquam cadere posse inter deum hominemque: sed inter homi-

*Opera nostra
sequi nos quo-
modo intelli-
gatur.*

nes duntaxat, inter quos stat æqualitas præcij & operis apreciari. vt tantum reddatur quantum operatum sit. In quem modum apud Matth. cap. 20. operariis denarius diurnus reddi iubetur. De primo modo Pauli vox illa est. Non sunt condignæ passionis huius temporis ad futuram gloriam. Ro. 8. ergo non ex debito operum, sed ex diuina promissione gloria redditur, vbi nulla omnino æqualitas intercedit precij atque apreciata rei, quum in infinitum superet merces gloriæ opera nostra. Stringamus argumento. Qui aliquid meretur operibus, habet mercedem ex debito. Sed nullus habet mercedem ex debito apud deum: ergo nullus meretur operibus. Maior propositio Pauli est. Ro. 4. Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Subsumpta propositio clara est. nulli enim est debitor deus, cuius seruitutem nos ratione creationis debemus omnes. Quid ergo? humiliemus nos oportet deo: & non superbiamus operibus nostris: quia excelsus dominus & humilia respicit: & faciamus voluntatem eius. Hoc si fecerimus beati. nā fidelis est dominus quia quod promisit suis reddet etiam. Promissio illa est, Gratiam & gloriam dabit dominus. Psal. 83. Sed quibus? quærentibus. Querite & inuenietis. Lu. 11. Nam & hæc promissio est. Dabit gratiam, dabit & gloriam. Quare? Quia misericordiam & veritatem diligit deus. Psal. 83. ex misericordia promittit, & ex veritate: quia videlicet verax est, reddet suæ promissioni se debitorem constituens. Vnde tria hæc consequenter sese habent per ordinem. Gratia, promissio, debitum. Primo gratia dei est erga nos. secundo promissio sequitur ex gratia. tertio debitum ex promissione. Sicque debitum reducitur in promissione, promissio in gratiam. vt & debitum iam sit gratuitum considerata eius origine. Ipsa enim gratia promittendo facit se debiticem. Idem sentiendum & de mercede, vnde non est proprie merces, quæ datur electis: quia non ex debito simpliciter. neque ex æqualitate operis ad præmiū dicitur merces: sed quia datur bene operantibus ex diuina promissione.

DE VISIONE FILII HOMI-
NIS SUPER NUBEM CANDIDAM
ET ANGELIS TYPICIS.

Sect. 3. Punct. 1.



*T*ridi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

Quem supra agni nomine depinxit dicens, vidi, Et ecce agnus stabat supra montem Sion: eundem manifestius exprimit, quem similem filio hominis dicit: quia videlicet, qui prius in lege per agnum immaculatum figurabatur: ipse per semetipsum in euangelio loquutus est filius hominis factus, quum de virgine Maria incarnatus est. Nubes candida, caro eius purissima est, quam non obscuravit macula peccati. De hac nube per prophetam dicitur, Ecce dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, Esa. 9. Super nubem quippe leuem ascendit, & in Ægyptum venit: quando carnem nostræ mortalitatis accepit, & in hoc mundo natus apparuit. Nam quomodo sol super nubem candidam diem quidem nobis efficit, sed non totam claritatem suam nobis ostendit: lucem dat, sed suam formam subtrahit, nec vibratis radiorum spiculis evidenter sub oculos ludit, & tamen algorem noctis tenebrarumque propellit. Sic diuinitas in carne reclusa, mundi quidem tenebras ac algorem peccati depulit, sed non proinde semetipsam visibiliter nobis ostendit. Deum enim nemo vidit vnquam: sed nec videtur potest qui lucem habitat inaccessibleē. Ioan. 1. & 1. Ioan. 4. & 2. 1. Tim. 6. Sedebat ergo super nubem candidam similitudo filij hominis, quin & ipsa non reuera nubes erat, sed similitudo quadam: neque enim corporaliter oculis sed in spiritu ista videbat. Vel certe per nubem candidam Ecclesia designatur, fide christi purificata: iuxta illud, Fide purificans corda eorum, Act. 15. cui insidet christus, sessioneque eam tuetur & fouet velut gallina pullos suos. Similitudine autem filij hominis visus ille qui venit in similitudinem carnis peccati Ro. 8. apparens tanquam vnus ex

Filius hominis super nubem sedens.

peccatoribus: nam sic venit & ad baptismum Ioannis, petens eum vt cum illis qui aderant peccatoribus se quoque baptizaret: vnde etiam totus intremuit baptista. Matr. 3. Lu. 3. Mar. 1. Non ergo simpliciter filius hominis, naturali lege procreatus, sed similis filio hominis, verus tamen homo ex anima rationali & humana carne subsistens. Dicitur visus, habens in capite coronam auream. Duplici de causa christus coronam habere dicitur: primo quia rex, non fortuna sed natura: non electione sed generatione æterna: in cuius femore scriptum est, Rex regum, & dominus dominantium. Secundo, quia sacerdos. Quod enim sacerdotalis honor coronam habeat, ostenditur Eccl. 46. quum in laudibus patrum de sacerdote Aaron sapiens dicit, Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus virtutis. id quod de lamina sacrosancta intelligitur, in qua scriptum erat ineffabile nomen domini, Tetragrammaton, hoc est quatuor litterarum. Porro falcem quoque habebat, & hanc acutam: quod non aliud est quam id quod Paulus per gladium intelligit, id est verbum dei, quod ad manum habuit christus, siue dum in Iudæa, siue dum in Galilæa, siue in aliis terrarum partibus diuersaretur, prædicans, & docens regnum dei: cuius aciem acuit & exeruit aduersus Scribas & Phariseos, nobilissimam ac iuxta corruptissimam partem populi illius vbique: vt nec modo cum vlla gente tantum negocij sit pietatis doctoribus quantum cum execrabili stirpe istorum, qui quum per se satis sibi sanctuli sint, cæterum rabule: de quibus domini vox est. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Matth. 15. *o Punct. 2.

Christus coronam habet auream.

Et alius angelus exiit de templo clamans magna voce ad sedentem super nubem.

Si circumstantiæ verborum suis mysterijs penitus confyderentur, facile nobis occurreret quem hic angelus de templo exiens præ se ferat. Scimus enim Zachariam patrem Ioannis baptistæ sacerdotem templi fuisse, cui Gabriel angelus in templo apparens magnificam sobolem promisit. Qui ergo patre sacerdote generatus & promissione in templo facta editus est, iure per hunc angelum, videlicet Ioannes ipse baptista domini designatur:

quem Malachias, domino asseuerante, angeli nomine consignauit. Mala. 3. & Matth. 11. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te: quod est verbum patris ad filium christum. Qui idcirco alius dicitur: quia & hic, ad quem loquitur, angeli vocabulo in eadem scriptura, figuratur, quum dicitur, Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos queritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Si enim angelus nuncius est, de Ioanne euangelium dicit, Fuit homo missus à deo. Et de christo Paulus loquitur, Misit deus filium suum, Gal. 4. Hoc idem non semel de se apud Ioannem testatur dominus, vt ambigi de sensus veritate non possit. Hic ergo alius angelus exiisse de templo duplici ratione creditur. Primo quia in templo per angelum est patri annunciatum promissusque: qui mutus egressus est de templo, & non potuit loqui, vique dum nasceretur puer, & circumcideretur Luc. 1. Secundo quia patrem sacerdotem habuit, qui ad templum pertinebat, & qui tum quoque minister esset templi: immo qui secundum legem patri sacerdoti sacerdos filius succedere debebat: sed ipse exiuit de templo illo scilicet veteri, vt noui institutorem annuntiaret. Sic ergo exiuit de templo, & fugit in desertum: zonamque pelliceam & pilos camelorum horridulos præclaris sacerdotij illius stolis prætulit. Mar. 1. Iuit vt clamaret, quem vocem clamantem in deserto iam dudum notauerat Esaias. Iuit vt voluntati scripturæ, immo dei omnipotentis in scriptura expresse satisfaceret. Iuit clamare voce magna, magno supplicare desiderio, intentis animi præcordiis obtinere, vt eum, quem clausus in vtero salutauerat exultando, & videre & ostendere mereretur mundo: nondum enim agnoscebat faciem, quem per spiritum prophetiæ sciebat aduenisse. Vides studium viri in solo christo positum, cui premilitare volebat. Vides quanta fide illum agnouerat, & quali in æstimatione habuerit: quanto ardore illi suffragari gestierit. Fugerat christus portante eum penitentia matre in Ægyptum: nec rediit, donec truculenti carnificis terroribus terra Iudæa liberaretur: vt puerum Iesum, Ioannes puer videre non posset, quem vbi nusquam reperit, exulem exul sequi voluit, fugitque in desertum: quum

Ioannes bapti. angeli nomine designatur.

quum non illi iam pucto saperet quicquam, nisi Iesus, quem adhuc intra ventris materni claustra latitans semestris agnouerat, inque gestus exultatione monstauerat. & mansit ibi donec spiritus sanctus mouit eum, ne ultra solitarius in deserto viueret, sed exiret, & aggregeretur munus sibi delegatum, prædicandique ac baptizandi officio vteretur: iam enim tempus appeteret, quo & illum mundus agnosceret, qui in regionibus Iudæorum hæcenus incognitus maneret: cuius ipse prece fore deberet, præcederéque illum in virtute Eliæ, redargués & increpans segnitiam cessantis populi, qui nihil ad signa natalicia, cælique clara lumina experrectus esset, quando gentes e longinquis partibus adoraturi venissent, syderis nouiter exorti lumine excitati, læcessitque. Eius semper partes erant clamare rotundo ore ad sedentem super nubem, id est, dei filium in humana carne existentem, quando prædicationis illius tempus aduenisset, in hunc modum.

✠ Punc. 3.

Mitte falcem tuam acutam, & mete, quia venit tibi hora vt metas, quoniam aruit messis terræ.

Arebus gestis & exemplis prioris sæculi notat in nouissimo illo tempore quales futuri sint prædicatores, quia non minori zelo quam vquam fuere antea. propterea Ioannis in primis meminit baptistæ, deinde Eliæ: non quia Ioannes in persona venturus sit resuscitato corpore & prædicaturus, sed virtute: eandem namque virtutem illius aurei temporis prædicatoribus daturus est dominus in officio præcursorio, qualem habuere ij, qui per facta describuntur, vt Ioannes & Elias. Simul ostendens felicitatem per omnem modum aui illius: quod nihil minus virtutis erit verbi dei ministris siue ad iustitiam vitam, siue ad doctrinam, christo domino affatim eis virtutem ad omnia efficienda suppeditante, & gratiam. Quis enim nesciat Ioannem sanctum virum fuisse quem & ipse Herodes impius carnifex metuebat, sciens iustum eum esse & sanctum, prout legis Mar. 6. Eliam autem rex Achab & Jezabel exhorrere, cognoscentes eum hominem dei esse. 4. Reg. 1. quorum vterque clamabant in virtute dei, annunciantes salutem hominibus, & peccata detestantes:

Prædicatores futuri temporis ab exemplis notantur.

vtque corda hominum in primis deo prepararentur. De clamore Ioannis præclarum extat in euangelii testimonium: qui inter conuolitantem ad se multitudinem prædicans, nihil magis agebat, quàm vt corda hominum prepararet, & christum ad prædicandum excitaret. Excitabat profecto, quum hominum corda prepararet suspenderetque ad illum, de quo sic Matth. 3. scriptum est. In diebus autem illis venit Ioannes baptista prædicans in deserto Iudæe, & dicens, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum, &c. Sequitur, Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem: & baptizabantur ab eo, in Iordane, confitentes peccata sua: & dicebat eis, Ego quidem baptizo vos in aqua in penitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceameta portare, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni, cuius vtilabrum in manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Sequitur, Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem vt baptizaretur ab eo: Ioannes autem prohibebat eum dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me, &c. Porro quum esset in vinculis, mittens duos de discipulis suis ait illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11. quasi diceret, Nulli dubium esse deber quin tu sis ille messias promissus. Age ergo, prodi, nunc nunc ostende te mundo: mitte falcem tuam acutam, id est predicationem tuam exerce inter Iudæos, & mete, id est, separa eos à carnali legis sensu: spiritualibus, iisdemque mere celestibus studiosus imbuens eos sensibus, quia venit tibi hora vt metas. Siue vt alij codices habent, venit hora vt metatur. Me oportet minui, te autem crescere. Iam ego delibor, tu autem superstes eris donec hora tua impleatur. Ego quippe feci omnia ad quæcunque premiffi me, & nihil neglectum est à me: Iusticiam quam colui, sanguine testabor: nam nec mors me terrebatur à veritatis confessione, nec pœna à iustitiæ amore. Iam vides preparata sunt corda hominum, vt in procinctu suscipiant te, fidæque tua salui fiant: in quem ego omnem plebem commouit ac direxi, quia id erat mei officij. Aruit messis terræ, ita vt per se cupiat falce tuæ predicationis præacuta

Ioannis baptista.

demeti, maturitate propemodum in ariditate versa. Eo sensu dominus dixit Ioan. 4. Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem: & qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat simul gaudeat, & qui meret. Et iterum, Messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam. Matth. 9. Lu. 10. Sequitur. *o Punc. 4.

Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, & demessa est terra. (vel) messuit terram.

Totum hoc ad primum domini aduentum in faciem mysterij pertinere videtur: qui tunc falcem suam misit, quando predicationem suam exorsus est. In terram, id est in terrena hominum corda, quæ sic spirituali verbo demessuit, ne quid terrenæ fecis, cupiditatisue carnis haberent, quod fidei virtus omnino efficit: succidit namque animum à terrenis affectibus, facitque celestem. De hac re sic Marci. 1. legis. Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam prædicans euangelium regni dei, & dicens, Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum dei: penitentiam agite, & credite euangelio. Vel, sicut ab alio euangelista dicitur, Exinde capit Iesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum, Matth. 4. Sic ergo qui sedebat super nubem, id est, venit incarnatus christus Iesus, qui maiestatis suæ fulgorem humanis sensibus impatibilem nube carnis texit: misit suam falcem in terram, vt meteret diuidendo mortalium corda à terrenis affectibus, & messuit. Primitiæ messis illius fuerunt apostoli: iidem postmodum ex messe messores facti, per mutationem dexteræ excelsi. Messis tota, multitudo credentium longo ordine succedens tam ex Iudæis quàm ex gentibus. *o Punc. 5.

Et alius angelus exiit de templo, quod est in celo, habens & ipse falcem acutam.

Iam hoc secundi eius aduentus figura est, qui exiet tunc de templo cæli sublimis. Angelus ergo hic idem est, qui sedebat super nubem candidam, dictus similis filio hominis: qui tamen alius idcirco dicitur, quod longe dissimilis

ab eo qui ad eum loquebatur: non enim homo solum, sed deus & homo, cuius egressio à summo cælo dicitur, P. sal. 18. & ideo de templo, quod in cælo est exiisse prædicatur. Est autem pñctus iste thema quoddam sermonis totius qui deinceps sequitur vsque in finem visionis huius quintæ. Nam aduentum domini ad iudicium extremum denotat, & ideo exire de tēplo, quod est in celo, dicitur. Mar. vlt. Et dominus quidem Iesus postquā loquutus est eis assumptus est in celum, & sedit à dextris dei. qui bene alius dicitur ab illo qui sedebat super nubem, quia longe dissimiliter apparebit in secundo eius aduētū. Non ergo re alius sed habitu alius erit: quia venturus est in maiestate sua, qui olim in humilitate apparuit: & sicut alius habitus, & falx credēda alia: quæ & ipsa re quidem eadem, sed acie longe diuersa. nam idem verbum dei, sed potentius tū exeret vires suas in iudicio, quā in doctrina erat: utpote cum temperatura mitiore, quando proximo septuagies septies delinquenti dimitti iubet. In iudicio enim non dimittit, sed tradet tortoribus, & igni æterno dānat. Christus ergo est hic alius angelus: non ille humilis, non tot modis irrisus, & sperus & conspurus: sed quem intremiscet vniuersa orbis machina, qui piis eius cultoribus, & qui à dextris tum ei erunt, dicet, Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Impiis autem, & qui à sinistris statuentur, Ire maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Matt. 25. O quā acuta tum falx ea erit, quā potens, separās bonos à malis, boni vt secum sint semper, mali cum principe diabolo eorum. *o Pun. 6.

Et alius angelus exiit de altari, qui habebat potestatem super ignē: & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam dicens, Mitte falcem tuam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam mature sunt vine eius.

Elias in angelo figuratus.

Qua conuenientia angelus hic Eliam exhibeat videamus. vera enim est ex proprietatibus coniectura, & certe circumstantiæ rerum indicāt, quid veritas teneat. Quod si à vaticinio originē rei petimus. Malach. 3. scriptum de eo reperimus, Ecce ego mittam vobis Eliam antequam ve-

niat dies domini. Vt enim primū domini aduentum prælusit Ioannes baptista, sic secundum prælusurus Elias. De quo hic duo dicuntur, quæ nulli ex scriptis magis proprie conueniant quā Eliæ. Primum est quod exiit de altari. Secundum quod potestatem habebat super ignē. Probemus vtrunque, quo vehementissime constat non alium æque figurari per hunc angelum, quā Eliam. Scriptum est. 3. Reg. 18. Post dies multos factum est verbum domini ad Eliam dicens: vade, & ostēde te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ. Iuit ergo Elias vt ostenderet se Achab: quumque iret, occurrit ei Abdias dispensator domus Achab, qui timebat dominū deum valde: nam quum interficeret Iezabel prophetas domini, tulit ille cætum ex eis, & abscondit, eos quinquagenos, & quinquagenos: & pavit eos pane & aqua. Qui quū cognouisset Eliā, cecidit super faciem suam, & ait: Nū tu es domine mi Elias: cui ille respondit, Ego. Et dixit, Vade, & dic domino tuo, Adest Elias. Abiit ergo Abdias in occursum Achab: & indicauit ei. Venit Achab in occursum Eliæ, & quum vidisset eum, ait, Tu ne es ille qui conturbas Israel? Ait Elias, Non ego, sed tu, & domus patris tui qui dereliquistis mandata domini, & sequuti estis Baalim: verum tamen nunc miteme, & congrega ad me vniuersum Israel in montē Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel. Misit ergo Achab, & congregauit omnes. Accedens autem Elias ad omnem populum Israel, ait, Vsquequo claudicatis in duas partes. Si dominus est deus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. Et ait rursum Elias ad populum, Ego remansi propheta domini solus: propheta autē Baal quadringenti & quinquaginta: prophetaque lucorum quadringenti viri sunt. Dentur nobis duo boves, & illi eligant quem volunt, & in frustra concidentes ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego alterum bovem concidam, & imponā super ligna, ignem autem non supponam. Inuocēt isti nomina deorum suorum, & ego inuocabo nomen dei mei: & deus qui exaudierit per ignem, ipse sit deus. Respondit omnis populus, Optima propositio. Dixit ergo Elias prophetis Baal. Eli-

Abdias dispensatoris pietas in prophetas domini.

Elias cum Achab colloquantur.

*Elia factum
cum sacerdotibus
Baal.*

gite vobis bouem unum, & facite primi quia plures estis, & inuocate nomina deorum vestrorum, igneque non superponatis. Qui quum talissent bouem, quem dederat eis, fecerunt sic. Et inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem dicentes, Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: Transliebantque altare quod fecerant. Quumque esset iam meridies, illudebat illis Elias dicens, Clamate voce maiore, deus enim est, & forsitan loquitur: aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt exciteretur. Clamabant ergo voce magna, & incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis donec perfunderentur sanguine. Postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes. Dixit ergo Elias omni populo, Venite ad me. Et accedente ad se populo, curauit altare domini, quod destructum fuerat: & tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo domini di. Israel erit nomen tuum, & edificauit de lapidibus altare in nomine domini: fecitque aqueductum quasi duas aratiunculas in circuitu altaris: & posuit ligna, & ait, Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit, etiam secundo hoc facite. Qui quum fecissent secundo, ait, etiam tertio id ipsum facite, feceruntque tertio: & curabant aqua circum altare, & fossa aqueductus repleta est. Quumque iam tempus esset vt offerretur holocaustum: accedens Elias propheta ait, Domine deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta preceptum tuum feci haec omnia verba: exaudi me, dñe exaudi me vt discat populus iste, quia tu es dñs deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. Haec dicens, Cecidit ignis domini, & deuorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam quae erat in aqueductu lambens. En vides vnde emerferit, vt insigne altaris & ignis habeat Elias. Idem duos quinquagenarios principes cum suis exercitiis igne prolicito e caelis exussit. 4. Reg. 1. Idem per turbinem igneo curru raptus est in sublime. 4. Reg. 2. Tot argumentis probatur angelus iste non alium praeter quam Eliam exhibere: qui cla-

*Fides & zelus
Eliae.*

mauit, id est, clamabit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, id est, potestatem iudiciariam: praecessurus est enim Elias secundum domini aduentum, & praedicaturus omnibus in magna constantia, & fortitudine verbi, & conuersurus corda sua gentis ad Christum, quando omnis Israel saluus erit, & post hoc iudicium. Sed quid clamabit: hoc videlicet, Mirre falcem tuam acutam, & vindemia botros vineae terrae. Vineae terrae terreni homines sunt, sicut vinea domini domus Israel, id est, vere credentium multitudo est. Esa. 5. hos petit vt demetat sua falce dominus, quia gens exasperans sunt, viuuntque in reprobum sensum. Botri vineae huius homines repleti vitiiis vsque ad summum: ideoque vuis maturis comparantur. Sed dices. Si duo illi testes, de quibus supra cap. 11. tractatum est, quos Antichristus occisurus est, sunt Enoch & Elias: vt communiter putatur: quomodo Elias domini aduentum praecurret? Quomodo clamabit? Sed non est determinatum, vtrum in persona sua intelligatur, an solum in virtute: nec ibi nominatum exprimuntur, sed tantummodo, quia duo testes erunt, qui ex circumstantia verborum putantur fore ij, quorum actio similis erit: tamen si in persona ipsi fient, dicitur consequenter quia postquam occisi fuerint exactis tribus diebus & dimidio spiritus vitae intrabit in eos, qui etiam ad conspectum aduersariorum visibiliter rapiuntur in caelum. Nunquid ergo redire poterunt, vt iuxta voluntatem domini faciant omnia, ad quae mittentur? Magna est potentia domini: magna iudicia eius, quae admirari possumus, discutere non audemus, tantummodo e scripturis obiectiones colligere. Beati namque qui seruantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. Psal. 118. Hoc certum est, quia circa finem mundi crebrescent miracula, sicut & in primaue ecclesia factum legimus: vt plures salui fiant: & praedestinatio sanctorum impleatur infallibili scientia Dei. ✦ Punct. 7.

Et misit angelus falcem suam in terram: & vindemiauit vineam terrae: & misit in lacum ira Dei magnum.

Quis angelus iste sit ex scriptura didicimus, quid denique fax eius: quia iudicium, quod dedit pater in manibus filij. Ioan. 5. Quare autem per falcem iudicium designetur? Fax nempe quicquid incidit in tra se colligit.

Sic examen iudicij colligit omnes quos cedit. Vtitur autem verbo vindemiationis: nam vindemiare est vuas à vitibus palmitibusque colligere, vt est illud Plinij. Ipse vindemias colligo, si tamen colligere est, nonnunquam decerpere vuam. Et quia in vindemiis non solum colliguntur, sed etiam exprimentur vuas, apte de lacu meminit. Est enim lacus vas in quo mustum defluit: hic vero inferni vocabulum est, qui idcirco iras Dei dicitur, quòd vltio diuina secundum iustitiarum rigorem in reprobis fiat. Qui & magnus dicitur, ob capacitatem. De quo Esa. 5. legis. Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vilo termino: & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes, glorioseque ad eum. Lacus ergo infernus est ob suam profunditatem, qui magnus ob suam capacitatem dicitur, de quo apud Ezechielem multa scribuntur.

¶ Punct. 8.

Et calcatus est lacus extra ciuitatem: Exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta.

Lacus extra ciuitate calcatus.

Hic lacus recte extra ciuitatem calcatur, quia reprobi omnes extra sortem iustorum, id est, Dei electorum reputantur: quorum poenae magnitudinem dupliciter significauit. Primo, in eo, quòd calcatus est lacus extra ciuitatem. Secundo, quia redundauit sanguis vsque ad frenos equorum. Sanguinem quippe redire ad frenos equorum est, infernarum poenas ad mensuram cuiuslibet pro merito ascendere. Per stadia mille sexcenta. Stadium Latine curriculum siue spaciium dicitur, in quo equi hominesque currunt ad brauium, & octo stadia faciunt mille passus. Stadium verò centum viginti passibus explicatur: dictum stadium à statione, quòd Hercules eo spacio vno spiritu compresso constitisset: continetque octauam mille passuum partem: quod cxxv. nostros efficit passus, hoc est pedes sexcentos viginti quinque, vt scribit Plin. Quae mensura octies efficit mille passus. Porro in stadiis ludii exercebantur, ludentesque spaciando & ludicia exercendo deambulabāt. Idcirco Domitianus inter cetera stadium extruxit. In mille itaque sexcentis stadiis omnis summa reproborum comprehenditur: quae in quatuor mundi partibus consistit, propter quatuor mundi huius plagas. Quater quippe quadringenti sunt mille sexcenti. In cen-

tenario numero saepe summa alicuius rei intelligitur. Quaternarius autem pertinet ad quatuor mundi climata. Ideoque in mille sexcentis omnes reprobi capiuntur, qui per quatuor mundi istius partes, per voluptatum ludibria currunt: & per spaciosam viam, quae ducit ad mortem, se gyran. Id autem quod dictum est sanguinem vsque ad frenos equorum de lacu effluere, ad horrendum iudicium damnatorum pertinet, qui sicut equus & mulus in hac vita sine intellectu suis libidinibus arserunt in vitia: tunc nimirum libido eorum omnis, velut lupatis sententiae dirae poena frenabitur. Sanguinem posuit pro vltione poenae: Christi enim sanguinis vltio (quem nulla aestimatione effusum licet in salutem tamen omnium habuerunt) velut in ingratos, omnes reprobos reuerteretur. Potest & hyperbolicus sermo esse: exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum: & ita his verbis nihil aliud designatur, nisi quòd ineffabiliter grauis fiat atque exuberans poena malorum in lacu gehennae. Sensus & verborum structio est. Et calcatus est lacus extra ciuitatem per stadia mille sexcenta, id est, calcabuntur praelo diuinae vltionis omnes reprobi, qui congregabuntur ex quatuor orbis partibus in lacum Orci preparatum à domino: Et exiuit, id est, exiet sanguis, id est, ascendet poena de tormentis lacu vsque ad frenos equorum, id est, ad summum cumulabitur vt impatibilis fiat, teneaturque, & constringat noxiam voluntatem libere antea in voluptatibus & culpis vagantem, vt non vltra aliquid possint efficere, nec erigere se contra dominum. Est & metaphora. Namque vbi in transcundo flumine aqua veniat vsque ad frenos equorum, mergi eos necesse est, & extremo fieri periculo. In quem modum erunt reprobi in poena. Tantum refert in tempore respicere, & vias domini grassari: vt non quaecumque vultis in illa faciatis. Hic freno legis domini quisque se constringat oportet, vt non freno iudicij & dirae sententiae postmodum constringatur. Audistis ex Esaia, quia vermibus eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audistis & dominum saepe in euangelio loquentem: quia ibi erit fletus & stridor dentium. Custodi nos domine ab his horrendis poenis.

DE SEPTEM ANGELIS SE-
PTEM PLAGAS NOVISSIMAS
HABENTIBVS. Sect. I. Punc. I.



E t vidi aliud signum in celo magnum & mi-
rabile: Angelos septem, habentes septem pla-
gas nouissimas: Quoniam in illis consummata
est ira Dei.

Hæc est visio quinta ex septem princi-
palibus, in qua agitur primo de septem angelis habenti-
bus septem plagas nouissimas. Secundo de bestia victo-
ribus. Hinc depingit ipsos septem angelos in habitu eo-
rum. Denique declarat, qua ratione illis datæ sint septem
phialæ aureæ. Principio itaque omnium scire debemus,
quia crescente malicia hominum in terris crecet & vltio
diuinæ iræ de calis, vt pro mensura delicti fiat & plaga-
rum modus. Quanto autem magis propinquamus fini,
tanto plus deficiamus: & tanto amplius improbitas au-
getur in hominibus. Ergo & ira leuiens in culpam plus
in finem cumulabitur, effera & ceterque vehementius. Id
quod beatus Ioannes ex reuelatione vidit & in seriem
magnatum visionum hic contexit. Magnum signum
vidit, quia de magnis & admirabilibus Dei iudiciis: &
hoc in celo. Quid enim non rerum sacrarum nisi in cæ-
lo vidit? Est autē hoc, Septem angeli septem nouissimis
plagis prodire. Quidam per septem angelos septem de-
creta Dei hoc loci intelligit: nos decretorum prædicato-
res potius intelligimus, sicut & septem antea. Septem er-
go angeli vniuersitatem prædicatorum Dei decretorum
designant, plagæ autem vltiones ex decreto Dei intentæ
sunt aduersum impios: quæ nouissimæ idcirco dicuntur,
quia post eas futuræ aliæ nō sunt: Vel quia post priores,
quæ ab exordio mundi suere sequantur: siue dum lucifer
cum suis è cælo deiectus est: siue dum protoplastus de
paradiso exturbatus: siue dum cathaclysmo mūdus oper-
tus, siue dum Sodomorum vrbes igni & sulphuræ con-
flagrauerunt: siue dū popul⁹ Israël per Chaldeos abductus,
& alia. Et quemadmodum per septem angelos vniuer-

*Tribulatio
cur in finem
multiplica-
bitur.*

*Angeli se-
ptem prædi-
catorū vni-
uersitas.*

*Plagæ septem
diuinæ vlti-
ones.*

fitas prædicatorum, ita & per septem plagas consumma-
tio plenitudōq; supplicij reprobatorum designatur. Hinc
in Exodo dominus ait, Percutiam vos septem plagis. &
de istis subiungitur, Quoniam in illis consummata est
ira Dei. Hæc nouissimæ plagæ cœpere à domini aduentu,
durântque vsque ad sæculi consummationem.

DE MARI VITREO MIXTO
IGNI STANTIBVSQVE SVPER
ILLVD. Sect. 2. Punc. I.



E t vidi tanquam mare vitreum, mixtum igni:
& eos qui vicerunt bestiam & imaginem eius,
& numerum nominis eius, stantes super mare
vitreum, habentes citharas Dei.

Meminit de his qui bestiam vicerunt An-
tichristum in se, & in suis, & doctrinam eius contempse-
runt, quæ docebat meram apostasiam à Deo: quoniam ij
soli dicuntur vere stare super mare vitreum, haberēque
citharam Dei, id est, veri præconij eius harmoniam. Isti
sunt reseruati in vasis misericordiæ Dei, qui gaudent in
cordibus suis, q̄ foeliciter euasissent de terra, deque mari,
de fluminibus ac aquarū fontibus, de æstu solis: de regno
bestiæ tenebroso, de flumine magno Euphrate, de aere,
& potestatibus eius: in qua omnia Phialæ iræ Dei effusæ
sunt. Isti enim sunt, qui reuelata per euāgelij Dei gra-
tia omnem impietatem abnegātes, & secularia desideria,
crediderunt & penitentiam egerunt, baptizati in remissio-
nē peccatorū. Idcirco ab illis iræ filijs, qui aut credere no-
luerunt, aut si crediderūt, veritatem Dei in impietate de-
tinerunt, narrationis ordine segregātur: & prius istorū
salus, ac deinde illorum perditio narratur. Ait ergo, Et
vidi visione imaginaria, quæ est in spiritu, scilicet nihil
à dextra sensu in hæc operante, tanquam mare vitreum
igni mixtum. Mare hoc baptismi gurges est, figuratus
per mare illud æneum, quod duodecim boues aenei in
templo subnixi dorso sustentabant. Est enim aqua illa,
quæ cum sanguine de latere Christi lancea percussio, in
cruce visibiliter promanauit, delens peccata, sed non sine
inuisibili spiritus sancti præsentia: p̄inde elegāter dicitur,

*Mare vi-
treum ignis
baptismus.*

mixtum igni, qui est Spiritus sanctus, adurens peccata, & confans, & emundans: quo sine nihil ageret aqua. Apposite autem & maris vocabulo vsus ipse author potius quã aquarum, aut fluminis: quia nimirum baptismus Christi, quo peccata intereunt, cum rubro mari, quo Pharaon cum curribus, & equitibus suis periit, nec parvam nec ignoram gerit similitudinem. Porro sicut non sufficiebat illis ad promissionis brauium obtinendum, qui cum Moyse liberati sunt, nisi voci domini obedirent, virtutes colerent, eum quibus fidei genuina semper & germana est consuetudo: ita nec nobis sufficiet, quod baptismi lauacro euasimus tyrannidem peccati, nisi posthac ab omni improbitate, cupiditateque simus immunes. Multi eorum perierunt ob iniquitates suas, qui sic mare euaserunt in magna potentia Dei, ut non reciperent promissionem. Id quod & nobis eueniet proculdubio, nisi fuerimus ab offensa Dei alieni. Rem totam egregio stilo perstrinxit Apostolus. 1. Cor. 10. Nolo, inquit vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali conseqente eos petra: petra autem erat Christus: sed non in plurimis eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Subdit, Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum. Synceri ergo credentes super mare vitreum stare visi, qui per baptismum de peccati tyrannide liberati, facti sunt fortes per fidem, ut vincerent bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius: quia eos solos baptismus saluat, qui vincunt. Quod est certius euidentiisque signum prædestinationis diuinæ circa hominem, si vincat: alioqui liquido constat nihil ad electorum catalogum pertinere. Quid bestia sit, quid imago, & quid numerus nominis eius, dictum est sup. c. 13. Bestia est Antichristus, imago prædicatores eius, & omnes imitatores, numerus nominis eius quouis modo ad eum pertinentes. Iam verò quid est quod baptismus mare vitreum appellatur: nisi quod nihil fecis peccati insit baptismi sacro: delet enim omnia nec turbidum quicquid in se continet, dubitabile.

Mare transierunt multi in deserto perierunt.

Baptismus mare vitreum.

Vel quia manifestum sacramentum sit, nihilque figuræ habens, lymphidum & clarum. Ad hæc, quo intelligeres, quia omnes christiani debet esse vitrei, id est puri, & pellucentes veritate: scriptum est enim, Spiritus sanctus disciplinæ fictum effugiet, Sap. 1. Qui autem scrutatur corda & renes, ipse videt quo quis animo super hoc vitreum, clarum & transparentem mare constiterit, qualive habitu. Porro citharas habent victores Dei. Sed quales? Manufactas? Non. Quales ergo? Respondeo: candida pectora, in quibus per fidem musica celestis, id est, verbum veritatis responderet sua harmonia, suoque concentu, vbi chordæ præceptorum Dei extenræ sunt desuper. Eo sensu Psalmista nos hortatur. Psal. 32. Confitemini domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Enimvero observatio decem præceptorum Dei perquam necessaria est in salutem: idcirco & dominus quem dixisset suis, Euntes docere omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris & filij, & Spiritus sancti: adiunxit, docentes eos seruire omnia quæcumque mandauimus vobis. Hoc est ergo citharas habere, obseruare Dei mandata, gratias illi agere, & congratulari illi in iubilo cordis. Aliter per citharas possunt consolationes sanctorum intelligi post agones & certamina, sine quibus non sunt veri filij Dei, cantantes & psallentes in cordibus eorum domino, cuius ope victoriam consequuti sunt. Proinde rectè sequitur de eisdem victoribus.

*Citharæ di
obseruatores
præceptorum
Dei.*

✠ Punctus 2.

*Et cantabant canticum Moysi, serui Dei: Canticum
agni, dicentes.*

Notum est, iuxta historiam, quod vel quale canticum Moyses seruus Dei transito mari rubro cecinerit, Exo. 15. per mysterium verò qualiter canticum hoc regeneratis conueniat palam est, quod omnino figura veritatem teneat indicetque. Proinde his, qui in veritate stant, canticum Moysi liberationis de mari rubro tribuitur: & agni similiter canticum. Quare agni? Num sufficeret Moysi canticum, id est gratiarum actio liberationis de tyrannide peccati, nisi ut & agno quippiam tribueretur? Ita sentio. Namque nisi agni sanguis in baptismi operaretur, non vel totum mare prodesset: sicut nec illis qui sum-

*Canticum
moysi iustum
cum agni can-
tico.*

mersi sunt cum Pharaone profuit. Quare illi summersi quia non in sanguine agni litauerant. Vides nunc quam necessario vtrunque iunxerit canticum. Quænis igitur nunquid nisi agni adderet sententiam veritatis exprimeret: Minus è, Addidit ergo agni, quia nimirum, quod sub Moyse historice in figura gestum est transitu illo, hoc spiritualiter sit in baptismo Christi: ut hostibus ac tyrannide peccati mersis in mari plena deinceps libertate poteremur, nec vltra seruiremus peccato, néve paueremus conscientis nostris. Commode ergo agnum nominat. Nam & dum Moyse liberationis canticum caneret: id propter quod canebat, per immolationem agni eis cessisse, memorabatur. Iussu quippe Dei, mense primo, quattordesima die mensis, ad vesperam, immolauerat Moyse agnum, & sic Aegyptum egrediens, mare ductum pertransiit: ita & nos, vltimis seculis, & nouissima hora Aegyptum peccati post terga linquentes, mare baptismi antequam ingrederemur, affuit nobis immolatus Christus, Dei ille verus agnus, cuius beneficio tyrannidem omnem peccati infidelitatis euasimus, & regnum diaboli longe retro dimisimus, quod in Aegypto figuratur. Iam vero quid constantissimi veritatis assertores canant audiamus. * Punct. 3.

Magna & mirabilia sunt opera tua domine Deus omnipotens: Iusta & vera sunt viae tuae rex seculorum.

Si reuocemus in memoriam, quæ ab initio dominus deus omnipotens fecit cum genere nostro vere magna & mirabilia opera eius in omnibus erunt. Linquo mundi orationem, quomodo ipse Deus hanc tantam molem fixit, solè mundi oculum incendit, perpetuoque quam pulcherrime sua luce illustrauit, stellas nitentes distinxit, ac propriam omnibus virtutem indidit: sciens prateritè & cathaclysmi inductionem, quo periit orbis, renascentiam quoque eius. Illud magis propinquius intueamur, & fixis veluti oculis consideremus, quam iustus & quam misericors sit, ut & via eius omnes in his potissimum includerentur: ita enim Diuus psaltes ait, vniuersæ viæ domini misericordia & veritas, Psalm. 24. Et iterum, Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Misericordia parci delinquenti conuerso ad penitentiam, veritas exigit penam, ut conuersus in se vlciscatur culpam. Legimus in Genesi, quòd

Miserationes Dei excellent alia omnia opera.

quam vniuerso orbi irasceret, Noë tamen & liberis miseris ob iustitiam, quam in ais commendauit. Porro multiplicato iterum paucis è fontibus eis genere humano, dum aduersus deum cogitationem impiam erigunt superbi insensus, linguam dispersit in Babel. Porro quum omnes terga deo per idololatriam verterent mortales, sola progenies Abrahæ immunis ab hoc malo fuit, ut semper fidelis domino fieret. Recedens ergo ab eis omnibus adhaesit Abrahæ & progeniei eius, nec recessit donec carnem iuxta promissionem assumeret. Quis hic digne explicet, quam magnam & mirabile opus sit, quia Deus homo factus est, immo quam iustum & quam piam. Perierat homo per iniustitiam, restitutus est per iustitiam: ignorationem Dei incurrerat, agnitionem recepit: longe à Deo creatore suo positus erat, prope factus est. Non quia homo prius venisset ad deum, sed quia deus prior venit ad hominem factus. O miraculum miraculorum, descendit ad infirmitatem nostram deus fortis & patens: ætina nunc si vales. Ille qui est cibus omnium, cibo egebat alieno, lacte nutriebatur materno: qui celum implet & terram, breui corpuscule claudebatur, vagiebat in cunis letitia angelorum, algore exasperabatur, fouebatur igitur matris in gremio, adolefcebat per incrementa temporum vicisque, amplectebatur, ab suis reiciebatur, donec vltimum supplicium peccatis nostris debitum in cruce lueret, immo donec nos restitueret. Vere ergo magna & miranda sunt opera Dei, & pia: sed non minus iustæ ac veræ viæ eius. Hoc ergo omnino est, etsi non verbis, sensu tamen canticum Moyse serui dei, quod agni: etenim quicquid Moyse figura pregressit, agnus exhibuit. Duo autem sunt maxima, quæ breui hoc cantico continentur, Fortitudo Dei, & iustitia regis sempiterni. Nam quod dicunt, Magna & mirabilia opera tua, fortitudinis laus est. Quod vero adiciunt, Iustæ & veræ viæ tuæ, confessio est iustitiae: quæ duo apertissima commissura coniuncta sunt in dei operibus, ut & fortitudo singularis eniteat: & iustitia inconcussa persistat. Hæc autem in anima contentis non equalium meritorum sunt. Nam bene quidem meretur, qui magna & mirabilia opera dei videns timet, & laudat & confitetur. O prime autem, qui iustitiam in eisdem operibus exaltat, desce-

Dei beneficia commemorantur.

dit cōtra calumniatorem, vbi potest: aut conatur saltem. Et vbi sensu deficit, nihilominus cum dilectione veneratur, dicens cum Apostolo Paulo, O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quā incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Ro. 11. In his confessionibus potissimum versatur canticum Moyſi, qui Deum in operibus suis multipliciter collaudauit, ac iudiciis eius, & iustis & veris. Cantabar Moyſes sic. Dextera tua magnificata est in fortitudine. Et, Quis similis tui in fortibus domine: quis similis tui, magnificus in sanctitate: & alia. Quæ omnia breuis vox victorum incluserit, dicens, Magna, & mirabilia sunt opera tua domine Deus omnipotens. iustæ & veræ sunt viæ tuæ Domine rex sæculorum. Summa est, quod stantes super mare vitreum cantant omnem veritatem, quæ aut Moyſi, aut Christi sermonibus summam comprehenditur. Nam ad hæc pertinent quicquid vnquam in diuinis literis leguntur. Sunt enim omnia aut de magnis & mirabilibus Dei operibus, simulque de illius omnipotentia: aut de misericordia, pietate & iustitia & ideo cantantes hoc breue canticum cantant omnia. Sequitur.

* Punctus 4.

Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia tu solus pius es.

Sensus est, Tam quia iudicia tua vera sunt, & sine vllis interim meritis liberas quos vis, alios pro cōmeritis punis: quis proinde sub toto cæli ambitu non timebit te, qui tantus sis in maiestate, tam potens, tam magnificus? id est, quis non habebit reuerentiam nominis tui? Et quis non magnificabit nomē tuum? Iuxta quod scriptum est, Magnus dominus & laudabilis nimis. Ac si dicatur, nimium toto cælo errat omnis qui te non magnificat, qui te non laude dignissimum reputat. Tua enim te opera, cælum, terra, & hic lucentissimus sol humanis vsibus vllis, laude dignum demonstrant, te metuendum, te magnificandum, teque solum honorandum prædicant: quod in omnibus tua sapientia, omnipotentia, ac bonitas reluceat. Hinc propheta ait, Non est similis tui domine, magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te o rex gentium? Iere. 11. Elaias quoque ait, Dominum

Deus laude dignissimus.

Dominum exercituum ipsum sanctificate: Ipse pavor vester, & ipse terror vester cap. 8. Salomon quoque, Eccl. 3. fecit, inquit, Deus opera sua, vt timeatur. Verum qua cōsequentiā subditur, Quia tu solus pius es. An quia pius ideo timendus? Eriam. Vult enim cum amore timeri, non cum odio, vt sæculi huius principes solent, qui magis volunt timeri quā amari. Hinc enim pater vocati inuit quo summe diligeretur à nobis. Quo denique sensu dicitur, solus pius Deus. Sunt plurimi (fateor) inter mortales qui hoc pietatis titulo gaudent ornanturque: excellentissime tamen Deus, & per naturam, quemadmodum & sapiens, & bonus. Vtique adeo nanque eius pietas ceterorū pietatem excellit, vt comparatione illius nullus videatur esse pius, qui etiam nihil merentibus, & impiis sua bona largitur, peccantibus subinde parcat, differt iudicium, suspendit vindictam. Breuiter crebro in eos abundantius suæ dona gratiæ cumulat, à quibus innumerabilibus lacessitus est non semel iniuriis. Eo modo. 2. Mach. 11. dicitur, Domine deus, qui solus es rex bonus, solus præstans, solus iustus, omnipotens & æternus. Sic & sol solus lucidus prædicatur.

* Punctus 5.

Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo: quoniam iudicia tua manifesta sunt.

Hoc iam pro parte impletum cernimus, quoniam omnes gentes, id est, ex omnibus gentibus totius terræ aliqui suscepta veritate venerunt & adorauerūt dominum: plenius tamē in fine sæculi implebitur. Et certe gratuita misericordia hoc factum cernimus, quod & gētibus vbi que abque personarū exceptione euangelizarum est regnum dei, vltroque oblatum, vt qui longe essent prope fierent. Ephes. 2. idcirco quum præmississet, quia tu solus pius es: ipsum pietatis opus subiunxit: Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo: quoniam iudicia tua manifesta sunt. Etenim manifesta sunt iam iudicia Dei in salutis opere, qualiter videlicet in redimendo homine processum est: hoc quiuis exequi ipsa cogitatione poterit. Deus homo factus est, hortamēta euangelica facta sunt. Christus passus est, & mortuus est, & resurrexit, & viuit, Apostoli dimissi sunt per orbem terrarum, sacramenta Ecclesiastica instituta sunt. Talia Dei iudi-



cia manifesta sunt: vt & puer ratione vtens, qui sit iniciatus fidei sacramentis non ignoret. Habes quòd canticum Moyſi & agni fere idem sunt: niſi quòd Moyſes maiori terrore canticum cecinit. Chriſtus vero, afferens ſummam Dei iuſtitiam ac veritatem in multitudine miſericordiæ eius, mitius canticum dixit: quod euangelium ſane eſt, plenum pietatis ac gratiæ: gratiæ iuſtificantis peccatorem.

* DE SEPTEM ANGELIS
E TEMPLO EXEUNTIBVS
ET TEMPLO FUMO
REPLETO.

Sect. 3. Punct. 1.

Et poſt hæc vidi: *Ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in celo, & exierunt ſeptem angeli habentes ſeptem plagas, de templo, veſtiti lino mundo, & candido: & præcincti circa peſtora zonis aureis.* Poſt hæc, qui ſcilicet narrare cæperat: dixerat enim. Et vidi aliud ſignũ in celo magnum & mirabile, angelos ſeptem habentes ſeptem plagas nouiſſimas, quoniam in illis conſummata eſt ira Dei. Quæ quum dicere cœpiſſet, opportune intermiſit commoda ac vtili admodum digreſſione ſubito veluti raptus in aliud, vt primum id quod ſimul viderat perſcriberet, videlicet, mare vitreum, & qui ſtabant ſupra illud, plagasque maximas euasérant. Poſt hæc igitur vidi. Obſerua ordinis rationem. Primum deſcribere voluit eos qui ſaluati ſunt à periculo, deinde effuſam in eos iram dei, qui ſupra mare cõſiſtere neglexerunt, quaſi qui ſaluati noluerunt, acceptaque Dei gratia uſi non ſunt: nam idem ordo in euangelio demonſtratur, vt primo loco electi ſtatuantur, deinde reprobi: domino dicente. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Mar. vltimo. Primum enim ſalus credentibus, deinde damnatio non credentibus indicatur. Hoc & in Matthæo licet perſpici, vbi ſta-

tuet dominus oues quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris: primos in regnum vocat, poſtremos abiicit Matthæ. 25. Vidi ergo, & ecce apertum eſt templum. Templi apertio eſt reuelatio myſterij Eccleſiæ: Ideoque in celo apertum, quòd ad eccleſiam pertineat quicquid reuelatur. Quòd vero addidit particulam, tabernaculi teſtimonij, hoc ad veritatem reuelationis potiffimum ſpectat: quatenus præclare ſciatur, à Chriſto fore myſterij reuelationem, ideoque veram: quamuis templum & tabernaculum teſtimonij idem ſunt. Eſt autem propriè tabernaculum, rectum caſtreñſe, quòd veluti taberna quædam ſit tabulis connecta ac ſtrata: quod ſecundum Hierony. ſemper mutatur, & huc atque illuc transfertur: eoque teſtimonij dicitur, quòd continebat arcam, habentem tabulas teſtamentorum, & urnam manna plenam, è qua reſponſa dabat populo Deus. Et exierunt ſeptem angeli, &c. ſignificatur in myſterio fore qui prædicent venturam Dei iram ſuper eos, qui conuerſi ſunt in arcum prauum, vt continuis veluti iaculis figant Deum. Hi vero qui myſteria Dei prædicaturi ſunt, quales eſſe debeant apte ſuo ſchemate ſeu habitu Angeli edocent, qui prodire amicti lino mundo, & candido, & præcincti circa peſtora zonis aureis, videlicet vt quam mundiſſimi ſint vita: charitatem autem intra ſinus peſtoris continentes, erga Deum primum, deinde erga proximum: alioqui munus prædicandi minime ſulſcipere debent: nãque hos Deus non docet, nec mittit. Scriptum eſt. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Pſalm. 49. Prõinde inſtructos voluit Chriſtus ſuos Apoſtolos, quos non protinus ad tantum munus obeundum miſit, ſed prius purgatos ab omni cupiditate voluit, quorum etiam peſtori diuini cuiuſdam amoris flammam inſeruit, qui iam ſceleris puri non aliud ſpirabant quàm meram ſanctitatem, communemque ſpiritum cæleſtis affectus: alioqui quiſ crederet in ſeſe diuerſis ac male affectis: quorum lingua aliud prædicaret, aliud exhiberet vita. Quærit Lactantius Firmianus in. 4. diui. inſtitu. libro capite 23.

*Tabernaculum
quid proprie
ſit.*

*Prædicator
ipse primum
præceptorum
suorum emu-
lator debet
existere.*

Quicumque dat præcepta hominibus ad vitam, morisque fingit aliorum, debeat ne ipse facere quod præcipit, aut non debeat: Si non fecit, soluta præcepta sunt. Si enim bona sunt quæ præcipiuntur: si vitam hominum in bono statu collocant, non se debet ipse præceptor à numero cetique hominum segregare, inter quos habitat ipse: Et ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum: ne si aliter vixerit ipse, præceptis suis fidem detrahat: leuoremque doctrinam suam faciat, si re ipsa soluat quod verbis nitatur adstruere. Vnusquisque enim quum audit præcipientem, non vult sibi imponi necessitatem parendi tanquam sibi ius libertatis adimatur. Itaque respondebit doctori hoc modo, Non possum facere quod iubes, quoniam sunt impossibilia. Veras me irasci, veras cupere, veras libidine commoueri, veras dolorem aut mortem timere: sed hoc adeo contra naturam est, vt his affectibus animalia vniuersa subiecta sint: vel si à deo putas posse repugnare naturæ, & tu ipse, quæ præcipis, fac: vt sciam fieri posse. Quum autem ipse non facias: quæ insolentia est, vt homini libero imponere velis leges, quibus ipse non pareas. Prius discere qui doces: & antequam mores aliorum corrigas, tuos corrige. Quis neget iustam esse hanc reprehensionem? Quin etiam si in contemptrum veniet huiusmodi doctor, & eludetur vicissim, quia videtur & ipse ludere. Quid ergo faciet ille præceptor, si hæc ei fuerint opposita: Quomodo adimet contumacibus excusationem, nisi vt presentibus factis doceat possibilia se docere? Vnde euenit vt philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla quam verba: quia loqui facile, præstare difficile. Proinde quam rectissimè angeli visi sunt tali ornatu prodire: vnde vita omnium prædicatorum qualis esse debeat facile fit ostendi, quorum induuium primo linum erat candidissimum: sanè puritatem vitæ in prædicatoribus designans: quibus etiam circa pectus erat aurea zona, quod typus est celestis amoris, quo primum in Deum, ac deinde ferimur in proximum. Communia exemplaria habent: vestiti lapide mundo, & candido, id est, amicti Domino Iesu Christo, iuxta illud Pauli, Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis, Gal. 3. Eo sensu & Rom. 13. loquitur

*Angelorum
ornamenti
mysterium.*

dicens. Induimini dominum Iesum Christum. Lapis enim Christus est. Etia. 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem dicit dominus. Sion quæ interpretatur speculum, siue contemplatio, sanctam significat ecclesiam: quæ semper speculum fidei, & contemplationem mentis ad Deum dirigit. Lapis autem idcirco Christum exhibet, quia solidus est, utique soliditatem veritatis æternæ ac firmitatem constantiæ in annuntiando veritatem indicans. Omnis quippe qui in illo fuerit fundatus, nulla inundatione aquarum turbabitur: nulla procella tempestatum mouebitur: de quo Petrus in sua canonica sic scriptum reliquit. Si tamen gustastis, quoniam dulcis est dominus: ad quem accedentes lapidem vitum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum. 2. Petr. 1. Idem angularè hunc lapidem vocat probatum, electum, præciosum, quem induere debent omnes veritatis professores: vt & vita Iesu manifestetur in illis, vt bene angeli lapide hoc vestiti memorentur: quod vita puri, ac constantes fide sint prædicatores, qui egrediuntur ad prædicandum. Proximis quoque charitate ligati, quorum salutem pure ardeant, non temporale lucrum: charitate autem non quæ in ore solo natat, sed quæ cor occupat: ad quod Ioannes in priore epistola hortatur dicens, Filioli non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate, cap. 3. Et Paul. Eph. 4. Veritatem autem facientes in charitate crescimus in illo per omnia, qui est caput christus. Mihi certè arridet communis hæc lectio ob mysterium, quamuis nec illa reiicienda. Illud quoque non omittendum erat: namque in hoc angeli tali ornatu procedunt, ne quis putaret reprobos eos spiritus esse. In quod de templo primum exeunt, & vestiti candido induuii, præcinctique pectora zonis aureis. Dominus enim in templo sancto suo est: vnde suos mittit nuncios: candidus amictus assequitur gloriæ est. Nam & circa sepulchrum domino resurgente angeli in candidis vestibus sanctis mulieribus apparere: & domino in celos ascendente similiter duo angeli mirantibus assistere, zona aurea circa pectora eorum charitas in nos est, quibus omnibus carent maligni spiritus.

✽ Punctus 2.

Y iij

*Et vnum ex quatuor animalibus dedit septem Angelis
septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis
in sæcula sæculorum.*

*Quatuor ani-
malia quid
sint.*

Superius legimus, quòd viderit quatuor animalia, quæ tam quatuor Euangelistas, quàm omnes sanctos, siue etiam ipsum dominiu[m] significare astruximus: qui factus est homo nascendo ex virgine destinari in hoc ipsum temporis impletione: factus & vitulus immolaticius casus in passione, tum semetipsum offerens deo patri in ara crucis pro mundi redemptione: factus porro & leo tertia die à mortuis resurrectione: aquila autem quadragesimo die in cælum ascensione. Quicquid hic per hæc animalia intelligatur, sed tamen à magnâ potestate aliqua angeli ij phialas suas accipere potuerunt. Omnis autem potestas à domino Deo est, Rom. 13. & forsitan Christus est, cui dedit deus patet Apocalypsin hanc palam facere seruis suis, supra cap. 1. qui suis dicit prædicatoribus, Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere aut contradicere omnes aduersarij vestri. Luc. 21. qui dedit septem phialas septem angelis. Iam quid septem angeli sint palam esse poterit: vniuersitatem enim significat hic numerus, prædicatorum autem typi sunt angeli ob vocis expressionem: Angeli namque missi dicuntur: & de prædicatoribus dicit Paulus, Quomodo prædicabunt nisi mitantur, Ro. 10. Per septem ergo angelos vniuersitas prædicatorum rectè accipitur. Hi ergo vestri lino mundo, siue lapide candido esse debent: quia prædicatores sancti, & munditia vitæ singulari, & fide Christi præclarioribus cæteris fulgere iubentur: domino dicente, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ in manibus vestris, iidem & charitatem singulariter habeant necesse est, quibus singulariter mādatur de dilectione datur: Id quod zona aurea: exhibet, Porro phialæ hoc scripture loco dextera sūt Dei, id eòq; aurea: quia Dei sunt, id est: electa, præciosa, & summe admiranda, in quibus iracundiæ Dei viuentis cõtineri hic dicuntur: velut liquores, qui facile queant effundi. Iam scimus phialas ore parulo esse, ventre mediocri: vnde facilis possit esse liquoris tota simul effusio, vt nihil in fundo remaneat. Sic decreti quoque di-

*Phiala de-
creta Dei.*

uini iracunda quandoq; effunditur in cõmeritos tota. Hoc autem est iracundiæ dei, quod sententiã. Nam & nostrorum iudicum sententiæ quandoque mera iracundia sunt. Neque id tibi admodum mirum videri debeat, quòd iracundiæ dei tales sententiæ in manibus prædicatorũ sanctorũ tradantur. Nãque illis tradidit deus, vt è scripturis decreta eius intelligant, & ira prædicent hominibus: quæ dũ prædicant effundunt. Sic Noe iracundiam dei viuentis prædicando effudit, dum cathaclysmum vniuersæ terræ imminentem nunciauit: quem tamen non ipse induxit sed deus: & venit super omnem carnem, ne viueret super terram. Sic etiam Ionas accepit phialã iracundiæ dei viuentis contra Ninium ciuitatem magnam, quam dum funderet, Ninuitani territi ad deum cõuersi sunt, insensumque numen sui humiliatione & ieiunio placarunt, vt non iracundiæ dei viuentis acredine perirent. Longum esset commemorare præcurrendo per omnes prophetas: quomodo Esaias, Ieremias, alij quoque his arreptis phialis in obstinatos ac rebelles deo populos vsi sunt: qui nusquam non flagrant vocibus aduersus eos, prædicando decretum fore apud deum vt pereant ni conuertantur. Sic homo Christus phialam effudit, dum Iudæis excidium eorum prædixit, Hierusalem, inquit, hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui cõgregare filios tuos, quem admodũ gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluisti: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, Matth. 23. Et alibi comminuenda fore dixit ciuitatis omnia, vt non lapis super lapidem remaneret. Magna hæc equidem effusio dei viuentis iracundiæ in illos fuit, sed non minor in reprobos futura. Porro tunc dedit christus suis prædicatoribus phialam decretorum dei, quum misit in apostolos spiritum suum, & iussit eos ire & prædicare in vniuerso orbe. Ipse enim dedit dona hominibus, vt Psalmus habet. 67. Testatur idem & Paulus Eph. 4. vt non alium putaueris phialarum datorem. Dedit ergo Christus, quem vnum, hoc est primum animaliu[m], idcirco adstruimus, quòd ipse primum prædicauit, & alios docuit, de quo vno quatuor Euangelistæ loquuntur: & in quo vno sunt ipsi omnes, electi quoque. Dedit inquam phialas, quatenus noticiam ha-

*Christus dat
decreta dei
predicatori-
bus.*

berent secretorum decretorum dei: quia sunt apud deum & præmia iustorum, & pœna malorum. decretum illud est. procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Ioan. 5. Dedit autem angelis septem, qui sunt septem temporum constantissimi verbi dei ministri. quibus promisit christus se daturum os & sapientiam tam potentem virtute ut nemo eis resistere possit aduersariorū. Semper ergo effunditur aliqua earum, quancumque ira dei in peccatores pronuntiatur: quancumque terror iudicij eis inrentatur. Quid igitur nunc ò insensati cogitatis? Quandiu funem maliciæ vestrae producit: Quid stupetis in vitis vestris? Datae sunt angelis plialæ iracundiæ dei viuientis, circumferuntur, intentantur, expenduntur, librantur, metiuntur, in effusione parantur: imo etiam effunduntur. Sed horum vos O obstinati & sepulti in peccatis vestris, & studiis desideriorum vestrorum intenti, sermones contemnitis: nō sunt contemnendi: dei enim viuientis decreta sunt, quæ prædicant: ut saltem terrore vos a malicia studiorum vestrorum absterreāt. Aut forte ideo contemnitis, quia nondum fulmine eorum icli estis: nōdum puniti acerbissime estis: nōdū diris traditi tormentis estis: sed non diu prorelabitur. veniet veniet hora quam non speratis: veniet veniet momentū illud breuissimum temporis, quod non aduertitis: quando indicibilia & intermina tormenta occupabūt vos. O tunc clamabitis & nemo exaudiet: opem poscetis & nemo succurret. Tanto formidabilior quanto serior iracundia dei viuientis est. ✽ Punc. 3.

Et impletum est templum fumo à maiestate dei, & à virtute eius: & nemo poterat introire in templum donec consummaretur septem plagæ angelorum.

Templum a maiestate dei impletum fumo dicitur, quia nimirum diuisis per orbem apostolis, ad prædicandū gentibus, synagoga Iudæorum in sua cecitate permanfit. Id enim est fumus quod cecitas. Fumus caliginem habet & amaritudinem, qui ex igne prolapsus magno quandoque volumine ac crassa densitate prouoluitur: & de Iudeis dicit, Excæcavit eos malicia eorum. Sap. 2. Et Psal. 57. Supercecidit ignis & non viderunt solem. Quem solem non

viderunt: Solem iusticiæ non viderunt, quia cognoscere eum noluerūt: nec fidem eius receperūt, De quo scriptum est in Malachia, Orietur vobis nomen meum timentibus sol iusticiæ. Excitat lachrymas fumus: & cecitatis error in gehennæ fletum perducit. Ibi enim, inquit saluator, erit fletus, & stridor dentium. Implendam fore Iudæorum synagogam fumo hoc Esaias vates eximius dudum ante prædixerat, cap. 6. dicens, Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis: & domus impleta est fumo. Superliminaria principes sunt Iudæorum ac seniores populi scribæ & pharisei, qui ad vocem prædicantis domini semper commouebantur & exasperabantur: nec lucem fidei admittebant: & ideo merito domus, id est carnale eorum templum impletum est fumo, erroris & peccati. dico carnale, & eorum. Ipsis enim carnale est templum dei, quibus etiam solis fumo infidelitatis impletum: non nobis. hoc est, vere credentibus: quibus & spirituale est, & clarum. D. Haymonis verba sunt hæc. Postquam enim terra repleta est gloria domini sabaoth, Iudæorum templum impletum est ignorantia tenebris, & caligine erroris, & fumo furoris, qui noxius est in omni acerbitate animæ. Nāque quum multis nominibus indignos sese verbo vitæ reddidissent Iudæi, propulsis apostolis: factum est ut dum orbis terrarū lumine gloriæ prædicationis eorum repletur, ipsis densa tenebræ irruerent excæcante eos malicia eorum. ut diceret. Ergo errauimus à via veritatis, & iusticiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sap. 5. Nec liberabuntur ab hoc fumo, nisi consummatis septem plagis angelorum, ad mundi videlicet confinium: de quo testatur apostolus, Nolo vos ignorare fratres mysteriū hoc, quia excitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret, & sic omnis Israel saluus fieret Ro. 11. Esaias quoque ait, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob: & hoc illis à me testamētum, quum abstulero peccata eorum, cap. 59. Domini enim virtute id fiet, qui prodiit ex Sion è Iudæis carnē assumens, ut conuolantibus ad baptismum, tum & illis condonentur peccata, quod nondum sunt consequuti sub cæcitate laborantes. Hoc est ergo impletum esse templum fumo, quod

*Fumus tem-
pli cecitas iu-
dæorum est.*

*Cecitas ma-
nebit in Iu-
dæis.*

Iudæorum synagogâ cæcitate laborare, quibus verus sol iustitiæ christus non lucet: & hoc à maiestate dei quam cognoscere noluerunt in christo, & à gloria virtutis eius, cui credere noluerunt, ascribentes satanæ opus miraculorum eius. Accipe plantis, Quum enim maiestatem dei, virtutemque eius in christo minime agnoscere voluissent, nec credere, sequuta est eis cæcitas perinde atque solis splendore excluso à domo tenebræ sequuntur. Potest & sic intelligi, vt in punitionem id à dei maiestate acceperint, quod veritatem repulerunt. Quandiu itaque punitione hæc in eis manebit, in fumo maneant necesse est, & in errore, & in cæcitate cordis eorum. Proinde sequitur. Et nemo poterat introire in templum spirituale illud, quod est ecclesia sanctorum: gloriam videlicet dei per fidem speculando, donec consummarentur septem plagæ angelorum, hoc est. donec septem tempora euoluerentur à passione, & resurrectione domini vsque in finem, in quibus septem tempora euolui necesse est: & in his septem mala insignia nocitura solis reprobis, intercurrent. In quæ sensum adducitur illud Psal. 72. Si dicebam narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobauit, Existimabam vt cognoscerem. Hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium dei, & intelligam in nouissimis eorum. Sensus verbi est. Dicit propheta. proponebam aliquando narrare prospera populi huius Iudaici: Sed dicit mihi spiritus, non dubium quin sanctus, Ecce natione, id est, multitudinem filiorum tuorum reieci. Quare? Propter eorum ignorationem: quia videlicet ad apertâ fidei lucem oculos nolunt aperire. Denique sequitur cõiectatio prophetæ in persona populi Israelitici. Arbitrabar, inquit, vt ego noticiâ dei assequerer, sed in hac re difficultas mihi permaxima incubuit: & nõ prius id assequar nisi dum intrauero in Ecclesiam catholicâ credendo. Quando hoc fiet? In nouissimis illis temporibus: tunc enim intelligam fidei mysteria. Qua denique causâ id contigerit ipsis continuo subiungit dicens. Veruntamen propter dolos, posuisti eis, scilicet hanc cæcitatem: deiecasti eos dum in prosperitatibus mundi huius, intumescerent, ambirent & dignitates quibus sublimarentur, essentque potentes. Narrat & deiectionis vim per admirationem, Quomodo, inquit, facti

Septem tempora euolui necesse à christo vsque in finem mundi.

sunt in desolationem? subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. Qui habet sapientiam intelligat. Spiritus enim verba sunt, à quo reiectionem filiorum Israel propheta accepit, cui omnis labor inerat cognoscendorum dei mysteriorum: quia nimirum laboraturi essent filij Israel cæcitate iniecta, donec sanctuarium, id est, ecclesiam dei fide intrarent, quorum nouissimi, fidei intelligentia forent illustrandi. Quod vero præmisit, Si dicebam narrabo sic, ad veritatem prophetiæ pertinet: proponunt enim prophetæ veritatem eloqui, cuiusuis euentus. Si dicas, Nunquid aliqui ex Iudæis interim suscepta fide ingrediuntur templum? Etiam. Quare ergo dicit, Et nemo poterat introire in templum &c. Respondet Apostolus. 2. Cor. 3. dicens, Quum autem conuersi fuerint ad deum, auferetur velamen. Ergo tandiu non ingrediuntur, quandiu cæcitas manebit in eis: discussa autem in aliquo indiuiduo cæcitate, mox patebit ei ingressus. Vniuersaliter ergo non ingrediuntur nisi in fine, dum consummabuntur septem plagæ angelorum, id est prænunciations septem plagarum, quæ in septem temporibus implebuntur: id quod non sine commiseratione hic commemoratur,

CAPVT. XVI.

* DE PRÆCEPTO EFFVSIONIS

PHIALARVM ET EFFVSIONE

TRIVM EARVM.

Sect. I. Punct. I.



E audiui vocem magnam de templo dicentem septem angelis, Ite, effundite septem phialas iræ dei in terram.

Vox hæc magna, audita e templo, vox diuina est, atque à deo in magna iracundia pronuntiata. Ite, imperatiue dictum est. Non potest hoc in tempus constringi, quod post interitum Antichristi erit: namque tunc silentium septimi temporis media hora signati, supra cap. 8. infra autem per mille annos quibus ligabitur draco

cap. 20. erit: vt non hæc mala sub eo tempore eueniant, quando pacata erunt omnia. Opus ergo est vt recapitulatio fiat prædictorum ab initio post tempora Christi: vt non vna significatione mirabiles ecclesiæ euentus prædicentur, sed, multis, quandoq; etiam iucundioribus. Potro vox magna audita est de templo, id est, de ecclesia credentium, vbi consueuerunt sancti prædicatores docere plebem Christi: Nam & dominus in templo sancto suo commorari dicitur. Psal. 10. Magna, quia de magnis reb?: vel etiam vox magna vox aterna, vox inuariabilis. magna, quia magnâ sonat aduersus peccatores iram. Aterna, quia ab aeterno Deo, & in sua aeternitate primum edita, inuariabilis; nec enim mutatur eius decretum. Audita è templo, quia dominus in templo sancto suo, Psal. 10. Audita autem non auribus carnis, sed spiritus, & quam solum intellectus assequitur. Quid autem præcipit? Nempe vt effundant phialas iræ Dei prædicatores in terram. Ite, inquit, effundite septem phialas iræ Dei in terram. Ac si diceretur. Ite prædicare vniuersa decreta diuinæ vltionis confideter, quia aduenturi sunt dies vltionis domini, & non parcat alicui operanti malum. Reuelatur enim ira Dei, de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum. Rom. 1. Iam quid in terram effundi phialam iræ Dei sit, palam esse arbitror, vbi per terram terrenos affectus capi constet, qui sunt contra legem Dei & iustitiam eius: & ij subinde exterrendi sunt, vt non perseveret obfirmato corde contra dominum peccare. In terram ergo sic sancti prædicatores phialam effundunt, quando contra terrenas cupiditates atrociter clamoribus sequiunt. Sed potest scrupulum mouere. Quid est, quòd angeli præcipiantur suas phialas in terram effundere. Ipsi autè, alius in mare, alius in flumina ac fontes, alius in solem, &c. effuderint? vt non videantur iusta facere. Num præcepti transgressione id faciūt? Minime certe. Nam quantum ad mysteriū pertinet, hoc est, terra ad præsens quod mare, quod flumina, quod fontes, quod sol, quod sedes bestiarum, quod Euphrates, quod aër. Id enim omne corpus diaboli est, quod complicat cogitque iudicio suo Deus. Si enim per terram terreni affectus intelliguntur: id est, homines terrenis cupiditatibus impliciti: mare equidem

elatos potentia seculari designat, qui inter sese continuis moribus agitantur. Est mare fructuosum, quod nesciat conuiescere, modo accessibus modo recessibus crescent decrescentisque. Sed nec sæculi huius principes conuiescunt vnquam. Flumina Haymoni gentes sunt, idem & fontes, sapientiam quidem habentes, sed quæ secundum carnem est: in quas humiliter effundetur ira Dei, quòd nõ in sapientia fidei cognouerunt Deum. Solis nomine, ingenio perspicaces intelliguntur: per quos licet aliis cernere, qui, vt inquit Paulus, Rom. 1. veritatem Dei in iniustitia detinent. In quos phiala iracundiæ Dei tunc effundi creditur, quando traduntur in desideria cordis eorum & in passiones ignominia: vt faciant ea quæ non conueniunt, quæ etiam cogitare nefas est. Sedes bestiarum regnum peccati est, tyrannis satanæ Euphrates diuites seculi exprimit. Aer potestates aereas, id est dæmones, in quos à sanctis prædicatoribus phialæ decretorum dei effunduntur, quoties iuste eos damnatos fore pronunciant: præsertim quando à cordibus peccatorum eos excludunt, vt verum sit hæc omnia terram esse: atque vno condemnationis iudicio inuoluenda. Punc. 2.

Et abiit primus angelus: & effudit phialam suam in terram: & factum est vulnus seuum & pessimum in omnes qui habebant characterem bestiarum, & in eos qui adorauerunt imaginem eius.

Primus angelus, primus ordo est ministrorum verbi Dei, primi temporis quod sibi vendicant apostoli Christi, & euangelistæ eius, qui primum iussu Christi phialam suam effudere in terram, quæ Iudæos proprie exprimit, dicente scriptura, Iob. 28. Terra de qua oriebatur panis, igne consumpta est, id est, Iudæi à quibus procedebant eloquia Dei, igne inuidiæ consumpti sunt: ad quod factum est in eis vulnus seuum ac pessimum in omnes. Vulnus hoc non corporis sed mentis est: est enim peccatum diffidentia, quo percussi sunt Iudæi, postquam noluerunt credere in Christum: & semper grauissime laborant, nullo excusandi pretextu, domino astruente, Si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo, Ioã. 15. Grauiori ergo iudicio pereūt Iudæi quam

gentes. Nempe quia illi notitiam Dei acceperunt cum lege vitæ; & Christum, quem eis indicabat lex, in carne prædicantem audire contempserunt: Gentes autem tantum quod euangeliū prædicatū per Apostolos recipere contempserunt: Ideoq; isti damnationi quidē sunt obnoxij, crudelius tamen Iudæi. Domini vox est, **Qui non credit, iam iudicatus est.** Vnde bene duo coniunxit nomina, sæuum & pessimum, quasi minus sufficeret explicandæ fœueritatis malo, aut dicere sæuum per se, aut pessimum: nisi vno contextu coniungeret vtrunque. Et quia Iudæorum cæcitatē principaliter depingit, qui pro Christo Antichristum sunt recepturi, iuxta illud, **Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me: alius veniet in nomine suo, illum recipietis.** Ioan. 5. Bene simul & de charactere bestię commemorat, dicens, **Qui habebant characterem bestię.** Character bestię, vt iam præfati sumus, fides eius est, qui habent Iudæi credētes in illum. Expectant enim vt recipiant toto corde, qui & ipse de eorum gente nasciturus est, vt prophetia habet Iacob. Genes. 49. cuius spiritu cauteriatam ab eo tempore quo Christum eiecerunt conscientiam gerunt: quod est eorum irremediabile vulnus, vt Primasio placet. Verum quia multos habebunt imitatione pessima sequaces, ideo dicit, **In omnes qui habebant characterem bestię, & in eos qui adorauerunt, id est, adorabunt imaginem eius: vt non de sola gente Iudæorum prophetiam intelligeres dictam.** Nam sicut in bono per imitationem fidei gentes quoque filios Abrahæ lex vocitat, non de eius carne nascendo, sed fide sequendo, sed confitendo Christum de tribu Iuda à mortuis resurrexisse victorem: sic in malo Iudæos ex gentibus sectatores credendum est habituros: qui Antichristum, qui de tribu Dan dicitur nasciturus suscipiendo atque sequendo, eorum notentur esse complices in nota criminis, quorū participes erunt in pœna sempiternæ damnationis. Hæc ex Primasio. Vulnere ergo sæuo & pessimo sic sunt exhulcerati Iudæi, vt perpetuo odio Christum insectentur, & eos, qui nomen eius gerunt, & profitentur. Ideo & Apostolos post eius ascensionem in cælum eiecerunt de regno suo, nusquam non eos persequentes: horum furor coegit & Paulum, in Cæsaria Palestinæ coram

Festo, Cæsarem appellare, Act. 25. Tam sæuum tamque pessimum vulnus occasione verbi vitæ hauserunt impij Iudæi: vt magis eis ad mortem operaretur, quod aliis suffragatur in vitam. Nam & Paulus testatur pios alios fore odorem vitæ in vitam, aliis odorem mortis in mortem. 2. Corinth. 2. iuxta illud, Prouerb. 14. **Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infamij graditur via.** Et dominus, Ioan. 3. **Omnes qui male agit odit lucem.** Non solum autem Iudæis, sed & gentibus, qui pereunt, occasio est vitæ verbum ad mortem: fit enim persæpe vt acerbissimo vulnere doloris & inuidiæ in corde eorum sauciantur: sed ij tantum qui habent characterem bestię. Neque vero his auditis plus tibi vel sic, videatur locus scripturæ huius contrahi debere ad tempus illud quod sequitur Antichristum: non vtique, nam pacis illud erit vniuersalis, & regni Christi. **Quid ergo est quod dicit in eis vulnus sæuum ac pessimum factum esse, qui habebant characterem bestię?** Vtique ostendit, omnes qui pereunt, id est, vniuersitatem reprobos cuiuscunque temporis ad vnum corpus pertinere, qui omnes habent bestię characterem, Iudæi primum, ac alij denique. Character Græcè, Latinè forma dicitur. **Qui ergo formam, hoc est, reprobos mores Antichristi in sese expriment, siue etiam qui vnquam expressere in vno corpore computantur.** Sequitur, **Et in eos qui adorabant imaginem eius.** **Quid imago Antichristi sit, supra expositum est: ij enim principales eius imitatores ac discipuli per omnia eius mores sauciāque referentes sunt: quos iam primum nactus opera satanæ atrequam prodiret in mundum homo ille peccati, quos quisquis attenderit, hoc est, deceptionis magistros quibus modo seruet mundus eodem vulnere exhulcerati pereant opus est.** Non crede mihi: crede Ioanni dilecto discipulo Christi: qui in priore epistola cap. 2. dicit. **Filioli. Nouissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt.** Ibidem. **Quis est mendax, nisi is qui negat: quoniam Iesus est Christus: hic est Antichristus qui negat patrem, & filium.** Et cap. 4. **omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quia venit: & nūc**

*Antichristi
corpus sunt
omnes pereuntes.*

iam in mundo est. Moraliter, multos hodie patitur Deus tremendo suo iudicio exulcerari vulnere passionis prauitatis. Derij tum saeuo tum pessimo. vt dum libidinem sequantur, capiant vna & characterem bestia: sintque imitatores eius indubitari, cuius vbique imaginem admirantur, & amant: gaudent enim socios habere vitæ ganeatæ. Hoc est quod Paulus Rom. i. serio deplorat dicens, Tradidit eos Deus in passiones ignominia:, vt faciant ea, quæ non conueniunt. Nam fœminæ eorum immutauerunt vsu naturæ, in eum, qui est contra naturam. Similiter & masculi relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in semetipsis iniuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. quatenus aperte intelligeres non esse aliud bestia: characterem quam carnales mores & vicia pessimæque concupiscentia: quibus ardent sensus iuxta cordis passiones. Nihil hoc hucere peius neque sauius. Hæc est prima ira Dei, id est maxima, dimitti hominem in desyderiis cordis sui, sicut scriptum est, Et dimisi eos secundum desyderia cordis eorum. Psal. 80. quod vbicumque inuentum fuerit, certum est Dei iracundia: phialam esse effusam, quorum finis interitus, quos non vult Deus: quia pro desertis habet. Tam abominabilis est illi caro, & opera eius quam nisi quis perfecte contempserit, non est ex suis. Custodi nos domine ab hoc vulnere saeuo & pessimo, ne quid puritas vitæ turbetur in nobis, neve nominis sui vlla vestigia bestia hæc imprimat in tuo nomine consecratis, deditis tibi ac deuotis: tui sumus domine, tuum potius nomen luceat in nobis. Non est ergo aliud characterem bestia: habere, quam notatum spiritu eius in operatione iniquitatis, pessimique desyderij esse. Et imaginem eius adorare, prophetarum eius commercii applaudere, admirari doctrinam eorum: quod quicumque fuerint, relinquendi à domino in hac scriptura predicantur, vt seruiant passionibus carnis in contaminatione, & abominatione omni, in omnibus libidinum prodigiis, ira, liuore, & contentione, quæ in desyderio cordis sui, magis quam legem spiritus sectarentur.

¶ Punct. 3.

Et se-

Et secundus angelus effudit phialam suam in mare: & factus est sanguis tanquam mortui, et omnis anima viuens mortua est in mari.

Dixerat supra, vbi de hac eadem plaga aliis tropis ageretur sub prima tuba, factam fuisse gradinem quæ mixta esset sanguine, & igni: eamque missam in terra, cap. 8. Copiosius ergo mysteriū istic phialæ primæ tractatur. Nam & tertia pars terræ combusta, & tertia pars arborum, fœnum autem viride omne combustum esse memoratur: Quia videlicet fide exoriente ad prædicationem euangelij, vbique terrarum facta est persequutio magna zelo inuidia: excitata, vt miscerentur omnia sanguine martyrum sanctorum, & hoc in terra: nam in terra solum habent sancti tribulationes. Porro in tertiis partibus peruentium ordo indicatus est: vt & grando solis illis noceret, similiter & ignis, in omni sexu, statti & conditione. Sed de his satis superque suis in locis dictum est. Iam ad reliqua. Et secundus, inquit, angelus effudit phialam suam in mare, &c. Sub secunda tuba mons magnus igne ardens missus est in mare, & tertia pars maris sanguis facta est, & tertia pars creaturarum, quæ habebat animas in mari, &c. quatenus liquide agnosceres eadem quæ prius innotuatis signis iterum iterumque inculcari: nec ideo nouissima, quia præcedentia sequantur: sed quia iuxta Ioannem nouissima hora totum tempus à Christo passo vsque in finem computatur. Namque eodem ordine, per easdem mundi partes phialæ istæ effunduntur: videlicet in terram, mare, flumina, fontèsque aquarum. Ibi primum tertia pars terræ combusta est, deinde tertia pars maris sanguis facta, hinc tertia pars fluminum in absinthium versa, & tertia pars solis obscurata. Quinto denique loco vbi locustæ admirabiles prodeunt, hic super sedem bestia: phiala effunditur, sitque regnum tenebrosum, commandatio linguarum, & dei maiestatis blasphematio, adeo vt non nisi in tropis discrepant, sensu mysterij omnimodis cõsentiente: quum iidem sint locustæ hæretici quinti temporis, quod sedes bestia: regnumque tenebrosum, quod peccati est. Sexto loco quatuor angeli è flumine magno Euphrate soluantur: & hic Euphrates desiccatur, & alia. Septimo voces victoriosa: in cælo resonant: hic

Phiala sectæ de pernicies.

*Character
Bestia: vitia
cordis inuicia.*

vero ubi phiala in aërem effusa est, vox magna de templo à throno auditur, vt mysteria in vniuersum eadem esse dixeris, solis formis troporum variatis. Quod ergo fecundus angelus phialam suam in mare effudit, factusque est sanguis tanquam mortui: tempus per id martyrum, quod Apostolos sequutum est, designari supra diximus cap. 8. tunc quippe mare baptismi initiatis conuertebatur in sanguinem, id quod sanguis primæ plagæ Ægypti figurabat. Exod. 7. quando Dei nutu ad percussio- nem virgæ Moyfi aquæ fluminum versæ sunt in sanguinem. Illud autem quod sequitur, Et omnis anima viuens mortua est in mari, ad illud referri arbitror quod pro fide viuifica accepta in baptismo plurimi occiderentur. Mare enim hoc loci figura baptismi est, iuxta illud apostoli, 1. Corinth. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: propter quod & Salomon mare æneum statuit in templo. Construe sic. Omnis anima viuens in mari, id est, in fide baptismi, Nam iustus ex fide viuuit. Abac. 2. Rom. 1. mortua est, à principali parte totius hominem per sinecdochen significans, quod vilitati simum est in tota sacræ scripturæ serie. simul persecutionis atrocitatem secundi temporis designans. Est autem distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Nam non omnes interfecti sunt, sed ex omnibus multi. Prædicantibus namque constantissimis verbi Dei ministris, & multa in plebe miracula facientibus, sæculi principes aduersus illos, & qui per eos in Christum crederent, insurgentes varie eos occidebant. Sic igitur factus est sanguis tanquam mortui, id est, apparuit in visione Ioanni sanguis quasi gladio cæsi hominis: quasi videlicet ob fidem baptismi multi occiderentur. Voluit enim dominus noster Ies. s. Christus fidem longe amplius commendare in nobis per effusionem sanguinis martyrum. Primum vt ostenderetur conuenientia membrorum cum capite, qui dicit, Si me persecuti sunt, & vos persecuentur. Ac si diceret, meum fuderunt sanguinem: fusi sunt & vestrum: neque enim est maior seruus domino suo: Ioan. 15. Secundo vt testes probarentur fidei constantissimi, qui non dubitarent pro ea sanguinem fundere, quo

*Martyres
cur cadi christi
suis voluit.*

in primis probaretur veritas eius, & virtus. Denique vt doceremur nullis huius sæculi fallacibus blandimentis, nullis eius irriteri mollibus voluptatibus, scientes alibi paratum nobis esse regnum spei nostræ certissimum, ubi & voluptates aliæ sunt: & splendor diuitiarum illustrior: thesauri indeficietes: & gloria sempiterna. propterea dominus dicebat, Vado vobis præparare regnum, ad quod per tela, per ignes, perque gladios perueniendum est. difficultate enim quauis viriliter à nobis superata, amoris nostri immensitas, quo in authorem fidei sumus, & regni eius felicitatem melius comprobatur. Neque vero alioqui oscitantibus, aut desidia torpentibus illud continget, sed quasi gladiatorio rem agentibus, quod Christi sanguine & morte constat esse comparatum. Nemo igitur veluti parui momenti rem putet esse æterni regni felicitatem: nemo frigente virtute assequi illud speret. Parauit quidem illud sanguine semel Christus: sed arduam tibi grassandi viam proposuit, qui dicit, Arta est via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Matth. 7. Quare pauci? Quia non omnes obediunt euangelio. Rom. 10. Plures enim sensus propios sequuntur, quam legem spiritus: plures delectamina mundi conquirunt, quam fidei virtutes: plures mollem viam quam arduam ambulant, In quibus non est beneplacitum Deo, quantum quantum in mari baptizati sunt: quantum quantum manducet spirituales escam, bibant potum spirituales. 1. Cor. 10. Aperte dicit Christus, Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Mat. 16. Additur, Luc. 9. quotidie. Huc pertinet quod ibidem dicitur, Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. Perdatur anima dum sensibus ac suis desiderijs renunciat. Dicit ergo, Et factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima in mari viuens mortua est. Quid est quod supra sub secunda tuba tertia pars solium mortua memoratur eorum qui habebant animas in mari: hic autem omnem animam viuam mortuam esse asserit. Sed per Sinecdochē dictū accipe, totū videlicet pro parte: vt hic ois aia non aliud sit quā ibi tertia pars, quæ in reprobis est: quatenus intelligeres impios sibi primū obesse: & sua se crudelitate perdere, quibus sanguis vertitur in

*Regnum cæ-
lorum vim
patitur.*

*Impij sibi
primū obesse
& sua se crudelitate perdere, quibus sanguis vertitur in*

sanguinem: sicut & grando retorquetur in authores eius: Sic enim dominus Deus loquitur, Genes. 9. Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. Bene ergo factus est sanguis mortui in effusione phialæ secundæ, vel quia in secundo tempore, quod martyrum est, plurimus sanguis per tyrānos fusus sit in Christi Ecclesia: vel quia ipsi qui fundebant perierunt in sanguine peccati & ij in tertia parte, quæ reproborum est, qui nec legunt nec audiunt verba prophetiæ huius, ut imitentur: multi enim conuertebantur, qui in duabus partibus intelliguntur, hoc est, qui aut legunt, aut diligenter auscultant præcepta salutis, id est, ipsi quærentes & confidentes Christum saluatorem. Punct. 4.

Et tertius angelus effudit phialam suam in flumina, & in fontes aquarum: & facta sunt sanguis.

Scriptura sacra aqua & fontes.

Quid aquarū nomine, fluminum, ac fontium, nisi scripturæ sacræ intelliguntur: sicut scriptum est, fluminis impetus lactificat civitatem Dei, Psal. 45. id est, scripturæ spiritualis intelligentia consolatur ecclesiam. Ad quam remittit nos Christus. Ioan. 5. Scrutamini scripturas, illæ enim sunt quæ testimonium perhibet de me. Et quidem necessario satis elemento scriptura sacra figuratur. Ininitū etenim vitæ hominis sunt, panis & aqua: proinde dominus in Esaia loquitur dicens, Omnes sitientes venite ad aquas. Esa. 55. Ad eorum ruborem per sacrarum scripturarum lectionem interim fastidiunt, quasi minime sit opus scripturis, quod Deus per se inspiret homini quod velit. Non, inquiunt, oportet legis & scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum, etiam si millies percurras bibliorum lectionem, non tamen peritus evades, nisi à Deo doctus, vanusque erit labor, qui scripturæ impenditur. Scriptura enim creaturæ munus est, non cōuenit christiano nimium huic muneri addictum esse, vbi subinde fallimur. Deum auscultare oportet, huius voces è cælo petendæ, hincque expectanda eruditio omnis. Beatus vir (inquit propheta) quem tu erudieris domine. Psalm. 95. æque docet nos hodie atque olim Patriarchas & Prophetas. Si olim sanctis viris loquutus est, cur non & hodie nobis per somnia, & visiones loqueretur? vox Dei recte docet.

Argumenta ignavorum studere negligentium.

Quid scriptura, nisi mortua tantum litera? & ideo inter alias creaturas reputanda. Nec putes ex scripturis te Deo doctum iri, è cælis illud expectandum, non è libris erit. Spiritus quippe sanctus è supernis illabitur citra omne medium. Doctus est magnus Anthonius sine literis sine magistris per lumen spiritus. Docti alij quoque: in primis autem Apostoli sancti, qui piscatores erant bona parte: plures in primitiua ecclesia erant super quos visibili specie descendebat spiritus Dei, qui subito omnibus linguis loquebantur, mysteria Dei contemplantes plusquam è libris docti moderni quidam. Ita ne? Cur ergo Christus ad scripturarum sacrarum lectionem direxit nos, dicens, Scrutamini scripturas? Ioan. 5. At Iudais (inquiens) id fecit. Bene assentior, sed vtique negare non possumus in eis, quin iuxta & nostram socordiam excitat, qui alibi ait. Quod vobis dico, omnibus dico, Marc. 13. Neminem ergo secernit à sua parænesi suæque exhortatione, qui in alio quoque loco ait, Habent Moyses & Prophetas audiant illos. Luc. 16. Iam si nos audias, iidem mox urgebunt. Non edendum non bibendum: quia alias citra omne medium pascat Deus, & possit præter omnem cibum æque pascere, cui omnia possibilia sunt. Recte potest quidem omnipotentia sua, sed non vult. Sic illi placuit, sic statuit. Scripturis vult erudiri nos velut organo: audiamus igitur eas, aut legamus extrinsece, sed interne ipse nos docet spiritu & gratia scripturarum author: contemne scripturas, & scripturarum authorem Deum simul contempsisti. Non dico te creaturis addictum fidere, spreto creatore: sed volo te in creaturis creatorem agnoscere, venerari, & quærere. In scripturis Deum quære, non te & tua. Scripturæ testes sunt Dei, velut omnes creaturæ. Venerandæ igitur sunt scripturæ, quando sic statuit Deus, vt ex illis capias eius voluntatem. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt spem habeamus & consolationem. Rom. 15. Propter nos est scriptura facta. Nobile igitur & præclarissimum Dei donum est, hac vult nos erudire Deus, hac instituere, hac monere, terrere, & consolari. Instrumentum ergo Dei est imbricis more scriptura sacra, qua infundit nobis cœlestem illum spi-

Scriptura sacra commendationes.

ritum suum doctrinamque: per imbricem è supernis solet defluere pluuiialis aqua. Fateor equidem, potens est Deus citra omnem scripturam docere nos spiritu suo, id quod aliquoties fecit: magis tamen consentaneæ vult isto vti organo. Sic visum est diuinæ maiestati, sic fiat. Commendat Petrus eos, qui diuinis scripturis attendunt dicens, Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, recte facitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris. 2. Petr. 1. **Q**uomodo potuit magis commendari scriptura, quàm vt lucerna lucens in caliginoso loco appellaretur: iuxta illud, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Psalm. 118. Verbum Dei est scriptura sacra, quam proposuit nobis Deus. Velle igitur vocem audire è cælis, Deum tentare est, quod est infamia infanissima, quum possis è scripturis discere voluntatem Dei: quod non secus est, ac velle è cælis pasci, quum panem habeas ad manducandum. Dei munere propositum tibi. Semper sacrosancta fuit scripturæ autoritas, nisi quod quorundam sycophantiis subinde adulterata, lethalis nonnunquam fuit & perniciofa: eriam si veritas, quam in se continet, per se semper manserit inuiolata, bona & saluifica. Fiunt ergo aquæ scripturarum sanguis, quâdo carnali sensu corrumpuntur: hoc est, insalubres, & quæ bibi non possunt. Quod maxime sub effusione tertiæ phialæ fuit, & tubæ tertiæ, vt prænotatum est abunde. Cessante namque persecutione gladij sub Constantino magno, satan aliud genus pugnæ multo nocentius gladio in hæreticis excitauit, qui in verbo vitæ contra ecclesiam cœperunt depugnare: authore primum Atrio Alexandrino sacerdote, circa tertij temporis exordium. Hic enim pro morum honestate, quam prætendebat, in Dei ecclesia ab vniuersis venerabatur: vnde ille superbiæ fastu inflatus videri magnus concupiuit, vt grauius rueret. iuxta quod scriptum est, Quia ante ruinam exaltatur cor. Prouerb. 16. Vnde eriam factum est, vt pro ingénij temeritate grandia auderet: cuius factione denique in ecclesiam Dei magna perniciēs prouenit, vt quæ olim tot fuso sanguine à tyrannorum sæuitia superari non potuit, prope-

Notandum.

*Scriptura
sacra quando
fit sanguis.*

modum superaretur ab hæretico homine: eo quòd iisdem ille armis depugnaret quibus ecclesia sese solet defendere, sed non in finem oppressa fuit: siquidem adiutor & protector factus est illi dominus: & perdidit mirifice aduersarium eius, cuius persecutio tanto erat nocentior, quanto intestinum bellum externo nocentius. Sic ergo sub tertium hoc tempus flumina facta sunt sanguis, quo falsis & carnalibus expositionibus subinde scriptura sacra per hæreticos solet corrumpi. Hoc enim est sanguis, quod carnalis sensus: qui est citra spiritum Dei.

✠ Punctus 5.

Et audiui angelum aquarum dicentem, Iustus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hoc iudicasti: quia sanguinem sanctorum, & prophetarum effuderunt: & sanguinem eis dediti bibere: digni enim sunt.

Audit angelum aquarum proinde deum commendantem, qui iusto suo iudicio id fieri permiserit, vt qui sanctorum prophetarum sanguinem sitiebant, qui eos recte semper monebant tanquam missi à Deo: carnalem biberent scripturæ sensum: nec admitterentur ad spiritum eius. Iudæi primum, qui à spirituali intelligentia scripturarum iam pridem defluerant in carnalem sensum, vt non nisi terram comederent: Deinde & alij quoque, qui similiter in sanctos Dei debacchauere, quibus dat scripturarum sanguinem, hoc est, carnalē sensum bibere vsque adhuc, quatenus vltio iuste iudicantis Dei, vnicuique respondeat pro admisso. Obserua, quidam libri Græci non habent aquarum, sed solum simpliciter angelum: attamen vetustior codex Græcus habet: quemadmodum nos quoque in vulgata additione legimus, & quemadmodum & ponere curauimus. Et audiui angelum aquarum, &c. Nec potest hoc loci per aquas populum intelligi, vt alibi. Quid ergo per aquarum angelum aptius hic intelligimus, quàm aut cum qui sacræ scripturæ præsidet Dei omnipotentis ordinatione: aut eum cui sit tradita vera intelligentia scripturarum, ministerium quoque earum, nuncium videlicet Dei ad ea perdocenda, quæ in mādatis spiritu Christi accepit, quòd non aliud sit angelus quàm nūcius, siue in spūali creatura, siue animali, hoc est, corporali, rationem habente.

*Angelus
aquarum, do-
ctor quibus.*

Iustitia opus

Qui huiusmodi sunt sancti prædicatores bene docti, videntes terribili Dei iudicio, aquas sermonum Dei veras in sanguinem, venerantes hoc Dei iudicium in illis, dicunt, iustus es domine, &c. quæ duo nomina velut peculiariter deo tribuuntur, quod sunt excellentius in eo. Iustitia dicitur nullum malum esse impunitum: sanctitatis rectitudinem, seu legis ordinationem præscribit: quæ quum idem sint in re, nomine tamè diuersa sunt: vnde ille actus dicitur iustus, qui secūdum leges fit: & sanctus, qui à norma legum sancitarum nihil exorbitat: & iustitia ergo & sanctitas legis præceptione consummatur. Et quia Deus, quum alioqui sit immutabilis, summèque in actibus à se prodeuntibus obseruet rectitudinem, puniens malos, bonos dignis adornans honoribus: verissima appellatione dicitur & iustus & sanctus per omnem modum. Obserua, Iudæi fuderunt sanguinem sanctorum prophetarum, Interfecerunt Ezechièlè, Elaiam magni vsus virum, serra lignea per mediū secuerunt. Ieremiam lapidibus atrocissimè obruerunt. Nam & Stephanus, in ea contentione, quam habebat in concilio pro iustitia in magno zelo, id in primis in præsentia eis improperauit dicens, Quem prophetarum nõ persecuti sunt patres vestri: & occiderunt eos, qui prænuñciabant de aduentu iusti, Act. 6. Dominus item, Matth. 23. de fuso sanguine iustorum meminit, venturamq; in ipsos Iudæos vltionem ob id prænuñciat dicens, Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Rursum quæ ait, Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Sed nec Gentiles ipsi quicumque sanguinem sanctorum post ea tempora fuderunt, vltione sanguinis caruere, præter illam quæ gehennæ est, & intelligentiæ carnalis: vnde non latum digitum eleuantur, eò quod ad vnum corpus pertineant reprobatorum. Mira res, priores, & necdum notitiam Dei habentes sanctorum sanguinem fuderunt, qui iam pridem mercedem receperunt suæ crudelitatis, necdum tamen venit in obliuionem iniquitas eorum etiam in eorum posteritatibus vt non punirentur: cuius punitionis pars, quæ primum occurrit, versatur in cæcitate in-

Punitio gentiliū in cæcitate notitia Dei,

telligentiæ, etiam in credentibus, iis, qui pereunt, quum ad idem corpus pertineant: qui soli carnali sensu obducuntur, & non verum scripturæ sensum, qui spiritus est, capiunt, vt impleatur illud Exod. 2. Ego vindicabo iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Non quia immunes puniantur, & quum scriptum sit, Filius non portabit iniquitatem patris. Ezech. 18. is videlicet qui non imitatur patris vestigia, nec particeps erit iniquæ hereditatis eius. Aliter. D. Haymo episcopus tractat hunc passum, ponam verba eius ad iudicium. Sanguis inquit sanctorum prophetarum intelligitur spiritualis sensus illorum. Qui igitur sanguinem prophetarum, vel cæterorum sanctorum fuderit, id est, qui spiritualemente illorum sensum, in terrenum intellectum conuertit, sanguinem bibet, id est, vindictam sanguinis sustinebit: hoc est, quicquid vitale habere videtur perdet, & in carnali sensu, Dei iusto iudicio remanebit. Dignum est enim vt is qui spirituale vinū bibere noluit: corruptionibus sensuum, tanquam sanguine ebrietur. Eo sensu dicit propheta, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Et iterum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Psalm. 68. Mensa hoc loci scriptura sacra est, vt Paulus reddidit. Rom. 11. Ad mensam enim delitiæ ciborum capiuntur: & in scriptura sacra spirituales delitiæ gustantur. Fit autem scriptura sacra in laqueum reprobis, quando carnali sensu intelligitur, vt ex hinc in errorem deducantur: hoc & in retributionem, quod mercedem iniquitatis errorem recipiant: & in scandalum, id est, offensionem: Impingunt enim in eam, & læduntur, quod spiritualemente sensum carnaliter expendant, & credant in hoc datam: vt error sit illis aliter intelligi. Sed vnde hoc proueniat? nepe ab immissa eis cæcitate, cuius onera portant, vt iugale animal dorso vehit potera: vbi & damnationis opus eorum indicatur, per id quod dicitur, Et dorsum eorum semper incurua, dorsum enim incuruare est, alicui oneri humeros subdere. Semper, proprietatem temporis designat.

✠ Punctus 6.

Et audiui alterum dicentem, Etiam domine Deus omnipotens, vera, & iusta iudicia tua.

Quod hic Haymo nititur adstruere minus aliis probatur, ut alterum hic non angelum referat, sed in neutro positum ipsum verbum eiusdem angeli. Hoc sensu, Et audiui alterum scilicet verbum angeli. Immo verò ita alium refert angelum, ut etiam in quibusdam exemplaribus, additum inueniatur, ab altari: id quod Rupertus quoque abbas in emendationibus codicibus adstruit se inuenisse, quod non frustra placet: facit enim ad sensum, si recolas sanctos, quorum isti sanguinem fuderunt, supra de subter altari clamare ad Deum dicentes, Vsq̄uequo domine sanctus & verax non iudicas, & nō vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Ab hoc ergo altari loquitur alter angelus, patrocinium habes sanctorum, quorum sanguis per impios fusus est: qui voce magna commendat Dei iudicia, quod in sanguinem vertit malis, videlicet pessimæ progenie sanguinariorum: alioqui potabiles simulque saluificas aquas scripturarum in vitionem eorum, ut insalubres sint eis, & noxiæ, lethales & mortiferæ. Etiam confirmantis est. Primasius, Eriam, hic aliquid tale est: quale in Psalmis sæpe dicitur, Fiat fiat. Aliter: Angelus hic alter, alium exhibet ordinem verbi Dei ministrorum confirmantium sententiam eorum, qui per priorem angelum designantur: quatenus palam his consensus horum atque illorum in iudiciis applaudentium atque congratulantium diuinæ æquitati. Quo in loco docemur probare Dei iudicia: itémque muris congaudere dotibus, & in commune gratias agere pro Dei beneficiis, qui est omnipotens: ac iuxta summa existimatione dignissimus, & honore, & gloria, à quo vita & salus nostra propendet: cuius iudicia vera sunt, & iusta: Vera, quia ficti que nescia: Iusta, quia falsitate nihil admixta, sed rectum examen directa, expensa que.

DE EFFUSIONE ALIARUM
TRIVM PHIALARUM.

Secl. 3. Punct. 1.

Dei iudicia
semper lau-
danda.



E quartus angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi astu affligere homines igni. Testatus sum, nisi ratio ordinis visionum in hac sacra Apocalypsi diligentius obseruetur frustra in enucleatione tantæ rei laborabitur. Possunt equidem multa sepe erit quasi arridentia abduci: compleri siue & ipsi margines paginarum annotationibus: sed nisi debitus visionum ordo obseruetur, frustra fient omnia, ut mirum sit quam profundè tegantur omnia. Legis apud quosdam per solè hic Antichristum intelligi, sed nondum tempus eius: quartum enim id est: eius autè aduentui sextum vbiq; in hac reuelatione deputatum est. Cõpertum quidè habemus illud monstrum se transformaturum, quasi deus sit, christi omnino representans imaginè, quum sit Antichristus: & id putari vbiuis ambiturum, quum & dæmones in angelum lucis quandoque sese transforment: tamen nondum venit hora eius, qua reuelandus sit in persona homo ille peccati. Namq; sexto die homo creatus est, & sexta hora Christus crucifixus: sexta hora & Adam in paradiso peccauit inualecente super eum dæmonis maligni tentatione. Ergo sexta ætate ecclesiæ prodibit & perditus ille: in quo sic prauitatus est super oēs diabolus: ut si possibile sit & ipsi electi commoueantur. Alij igitur excussius rem volentes pensitare, solem hunc ad Ecclesiæ antistites referunt, præsertim supremum illum, qui Romanæ sedi præfider: sed qua consequentia non satis video. Est quidem Pontifex Max. Petri successor, in solem nobis à Christo institutus: at per id tempus, quod quartum est, & iam precessit, quomodo hic astu & igni afflixerit homines, non satis constat: nec poterit astus hic in bonam partem interpretari, sed ne ignis quidem. Namque phialæ omnes iracundiarum Dei plenæ dicuntur, quæ persecutiones immisæ sunt, aut immittendæ. Sed nec occasio blasphemiarum Romanus pontifex erit: qui clauibus in plebem Christi acceptis potius uti debet, à quo omnia pia esse debent & sancta, etiam quum cedit rebelles: facinus enim cedit in illis, ut vno amputato cætera membra saniora sint, qui præco Dei est, & eius charismatum dispensator fidelissimus: cuius directio æquitas

Antichristi
aduentus in
sexta ætate
ecclesiæ.

Papæ officia.

*Papa sanctif-
simus.*

est: iuxta quod scriptura dicit, Virga directionis, virga te-
gni tui, dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: Psal. 44.
Tam procul esse debet blasphemiam eiusque occasio à
fede eius, à qua non nisi benedictiones promanant: parens
enim salutis est nobis, vitæque conciliator Papa, qui san-
ctissimi titulum nomenque à nobis iam pridem meruit:
quod quicquid est sanctitatis in subdito grege ipse in au-
thoritate sedis primum & principaliter teneat. Sed esto
relatiua dictio, Illi, non ad solem referatur, sed ad ange-
lum: protinus in dubium veniet. Quomodo angelus
aëre & igni, his videlicet duobus malis affixerit homi-
nes. Aut quis est iste angelus? Scimus equidem per ange-
lum hunc, vt per reliquos, prædicatores varij temporis
accipi, & ita phialas effundi per eos: vt constantissimè li-
cet prædicent dei verbum: mala tamen non deueniunt hic
posita. Interpretatiue ergo siue (vt dicunt) indirecte seu
occasionaliter ipsi iram dei effundit: Atqui ne sic quidem
in quarto tempore effusam iram in pontificem maximum
Romanum constat: quod ab anno domini sexcentesimo
vigesimo secundo captum esse nouimus. tunc enim Ma-
hometes contra Romanum imperium primum exurrexit
in Arabia, & multas ciuitates in deditionem accepit: & re-
gna etiam catholicorum subiugauit. Nisi ea ratione dice-
retur effusa persecutio in eum, aut in Ecclesiæ antistites
primarios: cui opinioni pro parte assentior, quum & post
mortem Mahometis, capitanei eius occidentis plagam
ferro & igni magna in parte vastarint, vt dictum est su-
pra. Sed melius alijs videtur per solem Christum vnicum
orbis seruatorem intelligi debere, in quem effusam esse
phialam eo pacto credimus, quo in suis fidelibus patitur,
qui sibi deputat quicquid pro illo præpetiuntur fideles.
Coniectemus verbi veritatem ex præcedentibus. Dixit
supra cap. 8. Et quartus angelus tuba cecinit, & percussa
est tertia pars solis. Vbi solem similiter ex aliorum fere
omnium qui in Apocalypsin scripsere sententijs, resul-
timus ad christum, certiore prophetia edocti. Sic enim in
Malachia scriptum est: Orietur vobis timentibus nomen
meum sol iustitiæ: Malach. 4. qui in se non percutitur:
percutitur autem dum suæ veritatis lux absconditur,
ipsiusque cognitio obscuratur: fide apud plerosque ex in-

*Christus so-
lus nomine de-
signatur.*

fidelium persecutione vanescente. In quem modum &
hic capiendum censeo. Ab eo namque tempore quo exe-
crabilis secta Mahumetica cœpta est varijs nationibus eam
recipientibus, quod mollis sit, & carnis delectationibus
implicata, stulta, & vana in omnibus eius promissionibus.
Adde quod stultorum plena sunt omnia, & infinitus sit
talium numerus, vt Sapiens dixit, qui eam amplexi, tan-
quam phrenetici, qui ridendo pereunt: per quos continue
persequitur christi ecclesia, & fundi cernitur in solē phia-
la. Nam in omnibus regnis, qua: Africa continet, & Asia,
sub quarto tempore sæua tempestas christi ecclesias depopu-
lata est. In principio namque huius temporis videlicet
anno Christi, sexcentesimo vigesimo secundo, cum Sergio
monacho in Arabia Mahometes ille scelestissimus Sar-
racenus, sectam Sarracenorum & Turcarum perniciosissi-
mā condidit, sub qua innumerae gentes sunt. Causam
diximus ex scriptura, quia stultorum infinitus est nume-
rus. Sunt autē Sarraceni, siue à sarrace, siue à Sarra vxore
Abrahæ: non quod ex ea traxerint originem, quum de
genere Cedar filij Ismaelis verius descendant. Constat
autem Ismaelem filium fuisse Agar ancillæ, de qua dicit
scriptura, Et ecce ancillam & filium eius. non enim erit hæ-
res filius ancillæ: cum filio liberæ, Gene. 21. & Gal. 4. De-
leat tamen infamie causa negata infami matre, à domi-
na libera, cuius Agar ancilla erat, nomen sibi usurpauere,
vt Sarraceni dicerentur Arabes, magis quam Agareni,
usurpaticia videlicet appellatione generis nobilitatem,
quam quum non haberent, aliunde sibi accersentes. Iam
& hoc ipso rerum alienarum raptores cupientissimi de-
prehensi: quatenus iis quicquid stemmatis, quicquid glo-
riæ, quicquid opum esset, ab alijs usurpatū abreptumque
citra dubitationem crederemus, hoc est à vere liberis, id
est christianis, qua libertate, nos donauit Christus, qui
dicit, Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Ioan. 8.
Stephanus Græcus Sarracenos populos esse dicit post
Nabathæos, à Sarrica vrbē, siue etiam regione, qua: est
pars Arabia: felicitis. Cæterum quod supra, tertiam partem
solis percussam dicit, hic vero in solem phialam effusam,
ad eandem sententiam pertinet, sic effusa phiala in solem,
quod percussa sit tertia pars solis in creditibus. Per quem

*Mahumetica
secta quando
cepit.*

*Sarraceni
qui dicantur.*

percutsa? Aut per quos percussa? Percussa primum à scelestissimo Mahumete, qui totam Syriam, & Ægyptum, & tres Arabias, & hierusalem occupauit. Postea vero quam execrabilem legem suam condidit, plura regna mira celeritate peruolauit, & sibi subiecit: Orthodoxorum templa prophanauit, & in Mesquitas (sic enim vocant sua templa Turcæ) conuertit. Post eius mortem, hœmar eius successor, & alij reges vsque ad Ottomanos, qui omnes æstu & igni afflixere populū dei variis in partibus orbis. Semper enim hæc sceleratissima gens laborauit contra Christum, & catholicam fidem eius: vt ea sublata sola sua secta perniciosissima vigeat & ster, quæ iam innumeros seduxit, atque à Christo verò deo, per abiurationem sacrosancti nominis Christi, & crucis viuificæ, quæ stulticia eis est, sicut & ceteris gentibus lumine carentibus, abstraxit in interitum. Prima namque eorum contentio est christum soluere, sibi nescio quem magnum deum figurantes, quem ignorat ipsi primum, quia dei sapientia carent: potentia terrena, atque opum splendore, ac lato iam imperio magis magisque proficientes. ✽ Punc. 2.

Et æstuauerunt homines æstu magno: & blasphemauerunt nomen dei habentis potestatem super has plagas.

Ex his quæ diximus, palam est, quid æstus, quidue ignis sint, quoniam vtrūque ad tribulationem temporalem refertur. Palam & illud, quia dei voluntate fiunt omnia, occulto, sed non iniusto eius iudicio. Nunc quæ sequuntur percenseamus. Et æstuauerunt, inquit, homines æstu magno: & blasphemauerunt nomen eius. Magnum mysterium, horrendum verbum: nisi æstuaerent non blasphemarent: nisi mali conceptus in hominibus præcederet, iniuria dei non sequeretur. Æstuauerunt homines, inquit, æstu magno, & blasphemauerunt nomē dei. Vnde æstuaerunt: Quare blasphemauerunt? Æstuaerunt primum à talis ignitis, lethali que tinctis veneno, per dæmones in corda reproborum iaculatis: æstuaerunt & in propria eorum ac certa malignitate, æstuantque. Æstuaerunt & æstuant in cordis eorum superbia: æstuaerunt in ardentissima concupiscentia & æstuant vsque modo, vt blasphe-

*Turca semper
contra Christi-
sum.*

*Blasphemia
vominis dei
unde prodeat*

marent sanctum dei viuentis nomen. Tunc & Sergius monachus furore æstuans fugit in Arabiam, iunctusque Mahumeti impiissimo ac nefandissimo principi Arabum legem condidit execrabilem, vomuit blasphemias in deum. Paulus quoque Constantinopolitanus patriarcha discidit ecclesiam, partemque mordicus tenuit consentiente cum orientalis plagæ antistitibus: vt exhiat opinio illa, quæ per solem Ecclesiæ antistites capit, certior videatur: vt ita in eos ob demerita effusa dicatur phiala, quod in tertia parte percussi sint, quæ in reprobis est. Vnde etiam æstuauerunt homines plebei igne odij hæreticis consentientes, qui vsque non blasphemant dei nomen. Blasphemant qui indigna agit deo, aut tribuit non tribuenda, aut negat propria. Blasphemant, qui euangelium dei sacrum non obseruat, aut qui carnaliter expendit, aut in sui erroris munimenta assumit. Blasphemant qui in honorat, quique non dignis cultibus deum prosequitur. Blasphemant & hic, qui nundinatur gratis traditam gratiam, aut honores in ecclesia dei ambit, mercatur (vt vocant) beneficiâ. Blasphemant qui sub nomine pietatem facit, veritatem ponens in mendacio, aut gentiliter viuit sub Christianismo. Blasphemant qui vnionem ecclesiæ rumpit, dirimit Christianam charitatem, profanat sanctam, probatas leges rescindit: longa aetate inuectas bonas consuetudines auerlat: contemnit & ritus ecclesiasticos theosebiæ, nec non purificationes sacramentorum, & id genus reliqua. Et blasphemauerunt (inquit) nomen dei habentis potestatem super has plagas. Deus solus est, qui habet potestatem super omnia: qui iccirco super plagas istas potestatem habere dicitur, quia à quo vult misericorditer auertere: & super quos vult, iusto iudicio effundi permittit, iuxta illud, Quæ vult indurat: cui vult miseretur. Ro. 9. Blasphemauerunt ergo, quia æstuaerunt æstu magno: æstus ergo magnus fecit vt blasphemarent, quia in malis nutritur corda sua: aut malo exemplo aliorum corrupti exarserunt, & æstuaerunt in suis cupiditatibus, & blasphemauerunt nomen sanctum dei verbo & opere. Mala hæc prænuncia sunt futurorum, quæ subeunda sunt ab his in loco ab ipso deo flagitiosis præor-

dinato, vt calore externo, magno & ardenti, aestuent, & adurantur igni inextinguibili, qui dum viuerent interno deflagrabant sine modo. * Punc. 3.

Neque egerunt penitentiam, vt darent illi gloriam.

Assueta difficile relinquuntur.

Penitentia in quibusdam oritur à timore, aliis ab amore.

Quod penitentiam non egerunt ignauia eorum est, aut potius duricia obstinationisque: ac si dicat, si boni esse voluissent, vtique potuissent. Sed non facile emergit quis ex assueta malicia: & certe degustarū aliquoties malum difficile relinquitur. Lege totum caput. 18. Ezechielis, vbi dominus palam pollicetur condonare peccata vere penitenti, nec se rememoraturum eorum vltra. hanc quidam à timore pœnæ auspicantur: à iusticiæ amore alij: vnde partes tantum ab se se absunt, quantum timor seruilis ab amore filiali: nec tamen à partium compositione desperandum. ij qui à timore pene eam auspicantur, ob oculos ponunt peccati grauitatem, post mortem diuinæ iusticiæ rigorem, ad hanc inexorabilem in peccatores sententiæ irreuocabilitatem: item gehennæ intolerabilem interminabilitatē: quibus cor peccatoris vtut sit ferreum, concutiatur contremiscatque oportet: & tanto validius, quanto præsius de his meditari institerit, vt iam incipiat etiam scintillas quasdam veræ & non fucatae compunctio- nis concipere: ac sic sensim reducere oculos à malo, & intendere bonum: præparatæque cupiat animum ad penitentiam nec stare amplius in dedecore, quum eque possit agere honeste, deique beneplacito respondere, apud quem est merces operi nostro. & hac omnia docente intus spiritu dei, qui gratia præuenit peccatorem. Alij vero qui amorem ponunt huius propositi fundamentum, sub oculos ponunt bonitatem dei, cogitant misericordias domini multas & magnas, & dulcedine earum trahuntur: quarum quum omnes creaturæ sint participes, soli increduli, filij diffidentia, qui vt minime agnoscunt misericordiarum numerum, ita earum quoque experiti redduntur, neque de hac gratia exultare animo possunt. Sunt enim ij omnes in regno mortis, & principis tenebrarum, sua sapientia execrati: quo pertinet illud, Psal. 31. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in domino misericordia

circunda

circundabit. Deus quippe effundit bonitatem & misericordiam suam super humiles spiritu, super metuentes eum: & eos qui diligunt ipsum: quos ante tempora æterna præsciuit: iisdem miseretur & benefacit. Deut. 5. Faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea. Vnde palam fit, quia sine amore vera penitentia non confurgit: nec sine eo quisquā aggredi se posse sperauerit. Cōfirmatur: Nam quantumcunque vibrentur comminationes extrinsecus, intententur terrores: non tamen malam voluntatem interne coercent, immo augent peccatum: eo quod misera hominis mens semper in vetitum nititur: stare autem mala voluntate non sit penitentia, etiam si interdum ab externo opere cessetur: sistitur enim solū adhuc in timore seruili, & necdum ad charitatem, quæ saluat, peruenitum est, per quā solam lex dei impletur, quæ spiritalis est, & immaculata. Psal. 18. hac & peccatum oditur, & fructuosa agitur penitentia, vt non aliunde quā ab amore debeat institui. Hinc Christus nunquam metu peccatorum horroreque exterruit, peinde atque cogere formidine ad penitentiam, quos amore magis voluit allicere: vt dulciter etiam aliquoties cum eis conuersatus sit. Atqui vt hæ partes concilientur, est quandoque non illaudata, seruilis quoque (vt dicunt) timor, si eum amor subsequatur: quapropter nec omnino dilaudatur penitentia, quæ à timore incipit, dummodo desinat in charitatem, vnde habet cōsummationem: vt non inconcinne domini timor inicitū sapientiæ esse reputetur, Psal. 110. præcurrit autem in hoc negocio quandoque etiam vtilissime dum charitate excipitur: sed illum oportet minui, hanc autem crescere: imo vero illum absorberi ab hac: vt iā deinceps penitentia perfecta haud quaquam à seruili hoc timore incipiat, quæ pepulit amabilis gratia, quæ & ipsa aliud nō est quā charitas: sed ab amore iusticiæ, tanquam suo fonte proserpens, quāquam & ipse timor non nihil à longinquo operetur. Fit enim vt primū timore corripimur cōmeritis in animū inductis, ac deinde consternemur mente, dum hinc peccatorū magnitudinem consideramus, illinc iudicij seueritatem simulque pœnarum interminabilem grauitatem, vt sic pedetentim accendamus ad amorem iusticiæ. Quod vt tibi

Penitentia vera per amorem.

A a

*Peccatū duo
habet mala.*

*Pœnitentia
tria persua-
dent.*

clarius fiat, mentique salutariter herreat: considera in peccatō duo esse mala. Primum auersionem à bono incommutabili: secundum conuersionem ad bonum commutabile, id quod per amorē fit, qui omnium affectionum radix est: qui dum corrūpitur, procreet meras sycophantias oportet, hoc est, qualis ipse fuerit, tales & generationes eius. Qui ergo veram pœnitentiā agere vult, seque reconciliari deo: debet cor principio omnium ob amorē creaturarum inordinato corrigere, atque ad dei ordinatissimū amorem conuertere: quod tria efficiunt. Primum, timor gehennæ, vel pœnæ cuiuscunque peccatis debite: eo enim pacto & bestia à concupiscibilibus absterrentur. Secundum amor commodi, vt beatitudinis. Tertium amore iusticiæ, & dei nulla habita ratione seu premij seu pœnæ. Prima duo imperfectos stimulant: tertium perfectorum rationes statuunt. Et plerunque fit, vt per hunc ordinē ad summam virtutum perueniatur. Proinde si ad pœnitentiā, conuersionemque vitæ primū duntaxat te induxerit: nequaquā iusti palmario, id est, palma digno quæ est gloria iustis debita potiere: nam timor ille qui seruilis est, manū cohibet non animum. Si secundum, puta amor comodi, nec sic veram adhuc iusticiā assequutus es, nec verus probaris esse penitens: quia amor proprius non dei te continet: vnde si quis adstrictissimam ageret vitam vt omnium mortalium pœnitentiā austeritate vitæ exuperaret, non alia quàm laudis causa, gloriæque, nihil efficeret, nec iustus esset apud deum: causa est, quia non propter honorē dei, sed propter bonum priuatum, seu proprium negociatur: nec deum diligere probatur quod retracto oculo sua respicit. Solū igitur tertium, videlicet amor iusticiæ verū efficit pœnitentē, quod ex sancto & non proprio promanet spiritu: cui amor timor filialis suffragatur, quo salutariter abstinetur à peccatis. Verā itaque & sincerā ad deum conuersionē, & consecrariē verā pœnitentiā sola diuina efficit gratia, cuius afflatus attractio est, vt iam in vera eiusmodi pœnitentia attractio sit patris ad filium, ad quē nemo cōiungitur nisi patris attractio ne, dicēte ipsamet veritate, Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum. O felicē, & ter quaterque beatū illum quē pater trahit ad filiū: o quàm felix illa attractio est, foriter mo-

*Pœnitentem
verum quid
efficiat.*

uens eor, & vniciens cum Christo: vt dicat hic, Quis nos separabit à charitate Christi: Certus sum, quia nulla creatura separabit: non gladius, non fames, non & quicquid accidere possit in hac vita. Huius defectu fiet vt homo relicto creatore creaturas sequatur & amet, & ceu filius ille prodigus porcos custodiat: præsentia autem domino coniungit, vt dicas, Mihi adhærere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam. Psal. 72. Fallax est & vana omnis spes conuersionis & pœnitentiæ, quæ peccatori fiduciam præstat delinquendi. Deus enim qui simplicissima natura in se est, nihilque admixti habens, ob vehementem iustitiæ zelū, vsque adeo odit peccatū, vt ne ad momentum quidem permittat licentiā commorādi in peccatis electo, & nec ad momentum temporis vult pœnitentiæ dilationem: scriptura monente, Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem: subito enim venit ira eius: & in tempore vindictæ disperdet te. Eccl. 5. Rursumque, Nemini mandauit deus impie agere, & nemini dedit spatium peccandi. *O Pun. 4.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestia: & factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore: & blasphemauerunt deum celi præ doloribus & vulneribus suis. Et non egerunt pœnitentiā ex operibus suis.

Totum hoc, quod hic dicitur, quinti temporis declarat euentus, quo supra infelices prodigio: & que locustæ de ore fumigantis putei prodiree abyssi, quorum cruciatus vt scorpionum erat cap. 9. effusa ergo phiala super sedem bestia, regnum eius fecit tenebrosum: quia sub quintum tempus prædicatibus sacri verbi dei ministris, regnum peccati & reproborum veritatis luce carebit: hoc enim est sedes bestie quod regnū eius, id est, omne corpus diaboli, diabolus autē bestia vocatur, quia aut latenter in fidiās, aut aperte fauies, agnū, id est, corp⁹ Christi inuadere nititur. Quod autē dicitur, Factū est regnum eius tenebrosum: perinde est atque diceretur, Non est illuminatum: quia videlicet non meretur illuminari pro eorum commertis: abiecti enim sunt, & sp̄iti, qui deum cæli primum spreuerunt abieceruntque ab suis oculis, vt non piis actibus ac vera fide sequerentur. Tunc enim qui occulti erant regnum sa-

*Bestie sedes
regnū ipsius.*

*Linguarum
commanduca-
tio.*

tanæ, manifesti fient, erroribus & sectis diuisi: vt non ve-
reantur palam sedes esse satanæ & regnum. Porro dolor
hic cruciatus malignitatis est, inuidiæ & odij: linguarum
autem commanducatio continuæ detractiõis & maledi-
centiæ est typus, quia scriptura dicente, lingua eorum
gladius acutus, & rursus. Exacerunt, vt gladium lin-
guas suas. Psal. 63. Item Psal. 143. Cuius maledictione os
plenum est, & amaritudine & dolo: sub lingua eius la-
bor, & dolor. Nam & in prouerbiis dicit, commanducans
linguam detractor. præ dolore ergo linguas commandu-
cant, quia præ cruciati malignitatis odij liuorisque alios
mordent, aut se mutuo lacerant virulenter: vt non aliud
sit horum doctrina quàm mordacitas quædam & lin-
guarum cõmanducatio. quod faciunt ex cordis eorum
amaritudine, qua vexantur destituti à gloria dei: id
enim est fructus malæ vexatæ conscientiæ, vt pessime
loquatur sentiaturque de aliis, quæ sibi pessime constat, &
nunquam pax illi sit: non enim conquescit, quum sit cor
eius quasi mare feruens. Potest linguæ cõmanducatio
& in aliud interpretari, quia hæreticorum omnis labor
in lingua est. commanducant ergo linguas, quando erro-
res prædicant, & tanto furore, vt linguas etiam ipsas
commanducare videantur, armis veritatis defecti. Est
ergo tralatio à vehementer iratis, qui in suo ardenti fu-
rore & linguas commanducant. Sequitur. Et blasphemauerunt
deum cæli præ dolore & vulneribus suis. Quia enim vexationibus
male affectæ conscientiæ pleni sunt impij, post linguarum
commanducationem, post suas detractiões prorupunt in blasphemias
& contra deum cæli, vt nec creatori parcant: magna quædam
rentantes: & quid potest maius esse in viciis, quàm blasphemare
deum cæli? à quo pendet cælum & terra, à quo est omnis creatura,
qui propter se fecit omnia, nullius egens, sufficiens autem
omnibus? vt maiore longe cruciati eorum affligatur conscien-
tia. Hoc sunt in eis vulnera quod dolor, quo exulcerati blasphemant,
male loquentes de eo in sacramentis ecclesiasticis: & cultus eius
ceremonias omnes contènentes. Quæ omnia nostro æuo
complementur, quando mali apostata: in oblationibus
continuis sunt toti: nec possunt bene loqui de his qui an-

*Fructus ma-
le conscientia.*

tiquam fidei religionē reuerentius tenent. Dominus deus
det illis gratiã, vt sanentur de tanto conscientiarum dolo-
re, & vulneribus. Sequitur, Et non egerunt penitentiam ex
operibus suis. Satis superque declaratum est, de veritate
penitentia. Vnde facile est colligi quosdam minus age-
re penitentiam etiam quum agant: nisi amore iusticiæ id
faciant. Oportet ergo vtrumque oculum retrahere aut
à penæ metu, aut à commodi amore, id quod mer-
nariorum est, & seruorum: conuertere autem ad solum
deum & iusticiam eius, quo solo perficitur penitentia in
dei amore acta. Apostoli vox est, Non accepistis spiri-
tum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum
adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater, Ro. 8. *Iustitia non
timore sed a-
more fit.* Neque enim iusticia timore assequitur, sed nec lex timo-
re impletur. Qui enim timore implet mallet non esse le-
gem, ac sic intus odit, & ideo facit iusticiam legis. Qui
autem libere implet, amat, & vult esse legem, seruatque
libere: & tam ex voluntate, vt nollet villo modo non esse
legem, immo gaudet esse legem. In summa, illi manus est
in lege, huic voluntas. Non ergo egerunt penitentiam:
Aut quo pacto agerent, qui amant iniquitatem, virtuti
hostes sunt. Modum penitentia agendæ docuit. D. Psal-
tes. Declina à malo & fac bonum. Equidem odio ini-
quitatis fit vera conuersio ad deum, digna quoque hoc
eodem agitur penitentia, quod sine gratia fieri non po-
test, hæc enim sola est quæ odire facit peccatum: qua ca-
rentes fieri non potest, vt odiant peccatum, quorum vo-
luntas semper in desyderio mali versatur. quod est pecca-
tum in spiritum sanctum, sine fine videlicet in desyderio
mali versari & esse, quod neque hic neque in futuro ha-
bet remissionem, Matth. 12. Spiritus quippe sancti decre-
tum est, vt nulli remittatur peccatum, nisi quem facit pœ-
niteat scelerosi: quum pœnitudinē subsequatur remissio,
quodque per eam promereatur & consummans gratia
velut per causam disponentem, quæ remittit peccatum:
& iustum constituit hominem totum apud deum.

* Punc. 5.

*Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud ma-
gnum Euphraten: & seccata est aqua eius, vt prepararetur
via regibus ab ortu solis.*

*Euphrates
fluvius.*

Euphrates Babylonæ flumen est, quod fluens per eam in multos alueos præcipiti gurgite diuiditur. Babylon autem infami satis vocabulo in scripturis sacris significare solet vniuersam impiorum multitudinem generationi rectorum contrariam. Babylon quippe confusio est. vnde est illud. Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus. Psal. 126. Ieremias quoque ait, Sacrificium domini sabaoth in terra aquilonis, in flumine magno Euphrate. Per flumen itaque magnum Euphratem potentia exprimitur istius seculi, & omnis reproborum collectio: contra quos quia sancti prædicatores indefinenter loquuntur, in eorum cordibus carnalium fluxus deliciarum arefcet. Huius aqua tunc desiccari dicitur, quando contemptus seculi, & amoris carnalis in impiis generatur. Diuiditur hoc flumen in multiplices meatus gurgite exundante, quia nimirum malorum multitudo fluxu carnalium desyderiorum per multa diuiditur flagicia, quatenus alij sunt homicidæ, alij voluptatum carnalium sectatores: alij auariciæ dediti, alij aliis flagiciis impliciti. Siccabitur autem aqua eius, quando reproborum malicia per legis iustitiæque amorem coerctetur. Tum quippe Enoch & Elia prædicantibus multi impietate abiecta, fidem recipient, reges, & principes, alique quorum mundanam fœlicitatem Euphratis vocabulum exprimit: significat enim fertilitatem, vt præpararetur via regibus ab ortu solis. *Qui sunt ij reges? nisi de quibus loquitur Petrus, Vos, inquit, estis genus electum, regale sacerdotium, nempe ipsi electi, reges in christo constituti, qui est verus rex, Psal. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, predicans preceptum eius. horum via est ab ortu solis. id est, ab oriente Christo, per fidem in cordibus eorum: vnde & nomen eius oriens dicitur, Zachariæ. 2. Ecce vir, oriens nomen eius. Et Luc. 1. Visitauit nos oriens ex alto. vbi oriens nomen substantiuum est, non participium. q. d. Ille cuius nomen oriens est visitauit nos ex alto. De celo enim venit, & docuit, & curauit, & redemit nos: quod eius visitare fuit erga nos. A quo præparatur via regibus, id est, vere credentibus, maxime vero sacris verbi dei ministris, qui reges sunt in Christo rege: sicut & sacerdotes, qui sacri*

verbi Dei sceptro regunt populum Dei. Dicitur ergo. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen magnum Euphraten, &c. Quia videlicet sacri verbi Dei ministri, præsertim Elias & Enoch, duo fulgura euangelici tonitruui, extremo illo tempore quando prædicatorum munus obibunt, multorum cordibus fluxus carnalium voluptatum arefcet, & sient Christi & spiritus eius habitacula. Locus ostendit principium illius temporis sedatum fore, non turbidum: pium, syncerum, & gratum antequam tyrannis Antichristi incipiat: vt & gentes pleræque agnita Dei veritate ad fidem veniant. Sic & temporum vices mutantur: vt serenum diem turbidus quandoque sequatur, & rursus grata vicissitudine recurat ille serenus. Euphrates, quia mundanæ fœlicitatis est typus, fiet vt dum sexti temporis prædicatores fidei veritatem annunciant, amor mundanæ fœlicitatis in cordibus plurimorum arefcet, id quod desiccatio aquæ Euphratis indicat. Potest & aliter locus enarrari, vt scilicet infusa iracundia Dei super infideles, condiscant ex ardore tribulationis conuerti ad dominum: quibus in id auxilio futuri sunt Enoch & Elias alijque: qui simili ardore annunciatu sunt Dei verbum. ita ergo præparabitur via ad eos ingrediendi regibus, id est, christianis tanquam fratribus ad fratres: eo quod omnes vno corde & ore laudabunt dominum. Obserua. Christiani reges sunt, ob eorum rectum regimen, qui se & alios bene regunt: qui cur ab ortu solis venire dicantur iam dictum est, quia à Christo ortum habent, à quo & christiani vocantur. Christus autem sol iustitiæ est. Malach. 4. Porro creduntur Enoch & Elias in paradiso in mortali adhuc viuere carne, vt in fine veritatis testes fiant apud mortales, qui antequam prodituri sint, prædicatores sancti in virtute verbi dei viam illis preparabunt, vt facilius fiat credentia illis: qui (vt iterum repetam) ab ortu solis venire creduntur: vel quia ab ipso Christo missi venient: vel quia paradus sit ad ortum, vnde veniet. Moraliter, siccani debet aqua carnis, & omnis mundanæ humiditatis fluxus in spirituali christiano qui cœlesti spiritu percipit imbui, donis perfrui regis: alioqui frustra erit conatus.

Sexti temporis principium sedatum fuit.

Christiani reges.

☪ Punct. 6

Aa iij

*Et vidi ex ore draconis, & ex ore bestia, & ex ore pseudo-
propheta spiritus tres immundos in modum ranarum procedere.*

Postquam Euphratis aquæ deficcatae sunt, cupiditas omnis in mentibus fidelium exaruit, viâque præparata regibus, draco & bestia, & pseudopropheta multo irritatiores facti, amplius sequere incipient, concipiēt dolorem, & parturient iniquitatem. Draco satan est; bestia Antichristus. Pseudopropheta tota congregatio fallorum prædicatorum eius, quibus spiritus vnus erit, eadem voluntas in malo: quorum ex ore tres spiritus immundi proserpere visi in mundum ranarum, quia ad apertam persecutionem contra Christum, & sanctos eius, oris veneno consurgent. Ranæ immundæ sunt, turpes, & loquaces, qui in cæno multo omnium maxime delectantur, ipso corporis habitu abominabiles, strepitu vocis molestæ, hæreticos plane per omnem modum exhibentes: quod hi aquas scripturarum innotent. Porro quod supra sub sexta tuba cap. 9. per equos terribiles leonum capita præ se ferentes figurabatur, hoc per ranas coaxantes hic, quarum maxima potestas in voce existit: hi sunt tres spiritus immundi in modum ranarum sine modo coaxantes, nec nisi in sermone vim habentes. Sed cur tres & non plures, aut pauciores? Aut qui sunt hi tres spiritus immundi? Reuocemus in memoriam quod Ioannes in sua canonica ait, Omne quod in mundo est, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut vitæ superbia. vbi tria posuit vitia totum orbem obsidentia: Auaritiam scilicet, luxuriam, & superbiam. His armis erunt potentes nouissimi tēporis aduersarij ad quoscunque deiiciendos, qui longe latèque sunt regnaturi: erit illis abundantia multa nimis in multitudinē diuitiarum terrenarum, vnde soluentur in voluptates corporis, efferentur autem supra omnes: nam & princeps eorum Antichristus pro Deo se haberi tum volet, atque adorari vt Deus, sicut testimonio apostoli comprobatum est. Primasius, licet pro variis passionibus vexationum, vitiorumque cunctorum, diuersas qualitates maligni spiritus habere dicantur, nec immerito: In euangelio quidem alibi dixit, Surde & mute spiritus. Alibi autem spiritum immundum. Marc. 9. Alibi propheta, Spiritus

Ranæ hæreticos præscribunt.

Tres immundi spiritus tria peccata mundi.

Spiritus malignus vario nomine appellatur.

fornicationis perdidit eos, Osee. 4. Non ob aliud, nisi quod ad perpetrandas immundicias flagitiorum præcipitur & captiuatur: hic tamen omnes tres propterea immundos posuit: quia vnū diaboli corpus solitis compactum differentiis designauit: il lam memorans quam maiorem obtinet potestatem draconem induxit diabolus: bestiam Antichristum cum suorum doctoribus dogmarum. Vnum ergo spiritum vidit, & pro numero partium vnus corporis, tres dicit, vt omnis numerus peccatorum vno maligno spiritu agi proderetur. Fortasse enim idcirco & tam horrendam ranarum fœditatem eorum comparans temeritati subiunxit. Istis enim pseudoprophetae ranarum more tanquam animantibus coaxantibus nocte damnabiliter erroris latrare cōuenit perstreperere. Ranæ enim & loco, & visu, molestoque strepitu sic odibiles habentur, sicut diabolus cum suis agnoscitur abominabilis veritati, meritoque æterno igne damnandus. Licet aperto, simili tamē sermone beatus Apostolus loquitur, quum præmitteret dicens, Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim portio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autē conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidei cum infidei? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Ita & hic: quum de ore illorum in modum spiritum dicit prodire ranarum: ac si diceret, Quid autem cœnum compares cœlo, quod conuenit habitationi ranarum tanquam horrendis pseudoprophetae blasphemis? Tantum distare asserens doctores veritatis, quantum ranas ab hominibus sanctis, vt etiam qui idonei non sunt eius fraudes potentia discretionis repellendas agnoscere, ranarum saltem horrore percussi, tales studeant deuitare: qui sicut ranæ ignaros impediunt, ne quieto deuotionis cultu percipiāt veritatem. Hæc ille. Haymonis quoque in idem sententia congruit licet apertior. Ranæ quippe molestiam hominibus inferunt, strepitum faciunt, quietem hominibus auferunt, & in cœno versantur: tales erunt ipsi ministri Antichristi, qui non loqui, sed potius garrulis vocibus strepere videbuntur, omnem quoque quietem auferent ab electis, dū eos vbiq; grauiter insequuntur: & in cœno, hoc est, in immundicia peccatorū deuoluēt. † Punc. 7.

Sunt enim spiritus demoniorum facientes signa: Et procedunt ad reges totius terre ad congregandum illos in praelium ad diem magnum omnipotentis Dei.

Vere, inquit, illos spiritus immūdos dixerim: Sū enim spiritus dæmoniorū. nam reuera quum veritati contraria sint dogmata eorum, nulli dubium quin omnes altitudines, omnesque inflationes eorundem sint aspirationes dæmoniorum. Sunt ergo spiritus dæmoniorum faciētes signa: facturi namq; sunt signa ranæ iste abominabiles & moleste, turpes, immundæ & pessimæ, prorepentes ex ore draconis & bestię, quæ è mari caput extulit, & pseudo-prophetæ è terra ascendente. Sed quomodo? sicut magi Pharaonis: vt non ab re mentione facta ranarum, continuo & signorum comminiscatur: vsque enim ad signum ranarum Magi suis valuerunt incantationibus, Exod. 8. Haymo. Ipsi quippe dæmones per eos, quos inhabitabūt, faciunt signa aut vera ex Dei permissione, aut falsa, quibus reprobi iusto Dei iudicio decipiantur: sicut olim faciebant magi: qui videbantur homines resuscitare à mortuis. Sicut Simon fecit in conspectu Neronis, Nam & de hoc dominus dicit in Euangelio, In illis diebus confurgent pseudochristi, & pseudo-prophetæ, & faciunt signa magna, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Sed non sine causa isti qui signa faciunt in modum ranarum procedere dicuntur. Legimus quippe in historia veteris testamenti quod Moyses signa faciente, fecerunt & Magi similiter vsque ad ranarum signum. verbi gratia. Primum Moyses proiecit virgā, quæ versa est in colubrum: fecerunt & malefici similiter suis carminibus, licet virga Moyse deuorauerit virgas illorū. Deinde conuertit aquas Nili in sanguinem: fecerunt & ipsi similiter aquis alienis. Fecit deinde Moyses ranas ascendere super terram, fecere idem & Magi. Vbi vero terræ puluere virga percusso cyniphes processerunt: incantationes, quæ preualuerant, iam tertio, penitus euauerūt: vnde & superati dixerunt, Digitus dei est hic. Ita ergo & isti vsque ad signum ranarum peruenient, ibique deficiēt, ac superati conquiescent: quia insipientia eorum, illius videlicet damnati hominis, & pseudoprophetarum, ma-

nifesta erit, sicut & illorum fuit. Vnde & Apostolus dicit, Quemadmodum Iannes & Mambres resistērūt Moysi, ita & isti resistēt veritati. Sed ista signa (sicut dictum est) aut erunt vera, ex Dei permisso, aut falsa, quibus reprobi propter peccata stulte in Deum admittā decipi merentur. Vnde non in conspectu sanctorum hoc facere dicuntur, sed in conspectu hominum, sicut supra dictum est, id est, in conspectu illorum, qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. At in conspectu electorum muti apparebūt, nec poterunt procedere vltra definitum signum ranarum, hoc est, suos latratus, & mendacia veris sæpe permista. Sequitur, Et procedunt ad reges totius terræ, &c. Haymo dicit. Quod in tribus immundis spiritibus vnus diabolus designetur, ex hac processione manifestatur, de qua alibi scriptum est, Quum consummati fuerint mille anni soluetur satanas de carcere suo: & exibit, & seducet reges & gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. Sed draconis nomine hunc intelleximus, nisi forte potius doctrinam immundam, impostricam, & damnabilem per eosdem intellexerimus, quæ procedet de ore draconis, & bestię, & pseudo-prophetæ, docens tria capitalia vitia, in quibus comprehenduntur *Reges mali.* vniuersa. Reges autem hic in malam partem nouerimus positos, id est, principes, & diuites huius sæculi, qui sunt membra Antichristi. Sicut enim sancti reges sunt, quibus Euphrate deficcato, id est, affluentia Babylonica percutente, in virtute ac sapientia via panditur orientalis: ita etiānum prauī reges terræ dicunt, quos aduersus dñm, & aduersus Christum eius astitisse, memorat Psalmus secundus: ad quos in signis, & miraculis ranæ loquutule proreperit, congregare illos non in vnum locum, sed vt suo quæque gens loco sanctos impugnet. In vnum ergo consensum, & in vnam malam voluntatem congregabuntur: propter vnitatem quippe maliciæ illorum hoc dicitur, quia quod vnus facit, hoc & reliqui. Horum typus præcessit in Iannes, & Mambres, de quibus mox meminimus: processit enim qui in illis erat spiritus seductionis ad regem Ægypti: & fiducia signorū, quæ faciebant, quasi similia signis virtutis Dei, auerunt stultitiam eius, vt contra Deum pugnantem pro Israël aueret præ-

liam: qui nihil contra Deum valuit, & nihil inde profecit, nec præualuit Deo: Imo factum est, vt ex persecutione, populus Israel multo gloriosior euaderet: ille autē confusus discederet plenus ignominia. Vnde nō mediocri nobis spes offertur, quoties affligimur: quandoquidē tolerantia earum passionum nobis cædit in gloriam. Congregentur ergo licet huiusmodi reges & cōiurent aduersum pios: pericquātur eos, qui in Christo pie viuere statuerunt: sed malo suo, qui taliter congregati in prælium, congregabuntur in iudicium. Proinde quum congregare illos in prælium diceret, adiecit: Ad diem magnum omnipotentis Dei. Quis est iste dies magnus omnipotentis Dei, nisi dies iudicij? de quo sanctus propheta Sophonias scriptum reliquit, Iuxta est dies domini magnus: iuxta, & velox nimis: vox dei domini amara, tribulabitur ibi fortis, &c. equidem iuxta est, & magis prope quam creditur: nam & si aliqua mora videtur, sed prope est, & ad ianuam stat. Et sicut vnicuique ante oculos mors est, id est præsentis vitæ finis, & nescitur quando erit, & eo prior est, quo nescitur. Proinde subdit ipse dominus, vel angelus in persona domini, qui hæc Ioanni reuelauit.

✽ Punctus 8.

Eccē venio sicut fur, Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

Ne quis sibi vane persuadeat Christi domini nostri aduentum diu protelandum, atque ob id bestiarū abominationes stulta spe resipiscentiæ sectandas: subiungit furis in morem, hoc est, clandestinū, & quum nec expectaretur, subito fieri aduentum eius. Obserua. Is domini aduentus, quamuis magis videatur de illo magno iudicij die intelligi: palam tamen est, quod & dei mortis conueniat. Quotidie quippe venit christus vt fur, quando inopinata morte subito dum non sperat homo præoccupatur. Frequens hoc fuit semper apud mortales, vt subito casu plerique morte intercepterentur: & qui longam sibi vitam pretenderent breui hora raperentur. Sic ille diues cui granaria redundabant frumento, quum multos sibi annos polliceretur, audit, Stulte hac nocte animā tuam repetet

*Dies magnus
dei dies iudicij eius.*

*Aduentus
domini par-
ticularis.*

à te, & hæc quæ congregasti cuius erunt? Sic nuper hic Romæ canonicus quidam primarius ecclesiæ Lateranensis, die parasceues, solenni ritu missam celebrans, antequam finiret collapsus inter astantium manus ab altari in faciliam deportatus, duabus non amplius horis superuiuens mutus expirauit, vt recte dominus nos paratos semper esse iusserit, & hos solos asseuerauerit beatos. Lu. 12. Quo in loco multa habentur quæ de suo aduentu ad mortem cuiuslibet præmonuit, quatenus prudentes essemus: & ne improvidi de extremo sine essemus, sed parati semper vocatem dominum expectaremus. Beati namque illi, quos, quum venerit dominus, inuenerit vigilantes, Amen dico vobis, quoniam si sciret paterfamilias, quia fur veniret, vigilaret vtique, & non iniret perfodi domum suam, id est, inuicem patereretur vt damnum incurreret. Verum solet in quaestione versari: cur furis in morem, hoc est, repente, & dum nemo speraret, promittat se dominus venturum, aut quæ causa incertitudinis finis nostræ? Sed enim uero sicut cuncta recto iudicio summa illa sapientia disponit ordinatque, ita ne id quidem temere, facere censetur: & licet nō sit nostrum causas decreti diuini occultas inuestigare: tamen quasdam ex parte nostri possumus coniectare. Primo, posset enim fieri vt homines ad carnem sentientes, viuentes ad carnem, pro reliquis diebus cupiditate contra voluntatem dei & legem eius insanissimè fruenterent, pro fine duntaxat conuersuri, atque ex timore penitentiam acturi, quæ non parat salutem, opus enim est, vt Dei amore faciat, quicquid homo in salutem parat. Secundo, fieri & id quoque posset, vt baptismus differretur ultra modum: vel etiam circa mortē vt tum tingerentur: & sic mundati euolarent. nec quippiam boni meritum in Dei laudem & gratiarum actionem pro reliqua vita facerent. Tertio, assiduus circa finem mortis metus carnales, & qui longioris vitæ tenentur cupiditate supra modum obrueret, si mortis meta eisdem cōstaret. Quarto, nec iusti tantum mercedis reportarent tedio longioris vitæ affecti: nunc vero quotidie morientes quotidie sese præparant: & dum interim differtur, videtur placidior omnibus occurrere. Nemini autem talis incertitudo noceret, si solum vigilantia adfit, ad quam hic dominus

*Inopinatus
cur aduentus
domini.*

tam solícite quémque admonitum esse contendit : dicens, Ecce venio sicut fur . Proinde, præmonet ad vigilandum, eo quòd sicut fur venturus sit: & cito venturus . Ideòque cum demonstratione loquitur, dicens. Ecce venio. Scribit Aconius Pedianus hoc & ipsi Ciceroni propriù in primis fuisse, vt in rebus improuisis hac particula vteretur. Repentinam enim cuiusdam improuisæ rei cõtingentiam demonstrat, Ecce: quanto autem ocyor & ocultius is erit aduentus, tanto formidabilior. Sed quibus? obstinatis peccatoribus: nam bonis desiderabilis est, qui dicunt, Tedet animam meam vitæ meæ, Job. 10. Et iterù, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Pla. 119. Et illud apostoli. Cupio dissolui & esse cum Christo. Id est, illis, qui puram, & integram vitam degunt: & quos conscientia non remordet: quique singulari pietate sunt in Christum: Immo quibus mori lucrum est. Porro non tantum ad mortem cuiuslibet est incertus domini aduentus, sed etiam ad extremum iudicij magni diem: nam de die illo, quo hoc fiet, nemo scit: veniet enim sicut fur, id est, repente. Ideo, Luc. 21. Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa tanquam laqueus: tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ: vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere omnia ista, quæ ventura sunt, & stare ante filium hominis, & quæ sequuntur. Beati itaque sunt, que semper paratos se exhibent. Hinc in euangelio dicit, Vigilate, ne quum venerit dominus inueniat vos dormiētes. Et alibi. Dies domini sicut fur in nocte, ita veniet. 1. Thess. 5. Vnde hic quoque subiungitur. Beatus, qui vigilat, & c. Vigilat qui ad aspectum superni luminis, mentis oculos apertos tenet: vigilat (vt beatus ait Grego.) qui seruat operando quod credit: vigilat, qui fide viuunt, in operibus sanctis christòque dignis: vt sicut fides sancta est, sint & opera sancta. Quod quisquis fuerit, is denique beatus. Beatus ergo qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Quid hæc vestimenta sunt, quæ vigilanti studio seruanda momentur, nisi sacramenta baptismatis? Vestimenta sua custodit qui fidem sine errore tenet: vestimenta sua custo-

Parati semper esse debemus.

Vestimenta que custodienda.

dit, qui innocentiam baptismalem impollutam conseruat, qui iustitiam dei habet, quibus primus homo expoliatus paradysum amisit: quæ iterum per occisum vitulum saginatum, id est, per immolarum Christū, in baptismo rehauit. Seruat ergo hæc vestimenta, qui horrore scelerum non commaculat, non dilacerat, non abiicit: aut amissa per pœnitentiam recuperat, cõmmaculata mundat, dilacerata confarcit. * O Punctus 9.

Et congregabit illos in locum qui hebraice dicitur Harmagedon.

Postquàm vniuersos admonuit ne paterentur sibi imponi à tribus illis terribilissimis spiritibus, ad idque vt essent vigilantissimi hortatus: quo apertius intelligeres de quo prælio loquutus sit, locum indicat certaminis: & id quidem paucis, & in mysterio, vt alia. Et congregabit, inquit illos in locū, & c. Haymo. Redit ad ea quæ superius præmiserat de spiritibus immūdis qui processerunt, vt reges totius terræ in prælium concitarent: & quia in tribus vnus intelligi debet, à plurali numero reuertitur ad singularem, dicens. Cõgregabit illos. Quos illos? vtrique reges, quia de regibus ista congregatio scribi cœpta fuit. Sed quos reges? Sunt enim diuersi, immo oppositi reges. Nam de bonis præmissum est, vt pararetur via regibus ab ortu solis: de malis vero, Et procedet ad reges totius terræ congregare illos in prælium. Quos ergo regum istorum congregaturus sit palam est, quia iniquitati cõsentientes, in quibus erit spiritus draconis, & bestiar, & prophetæ eius: qui pro numero partium triplex esse memoratur, sic & dominus hominem à legione liberaturus, interrogauit tanquam vnum dicens, Quod tibi nomen est? cui ipsa congregatio respondit, Legio nomen mihi est: multi enim sumus. Ecce ipsam congregationem ostendit ex multis constare. Iam de loco, quem spiritus Domini harmagedon vocat, liceat agnoscere. Harmagedon, iuxta Haymonem, interpretatur cõsurrectio testium iniquorum: vel mons à latrunculis, siue mons globosus. Testes iniqui sunt omnes ministri Antichristi: qui benè iniqui dicuntur, quò iniquè cõfitentur christū esse Antichristū: & iniquè Antichristū cõfiteantur esse christū. In cõsur-

rektionē testium iniquorum congregabit eos Antichristus: quia ad hoc eos ad partem suam trahet, ut contra Christum verba blasphemiarum, & iniquitatis prouocant. Ad istorum testium iniquorum numerum pertinent illi, de quibus dominus dicit in Psalm. 2. 6. Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Dicitur etiā Harmagedon mons à latrunculis. Mons Christus appellatur à fidelibus: iuxta quod in Esaia legis, Venite ascendamus ad montem domini cap. 2. Et erit in nouissimis diebus preparatus mons domini in vertice montium, id est, Christus qui supereminet omnes dignitate, autoritate, sanctitate, & quicquid excogitari potest domini. Et in psalmis mysticis legis, Mons coagulatus, mōs pinguis. Psalm. 67. Hic sine manibus excisus dicitur ē terra, & in immensum erectus. Dan. 2. Et sicut Christus appellatur à fidelibus mons: ita Antichristus appellabitur mons, id est, Christus, à latrunculis qui ministri eius erunt: qui inuadent, & spoliabunt, & trucidabunt rectos corde. Mons quoque globosus appellabatur Antichristus, propter multitudinem populorum sibi adherentium: vel quia quoscunque mendaciarum seductione pellicit, globosi vocantur, ob errores quibus circumaguntur: vel quia globosum ibunt contra electos, dum eos per temporalem potentiam affligunt. Alij excussius rem volentes, ex nominis Harmagedon significatione interne mysterium expiscantur. Har, enim mons est, & Geded fructus, seu poma: non quæruis, sed optima & electa. Solet autem vox hæc ab hæbreis usurpari, pro eo quod in quacunque re est optimum, & electum. Ideo Harmagedon mons electorum pomorum, & fructuum est. Quis autem hic mōs est, nisi ecclesia sancta, quæ sæpe in scripturis montis appellatione consignatur, ob altitudinem dignitatis, & metis desiderium sublimitatem, ut Psalm. 2. mons Sion dicitur. Et Cant. 4. Mons myrrhæ, ac collis turis. Propterea de electis loquens dominus deus Ezech. 34. dicit. In montibus excelsum erunt pascuæ earum: oves intelligit, qui sunt verè christiani. Eo sensu loquitur apostolus, Gal. 4. Illa autem quæ sursum est Hierusalem libera est. In hoc itaque Harmagedon congregabuntur impij contra Christum, & sanctos eius in iudicio, Matt. 25. Congregabuntur

Harmagedon.

Harmagedon significatio.

tur ante eum omnes gentes. Hinc habes manifestè, quod locus prælij sit ecclesia: & quod fideles semper paratos ad pugnam esse oporteat, qui tantum certaminis præmium sunt accepturi, quantum est cælorum regnum, de quo dominus, Vado vobis parare regnum. &c.

DE EFFUSIONE SEPTIMARUM PHIALARUM.

Sect. 3. Punct. 1.



Septimus angelus effudit phialam suam in aërem: & exiit vox magna de templo à throno dicens, factum est. Adueniente septimo tempore, electi plurimi, qui prius sub Antichristo vasa iræ erant, post illius exterminium conuolabunt ad Christum reconciliati per penitentiam, ut essent deinceps vasa gratiæ electionisque: qui ardentissimo spiritu dimicabunt contra aëreas potestates, à quibus recordantur fuisse aliquando deceptos, sic miles fortius pugnat à lapsu. Dæmones aëreas potestates vocantur, ob incolatum: Quos & dominus volucres cæli appellat, Luc. 8. cæli, id est, aëris. Cæli enim appellatione aër non raro in scripturis capitur. Memini me & supra de hac eadem re tractauisse: paucis tamē: & velut per transfennam, ostendens quia dæmones proiecti de cælo vsque ad diem iudicij sunt in hoc aëre caliginoso: & post ad infernum deturbabuntur, de quo ait Augu. 3. super Gen. ad literam. Aër caliginosus est quasi carcer dæmonibus vsque ad tempus iudicij. Qui locus secundum Tho. 1. parte. q. 60. datus est dæmonibus ratione exercitationis humana: nam procuratio salutis nostræ protenditur vsque ad diem iudicij, vsque quo durat & ministerium angelorum, & exercitatio dæmonum: descendunt tamē aliqui ad infernum, ut ibi damnatos vexent: post diem vero iudicij simul cum damnatis hominibus ibi omnes recludentur: ut puniantur simul cum illis igne supplicij ardente diuinæ iustitiæ quatenus ignis materialis possit in spiritus. Probatur March. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et infra in hac Apoca. cap.

B b

20. Qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis: ubi bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum. De hoc beatus Augustinus in libro de fide ad Petrum ita scripsit, Firmissime crede, & nullatenus dubites: diabolus, & angelus eius in ignem aeternum à Christo esse mittendos, ubi nunquam carebunt poena, quam eis apparuit diuina iustitia. Causam aeternitatis poenae eorum reddit, Tho. 1. parte. q. 64. obstinam voluntatem in malo. Obstinationis autem huius causam non oportet capere ex grauitate culpae: sed ex conditione naturae seu status: quia ut scribit beatus Augustinus, ubi supra, Sic Deus creauit angelos, ut qui uellent perpetuo boni essent: qui autem nolent, nunquam eos diuino munere repararet. Est autem, ut disceptationis nilos euripósque missos faciamus, siue angelus, siue daemon in loco non circumscriptiue quum non commessuretur loco, sed diffinitiuè: quia ita est in vno loco quòd non in alio, Deus autem neutroque modo dicitur esse in loco, quia ubique est. Ceterum septimi angeli phialae in aërem effusio, non aliud est quam praedicatorum septimi temporis contra aëreas potestates sermone uerbi Dei acris dimicatio: ut per quos decepti essent miseri mortales in Antichristo, restituerentur. Quod dum uigilantissimè fiet, audietur vox magna de templo, non dubium quin de ecclesia: haec autem vox gaudium est eorum, qui liberati à monstro horrendo illo, cui lumen ademptum erat. Gaudebunt autem duplici de causa. Primo de interitu Antichristi manifesto. Secundo de eorum liberatione. Non solum autem è templo vox haec audiri dicitur, sed etiam à throno, quod idem esse arbitror: id quod dominus quoque confirmat Matth. 5. dicens. Caelum thronus Dei est. Et Psalmista dicit. In caelo sedes eius, Psalm. 10. Et alibi. Caelum mihi sedes est. Vel si iudicialiam potestatem per id maus accipere, ut frequens est in scripturis sacris: dixeris, à christi iudicialia potestate euibratam fore uocem qua interficiet impium. Esa. 11. Jam uerò quid sit haec vox audiamus. Factum est, intellige regnum domini nostri Iesu Christi. Simile in septima quoque tuba habuimus. Nam quum septimus angelus tuba eccinit, factae sunt uoces magnae in caelo, dicentes. Factum

Pena aeternitas unde promanet.

est regnum mundi huius, & ultimum illud tempus aduenit postquam cum tanta gloria regnat Christus: hoc & silentium illud est de quo supra ca. 7. Quod dum fit, fiet ut & ad literam magna Dei omnipotentis iracundia effundatur in aëre potestates, diuina uidelicet ultio torquens eos, quos etiam propria alioqui inuidia de gloria Christi semper torquet. Reciproce enim illis fiet, ut qui aliquando gauderent de suppressione gloriae Christi sanctorumque eius, torqueantur tum de gloria latè iam coruscante: sic & hostes torquere solet imperatoris aduersarij illustrior triumphus, & plausibilis gloria. O scilicet illum qui ad hoc tempus perdurabit: quando gloria christi, laetitiaque sanctorum sic magnis triumphis celebrabitur: & quando uerbum Dei ab omnibus amplectetur, uirtus in praecio erit: & quo quisque melior, eo honoratior erit.

*o Punctus 2.

Et facta sunt fulgura, & uoces, & tonitrua: & terramotus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram, talis terramotus sic magnus.

Non post illam uocem magnam dicentem, Factum est, sed interim dum phialas suas angeli effunderent, facta sunt & fulgura, & uoces, & tonitrua, & terramotus. Fulgura miracula sunt: uoces scripturarum testimonia: tonitrua comminationes futurorum malorum iudicij & ignis: quibus omnibus confirmauerunt sermonem suum angeli phialarum, id est, praedicatores sancti qui decreta Dei, iudiciumque futurum mittentur praedicare in uniuersum mundum. Obserua, missi sunt praedicatores primum ad annunciandam manem: id est, in primo lucis fidei exortu misericordiam: qua repletum esse uoluit orbem dominus, dicens eis, Euntes in mundum uniuersum praedicate euangelium omni creaturae: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Mar. 16. Quae fecunditatis suae immensitate gratis condonat peccata credenti quomiam Iesus est filius Dei. Io. 20. & idcirco iussit eam praedicari Christus, non solum Iudeis, sed & gentibus omnibus quorquos sub caelo essent: ne quis posset se excusare de non audito uerbo Dei, neque inuouisse caelestem illam doctrinam in auribus eius: praedicatorum est ergo apud uniuersam terram, quae

sub cælo est: nusquam non audita sunt voces euangelij: vt verum sit illud, Misericordia domini plena est terra. Psal. 32. Et illud, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terre verba eorū. Ps. 18. vt vbiq̄ gentiū gauderetur læto tali nūcio à Deo profecto: & quod viua fiducia in promissam Dei misericordiam, diuite quodam fœnore per Christum exhibitam crederetur: ob idque nouiter in baptismo regeneraretur, quo cōsecratus quisque & inter filios dei receptus, cælestis posthac potius quam terrestris foret ciuitatis eius. Verum adhæc & phialæ iracundiæ magni Dei iisdem datæ dicuntur prædicatoribus, quo rebelles cogerent ad obediendum euangelio, præceptisque dominicis: vtque metu incusso, non temere ruerent in flagitia: neque vt canes reuenteretur ad vomitum, id est, vt non abuterentur Dei misericordia, qua gratis condonata erāt in baptismo peccata. Legat qui vult omnes epistolas Paulinas, legat Petri canonicas, legat & aliorum quoque, & ira inueniet: quia omnes prædicatores habent & habituri sunt phialam iracundiæ Dei post prædicatam amplam illam misericordiam, qua parcit Deus pater in suo vnigenito generi humano, proinde quū premisisset, *Qui crediderit saluus erit, statim subiunxit, Qui verò non crediderit, condemnabitur: id quod est phialæ effusio iræ dei.* Hæc ergo phialæ comminationes sunt futurorū malorū iudicij & ignis, quātum ad hōes: quātum verò ad dæmones potestatis aëreæ, cruciamenta iudiciorum Dei, dicente domino, Princeps huius mundi iam iudicatus est, Ioan. 16. Porro terræmotus qui factus est magnus, cordium humanorum sunt: quæ commouenda sunt auditō sancto Dei verbo, in quo reuelatur ira Dei in omnem impietatem, Rom. 1. Legis & in Psal. 17. Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis. Quid est iratus est eis. An ira cadit in Deo, qui non est mutabilis? Iac. 1. Non: sed scripturæ dicunt Deum irasci, non tamen humano more mutatis affectionibus: sed quum punit ad modum se irascentis habet, vt non ponant in Deo passionem vel affectum, sed solum mutationem in operibus eius, vel de misericordia ad iudiciū, vel de iudicio ad misericordiā. In punitione itaq; mali est ira eius, sicut in beneficio mi-

*Prædicatorij
est misericor-
diam Dei &
iudicium an-
nunciare.*

Deū irasci.

sericordia: & quia punit citra condignum, Abac. 1. *Quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, nec tamen parcit delinquenti, vt sit misericors, quin perdat finaliter impenitentem, nec vnquam respicere curātem.* Talis terræmotus sic magnus non fuit, inquit, ex quo homines fuerunt super terram. Postea enim quā vltix ira Dei descendet super potestates aëreas, & refrenari conticescent, magnus latro Antichristus digno Christi iudicio interiet: vt manifesta fiant opera eius fuisse in mendacio, & non in veritate: tum denique mirum valde erit prædicantibus sancti verbi Dei ministris, quantum mouebuntur corda ad recipiendum veritatem, contemptis erroribus, sectarūque mendaciis: tunc abolebitur secta Mahometica, Iudeorum circuncisiones cessabunt & alia, vt nihil nisi Christi Euangelium luceat: quia verbum domini manet in æternum, Esa. 40. Et iterum alia scriptura dicit, Fidelia omnia mandata eius, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & equitate. Psal. 110. Tunc sub pedes Christi ponentur omnia. Psal. 109. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et Paulus. 1. Cor. 15. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Quod sic intelligit Basilius, quemadmodum faber murarius tam diu construit domum, quādiu ad eius fastigium prouectus ab opere faciendo desistat. O quā beati qui in ipsis diebus erūt, & Christi gloriam summa animi iocunditate in toto orbe videbunt. Sequitur.

✱ Punctus 5.

Et facta est ciuitas magna in tres partes: & ciuitates gentium ceciderunt.

Vide quomodo exæquet vltimum tempus priori: & opera Dei postrema prioribus, vt per primum describat vltimum. Olim enim prædicantibus apostolis ita in orbe vniuerso contigit, vt ciuitas magna, id est, tota gentilitas diuideretur in partes, saluandorum videlicet & pereuntium: duæ partes computantur in saluandis, tertia in perentibus (vt iam pluries dictum est.) Olim factum & illud est, vt ciuitates gentium ab infidelitate caderent fide Christi suscepta. Primasius habet. Et ciuitas illa magna *Ciuitatis mæ in tres partes diuisa est. Ciuitatem hæc magnam eam pugnæ casus.*

tamus esse, quæ spiritualiter vocatur Aegyptus, Sodomâque, supra cap. ii. posita autem pro magna populorum multitudine, & supercilio fastus: eo quod non modicis ausibus fertur: quæ in tres partes diuisa, vna gentilitatis; altera in hæreticis & Iudæis; tertia in falsis fratribus computatur, qui consentur se nosse deum, factis autem negant. Quod vero sequitur, Et ciuitates gentium ceciderunt: aut est diuisio generis in speciem, aut repetitio interitus vniuersalis impietatis, & totius regni diaboli. Quod per vnam superius, hoc nunc significatur per plures gentiū ciuitates: hoc enim est vna ciuitas Babylo, quod multarū ciuitates gentium: sicut hoc est vna Ecclesia, quod septem. Et quod dicit, Ciuitates gentium ceciderunt, hoc est quod in sequentibus dicitur, Cecidit, cecidit Babylon: quæ licet quotidie cadat in reprobis, tamen generaliter casura in finem. Alij distinguunt, (nisi obscuritas pariat) vt tertia pars electorum sit, duabus partibus in reprobis computatis: contrario videlicet modo, sicut supra non semel intelleximus in diuisionibus partium, iuxta illud, Zacha. 13. Et erunt in omni terra, dicit dominus: partes duæ dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea. Ipsa autem pars tertia quæ supererit, reprobos simul admixtos continebit. Verum tanta erit diuinæ lucis copia (vt aiunt) tanta euangelij gloria, vt nihil omnino in pios sint ausuri reprobi. Numerant alij partes sic quoque. Antichristorum ciuitas in tres partes fiet, è quibus prima erit vniuersorum, qui cum magno Antichristo pereunt. Secunda hypocritarum, qui non sincere, sed solo terrore potentia Christi, eius populo volunt annumerari. Tertia omnium electorum. Non est autem putandū ex præscriptis, quod verè pij non sint cruces habituri, præsertim ab hypocritis, qui non deerunt, velut lolium infelix inter triticum: namque citato Zachariæ loco de ipsa electorū parte, mox subiungitur, Et ducam tertiā partem per ignē: & vram eos, sicut vritur argētum, & probabo eos sicut probatur aurum. Habebunt ergo suas cruces semper quicumque nomen domini nostri Iesu christi sincere cōfiterentur & colunt: veruntamen nō vt ante, quia carnalium robur eorum fermē nullum erit. Quas ergo cruces, vel à quibus

*Electi crucē
continuo ha-
bent.*

habitori sint, non satis constat, nisi quod suam crucē sint habituri electi. Vera enim Christi membra nō carent suis passionibus, quas ferentes Christum sequuntur. Et vbi nulla ab hominibus inferetur, ipsi sibi cruces vigiliarum, ieiuniorum, laborum, mortificationis carnis, & bonorum operum, ac multarū miserationū erga proximos eligunt, insumuntque. Igitur ciuitate illa magna in tres partes diuisa, simul cadent vniuersæ gentium ciuitates, id est, merè incredulorum conuenticula: ita vt in orbe toto nullæ sint futuræ sectæ, nulla patens idololatria: sed omnes Christi populus vocabuntur. Moraliter impij sensus in homine, adueniente spiritu Christi, necesse est vt intereant omnes, & sincera pars viuat: quæ fidei instructa vi, omnes aduersantes sibi superet virtutes: quod dum fit nō erit pius martyr absque cruce, nec carebit angoribus, in quibus vera Christi sequela comprobatur, qui sequi eum volentibus crucem imponit: alioqui se minimè dignum quemquem deputabit, ipsomet dicente, Qui non baiulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

✠ Punc. 4.

Et babilon magna venit in memoriam ante deum, vt daret illi calicem vini iræ indignationis suæ.

Hæc, & quæ sequuntur vsque in finem capitis huius, vsque ad postremum diem iudicijque tempus pertinent. Post namque tempus beatissimæ pacis illius, quæ post magni Antichristi contritionem in mundo erit, *Iudicij ma-
gni tempus.* soluetur satanas, vt habes infra cap. 20. & seducet multos, vt insurgant in ciuitatem dei, & Christum. Quod vbi fiet, superueniet in mundum iudicium illud magnum ac terribile, impiis nihil tale putantibus, sed multam sibi securitatem, multosque annos promittentibus, vt repente eos occupet. Id quod dominus significat in euangelij Matthæi, & Luca. De die autem, inquit, illa nemo scit, & hora, neque angeli caelorum, nisi solus pater. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. De hoc quoque

Bb iij

Babylon veniet in memoriam apud deum.

Paulus ita scripsit. De temporibus autem & momentis fratres non indigetis vt scribamus: ipsi enim diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte, ita veniet: Quis enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vero habentis, & non effugient. 1. Theſ. 5. Tunc babylon hæc magna veniet in memoriam ante deum, vt daret illi calicem vini, iræ indignationis suæ. Quia videlicet collectio impiorum vitiis confusa, in die illo magno vltionis diuinæ pœnas commeritas accipiet: quæ modo licenter quasi extra recordationem dei pro voluntate agit quicquid vult, & prosperatur in viis eius impunè. Non ita intelligendo quòd in deo çaderet obliuio, aut recordatio, quia immutabilis est: nec potest mutari de contrario in contrarium. Diuinus tamen sermo loquitur sæpenuero de deo more humano: quòd ad modum obliuiscens se quandoque exhibeat, dum non punit malos, aut quando bonos sinit opprimi à malis: quandoque etiam tenet ad modum rememorantis, quoribus inficiam in eos exercet, & erga pios misericordiæ vitur dulcedine. Siue, vt aliis placet, ex parte obliuisci nunc dicitur suorum electorum deus: & ex parte rememorari. Dum enim eos pro bonis actibus in præſenti non remunerat, quasi obliuisci eorum videtur: dum autem mala in eis per flagella purgat, illorum rememoratur. In futuro autem iudicio cõtrario modo se exhibebit. tunc enim rememorabitur bonorum vt remuneret: malorum gestorum, quia hic punita fuere, nihil rememorabitur. Proinde vnde nunc suorum obliuisci videtur, inde tunc rememorabitur: & vnde nunc rememoratur, inde tunc obliuiscetur. Contra omnia in reprobis erunt: eorum namque nunc deus rememoratur, vt si quid boni fecerint statim remuneretur: mala autem quasi obliuiscantur. Neque enim cõfestim reprobi puniuntur. In futuro autem eorū iniquitates rememorabuntur, quum vna cum eis eterno incendio tradetur: bona autem si qua fuere veniunt in obliuionem, vt nulla remuneratione dignentur. Vnde bene hic dicit Babylonem venisse in memoriam pro iudicij tempore, quando iustus iudex retributurus est vnicuique eorum iuxta commerita, dare calicem vini iræ indignationis suæ. Per calicem vini iræ non

Calix iræ puniuitio eterna.

aliud intelligitur quàm pœna æterni incendij, igni & sulphure exaestuantis. quæ dabitur reprobis, cum eorum capite damnatis. Bene autem pœna hæc inferni iræ indignationis dei maiestatis plena vino comparatur: vino enim ardens quædam vis inest vsque ad insaniam dementans hominem: sic & pœna illa gehennæ ita acuitate sui quos comprehendit, dementat, vt cogantur miseri insanissimas loqui blasphemias.

¶ Punc. 5.

Et omnis insula fugit: & montes non sunt inuenti.

Similis punctus est supra cap. 6. Sect. 6. Et omnis, inquit, mons & insulæ de locis suis motæ sunt. vbi quid mons, quid insulæ sint, docuimus: frequens est enim apud prophetas montes & insulas capi pro habitantibus in eis. Sed quia ibi agebatur de persequutione Antichristi, hic vero de vltima tribulatione extremi iudicij: fiet vt similiter terror occupet tum impios, sicut occupabat pios dum ab impiis persequerentur. Insulæ ergo fugient, nec montes inuenientur: sed quomodo? Scimus equidem tempestatum diebus vbi in pagis & vrbibus nulla spes supererit salutis, insulas ac montes, multis fore solatia refugij: sed tum hæc non erunt, quia nullum erit à facie domini effugium: nam velint nolint reprobi, cogentur illius sustinere iram: nec eos seruabunt vllæ munitiones, aut insulæ, aut montes: qui si velint nauigare ad insulas non poterunt, nec reperient montes quo abscondantur ob metum. Tantis signis Christus coruscabit: tantis fulgurabit tonitribus, ad diem nouissimum. Putas qualis tunc terror erit? quando sol obscurabitur, & luna vertetur in sanguinem? astra labentur è cælis, virtutes cælorum movebuntur. Explicat dominus terroris immanitatem. Luc. 21. dicens, Erit in terris præſtura gentium præ confusione sonitus maris ac fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nec in parabolis tum loquebatur dominus si nitaris hæc ad mysticos sensus inuerrere, sed ita sient. Cælum & terra transibunt (dicit dominus) verba autem mea non transient. Luc. 21. Quid est, non transient? quia sine effectu, irrita non erunt. Rara ergo sunt verba dei, sient omnia quæcunque locutus est deus. Si mare sic turbabitur, quo pacto, insularum

Insule & montes quid sint.

Diei extremi terror.

refugia peterent homines? Si continuo metu grauiorum expectatione semper terribiliorum agitabuntur tum mortales, ita vt ardeant stupore nimio, quomodo montium quarent latebras? Vel ita intellige, ac si diceretur, talis erit formido illius dici, talis pavor, talis omnium consternatio, vt nullus etiam in ipsis insulis montibusve audeat perseuerare, sed diffugiatur omnes quoquoersum sedibus propriis relictis, non secus ac columbae, gracculive, vbi accipitur irruerit. Quod totum extremae desperationis sane est indicium. Potest & per allegoriam sensus mysticus ita reddi: vt Insulae populi rectores sint, montes vero doctores. Insularum nomine ab aliis & ipsi religiosi intelliguntur, omnesque viri spirituales circumdati tribulationibus, veluti insulae aquis. Montes autem semper hi sunt, qui auctoritate sublimes sunt in ecclesia: quod hi primum illuminantur a deo ad ceterorum eruditionem. Aliis per tropologiam moralē in intellectum ad vicia nomina haec referuntur: vt sint insulae voluptuosi, qui carnis fluxibilitate oblectantur. Montes elati, & omnes peccatores, qui contra dominum eriguntur: tali sensu: Et omnis insula fugit, & montes non inueniuntur. Quoniam tunc peccatores peribunt a facie domini, iuxta illud, Vidi impium superexaltatum: & eleuatum sicut cedros libani: & transiit, & ecce non erat: quae siui eum, & non est inuentus locus eius. Psal. 36. Quippe non inuenietur tunc locus impij: quia ad infernum detrahetur cruciandus, ne sit in sorte piorum. Non est igitur inuentus locus eius: intellige inter pios, eo quod vita illius dissimilis his fuit. ergo & merces & locus dissimiles fient.

✽ O Punc. 6.

Et grando magna sicut talentum descendit de caelo in homines, & blasphemauerunt deum homines propter plagam grandinis: quoniam facta est magna vehementer.

Ira dei talentum.

Grando irae dei talento assimilatur, eo quod ira dei pondere grauis sit, de qua iudicium pro qualitate culparum singulis incumbet: ergo grando magna iracundiae dei sicut talentum cum pondere descendit, quia singulos pro merito praemit. Talentum dicebatur apud antiquos quicquid ingens esset, & omnes graue tali pondere designabatur: vt nihil esset cui verius grando irae dei, hoc est, sententia illa grauis ponderosa, vehemens, terribilis,

Talenti nomine omne graue indicatur.

impetiosa, procellosa, quae supernae in reprobos ruet, compararetur: quam vbi in se grauescentem reprobi vident, erumpent in miras blasphemias contra deum celi. Haymo tria genera talenti ponit decantata apud scriptores classicos. vnum cetum viginti librarum: aliud septuaginta duarum: tertium quinquaginta. Adstruitque medijs hic talenti fieri mentionem, quod continet septuaginta duas libras. Ceterum per grandinem idem capit quod positorium est, videlicet sententiam omnipotentis dei: vnde scriptum est, Ira domini, sicut grando descendens, quae bene vt talentum memoratur, quia videlicet ex septuaginta duabus linguis peccantes reprobi damnabuntur, nullusque ad mortem praescitus haec euadet iram. Talentum enim ponderis, pro magnitudine vindictae, ipsa grandinis ira esse perhibetur: quae non nisi praecedentis culpa merito irrogatur: praecedit enim peccatum in hominibus, sequitur poena. Ideoque pro merito peccati, e caelis grando labitur: lapsa autem plaga magna reprobos vulnerat: quia ipsa districti iudicis ira agitur, vt qui peccatum commissum manu vel poenitentiae ocyus non extergunt, in deterius prolabantur: ex illo quippe iudicio culpa sublequens oritur, ex quo caecata mens ducitur, vt peius alio obstringatur. At peccatum quod ex peccato oritur: non iam peccatum, sed peccatum simul est & poena peccati. Siquidem iusto iudicio omnipotens cor peccatis obnubilat, vt praecedentis flagitij pro merito etiam in alio cadat: Quem enim liberare noluit deferendo percutit. Quod vt manifestius fiat exponam per exemplum. Populus Iudaicus de accepta lege superbiens, per tumorem cordis peruenit ad scelus abiurationis. Si enim de superbia qua tumuit se coarxisset, ad scelus abiurationis nunquam peruenisset: nunc autem quia per tumorem peruenit ad christi abiurationem, non solum insolentiae scelus in eo est, sed scelus simul & causa sceleris, per quod in poenam ruit insanabilis sceleris ex priore progeniti: vt qui Christum sibi promissum suscipere noluit, suscipiat ipsum Antichristum, iuxta illud, Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, illum suscipietis. Ioan. 5. In tumore itaque obseruantiae legis Antichristi suscepti publicus Christi contemptus, scelus est, & poena

Talenti genera.

Peccatum poena peccati.

sceleris, est & causa: scelus per semetipsum, poena autem quia præcedens insolentia: scelus illud inflixit: causa autem quia aliud, quo diabolus in Antichristo adorandus suscipitur, ex se p̄genuit. Hoc est, quod beatus ille Quiritij sanguinis Papa Gregorius, tanto studio inculcat, dicens. Peccatum quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit. Sequitur. Et blphemauerunt Deum, &c. Ac si dicat. Ira districti iudicis actus est, ut qui veritatem non receperunt, ut salui fierent: operatione quadam erroris obsequium exhibeant ut pereant. Propter plagam quippe grandinis Deū blasphemare est, propter præcedentis meritum sceleris, horrendo Dei iudicio, blasphemiae fructus emittere. In summa, ideo blasphemauerunt, quia ipsius blasphemiae causas à grandine iræ incurrerunt. Per grandinem enim, et si & vltima illa sententia rite capitur: tamen etiam tribulationis validissimæ est typus, cuius angoribus perpulsa mens vlceratur ut erumpat in blasphemias: id quod in viuus plerisque nunc contingit, præsertim tamen post iaculationem diræ inflixibilisque illius vltimæ sententiæ, qua perpelluntur mali in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: ut dicant montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum: & ab ira agni: Quia venit dies magnus iræ illius. supra cap. 6. in fine. Serua nos domine ab huius grandinis horrore: ne quando tantorum malorum superuenientium causa spiritum insumamus blasphemiae, quin potius tuæ bonitatis dulcedine affecti euadentes tibi gloriam & laudem & gratiarum actionem occinamus cum sanctis omnibus in æterna sæcula, Amen.

Propter grandinam blasphemare.

CAPVT XVII.

DE MERETRICE MAGNA SUPER AQUAS MULTAS SEDENTE.

Sect. I. Punct. 1.



*E*t venit ad me vnus è septem angelis, qui habebant septem phialas: & locutus est mecum dicens mihi. Hæc est visio sexta principalis vna è septem, in qua ante omnia inuitatur Ioannes ad spectaculum damnationis meretricis magnæ, quæ toto schemate hic depingitur: postremo bestia & mulieris mysteria interpretantur. Hanc visionem auspicaturus modum ponit quo caput, dicens, Et venit ad me vnus è septem angelis, &c. neque enim tam cominus spectabat, (ut coniectare animo possumus) angelos per phialas effunderent. Venit cominus tanquam familiaris secum agere volens, docturus mysteria haud quaquam vulgaria: venit, ut attentio rem sanctum Apostolum reddat, magisque ut excitatis sensibus capiat, quæ sit eidem ostensurus. vnus venit, ut vnitatem spiritus inter multos commendet, eos qui ministri sunt sacri verbi Dei, qui in vna fide & spe existētibus annunciant salutem. Porro Ioannes hoc loci sanctorum agit personam, quicumque in hac peregrinatione mortale adhuc circumferunt corpus, & meretur à domino consolari: hic enim positus in tribulatione, dum furias sustineret impiissimi Cæsaris Domitiani, meruit à domino in hunc modum consolari. Magna consolatio, Venit ad me vnus è septem angelis, qui decreta Dei portabant: ergo à secretis eius ijerant, ergo primarij, & ex eis, per quos voluntates suas denunciat Deus mundo: qui quum angeli sint, typum gerunt vniuersitatis sacri verbi Dei ministrorum. Vnus venit qui ad literam sufficeret beato Ioanni ad hæc manifestanda. Vbi simul Ioannis excellentia demonstratur, qui visionem angeli promeruit positus in angustia tribulationum suarum: in persona eorum, ut dixi, qui in tribulatione consolari à domino promerentur. Et ideo sequitur, Et locutus est mecum dicens mihi. Ea de re venit ut loqueretur, ut solaretur, ut doceret. Iam verò quid dixerit audiamus.

Angelus vnus vniuersitatem designat.

¶ Punct. 2.

Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas: cum qua fornicati sunt reges terræ: & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius.

Venit Ioannes, quando sancta ecclesia fidei sermonibus Dei intelligens arcana, considerat supplicia in reprobis.

*Meretrix
magna per-
euntium mul-
titude.*

Simile quiddam de diabolo Elaias ponit, cuius ruina[m] sub figurata persona principis Babylonie describit, dicens, Quomodo cecidisti lucifer e[st] caelo, qui mane oriebaris? &c. Consideras quippe spiritus sanctus corpus omnium perditorum, quod diuersis quidem, sed non inepris nominibus notat, variis per superbiam excessibus progredi, corumpi flagitiis, erroribus in diuersum raptari, tantaq[ue] impietate scruire, vt mitibus etiam aduersetur: congrua pereuntem circumscriptione depingit, meretricem vocas, quia videlicet relicto creatore daemionibus se prostituit constupradum. Non solū autem meretricem simpliciter, sed magnam, siue propter immanitatem preuaricationis, per quam sanctis insultat, siue propter innumeram populi multitudinem quam colligit. Proinde eadem meretrix, quae & Babylon est, id est, omnis multitudo reproborum: ad quorum damnationem consideradam, ac veluti propinquius perspiciendam inuitatur Ioannes. Quia praedicatores sancti, in quibus, lucet diuina gratia, ostendere conantur fidelibus pessimē successurum malis in finem, vt cunq[ue] modo videantur rebus florere prospetis: quatenus dum eos considerant, nihil de eorum prosperitatibus appetat, quos sciunt in damnationem ruituros. Quid enim prodest homini (dicit Saluator) si vniuersum mundum lucretur: animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius hominis venturus est in gloria patris, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. Matth. 16. Quod ergo hic dicitur Ioanni, quotidie dicitur & ecclesiae credentium ab eius praedicatoribus. Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnae. Quod perinde est, atque diceretur, Attende damnationem reproborum: casus te doceat aliorum, vt nō mundana felicitas te seducat eorum. Breuis hora summa imis miscet ocyus, & vbi haec eorum sublimitas apparuerit ruet: vigilare itaque te conuenit nō applaudere, taliumque cautius vitare consortia. Mollia sunt quaeque persuadet aduersarius: sed ea quae te irreparabiliter perdant, damnentque. Noli fieri sectator maliciae, si vis videri operator iustitiae. Pereunt cuncta quaeque ex tempore delectant, sola iustitiae opera permanent. Alij mundi huius & ipsius carnis concupiscer-

*Monitio sa-
lutaris.*

tiam formam videlicet fornicationis & ipsam Venerem, deam Romanis olim celeberrimam voluit hic per meretricem magnam depingi: qui & hi non longius à scopo aberrant: cito enim ea ipsa omnis concupiscentia perit & Venus, dicente Ioanne, Mundus transit, & concupiscentia eius. qui merito meretrix magna est, quod gustata voluptatis mercede plurimos perdat: at itaq[ue] sedere super aquas multas perhibetur. Aqua enim fluidum elementum est: quo nomine carnalium fluxus voluptatum, ac inconstancia id genus hominum designatur: vt recte populi multi per aquas infra capiuntur. Super aquas autem meretrix haec sedet, quia super populos multos concupiscentia regnat: tot ferē legibus imperitans, quorū sunt species ac modi vitiorum voluptuosorum. Sedere ergo super aquas multas nihil aliud est, quam regnare super multos populos: Quia videlicet luxuria carnis in multis dominatur: & multos ad suam miseriam mollibus retinaculis trahit: tot modis quot sunt species, immo portenta vitiorum, tam in masculis quam in foeminis. Vnde dominus loquens ad beatum Iob: de diabolo ait, Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Seminarium quippe libidinis viris in lumbis est, in vmbilico foeminis. Quando ergo viros decipit, in lumbis virtutem habere recte contra eos existimatur: quando autem foeminas, in vmbilico. Nam quod viris in lumbis sit sedes veneris veritas adstruxit, qui fidelibus ait, Sint lumbi vestri praecincti. Et Paulus de Laui loquens, qui adhuc in lumbis (inquit) erat Abrahā, quando obtulit decimas Melchisedech. Quod foeminis in vmbilico, propheta manifestat, qui sub typo mulieris meretricis loquitur ad Hierusalem. In die, inquit, ortus tui non est praecisus vmbilicus tuus. Vmbilicum quippe in die ortus praecidere, est conuersionis tempore carnis luxuriam refecare. Quia ergo diabolus vtrunq[ue] sexum per concupiscentiam decipit: recte in lumbis virtutem, & in vmbilico fortitudinem habere dicitur. Virtus quidem in lumbis, sed fortitudo in vmbilico: quia videlicet, quum generandi maior vis in viris existat, fortitudo tamē deceptionis maior

*Luxuria in
viris in
foeminis.*

*Vmbilicus
praecidetur.*

in muliere stauitur: per quam cedri libani sæpe deiecta sunt, quassataque columnæ. Sed sciendum quia ex diuersis causis diuerso modo id facit. Sunt enim quidam qui virginitatem Deo uouerunt, quam si à carne expugnati amiserint, labuntur deterius; quàm qui nunquam uouerunt. Alij in coniugio immaculatum thorum custodiunt, quem si violare eos contingat, pronius deinceps peccant, quàm ij qui proprias uxores non habent. Tale genus est eorum, qui incesta perpetrât, sorores polluant, violant propinquas. Sic Amnon Thamarem violauit sororem. Sunt & qui innaturales prodigio siffimâque ueneres in cinædis quarunt: quod genus incesti tam flagitiosissimum est: ut licet hominum genus in multis offendat Deum, in nullo tamè grauius agit, ut in hoc quod contra naturam est. Quia ergo fornicatio & ipsa Venus quæ mater est, & regina omnium uiciorum, in reprobis potestatem latissimo exercet imperio: rectè meretrux super aquas multas sedet, id est, populos, quorum vitæ decursus dilapsui aquarû comparatur. 2. Reg. 14. Sequitur. Cum qua fornicati sunt reges terræ. Qui vel quales reges terræ? Respondeo, de quibus spiritus sanctus dicit, Psal. 2. Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Reges ergo terræ, qui terrena diligunt, terrenis inhiant, incubant terræ. Quia enim sunt in corpore meretricis huius, sua ducti libidine infrenes sunt, sectando carnis immundicias, voluptates, terranos honores, & omnia. Vnde & rectè inebriati de vino prostitutionis eius, qui inhabitant terram, dicuntur. Vinum prostitutionis eius est libidinis ardor, & delectatio ueneræ voluptatis: quæ uino comparatur, quo solent inebriari mortales, & absque ratione fieri, ut non pericula metuant, non vel ipsam mortem: & libido aufert mentis rationem, ut nihil ultra pœnas aduertat inferni: ideo etiam sine ratione, tamen reclamante conscientia debacchatur. Hi sunt, quos tradidit Deus in desyderia cordis eorû & in passiones ignominia. Psal. 108. Rom. 1. Qui non facile respiciunt, nec sanantur.

Punct. 3.

Et abstulit me in desertum, in spiritu.

Locus ostēdit (ut non raro diximus) hæc omnia Ioannem non

Attende castitatis professor.

Reges terræ.

non corporeis uisisse oculis, sed spiritu mentis, in imaginaria uisione. Desertum ponit diuinitatis absentiam, cuius præsentia paradísus est, ut Primasio placet: quia uidelicet ea uisurus sit, quæ diuinitatis gratia omnino lu-
Desertum diuinitatis absentia, præsentia paradisi.
 minèque carèt: regnum enim peccati, quod omnino desertum est à Dei gratia, & qui in eo regnant uisurus, & disiu.
 hoc in spiritu, quia spiritu possunt ista discerni. Haymo distinguit de deserto, dicens. Desertum, in sacro eloquio aliquando significat cælum, aliquando corda sanctorum, aliquando Deum omnipotentem, aliquando corda reproborum. Cælum in euangelio ibi, Quis ex uobis homo, qui habet ceterum oues, & si perdidit unam ex illis: nonne dimittit nonagintanouem in deserto? & vadit ad illam quæ perierat querere? quia uidelicet tunc homo cælum deseruit, quando peccauit. Corda sanctorum ibi, Ecce elongaui (id est, longe me feci) fugiens, & mansi in deserto, Psal. 54. in deserto mentis scilicet. Sancti enim cœlestis uitæ percupidi, remouent se ab his uitæ canis, ne implicentur: & fiunt desertum à uoluptatibus mundi. Scimus enim nihil esse uoluptatis in deserto: ubi horrent omnia à speritate: ubi nec panis sustentans, nec aqua sitim extinguens reperitur, ut merito desertum ab his uitæ solatiis dicatur Deum ipsum apud Ieremiam, Quis dabit me in solitudine diuersorum uiatorum? Quod uerò cor reproborum sit desertum, id palam est, ij enim deserti sunt à Deo, & sunt sine Deo uiuentes: illi desertum erant incôla: ciuitatis, de qua dicitur in eodem propheta, Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? Si sola, quomodo plena? si plena, quomodo sola? sed sola, id est, absque Deo, etiam si plena populo sit, rectè ciuitas uocatur. Huc pertinet & illud, Vox clamantis in solitudine, dirigite uiam domini. Esa. 40. Quia enim Deo carebant, ideo hortantur preparare corda aduentui eius. Hoc sensu desertum ponitur hic, in quod abductum se Ioannes testatur, in spiritu, ut contemplet eos, qui eiusmodi sūt, qui in regno diaboli sunt: deserti gratia Dei sunt, deserti & uirtutibus cunctis suati.

DE MULIERE SEDENTE SUPER

BESTIAM COCCINEAM. VII. CAPI-

TVM ET CORN. X. Sect. 2. Punct. 1.

Ca



E T vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem, & cornua decem.

Ipsam vocat mulierem, quam paulo superius appellauit meretricem. Hæc reproborum omnium collectio est in vno corpore adunata. Aut in cuius potissimum specie eam sermo diuinus subornaret, quam mulieris, à qua initium capit peccatum, & propter quam, vt scriptum est, moriemur omnes. Eccl. 25. Bestia diaboli est typus, cui insident reprobi omnes, atq; eo vehente currunt per vicia. Namque sicut ciuitas Dei Christo hærent, super quem extat ædificata: ita ciuitas diaboli, quæ reproborum est, diabolo incumbit: quæ meretrix, vel idcirco dicitur, vt palam sit, qua parte regnum diaboli amplius dominetur. Vides itaque aliquem pronũ ruere ad arma, vt interficiat Dei seruum: aut arrepto flagranti ritione currere, vt succendat ecclesiam Dei: aut terere limina meretricum, violare virgines, honestas infamare matronas: dic eum portari à diabolo, super quem suo malo sedet: quæ ob cruentam voluntatem, & peccati malitiã coccinea vocatur. Eadem plena blasphemiarum nominibus, scriptum est enim, quia superbia eorum ascendit semper. Psal. 73. cuius nulla pars vacat blasphemia: Id quod tum præsertim agnosceretur, quum perditionis ille filius reuelabitur: tunc enim omne corpus aperiet os suum in cælum, & loquetur blasphemias, contra Christum & sanctos eius. Porro bestia hæc septem capita habere dicitur, & cornua decem: qua ratione, plus satis expositum est supra. Per septem enim capita omnes reges impij capiuntur, qui fuerunt infesti ab initio Ecclesiæ Dei, futurijque sunt. Per cornua vero decem regna illis subiecta. Vnde scriptum in Daniele legimus. Bestia quarta, quartum regnum erit in terra, quod maius futurum est omnibus regnis. At potest quempiam mouere, quomodo septem reges, & decem regna? hoc iam solutum est, quia regnum Macedonum post interitũ Alexandri magni fuit in quatuor regna diuisum: idem ergo septem est quod decem: id quod & mysterium vtriusque numeri indicat. vterque enim perfectus est, & septenarius & decenarius: vt intelligas & reges bestia coccinea & regna, id est, vniuersum

Mulier super bestia sedens.

Bestia septem capitum.

corpus eius, Christo aduersari, sapientia & potentia in omni virtute semper. Vane hic putare mihi quidam videntur: persequutione nouissima appetente decem reges oborturos, quum mysteria horum & regnorum, quæ ab initio fuerunt, impiorum compleantur in vno Antichristo, qui recapitulaturus in se est crudelitatem omnium sæuentium in populum Dei, & blasphemias eorum: ideoque plena nominibus blasphemiarum bestia hæc describitur. Deterior autem blasphemia inueniri nõ potest, quam vt contrarius sit Christo vnico, & viuo, & vero seruatori orbis, nempe Dei filio: id quod nomen eius iudicat. Antichristus enim dicitur eo quod contrarius sit Christo, volens haberi pro Christo: non solum aperta oppressionem potentia fideles impugnans, sed etiam ementita veritatis specie illaqueare corda defyderas: vt quos nõ potest violenter terroribus frã gere, adumbrata studeat falsitate seducere: quatenus apertum declinantes errorem, verissimilem vix caueant falsitatem: Cuius nocentiã dominus voluit insinuare in immundo spiritu, qui assumpsit spiritus septem se nequiores, cum quibus ingressus est in hominem, quem pro voluntate voluit possidere, & agere per eundem, vt nouissima peiora fiant prioribus. Luc. 11. Nonne de vno spiritu immundo loquebatur? Cur igitur alios septem nequiores se dixit nisi quia septiformis immundus spiritus agnosceretur, vt etiã latentibus malis nequior se prempliciter inueniatur? Et vt, quod dicimus, plenius lu-

Antichristus totus in blasphemia.

Spirituum celsarum

antichristus.

spiritus timoris Dei: cui contrarius est spiritus temeritatis: sed peior doli religionis ficticia. Quibus contrariis impurisque, latro impurus Antichristus in se & in suis prophetis erit primum, sicut purus Christus sanctorum sanctus Dei vnigenitus: de quo sic Esaias vates insignis vaticinans dixit, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiae & intellectus: spiritus consilij & fortitudinis: spiritus scientiae & pietatis: & replebit eum spiritus timoris domini. Esa. 11. Virga haec virgo marer est: flos Christus absque corruptione ex virga prodiens: cui admirabili quodam iudicio Dei per omnem modum aduersaturus est Antichristus, inauspicato tamen exitu, mercedem iniquitatis suae cum Iuda traditore sortiturus: quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, 2. Thess. 2. Certum ergo sit, & satis sit, hunc esse bestiam septem capitum & decem cornuum, coccineam, hoc est, sanguinatam, plenam piorum sanguine: cui voluntas semper versabitur in sanguine, & manus in caede: in quo hoc sunt septem capita, quod decem cornua: nam & reges & regna pars huius bestiae sunt. Sicut enim omnes pij in vno Christo numerantur, ita econtra omnes impij in vno computantur Antichristo, tanquam in capite. Nec mirum si hoc (vt dixi) significant septem capita, quod decem cornua: nam & reges & regna pars huius bestiae sunt, corpus videlicet mysticum bestiae, immo & ipsa bestia computatur cum illis velut caput cum membris in vno corpore damnato: propter diuersitatem tamen scelerum, nunc in capitibus septem, nunc in cornibus diuiditur decem: quod & fraude decipiat, & potentia praemat urgeatque. In virtute per apertam potestatem: in signis per occultum dolum, omnium regum ac regnorum crudelitibus vtens. Tali informi monstro, ac terribimo multitudo omnis reproborum a principio hesit: cui etiam in muliere meretrice infidet, plena concupiscentiarum carnalium, desiderijs desideriorumque fructibus malis: & quae dudum dereliquit Deum factorem suum, contaminationem in multa abominatione suorum immundorum scelerum amplexa. Sequitur.

¶ Punct. 3.

*Antichristus
sanguinatam
bestiam.*

Et mulier erat circumdata purpura, & coccino: & inaurata auro: & lapide precioso: & margaritis: habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus, & immundicia libidinis sua.

En vides impiorum congregationem quali prodeat schemate: quam pulchrum stultis admiratoribus de se praebeat spectaculum: quae vltro in sese irritare possit ipso ornatu oculos vanissimorum, quibus solis videntur haec aliquid, non verè sapientibus, non integris, quia perfectè calcarunt mundum, vt nec pili ducant splendorem eius: quorum omnis mens Christo inhæsit: quem solum spectant sedentem ad dexteram patris, immo quibus viuere Christus est, mori verò lucrum. Sed vide verborum positorem aptissimum ordinem, spiritus sancti quoque rationem contemplare. primum ob oculos ponit irritamenta ornatus, in purpura & coccino, & auro, lapide precioso, & margaritis: deinde abominationem per se contemptibilem, respectu cuius facile contemnantur praedicta omnia, quod sint in effectu spurca: è quibus talis fructus nascatur, quae est libidinis immundicia: nam in illis id frequenter quaeritur: nec alio tendit nisi ad libidinem eiusmodi induia. Sed iam ad rem. Purpura olim regum erat ornamentum: tingitur sanguine piscium marinarum. Est enim purpura piscis ex concharum genere, vt Plinius restatur, viuit annis septenis: latet autè circa canis ortum tricenis diebus: congregantur purpurae verno tempore, mutuoque attritu lentorem quendam velut cere emittit: sed nobilem illum succum ad tingendas vestes commodum medijs in faucibus habent, minimùmque liquoris est in candida vena, reliquum corporis sterile. viuas conantur capere, quia morientes succum illum cum vita vomunt: quinquagenis diebus viuunt captæ, & salua sua nutriuntur: celerrimè crescunt, vt omnes conchæ, ita & purpurae, anno magnitudinem implent: maioribus purpuris detracta concha auferunt succum, minores frangunt Tyrij, ita & earum rorem excipiunt: lingua purpurae est digitali longitudine: duricia tanta, vt reliquas cochæ aculeo perforet: aqua dulci facile necatur, & sicubi merfa flumine fuerint. Purpureus color est, qui nigricantis rosæ splendore subluet: cæterorum omnium colorum color.

Cc iij

Mulier purpurata.

Purpura regum ornamentum.

Purpura piscis.

Purpureus color.

*Coccinus
color.*

gratissimus. hæc de purpura satis. Coccinus color est, qui exuberantiam quandam ac splendorem ruboris ostendit dictus à cocco, quod Latine granum dicitur. Est enim coccus velut granum, quod vel ex arbuscula Illici simili, vel ex rubenti gramine nascitur. Hic Spadicus, & Phanicus vocatur, hinc coccina & coccineæ vestes dicuntur. Idem color roseus à rosarum similitudine dicitur, à quo & roseus pannus, & roseæ vestes appellantur. In quibus coloribus cunctam huius mundi regum splendorem ac superbiam, cruentam quoque potestatem hic scriptura designat. Quis enim nesciat regiam potestatem comitam semper parricidali crudelitate, quæ plurimo sanguine tincta subinde maduit. Plena sunt volumina, & satiata iam orbis terrarum theatra regum tragœdiis: vt pauci regum sine sanguine pereant, è quibus magna pars mulieris huius typicæ colligitur, vt rectè dixerit Iuuenalis Satyra. 10.

*Regia potestus
semper
cruenta.*

*Ad generum ceteris sine cæde, & vulnere pauci
Descendant reges: Et sicca morte tyranni.*

Ceteris generum Plutonem vocat Deum orci, vt falso olim credebat stulta gentilitas, qui rapta proserpina factus est gener. Nota fabula est in poetis: & vt quosdam ex eis numerem. Magnus ille Pompeius totius orientis subiugator, dum primum sibi locum in rep. Romana quaerit à Cæsare Iulio in campis Philippicis profligatur: qui ereptus clade, dum fugit in Alexandriam per Ptolemæum regem Aegypti interfectus est. Cæsar & ipse à Bruto & Cassio ceterisque percussoribus tribus & viginti vulneribus in senatu cõfossus est. Nero hostis patriæ declaratus fugiens senatum, vt sensit milites appropinquare, quibus præceptum erat, vt viuum attraherent: ferrum iugulo adiecit: qui semianimis dum palpitaret, irrupenti centurioni, & penula vulnus demulcenti inque auxilium venisse se simulanti, non aliud respondit, quam seram illam fore fidem: qua in voce plurimo sanguine defecit. Balba in foro occisus est. Otho seipsum pugione transuerberauit. Vitellius minutissimis sparsim mucronum puncturis confectus est. Domitianum à Stephano in inguine percussum alij conspiratores saucium & repugnantem adorti: Claudianus, Cornicularius, & Maximus

*Cæsares sanguinaria
morte perempti.*

Parthenij libertus, & Saturninus centurio cubiculariorum, & quidam ex gladiatorio ludo septem vulneribus contrucidarunt. Erant qui, ob regnandi cupiditatem, & in cognatos, fratres quoque, ac parentes saeuirent: ne vllum regni consortem haberent, vt bene purpura coccino in regibus sit sociata: in quibus sceptrum quoque conspersum sanguine stillat. Qui omnes, ne ceteros cominorem, fuere de corpore meretricis huius purpura regia circumdata, & coccino: habitu videlicet prope peculiari, & consimili moribus fortunæque, quod in sanguinem præter corporis iniquationes ardeat, in eodem in finem defectura. Huius membris dicit dominus Deus in propheta, id est, illis, qui titulo aliud sunt, id est, Dei populus: re autem ad hanc meretricem pertinent. Quum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & quum multiplicaueritis orationem non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plenæ sunt. Esa. 1. Est & alia schematis meretricij huius ratio: quo intelligeres quanta in regio ornata sit vnitas, quantum dignitatis summæque celsitudinis tumor, & externi nitoris quanta libidinis spurcicia & sanguinis: vt iam non solum purpura coccinõque ornatur mulier meretrix hæc, sed quicquid preciosi habet mundus: vt auro, lapide preciosõ, & margaritis: quæ omnia vanitatis sunt fructus, nihil moribus admodum eximij addentes: vt deploratæ dementiae sit ea appetere, quaerere, & mercari. Obserua. Habet & ecclesia suam purpuram, habet & coccinum, habet aurum, habet lapides preciosos, margaritasque habet: de qua in Psalmis mysticis dicitur, Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Psalm. 44. Sed non externè vt meretrix ista ad vanitates habet: habet autem internè: cuius omnis decor memoratur ab intus, ibidem. Et vt percenseamus singula. Ecclesia, habet purpuram & coccinum, id est, regiam dignitatem: habet enim regem Christum & in hoc omnes credentes reges, ex quibus vna virgo immaculata constat, ecclesia, quæ regnat per Christum. Habet insuper & pura auro inauratam vestem, sapientiam cum charitate: iuxta que ornata, illud, Accipite sapientiam sicut aurum. Et alibi, The-
Cc iiij

*Ecclesia pura
auro
inaurata
vestem,
sapientiam
cum charitate:
iuxta que
ornata.*

faurus desiderabilis residet in ore sapiētis. Per aurum capi charitatem cōstat in scripturis omnibus. In lapidibus verō preciosis, itēque margaritis, virtutes animi, tum multæ tum variæ designantur: quibus circumamicta eodem in Psalmo ecclesia prædicatur. Et quum veraciter hæc habeat Ecclesia, fallaciter sibi mulier meretrix nititur vsurpare, si quando etiam quippiam earum rerum præ se ferre videatur, velut gloriam regni, sapiētiam, virtutēque. Nemo enim verè regnat, nisi in Christo. Sequitur. *Habens poculum aureum in manu sua. Quid poculum hoc aureum intelligimus, nisi fallaces mundi huius promissiones, & concupiscentiæ deceptiones, quæ capax inebriatiæ voluptatis est, vt poculum vini liquoris. Quid dico? Ipsa meretrix est poculum aureum, propter similitudinem pulchritudinem quam præterdit externè, quum sit internè plena omni spurcitiâ & abominationibus: quam, calicem aureum vocat expressè Ieremias, dicens, Calix aureus Babylon. Aurum enim, id est, pulchrum se fingit & præciosum per externam apparentiâ vt magis alliciat, ac captum dementet. Sed quid habet in se poculum istud aureum? Abominationes, & libidinis immunditias: hi enim sunt fructus reproborum, qui in mundo computantur. Abominatio odium est & reiectio: vnde illum abominatur deus, quem odit, quem reicit: sicut scriptum est, Virum sanguinum, & dolosum abominatur dominus: id est, odit & reicit. Quare? In causa equidem est immunditia libidinis, qua pleni sunt omnes reprobi: nec vllum magis quàm hoc vitium sequuntur omnes. Nota, poculum hoc in manu sua accepit mulier, quando prima mater seducta est: quando miseris hominum mentes inuasit seua cupido dominandi quando scortandi voluptas mentem obsedit, & alia id genus mala faciendi: quando venit obliuio præceptorum Dei, & salutis contemptus, furor & impietas, insana cædes & error. Sequitur.*

✽ Punctus 4.

Et in fronte eius, nomen scriptum mysterij, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terre.

Ne superstitio erroris palam falleret incautos, ex titulo frontis dicit clare posse aduerti, quæ & qualis sit mulier hæc tanto schemate cultuque adornata, quia pellex &

*Calix aureus
Babylon.*

impura, quæ se tanto splendore meretricio venditatur. Per frontem operum manifestatio designatur. Sic dominus apud Marthæum loquitur dicens, A fructibus eorum cognoscetis eos. Nā quia Babilō, id est, multitudo peruersitū reprobōrū per hypocrisis simulat se interdum esse, quod nō est, id est, ostendit se aureū calicē esse, quum sit plena iniquitate & abominationibus: ne fallerētur mortales specie veri, dirigit ad considerationē tituli, vnde facile sit eā animaduerti, quæ & qualis sit, vtur se aliā pollicetur: quū ibi Babilō, i. cūfusio legatur. Id quod est ipsa re. Itaque quare nomē mysterij in fronte scriptū esse dicatur, palā esse arbitror. Nūc quid mysterij vocabulū indicet videam? Mysteriū occulta res est, in qua aliud prospicit, & aliud velut sub typo occultitur. Opera quippe Babylonis quibusdā sunt in frōte, quibusdā in mysterio. Simpliciter ingeniōque rudibus, & qui ea peruidere nequeūt, mysteriū est: eo quod occulta sunt illis, quæ clādestinā à reprobis agantur. Perfectis autem & intelligentia valentibus in aperto. Porro magna Babylon dicitur, ob multitudinem reprobōrum, ex quibus constat: vel magna, id est, admiranda: sed quibus? Stultis admiratoribus, quibus aliquid est. Ipsa est & fornicationum mater, quæ docet perfidia in hominibus, vt spreto vero & viuo Deo, dæmonibus seruiatur. Est enim malorum omnium radix, & nutrimentum peccati. Nam & peccatum à muliere ccepit initium, quæ primum suscepit semen diaboli in praua suggestionē, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem: quam effudit in virum, & per eum mors intrauit in orbem terrarum: vt non ab re mulier sit vniuersitas reprobōrum. Vel certe mater fornicationum præcedens generatio intelligitur, quæ pessimo exemplo corruptissimos post se reliquit imitatores. Aliter, titulum mali operis gerit in fronte: quia reprobi gloriantur quum male fecerint. De quibus dicitur in propheta, Quasi Sodoma prædicauerunt peccatum suum. Et in hoc cōgregatio talium in hac meretrice publicæ professionis arguitur, quod suscepit publicam fornicationis professionem in meretrice: quæ non solū peccaret, sed insuper in ipsis peccatis velut rebus eximis gloriaretur, magnificando fornicationes suas absque rubore. Vnde synagogæ corruptissimè dicitur, Erōs mulie-

*Mysterium
quid sit.*

*Mulier radix
malorum.*

ris meretricis facta est tibi, & erubescere noluisti. Iere. 3. Accipe & aliud. Meretrix hæc mystica gerit titulum improbitatis suæ: quo doceamur, omnes delectationes eius in summam ignominiam destituras, & quicquid interim præstaret non nisi confusio sequeretur.

✠ Punctus 5.

Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. & miratus sum, quum viderē illam, admiratione magna.

Mulier
ebria.

Est aliud quoque mali in meretrice muliere hac typica, quod tumulenta visa sit, & non alio quàm sanguine sanctorum Dei, id quod & modo passim sanctis cernere licet: vt malorum congregatio piorum sanguine repleatur. In hoc versu tam Iudæi quàm etiam gentiles cōprehenduntur: illi enim fuderunt sanguinem prophetarum: isti autem apostolorum, & cæterorum martyrum. Ideoque vindictam effusi sanguinis, tam Iudæi quàm gentiles sustinebunt. Vnde dominus dicit in euangelio: Amē dico vobis, requiretur sanguis oīm, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsq; ad sanguinē Zachariæ à generatione hac mala, Matt. 23. Quod ergo diuidit sanguinē in sanctos & martyres Iesu, vti vsq; testamenti tempora includit: ponitque primam & precipuā meretricis mysticæ portionē gentē Israëliticam, quæ carnalis erat, quæ sanctos prophetas persecuta est, & varie occidit: & etiā qui occidere sanctos martyres ex gentilitate: vt recte mulieris nominibus apud Ezech. ca. 23, designentur omnes: ne quis dubitaret ad hanc eandem mulierem pertinere, sicut & omnes impij, pertinent. Sunt enim vniuersi qui peccatis seruiunt: quique in impietate viuunt Babylonis ciuitatis magnæ ciues: cuius prima fundamina iccit Cain, qui primus innoxium sanguinem fudit: vt non modica exhinc admiratione turbaretur Ioannes, qui hæc videbat. Equis tali apparatu exhibitam forteque visam nō in primis admiraretur phantasticam meretricem? Quis non protinus inlacet perisse frontem de rebus: Immo quis non grauatim ferat ab eiusmodi turpi imagine bonos tribulati, iactari, & occidi: vt dicat, Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelauī super iniquos, pacem peccatorum videns, Psal. 71. præteritū quē

ab his gloria dei contemnatur. Ieremias dicit, & quærit, Iustus quidem tu es domine si disputem tecum: veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorū prosperatur: bene est omnibus qui præuaricantur & inique agunt? Plantasti eos & radicem miserunt: proficiunt & faciunt fructum? Prope es tu ori eorum: & longe à renibus eorū. Iere. 12. Sequitur. Et miratus sum, quum viderem illam, admiratione magna. Fuit equidem ista significatio exhibita beato Ioanni valde mirabilis, in qua multa reuelata sunt illi, quæ ante tam distincte non norat, & ideo miratus est valde: cuius admiratio ecclesię quoque admirationem pregeffit, in eo quod deus multipliciter sanctos affligi permittat ab improbis, velut preciosi non essent sancti apud illum, quum melior sit vnus timens deum, quàm impij mille, Eccl. 16. Veruntamen alto Dei, nobis que imperscrutabili iudicio id fit. In primis autem, quo patientia sanctorum innotescat, habeatque deus quod insigniter in illis coronet. Scientes, inquit Apostolus, quoniam tribulatio patientiā operatur, patientia autem probationem: probatio vero spem: spes autē non confundit. Ro. 5.

DE REVELATIONE MYSTERII MULIERIS, ET BESTIÆ SEPTEM CAPITA ET DECEM CORNYA HABENTIS.

Sect. 3. Punct. 1.



*E*t dixit mihi angelus. Quare miraris? ego dicam tibi mysterium mulieris, & bestia que portat eā, qua habet capita septem, & cornua decem. Admiratores secretorum Dei esse possumus, non indagatores: neq; enim mēs nostra vltra progreditur, nisi quatenus naturæ vis suppetit: quæ si cælesti virtute adiuetur, videt cælestia, contrēplatur spiritualia, delectatur & gaudet incōparabiles rerū eiusmodi spiritualium collectas sibi fore merces, quibus affatim præter summam delectationem ditari possit, & incedere splendide. Id quod in beato Ioanne impletum

fore sole præclarius cernimus, qui abductus spiritum in desertum, quum hæc & alia signorum admirabilia portenta mirabundus cerneret, secumque multa verteret, ab Angelo meruit plenius edoceri. Qui dulci admodum affatu primo causam quærit eius admirationis: & non expectato responso subdit promissionem expositionis. Ego (inquiens) dicam tibi mysterium huius mulieris, & Bestiæ. Bene autem de utroque meminit, eo quod utrumque miraretur, & mulierem & bestiam. Erant enim futurorum quedam effigies hæc: vt non posset sine admiratione respicere: causas & misteria primo quoque tempore desiderans pernoſcere. Nam quis mortalis homo cognouit absque reuelatore sensum domini? aut quis à cõsilijs eius fuit? Ro. 11. Altiora sunt dei consilia, quam vt quisquam speret naturali intelligentia assequi. Ac si diceret, dicam ego mysteriũ mulieris, dicam & bestię quæ portat illam; dicam quia non ociose neque ab re hæc exhibita sunt: dicam, quia in hoc missus sum: & tam dilucide narrabo, vt ea audiens, deinceps admirari desinas. Magno utique omnia hæc nostro documẽto, quatenus intellegamus mentem dei petendam esse ab aliquo institutore, potius quam à proprijs sensibus qui cæci sunt in nobis, Aegyptiacis tenebris inuoluti. Quid enim sensus nostri præstare nobis poterunt, præterquam quod habent? Quid habent? Ignorantiam habent, intelligentiam non habent: peccatum enim ignorantia quedam est, & caligo menti offusa. Accedat ergo doctor, accedat reuelator: illabatur spiritus dei cælitus, lumine cælesti collustret nos, vt pertingamus ad magnalia secreta dei: & intellegamus voluntatem eius, & sequamur: vt boni simus & perfecti in mandatis domini: repleamur bonis eius. Nam si quid boni perfectique erit in nobis, id non à nobis, sed à deo habemus. Quia omne optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum, id est scientiarum-intelligentiarumque: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio. Iaco. 1. Præstat ergo in deum indubitatumque rebus in incertis quæritare institutorem, cuius auspicijs ceterum docti bonarum rerum simus, ne in tantis rerum tenebris caecutientes simus, sed vt in die ambulemus. ☩ Pun. 2.

Bestia, quam vidisti, fuit & non est, & ascensura est de abyſſo, & in interitum ibit.

Bestiam pauloante diximus diabolom intelligi, in qua modo ipse antichristus homo diabolicus capitur, qui bestię nomine Dan. 7. describitur. Et vidi, quoniam interfecta esset bestia, & petisset corpus eius, & tradita esset igni ad comburendum. Quod ergo ibi bestia: hoc idem omnino hic est homo peccati belluino ritu seniturus: qui ob ferinos ac truculentos eius mores potius inter bestias ferasque, quam ciuiles homines connumeradus putatur. Thiconius refert ad omne corpus diaboli, quod decedentium, & succedentium per tempora generationum pro cursu suppleatur: de quibus Ioannes in priore epistola loquitur di. Sicut audiitis, quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi sunt cap. 2. Sed quid est id quod dicitur, bestia quam vidisti, fuit, & non est, &c. nisi hoc quia Antichristorum sauicia non diu sit duratura. Sicut enim diabolus fuit, quando pro libito solebat illudere hominibus, dum pro deo coleretur, cui templa aræque erigebantur, sacrificia quoque, & saltationes fiebant, & iam non est, id est, non colitur, & non est in memoria, expulsus enim est à simulachris templis, & aris, & ab vniuerso orbe, vt iam non ita illi sacrificia offerantur: non ita idola erigantur, quando nullus est Iupiter, nullus Saturnus, nullus Mars, nullus Vulcanus, nullus Faunus, nec Iuno vlla, nec Venus, nec Driades, nec Nymphae, nec ceterum vulgus falsissimorum deorum dearumque. Vbi enim terrarum Dei nomen solius resonat, appellatur, colitur, cui soli sacrificatur: licet non sine etiam id errore ab alijs, qui non sunt sacramentis fidei iniati: sunt vero sine Christo, & sine institutis euangelicis. Hoc est quod dominus magno spiritu aiebat, Ioan. 12. Iam princeps huius mundi eiicietur foras. Et, princeps huius mundi iam iudicatus est, Ioan. 16. Futurum tamen est, vt hic idem de impiorum cordibus aliquando per virtutem exeat, exalteturque in mirabilibus eius: quod sequentia indicat, Et ascensura est, inquit, de abyſſo. Abyſſum omnes ferme expostores ad impiorum profunda corda referunt: sed nec tum diu durabit homo impurus hic, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, vt Paulus testatur. 2.

Antichristus bestia.

Abyſſus impiorum corda.

Theff. 2. Et, Esa. 2. Quod pro magna credentium consolatione dicitur, vt si interim præmi eos contingat, ne statim despondeant animum: nec expostulent quasi derelicti sint à deo, qui vltra non curaret de eis. Non vtiq; propterea præmi sinuntur. Hoc certum tibi esse debet, deũ semper bona nostra curare, & facere omnia in vsum nostrum, etiam si quandoque carni aliter videatur. Cuius ratio semper bona est, & recta, & nec mala esse potest: qui vt summè bonus, non nisi bonum & vult & facit, neque enim à summè bono nisi bona proficiunt. *O Punc. 5.

Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vite à constitutione mundi, videntes bestiam, que erat & non est.

Mirari hic positũ est pro dolere: vt qui gauderent pro uectu, & omni felicitati Antichristi, per doctrinam eius decepti, & quique putarent eum perpetuo regnaturum, eo quod maius quiddam appareret in eo homine, ob admirabilem præsertim eius sermonem, cui similiter nemo loquutus sit, signa quoque ac prodigia mendacia: videntes subitum eius, & insignem interitum mirabuntur. Sed qui mirabuntur. Terram inhabitantes. Diximus non raro, per terram inhabitantes, terrenos debere in scriptura sacra intelligi: qui toto pectore incumbunt terræ, & felicitati eius applaudunt, quorum nomina non sunt scripta in libro vite. Nam & Deus Iesus quum ad sequelam sui diuitem hortaretur, & ille tristis discessisset, eo quod causa intercederet dimittendi bona, quæ amplissima possidebat, dixit: Difficile esse diuitem introire regnum dei: faciliusque esse camelum foramen acus angustissimum pertransire, quam eiusmodi diuitem asseri cælestibus. Difficile namque est tenere & non teneri, non mēte inharere: aut pliusquam interim seruire mammonæ quàm deo. Non solum autem hi per habitantes terrā intelliguntur, sed etiam alij, quomodocunque in cupiditate mundi ac carnis teneantur voluptatibus: eo quod mundus & caro simul hostes vitæ sunt, quæ est per gratiam: hostes legis dei, qua spiritualis est, immaculata, & septuplū terræ purgata. Hi mirabuntur, hi dolebunt interitum Antichristi: penisse videlicet spem suam: eo quod in illo habebant fiduciã. Mirabuntur ergo

Terre inhabitantes qui.

& dolebunt. Dolor iste & admiratio contra deum erunt, cui indignabuntur, quod spe eorum sic repente, sic misere frustrati sunt. Quorum nomina non sunt scripta in libro vite, à constitutione mundi: id est, quos Deus ipse Primus Maximus ad vitam secreto suo consilio non prædestinauit à constitutione mundi: tunc videlicet quādo mundum constituit, hominūque genus creauit: quando benedixit primis parētibus: quos deus in libro suo non scripsit, nec benedictione sua dignatus est. Potest & aliter enarrari locus: vt admiratio non de subito insignique interitu fiat Antichristi, magis quàm de ascensu: hic enim ascēderet cōtinuo & eleuabitur & extolleretur supra omne quod dicitur, aut quod colitur Deus: & ideo vidētes eum in signis & prodigijs, licet fallacibus, tum multis tum varijs, mirabuntur non inces terreni: nempe illi omnes, quorum causa vt nascerentur fuit peccatum præuagationis primotum parērum. Magnum mysterium, neque enim nati fuissent Antichristi filij perditionis, nisi præuagatus fuisset legē dei primus ille moralium parens Adam. Neque nascerentur: sed propter illius peccatum nascuntur omnes superstiti, dicente deo ad mulierem, Multiplicabo ærunnas tuas, & conceptus tuos. Gen. 3. Ecce in aperto scriptura ratio. Illi ergo mirabuntur magnitudinem bestie, id est, venerabuntur, & applaudent, qui peccati filij sunt & iræ: sed vanissimi: nam in interitum ibit, damnationemque æternam accipiet mercedem: tantum abest, vt cuiuspiam saluti esse possit, aut seruare quenquam in vita ipse breui periturus, vt sibi comperat titulus breuis dictionis, erat & non est. Erat in vita carnis, & iam non est in gloria, vel non est eo modo quo antea erat, sed est apud inferos æternis ignibus traditus. *O Punc. 4.

Et hic est sensus, qui habet sapientiam.

Hic, aduerbium est loci, non pronomen. Ac si dicat, In his quæ vidisti, & quæ dico, sensus latet multa sapientia plenus, quem nisi multa sapientia sit præditus, ac in scripturis sacris exercitus non assequetur. Nam sensus diuinus redundat per hæc scripturæ loca. Alia translatio habet. Et hic est mens quæ habet sapientiam. Sensus ergo pro mente ponitur, siue intellectus: rei.

Sapientis apprehensio habet sensum.

proinde plenum esse sapientia oportet, qui vult apprehendere sensum dei. Nemo enim carnalibus oculis poterit discernere sacra dei decreta. Verbum namque scripturæ sacræ ea explicat, in quibus in seuit decreta sua deus. Proinde hic, id est, in scriptura sacra, hac vel alia, est mens & sensus, qui plenus est sapientia. Hic discere quanta cura ac diligentia sit legēda scriptura sacra, ut sensum dei habeas, & sapientiam eius assequaris: quæ sola tibi vera beatitudo obtinget. Quærat mundus quæ sua sunt, evertat montes, venas scrutetur terræ, ut vnicūm frustulum radiantis metalli habeat, nummos stipet scriniis, vestium præciosa quæque ornamenta conquirit, sed nihil amplius beatus miserique sunt omnes, qui cupiditatis tyrannide tenentur, sola te sensus dei sapientia beat: hæc fidem dat, hæc semen benedictionum inducit, quo omnia frugifera tibi redduntur. Suavis est gustus spiritus eius, utilis est, salutaris ac beatificus. Non eque delectat hominem sapientem quicquam in orbe: quæ mestitudinem discutit à corde, diluit desperationem, consolatur. Dic mihi quid te magis erudiat in rebus ambiguis, quid magis in sp̄e meliōre prouocet, muniat, stabiliat, firmetque? Consecrauit Deus Ieremiā in aluo matris suæ. Esaię os igne purgauit: nō in aliud magis quàm ut digni sacrorū eius decretorū annunciatores fierent. Iam ante Ioannes propheta constituitur, quàm nascitur, & vberē spiritu matrem afflat, tota domus prophetiæ spiritu impletur: quōd verbum per ora prophetarum tot diffusum sermonibus in carne breuiatum, sed nihil virtute imminutum exhaustūve sanctam virgo mater introduxerit, reddiderit præsentē. Sinus virgineus pro scriptura erat, illum fidei indagine vniuersi exquirebant, repetebant eo quōd latitantem sensum dei, qui habet sapientiam, tenere eum videbant. Qui videbant: Elisabeth annosa femina, grandæuus pater Zacharias: ij videbant: qui à commonstrante spiritu tanquam vocem de excelso ita audirent. Hic est sensus, qui habet sapientiam. Ac si diceretur, Hic est mens dei, sapientia plena quæ est ipsissima dei sapientia. Sed videbant, & alij multi omnes qui ab initio illustrati dei spiritu erant, etiam qui virginem sacram oculis corporis non vidissent, mente autem sola complectebantur. Sed verbo sius forte hæc quam

*Sensus dei
querendus.*


quæ ut locus expostularet. mihi tamē in animus erat quis esset is sensus, qui ut hic, ita alibi quoque in scripturis sacris occuleretur ostendere. Neque enim alius quàm qui intra viscera virginea claudebatur, qui est sensus, & sapientia dei. 1. Cor. 1. cuius decreta hic in fossa recluduntur. Nisi plus velis sensum pro decretis dei in hac scriptura clausis capere.

✠ Punc. 5.

Septem capita, septem montes sunt super quos mulier sedet: & reges septē sunt. Quinque ceciderunt, vnus est: & alius nondum venit: & quum venerit, oportet illum breue tempus manere.

In vnaquaque specie genus ostendi testatur, Primasius & Haymo. Quod enim bestia, hoc septem montes, & septem capita sunt, septemque reges, id est, vniuersitas malorum, quæ in præpositis tanquam regibus constat. Reges enim tanquam præcellentes in plebe stant excelsi, qui velut fundamenta sunt meretricis magnæ, ciuitatis diaboli, quæ est congregatio reproborum. Dicit Berengandus, sicut apostoli dicuntur fundamenta ciuitatis dei: sic isti fundamenta ciuitatis diaboli. Nota septenario vniuersitas regum ac principum exprimitur: illorum videlicet, qui a tempore Adam vsque ad diluuium regnarunt, & a diluuiō vsque ad Abraham. Hunc qui ad Moysen. Deinde ad transmigrationem in Babylouem, postea ad Christum, qui tum iam iudicium suorum facinorum insigni clade sumplerat, vnusquisque suo tempore. Vnus autem quem sub euangelica lege ponit, adhuc supererat: per quem omnes tyranni eius temporis capiuntur persequentes ecclesiam. Et alius, utpote septimus nondū venit, scilicet Antichristus, quē breui regnaturū adfruit: tribus enim annis cum dimidio regnū eius durabit. Vnde persequitur: eius sicut futura est durissima, ita & breuissima. Sic stat sententia fati. Cuius causam exponit dominus in euangelio dicens, Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur, Matthe. 24. Sextum ergo tempus illud ecclesiæ breuissimum omnium erit, quod fiet gratia nostri: ut non electi atroci in certamine deficiat: non diu supra modum quassentur, eo quod preciosi sint apud deum super omnes D. Greg.

D d



*Bestia capi-
ta septē quid
sunt.*

sensus est. Quia & superbos & infirmos nos dominus conspiciat, dies quos singulariter malos intulit, miser corditer breuiatos dicit: vt & superbiam nostram terreat de aduersitate, & infirmitatem foueat de breuitate. Ruperus abbas (vt supra iam diximus) per bestia septem capita, septem regna mundi notissima debere intelligi adstruit quorum vnumquodque suo tempore, sicut sacra docent eloquia, cōtra regnum dei, id est, ecclesiam dimicauit, ciuesque eius varie afflixit. Primum regnum Aegyptiorum erat: quod miris modis filios Israel oppressit. Secundum Israelitarum carnalium in decem tribubus, quæ diuisa in proprium regnum, à Iuda & Benjamin erant, habētes regiam in Samaria, perpetuoque odio aduersus duas tribus flagrantēs: iustos viros dei & prophetas occidentes, Iezabele regina, vxore Achab autrice. Tertium Babyloniorū, quod iherusalē expugnauit, ignique succendit, populum abduxit, & omnia vasa eius dissipuit: tres quoque pueros præcellētes fide & pietate in deum in caminū ignis misit. Quartum, Persarum ac Medorum, quando odio Aman infolentissimo regis primare parum ab fuit, quin vniuersa Iudæorū gens in Mardochei iniuriā sit interfecta. Quintum Macedonum, per Antiochum Epiphane, sub quo & Machabei fratres martyrio sunt coronati. Sextum Romanum, quod totam Christi ecclesiam sanguine conserpsit: hoc est illud vnum, de quo hic dicitur quia vnus est: quum enim cætera iam dudum præterissent, iuxta temporum volubilitatem illud supererat, & atrociter ecclesiam dei lacerabat. Nam & ipsum Ioannem excoctum oleo in exilium iecit. Septimum Antichristi n: agni erit, quod nondum venit: quum autem venerit breui tempore durabit, propter electos vt seruentur. Ista sunt septem regna, quæ ob tumorem principum eorum, aduersus deum, montes sunt: ob feritatem capita: ob præcellentiam reges. Proinde quum dixisset: septem capita, septem montes sunt: perinde atque exponens quod dixerat, addidit: & septem reges sunt. Reges enim pro regnis æquipollentet, immo magis proprie posuit: quia non tam regna ac terrarū spacia, quam ipsi reges in crimine sunt, vt bestia capita dicantur. Et licet multi in singulis regnis per successione regnauerint, tamen quot regna sunt, tot reges

*Regna septē
montes capi-
ta & reges
sunt.*

aptissime posuit Quia non tam personas regnātes, quam regias potestates recenseri præfens causa efflagitat. Vnus est, & alius nō dum venit. Iam dictum est qualiter debeat intelligi. Etenim quando hæc videbar Ioannes, illa mundi arate, iam & ægyptius rex, qui filios Israel opprimebat: & Israeliticus Achab cum coniuge execrabili Iezabele quæ prophetas domini occidebat: & Babylonius ille rex abductor populi dei: & Persicus mala aduersus sanctum populum cogitans, & tristitia multa nimis implens: & Antiochus græcus director vasorum sacrorum, & minator improbilissimus, & afflictor infestissimus ceciderant. & bene ceciderant: Namque talia super singulos quosque iudicia cœlitus facta sunt: vt si euentus confyderes, f.teri non dubites propriissime dictum esse eos cecidisse. Rex enim ægyptius cum curribus, & equitibus cecidit in mare, & superinductis aquis absorptus interiit. Achab quoque cecidit in bello: & canes sanguinem eius iuxta vocem domini lixerunt. Iezabel quoque impiissima coniunx de fenestra deiecta, impietatis suæ pœnas crudelissime luit. Nabuchodonosor, à regno cecidit: & eiectus fœnum vt bos comedit. Aman cecidit quia ligno suspensus fuit. Cecidit & illustris ille Antiochus, qui à manu domini subito eum corripiente ac premente interne computruit, & de sella cadens miserabili morte vitam finiuit. Quam bene ergo quinque ceciderunt. Moraliter timenda est manus domini omnipio, eo quod minime sustineat diu regnare impietatem deus. Ecce tot sunt exempla vltionis dei, quorū narrata impietatis sunt regna: quorum mundana felicitate elati impij reges in atrocita facinora erumpentes: breui sceleris sui, crudelitatisque pœnas dedere. Dedit panas iam pridem Romanum illud superbissimum ac notæ crudelitatis imperium, quod vnus nomine designatur. Iulius cæsar primus, tribus & viginti vulneribus in senatu confossus est. Claudius ab vxore Agrippina veneno interficitur. Nero ob notissima eius flagicia, & in patriam crudelitate, hostis patriæ declaratus, quum in tyberim ex desperatione se præcipitaturus cucurrisset, reuocato impetu aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum delyderauit: &

*Neronis mi-
serabilis exitus.*

offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam, & Nomentanam, circa quartum miliarium, vt erat nudo pede tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit, adoperto capite, & ante faciem obfeso sudario, equum incendit, quatuor solis comitantibus: inter quos & Sporus erat: statimque tremore terræ, & fulgure aduerso pauefactus audiit ex proximis castris clamorem militum, & sibi aduersa, Galbæ vero prospera ominantium, & iam ex obuuiis viatoribus quendam dicentem, ij Nerone persequuntur, detecta facie agnitus est: & à quodam Milittio pretoriano salutatus, vt ad diuerticulum ventum est, dimissis equis, inter fruticeta, & vepres, per arundineti semitam egre, nec nisi strata sub pedibus veste, aduersus villæ parietem euasit. Ibi hortante Phaonte vt interim in specum egeste harenæ diuerteret, donec clandestinus ad villam introitus pararetur aquam ex subiecta lacuna potaturus manu haurit: Et hæc est, inquit, Neronis decocta. Deinde vultu sanctibus penula traiectos surculos rasi, ac quadrupes per angustias effossa cavernæ receptus in proximam cellam decubuit super lectum mollicella culcitra, veteri pallio strato instructum: fameque, & iterum siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus, aquæ tepidæ aliquantulum bibit, tunc vnoquoque instante vt quàm primum se impendentibus contumeliis eriperet, serobem coram fieri imperavit, componique simul, siqua inuenirentur frustra marmoris, & aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaveri. Atque identidem dictans, Qualis opifex pereo. Inter moras perlato à cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque se hostem à Senatu iudicatum, & quæri vt puniatur more maiorum. Interrogauitque, quale esset id genus panæ. & quum compersisset nudi hominis cervicem inferi furcæ: corpus virgis ad necem cædi: duos pugiones, quos secum tulerat arripuit, tentatque prius vtriusque acie caularus nondum adesse fatalem horam, atque modo Sporum hortabatur, vt lametari ac plangere inciperet, modo orabat vt se aliquis ad mortem capefendam iuaret. Interdum segni-
ciam suam his verbis increpabat. Viuo deformiter turpiterque. Iam milites appropinquabant, quibus præceptum

erat, vt viuum attraherent: quod vt sensit ferram iugulo adegit, & sic propria manu mortem sibi consciscens occubuit, qui antea Petrum crucifixit, Paulum securi percussit: multa quoque millia Christianorum inhumanissime peremit: perijt trigesimo & secundo ætatis anno, in quo familia cæsarum defecit: vt alij post ipsum Imperatores potius quàm cæsares dicerentur. Galba huius successor in foro, quum illuc processisset, interfectus est. Othio à Vitellio fraude superatus, apud Bebryacum circa Placentiam seipsum interemit. Vitellius & ipse imperator religatus post terga manibus, iniecto cervici laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est, inter magna rerum verborumque ludibria, per torum viæ sacræ spacium, reducta coma à capite, ceu noxij solent: atque etiam mento mucrone gladij subiecto, vt visendam præberet faciem nec summitteret, quibusdam stercore & cæno incessentibus, tandem minutissimis ictibus excarnificatus est: & inde vnco in tyberim tractus, cum fratre & filio necatis. Domitianus item ne de Vespasiano commemorem, & Tito: septem vulneribus confectus perijt. Vtque alios quoque intermittam, Commodus imperator, Antonini filius, annis duo de viginti Romano imperio infelicissime incubans, cruenta & ipse morte animam fudit. Helius pertinax, ob auariciæ opinionem, secundo imperij mense non satis expleto, à militibus interfectus est. Iulianus Didius Mediolanensis auariciæ & renacitatis infamia, post quintam diem, & secundum imperij mensem autoritate senatus priuatum, populus in palatio occidit. Bassianum Seueri filium, cui Antonio caracalle nomen fuit, sexto imperij anno nondum satis fuito, apud Carras Mesopotamiæ milites occidere. Qui cædis suæ authorem Macrinum habuit successorum, virum non magis origine sordidissimum, quàm flagitijs omnibus inquinatissimum obrutumque: quem apud Antiochiam anno imperij vix dum exacto, Hellogabalus interfici curauit. Alexander assyrijs parentibus Romæ matre genitus christiana: rarissime probitatis princeps, tertio decimo imperij anno, in Gallijs à sceleratissimis militibus Maximini Thracis instigatione obruncatus est. Is quoque Maximinus vtroque parente

Galbæ interitus.

Othonis.

Vitellij.

Domitiani mors.

barbaro apud barbaros natus, & ad pubertatis annos nutritus: quum tribus annis vna cum filio suo imperasset, apud Aquileiam simul cum eodem occisus est. Tres eo deturbando imperij turbine imperatores senatus declarauerat, quorum duo Pupienus & Albinus, post secundum principatus annum à militibus iugulati sunt. tertius Gordianus scilicet post sex & ipse annos necatus. Philippus exinde Arabs, cuius dolo Gordianus ille occubuerat imperium adeptus, Philippum filium consortem principatus assumpsit, primus Romanorum principum Christianus (vt Blondus Flavius est author) quem Decij Pannonij Budalij per fida conciti milites primo, & paulo post filium, ad anni septimi eorum imperij finem occiderunt. Decius & ipse cum filio Cæsare declarato ad tertij, quo imperauerat, anni finem, dum contra Aemilianum in Mœsia regione Scythis contermina, parat exercitum, à barbaris occisus est. Ne Gallum hostilianum imperij huius successorem memorem: qui Volusianum filium consortem imperij habuit, cum quo secundo imperij anno peste suorum temporum apud Meuaniam urbem interiit. Valerianus inde vir nobilitate, doctrina, & eloquentia clarus, summo senatus, populique Romani consensu Cæsar augustus primus omnium principum declaratus, à Sapore Persarum rege, sexto imperij anno captus, & catena tamquam canis ligatus, quacumque barbarus rex iter faceret, illum in equum ascensurum humeris sustentabat. Omitto Galicenum huius filium, qui annis vndecim & viuo & mortuo patre Romanum fedauit imperium. omitto & Calliculam, & Claudium eius nominis secundum, qui omnes vita infelicissima mortui sunt. Venio post alios ad Diocletianū notissimæ crudelitatis hominem Dalmatam, qui multis diffidiis in imperio subortis, Maximianum Cæsarem imperij confortem declarauit: alioque subinde adiutores comparaturus, Galerium, & Constantiam comitem qui Constantinum magnum genuit, Cæsares fecit: qui deinde vita priuata veneno interiit. Constantius comes Eutropio patre è Galliis oriundo, & Gallienus cæsares primo simul, deinde imperium inter sese pariter sunt: Galliamque & Hispaniam Constantius perhumane quum ad-

ministraret, Constantinum magnum ex Helena in Britannia filium suscepit: vbi anno principatus tercio decimo obiit: post quem quum Galerius imperium solus, annis duobus administrasset: valerudinis, in quam inciderat, impatiens manu sibi mortem consciiuit. Constantinus ad hunc sequitur princeps insignis, qui Christi fide susceptum triumphum ecclesiæ latissime dedit. Sic ergo moēs, qui vnus tempore quo hæc scriberet Ioannes, supererat, mole sua obrutus perit, vt nec facies amplius super sit illi: alius autem nondum venit, qui est octauus mons, id est, eminens princeps, persequutor ecclesiæ, nondum venit. ipse est Antichristus, qui breui tempore regnabit.

✽ Punct. 6.

Et bestia, quæ erat, & non est: & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.

Palam est ex supradictis quæ sit hæc bestia, quæ & septima est, & octaua. Antichristus quippe, vnum, & idem bestia caput, & octauum est, & septimum. Non enim in septimum caput vnus, sed duo computatur. In quantum homo de septem regibus erit genus ac naturam ducens eorum: nõ quod à regia progenie sit propagandus, quum de Iudæis nasciturus sit, à Dan, vt diximus: sed quia communem cæteris habebit naturam, id est, homo erit: nec solum homo, sed diabolicus homo: ergo in quantum diabolus, qui eum interne obfidebit, caput octauum bestie, id est, princeps vniuersitatis reproborum dicitur, qui antequam ingrediatur hominem iam in celo aduersus Deum se extulit metem, manus caputque mouit: Et sic in interitum vadit, nihil conatu contra Deum proficiente, qui per se octauus erit rex in diabolo octauus, & damnatus, qui antequam nascatur, iam reprobatus est, sicut & de Esau dicitur, Esau autem odio habui. Gen. 25. Et ad Pharaonem dictum est à domino Deo. Quia in hoc ipsum excitavi te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Idem erit de Antichristo homine perditio: quæ in hoc excitaturus est dñs, vt ostendat potentiam suam in eo: & alij sentiant quantum ludificabuntur, qui ei ad hæresim sunt, qui nunquam Deum ex corde dilexerunt. Nos oremus dominum Iesum, & patrem eius, vt dignetur, nõ ex nostris meritis, sed ex sua magna misericordia nobis misereri,

D d iij

Antichristus octauum est bestia caput, & octauum est, & septimum.

Antichristus antequam nascatur reprobatus erit.

yt non det nos in perditionem, sed secundum multitudinem miserationum suarum saluet nos pro gloria sua. Amen.

Et decem cornua qua vidisti decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tãquam reges vna hora accipient cum bestia.

Nō parua difficultas est in numerorum varietate componenda. Septem enim reges paulo antè dixit, & modo decem dicit. Num diuersi ij sunt ab illis? Quod in parte videtur, præsertim quum planam differentiam ostendat textus. Illorum namque quinque cecidisse adstruxit, hos autem nondum regnum accepisse testatur, accepturos autem cum bestia. Sed si alij sunt, qui sint non est promptum respondere. Quis enim nouit secretum Dei consilium? Proinde varie expositores ponunt. Referam sententias. Haymo putat Antichristi temporibus decem regna futura in terra, sicut liber Danielis prophetæ testatur: sed sicut idem Daniel dicit, quartum regnum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis: & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt, è quibus ille tres interficiet, regē videlicet Ægypti, regem Æthiopiæ, & Æthiopiæ, ceteri autem subdent se illi. Dionys. Carth. Dicit aliqui quòd regnum Romanum circa Antichristi tempus diuidetur in decem regna, quorum reges adherēbunt Antichristo, sicut capiti cornua, & per illos impugnabit ecclesiam. Securius tamen, inquit, videtur dicendum, quòd per denarium vniuersitas insinuat, ita vt per decem reges intelligātur omnes reges, qui Antichristo tunc acquiescent, qui nondum regnum sortiti sunt, quia nec nati sunt: sed tempore illo vna hora, id est, modico tempore potestatem accipient: sicut nec Antichristus diu regnabit. Accipient autem tanquam reges, quia præsentia eorum tam breuis & impia erit, vt potius dicatur apparatus, quàm veritas regni potestatis. Primasio placet, sæculi omne regnum per hosce reges designari. Nos vero vbique ex serie factarum scripturarum per reges hos, & regna, accepimus illa decantatissima regna, quæ contra ecclesiam Dei vnquam belligerant, illorum quoque reges. Nanque (vt diximus) et si septem re-

Romanum regnum in x. regna diuidetur.

gna ab initio eiusmodi numerentur: tamen quia regnum Macedonum, post Alexandri magni interitum, in quatuor regna, ac totidem reges fuit diuisum, quorū singuli quique diademata sibi imposuere (Dan. 2.) fiet vt decem sint reges & regna. Sed scrupulus inest, quia antea dixit, Et reges septem sunt. nunc vero decem commemorat. Vtique veritas habet, & septē esse, & decem. Quia enim tres ex successibus Alexandri nihil aduersus populum Dei fecisse leguntur: nec in numerū impietatis recipiuntur. Solus quartus, qui Syriam tenuit inter impios rectius computatur, quòd hic infestior fuit. Quia ita regnū accepturi vna hora, id est, simul cū Antichristo dicitur: quòd omnium horum impietates in se recapitulaturus sit, per vniuersos reges ac principes suos ecclesiam Dei persequedo, tam pertinaciter, vt nihil illi priores respectu eius fecisse videatur, tanquā nōdum regnum accepissent: quòdque accepturi essent in Antichristo, renouata in illo omniū immanium regū, ac regnorū crudelitate. Quod vero supra iam quinq; cecidisse dixit, nihil refert: dixit enim hoc ad maiorem figuræ expressionem, quo facilius clariūsq; mysterium exprimeretur: quòd tempore huius reuelationis iam quinque illorum regum regnorūque persequutio desisset, & quòd Romanum solum superesset, quòd tum vastaret ecclesias.

¶ Punct. 8.

Hi vnum consilium habent: & virtutem, & potestatem suam bestia tradent. ij. cum agno purgabunt: & agnus vincet illos, quoniā dominus dominorum est, & rex regum: & qui cum illo sunt vocati, & electi, & fideles.

Hoc est quod dico, quia in se recapitulaturus sit homo ille peccati regum crudelitates omniū, quicunque persequuti sunt ab initio ecclesiæ Dei. In eo enim quod dicitur. ij. vnum consilium habent: & virtutē deniq; & potestatem suam tradent bestia: clarū est ita verissime coniectare altiore speculationis intelligentia, quàm vt tumultuaria lectione apprehendatur. tanquam vltro per manus crudelitatis suæ cum omni consilio, virtute, ac potētia illi tradituri sint, quorū vnū erat consiliū, licet diuersis temporibus, perdendi ecclesiæ Dei, in virtute magna & potestate, prout quisque eorum poterat, iuxta tempus suū & affligebāt populū Dei: fiet equidem & hoc, vt omnes re-

*Antichristi
conuersatio.*

ges ac principes Antichristi vnū habeant cōsiliū in id facinus: virtutēq; ac potestates dēt in manus Antichristi facere quod voler. In summa. In fine quum Antichristus regnare cōperit, reges illi adhærebunt, & regna, & ipse magna astutia se in medio eorum geret: à quibus amabitur, & honorabitur quasi deus, & ille superbia nimia euetus diuinum non recusabit honorem, & se supra omne quod dicitur Deus eleuabit ac statuet: ad quem attendēt vniuersi, & sic pari consensu ac virtute, ac potestate pugnabunt, tradētes se in vniuersum illi, vt compleant iniquitatem totius orbis. suppleantq; quod minus erat crudelitatis in seruos dēt ab olim exercitum. Hoc autem est tradere virtutem & potestatem bestię, quod militare illi ad libitum. Militabunt ergo reges terrę illi bestię, ac seruient, se in vniuersum submittentēs illi, & placitum eius facientes. Iam diximus decem reges typum esse omnium qui cum magno Antichristo regnabūt, qui habebūt vnū cōsensum, & consiliū, sedere perpetuo: & cum hoc quicquid habebunt virium, ac potestatis, hoc totum pro corroborandis ipsius bestię insaniis voluntarie impendent: & pari animo cum bestia aduersus agnum decernent pugnabūtque. Sed quo exitu? Qua fortuna? certe inauspicatissima, & satis infœlici. Nam agnus quum sit potestate præpollēs, vincet eos, sicut vicit omnia prædicta regna, regēsq; regnorum, quorum posteritas hi erunt. Namque regem Ægypti per immolationem agni vicit, in quo figurari se voluit: & persecutus est eū, & misit in mare. Vicit & carnales Israëlitas Achab, Iezabélque. Vicit Babylonios, Nabuchodonosorem eiiciendo, Vicit Persas, Medosque, Aman suspendendo, Vicit & Græcos Macedones, Antiochum perimendo, Romanos quoque, varie eius tyrannos principes dispendendo, & imperiū christiano iugo subiiciendo. Victurus haud dubie & magnū Antichristū, quem iuxta pphera vaticiniū interfecturus est spiritu oris sui. Esa. 11. vt semper victor Agnus inuictissimus exultat: qui sub pedes suos prouoluturus est omnia, subiecturusque sibi, vt omnium dominetur. Et hoc ideo, quia dominorum dominus, regnūq; est rex. Vincēt in hoc agno, & hi, qui cum illo sunt vocati electi, & fideles: sed victoriam (vt par est) agno tribuent: cuius

*Christi potestas
super omnia regna.*

Agni victoria.

virtute sunt victuri: sine cuius virtute nemo quicquā efficiet. Proinde Paulus quū plus oibus se laborasse diceret: gloriacionis finē reuertit in gratiā eius, dicens, Non ego, sed gratia Dei mecū. 1. Cor. 16. Et iterum Gratia Dei sum id quod sum. Porro, tria nomina ponit, Vocati, electi, fideles. De primo Rom. 8. Quos vocauit, illos & iustificauit. De secundo, Elegit nos autē mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, Eph. 1. Vocati autē & iustificati & electi ipsi sunt vere fideles Quia videlicet electorū, siue prædestinatorū atque vocatorum iustitia, vel iustificatio fides est. Vnde idem Apostolus post multa veritatis argumēta dicit. Iustificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum, per dominum nostrum Iesum Christum. Et hi omnes, quos tot ac tantis nominibus non potest explicare sanctus Apostolus pro dignitate, hoc loci dicitur pugnare & vincere virtute agni, qui dicit, Confidite, quia ego vici mundum. Victores ergo sumus in Christo, in quo solo vincemus mundū, carnem, peccatū, infernum & diabolū, & omnes aduersarias potestates, Ioan. 16.

¶ Punct. 9.

Et dixit mihi. Aqua quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & turba, & gentes, & lingua.

Quod angelus, qui fallere nescit, per se exponit: hoc in aliud detorqueere nō audemus. Sufficiat quod dicit, Aquę populi sunt. Merito autē aquarum nomine populus designatur, quod mortales sint, & instabiles: quodque perpetuo cursu ad interitum suis vitiis defluant, quibus talis regina insidet, ac præsidet. Quod vero differētia tali eos nominet, vt populos, turbas, gentes, & linguas dicat: nullam nationem excludit, ne Israëliticam quidem, quæ, Num. 27. populus dicitur: eadem & barbarum nomine saepe in Euāgeliis designatur, Matth. 21. 26. Luc. 11. Gentium ac linguarum nomine cæterę nationes designantur. Et quis non videat super Iudaicum populum, vt super alias perfidas nationes purpuratā sedere meretricem? qui relicto vero deo cupiditatibus istius mūdi inseruiūt, & fornicat: cuius gratia ab olim prophetas & sanctos, & ipsum sanctum sanctorum occiderunt: qui connumerati sunt ob partidalem animum iam pridem cum gentibus. Porro in linguis potest fore aliquid mysterij:

Aquarum nomine populi describuntur.

*Lingua lo-
quacitatem
exhibet.*

quia videlicet superba loquacitas meretricis huius magne commeruit, vt in ipso adhuc pueritiæ suæ, siue petulantis adolescentiæ æuo veritas linguæ vsualis in tot varietates scinderetur. Scriptum est enim, quia quum turris Babel superba hominum proteruita in caelum vsque educi tentaretur (à cuius nomine meretrix ista Babylon dicitur) indignatus Deus confudit linguam eorum: vt vna, quæ erat in orbe, in multas, & eas longe ab sese diuersissimas dissiliret, vt non à altera altera suffragaretur, magna confusiois nube subsequente: Ideoque confusio rectè Babylon dicitur. Confudit quippe noticiam sermonis in hominibus, vt confusi ab instituto opere desisterent: atque sic ab inuicem irati discederēt, qui superba molimina aduersus deum tentarent. Hæc sunt meretricis insanæ preconiæ, hæc adherentium laudes, quibus ipsa insidet, imperitatq; qui non aliud sunt quàm aquæ languidæ, fluentes ac frigentes: quorum libido continuo fluore manat, ac friget, recedente semper spiritus sancti igne ab eis, quæ accendi vult christus in suis, dicens, Ignem veni mittere in terras: & quid volo nisi vt accendantur, ardeatque: Acceditur dum peccatis renūciatur, id est, dum meretricis huius à corpore seiugatur. Ardet dum puritati & bonis operibus studetur. Hæc enim duo cuique salutem desideranti in primis sunt necessaria, videlicet, renūciare peccatis: ac deinde insistere operibus bonis, dicente propheta regio, Declina à malo, & fac bonum. Psal. 36. Declinat, qui renūciat, reclamat & malum contemnit: in quem modum seiugatur à corpore quisque, à corpore meretricis huius. Non asseritur corpori christi, nisi qui perfecte sit seiugatus à corpore meretricis huius: nec seiugari poterit, nisi mali contemptu ac reclamazione. Sicut nec amatur iustitia, aut virtus vlla, nisi contemptu iniquitatis, & peccati abominatione, quod non efficiet natura: cuius lex quum sit carni immerla in concupiscentiis eius, non amat nisi carnalia, & quæ legi Dei sunt contraria. Gratia opus id solum est, quæ legi Dei est coniuncta. Gratia ergo asseritur corpori christi, cuius est repurgare asserereque: quatenus intelligeres per omnem modum gratia tibi opus esse, qua libereris ab hac peste & interitu eius, nec humanis viribus fidere quicquam, quæ parum aut nihil omni-

*Gratia legi
dei coniuncta
est.*

no, suis proderunt assultibus priuatæ gratia.

*o Punctus 10.

Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, odient meretricem, & desolatam facient illam, & nudam: & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.

Prophetat quod hi populi, qui sunt reproborum corpus, in vna bestia figurati, cum eorum regibus, odio insectabuntur meretricem Babylonem, matrem fornicationum, & abominationū terræ. Quo vero id pacto & modo fiat facile est coniectare si præcedentia cum sequentibus componantur: maxime autem ex domini oraculis, qui multa de futuris bellorum tumultibus prædixit: passioni proximus. Sic enim Matth. 24. loquitur dicens. Audituri estis prælia, & opiniones præliorum. Item. Consurger gens in gentem, & regnum aduersus regnum, & erunt pestilentia, & fames, & terræ motus per loca. Subiūxit, Hæc autem initia sunt dolorum. Rursum quoque ait. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem, & multi pseudoprophetae surgent, & seducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sequitur. Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Postremo. Erit, inquit, tunc tribulatio magna, qualis nõ fuit ab initio mundi vsque modo, &c. Est locus apud Danielem prophetam in calce cap. 9. ad quem direxit dominus hoc sermone, ita digestus. Consummabit pactum multis hebdomade vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Denique meminerimus dictorum in præcedentibus conferentes sequentia, quia vtrobique bella acerrima canuntur, quæ fient ab pietatis hostibus, præsertim ob terrenam cupiditatem: qui dum se mutuo diripiunt, spoliant, extirpant, necant: quasi meretricem, quæ alias mundi appellacione solet designari insectantur: reddunt desolatam, & nudam, cuius carnes vorabunt. Quod ad exprimentam sane odij magnitudinem, quo inuicem deflagrabit dicitur. Est enim hyperbolicos in metaphora. Sectabuntur. Et igni vastabunt eam: quasi nihil eorum omis-

ri quæctique suggererit impius eorum animus, ipsi æternis ignibus mox concremandi. In summa mundana cupiditatis corruales vniuersi in capite antichristo insurgent aduersus meretricem publicam quando omnia quæ mundi sunt vastabunt, ponentes in desolationem, quo magis placeant illi bestia, cui manus dedere: vt quod per cupiditatem vbique erat partum manducent, & consumant: quod est carnes meretricis deuorare. Tripliciter Haymo episcopus locum scripturæ huius expendit. Primum, quia dum, inquit, reprobi mala opera faciunt, seipsos odiant. Quia scriptum est. Qui diligit iniquitatem odit animam suam, quia vnde reprobi se amant, voluntates sequendo, inde odisse se conuincuntur. Quisquis enim diligit iniquitatem, odit animam suam: quonia male amando animam suam odit iustitiam, & ideo aptat animam suam ad suscipiendam futuræ famis miseriam. Secundo, Reges & bestia odient fornicariã: quoniam amatores huius seculi odio se inuicem persequuntur: quia si quis alium videret ad altiora ascendere quo ipse non potest, odio illum insequitur: quoniam semper inter superbos iurgia sunt. Hic Paulus apostolus dicit, inuicem inuidentes, inuicem odientes. Tertio. Certe quum viderint se miseri in iudicio constitutos, & damnatos, odient seipsos quod peccauerunt, & post peccatum penitentiam non egerunt: sed nihil proderit tunc odisse malum quod fecerunt, quando ipso malo carere non poterunt. Ideo decem cornua odio meretricem insectabuntur: & desertam, & nudam illam facient: quia corruptiones carnalium desideriorum, quas nunc velut ipsam diligunt, eis in odium vertuntur, quæ circa finem inuitabili iudicio dånandos agnouerint, manifestamque agni victoriam viderint, prout Primasio placet. Est denique desolatam in hanc sententiã eam facere, seipsos gratia & virtutibus priuare, hoc est, sine Deo esse: sicut & in Ieremia legis. Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? Ad idem nuditas quoque refertur: quamuis principaliter spectet ad priuationem innocentie baptismalis: quia priuati sunt omnes, quotquot non sunt sacramentis baptismatis fideique initiati: sicut Iudæi, paganique, falsi etiamnum Christiani, qui etsi habere fidei vestimenta videantur, reuera tamen non habent, & nudi apparebunt in

iudicio, qui eam male viuendo amiserunt. Patiter ergo iij cum illis nudi reperientur, quia reproborum corpus ex apertis infidelibus, & falsis fratribus conflatur, qui carnes suas comanducabunt, quia poenis pascuntur æternis: quos & viuacissimi abrodent vermes, vt Esaias habet cap. vlti. Manducabunt ergo carnes suas non propriis sed alienis dentibus, non dubium quin vermium immortalium, quos ipsi ad deuorandum suis irritauere peccatis. Adhæc igni meretricem concubabunt, quia seipsos, quorum vniuersalis congregatio meretricis appellatione figurata est, ignium flammis infernalibus, suis commertis donabunt, quibus perpetuo exurentur. Veniet hæc omnia super generationem istam malorum, quibus terrendo iudicio se suamque gratiam negabit Christus, qui faciunt voluntatem bestia: Antichristi, dabuntque regnum suum illi, siue reges terreni sunt, siue alij de reproborum congerie, qui super se regnare permittunt, siue pro tempore isto, siue pro futuro: eo quod æque omnes ad illum pertineant (vt diximus) quotquot ab initio fuerunt reprobi, eruntque vsque in finem, quorum ipse caput existit, superans omnes malicia, & iniquitate. Sic ergo descriptum est infortunium, & infelicitas meretricis infamis, quæ omnes in primis suis ornatibus, & pulchritudine laruata ad sese pellicebat quæ in odium veniet in finem, & desolationem, & ignem.

✽ Punctus II.

Deus enim dedit in cordibus eorum, vt faciant quod placitum est illi, vt vnam faciant voluntatem, vtque dent regnum bestie, donec consummentur verba Dei.

Sape Deus omnipotens iratus pro præcedentibus hominum commertis, permittit malos facere, vnde illum amplius offendant. Hinc de quibusdam veritatem non recipientibus dicitur, Propter hoc tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. Hinc etiam dicitur indurasse cor Pharaonis, quod non merebatur emolliri. Dedit ergo deus in cordibus reproborum, ob commerta præcedentia, vt faciãt quod illi sit placitum: coniungatur voluntate bestia: sic vt bestia ex eis cõsarciat sibi regnum, donec prophetia impleatur de oibus quando finem habebunt & bestia, & regnum eius iuxta principatum mundi huius. Hinc habes quod foedus regum, etiam

Reproborum corpus ex quibus sit.

*Deū dare in
cordibus ut
faciūt mala.*

*De cor Pha-
raonis indu-
rauit.*

iuxta literam cum bestia, Dei fiet consilio: neque in hoc arguitur Deus author mali, quod det in corda reproborum, ut faciant malum, aut quod ipsi sint mali: non vique: sed causa stat penes reprobos quod sint mali, & faciant mala. Nam Deus, ut per se bonus, fecit quæ voluit bona, & faciet adhuc regnis & regibus: reprobi autem etiam ex bono creato per occasionem redduntur mali. Ostendam per exemplum. Prospera olim fecerat deus Babylonius ut valentiores essent cæteris gentibus: sed hi vni sunt hac eorum fortitudine contra dominum, ut vexaret populum eius, quando interim permisit deus id mali fieri, ut à malis corrigeretur populus eius, & ut fides ac constantia in illis fieret manifesta. Simili sensu Pharaonis cor indurasse dicitur, non quia ipse Pharaonis cor indurauisset ac sic in odium aegyptios conuertisset, ut execrarentur populum suum: sed occasione accepta ex Dei prouisione, qua prosperabat populum Israel, ipsi causa suæ indurationis odique erant & Pharaon & aegyptij. Videntes namque hi Dei beneficia circa sanctum populum inuidebant: & acerrimo contra illos odio saeuiebant. Ideo quum dicitur, Ego indurabo cor Pharaonis, perinde est, ac si diceretur, Ego Pharaone, & seruis eius: qui quum inuidi sint, hoc illis ad nihil aliud valebit, nisi ut odio maiori contra eos excitentur indurenturque. Iam vides qua sententia dicar apud Paulum scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitauit te, ostendam in te virtutem meam: & ut annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Ro. 9. Exod. 9. & .33. Excitauit quippe Deus bonus Pharaonem bona populo suo exhibendo, vnde irritatus ille pro malignitate sua, more inuidorum, de quibus iactatur illud. Inuidus alterius marcescit rebus optimis. Cor sibi indurauit, ut odiret populum tam felicem, cui palam faueret Deus, & persequeretur illum. Sed confectarie Deus ob eius pertinaciam atque manifestam aduersus Deum rebellionem ostendit virtutem prodigiorum suorum in illo: vnde annunciatum est nomen eius in vniuersa terra. Non ergo causaliter (ut vocant) excitauit, sicut nec causaliter cor illius indurauit, sed occasionem, nec ea intentione ut malignus ille excitaretur, aut induresceret, sed bene faciendi pro beneplacito suo populo præstando: Quæ

in

in modum dar Deus reprobis in corda ut mali sint, & ut faciant mala: quod ij illius bonis abutantur proficiantque in peius. Item deus licet non sit author mali culpæ, est tamē author mali pœnæ: & ideo quod iradit aliquo: etiam in reprobum sensum, ut faciant mala, facit ad pœnam eorum, offensus præcedentibus eorum peccatis. Denique, quid, illi, pronomen videlicet referat? deum, an bestiam? forsitan, tibi deum potius videtur referre: quia dicitur, Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi. Sed absit hoc, ut ad deum referatur. Dicitum est enim paulo superius. Et decem cornua quæ vidisti, & bestia, hi odient meretricem: & deinde quum dixisset, ut faciant quod illi placitum est, addidit, ut dent regnum suum bestia: ergo indubie fatendum est, bestiam potius referre quam Deum: hoc sensu. Ut faciāt quod illi bestia placitum est: & ita dent regnum suū bestie. Dent, id est, sua ope ac viribus parent regnum in seipsis alii: que faciendo voluntatē eius, quæ semper aduersatur sancto Dei proposito. Quid enim illi faciunt nisi peccatum? & in peccato parant regnum eius. Potro consummari verba Dei, est adimpleri: ut scilicet ea quæ Deus dixit per sanctos suos prophetas impleantur: & necesse est impleri omnia quæ scripta sunt, de ciuitate Dei & diaboli.

✽ Punctus 12.

Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

Breui recapitulatione renouat quod superius dixit, Vel quod in ipsa mulieris fronte scriptum dixit, Babilō magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. Porro quod illic dixerat, Cum qua fornicati sunt reges terræ: hic parum demutat dicendo, Quæ habet regnum super reges terræ, id est, dominatur imperitatque illis. Et quidem multum dictum est illic ad significandam ignominiam regum terræ: sed multo amplius hoc valet ad inuendam seruilem iustitiam regum terræ, quum dicitur, Quæ habet regnū super reges terræ. Quum enim reges terræ supini incedunt, & sese liberos fore confidunt, attamen regnū super se habere comprobantur, & hoc infamant.

Et

me ac sordidum, quod vile scortum tenet: mulier enim meretrix super eos regna, hæc eorum ceruicibus infidet ambitiosa cupiditate mundi. Fallitur ergo qui se liberos autumant, dum sedis cupiditatibus inserviunt, meretricium omnino super se portantes iugum: tot vinculis irretiti, quot vitis obnoxij. Serua nos domine Deus ab scruissima seruitute, & iugo grauissimo: quod nemo sine gemitu tulit: nemo sine periculo expertus est, tuæ potius nos libertati asserere, qua peccatis liberi tibi viuamus, tibi seruiamus puri immunisque, cui seruire regnare est: immo honor & gloria: quatenus tandem tibi coniuncti in gloria tecum æterno lætemur aspectu mestitudine carentes. Tu enim es dominator cæli, rex regum terra, gloria, decus, & ornamentum nostrum, Amē.

CAPVT. XVIII.

*ODE PRÆNUNCIATIONE CA-
SVS BABYLONIS IN ANTICHRISTO
CAPITE.

Sect. I. Punct. I.

Et post hæc vidi alium angelum descendentem de celo habentem potestatem magnam: Et terra illuminata est gloria eius.

In hac visione Ioanni apparuit angelus præpotens, ac splendidus, cuius corusco illustratus fuit orbis, qui casum Babylonis magnæ prænu-
ciauit, cuius damnationis causas prior ille angelus indicarat: qui bene alius à priore dicitur, quia videlicet alium (vt mea fert opinio) verbi Dei ministrorum ordinem exhibet, qui maiore spiritu ac luce sub hoc tempus Christi euangelium mundique casum annu-
ciabunt. Alij christum intelligunt, qui supra, cap. 7. angelus signum Dei viui habens fuit: quem etiam angelus nube reclus cap. 10 expressit, qui è celis per humilitatem descendit, formam serui accipiens, quando in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus est vt homo, Phil. 2. qui etiam exeruit potestatem suam magnam in mundi inno-
uatione, à quo

vniversus orbis illuminatus est, vbi à mortuis resurrexit in gloria patris sui, qui resuscitauit eum ad vitam immortalem, vt ultra non moreretur, esset autem vita omnibus, sine exceptione qui credunt in illum, quod est terram illuminatam esse à gloria eius. Bene autem descendentem eum vidit, per respectum ad luciferum quem non descendisse, sed cecidisse alia scriptura dicit. Esa. 14. quomodo cecidisti lucifer, &c. Qui bene angeli vocabulo designatur, est enim nuncius paternæ voluntatis, & qui vitam suis annunciauit æternam. At, quomodo è cælis descendisse dicatur, quum filius Dei in diuinitatis substantia cum patre & spiritu sancto vnus omnino deus sit, & vbique sit: iuxta quod per prophetam dicit, Cælum & terram ego impleo. Et iterum, Extra cælum & terram locus non est vbi non sit dominus. Sed utique è cælis descendit: non quia de loco ad locum transmigrarit, sed quia in vtero virginali animam suscepit & carnem, vt posset videri in nostra natura, qui inuisibilis erat in sua. Descensio ergo illius nihil est aliud quàm carnis assumptio, de quo Paulus dixit, Qui quum in forma dei esset, humiliavit semetipsum, formam serui accipiens, &c. Et hic habet potestatem magnam. Vnde habet potestatem magnam? Vel quomodo habet potestatem magnam? Respondetur, primo habet potestatem magnam à se, secundum quod Deus idem cum patre, etiam si originaliter à patre, à quo æternaliter processit. Deinde habet à patre secundum quod homo, iuxta donationem eius in tempore: sicut dicit, Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra. Et iterum, Omnia tradita sunt mihi à patre meo. Rursum quoque, Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioannis sexto. Item. Neque pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Recte ergo habere potestatem magnam dicitur, videlicet potestatem iudicium faciendi, quod presenti loco maxime congruit, id est, ad eam quæ hic ostenditur meretricis condemnationem: quæ à nullo alio, quàm ab eo condemnari possit, vt pote pollens gloria ac potentia, sicut præscriptum est de ea. Et vide aptam dispositionem verborum quadrantem ad sententiæ veritatem. Postquam enim dixit descendisse eum de

caelo cum potestate magna, continuo terram clarificatam à gloria vultus eius subiecit: quia videlicet incarnato domino, per veritatem sermonis eius, fidei ac miraculorum claritate, terrena populi corda fuere illustrata. Quod & Zacharias in eiusdem commendationem cecinit dicens, Visitauit nos oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Luc. 1. Proinde non semel se lucem appellat dicens, Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris Ioan. 8. Et, Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Io. 12. Denique, Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, Ioan. 3. Haymo. Quia iste angelus ad destruendam venit potentiam diaboli, recte fortis perhibetur: utpote contra fortem fortior, contra robustum robustior. Quia verò ad euacuandam humanam sapientiam accessit, bene terra gloria illius illuminata pronuntiatur: ac si diceretur, contra tumentem saeculi potentiam, magna potestas: contra falsam doctrinam tenebras, veræ scientiæ lux apparuit. Nec te moueat, quod supra prædicatores fortissimos sexti temporis exhiberi per hunc angelum retulimus. Nam & per sanctos prædicatores Christus loquitur, qui est magni consilij angelus. Hinc est quod Ioannes vox clamantis dicitur Christi. Et Paulus dicit, An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? Qui angelus de caelo descendisse dicitur: quia quicquid sancti prædicatores habent, siue in doctrina, siue in opere, caelitus illis datum esse didicimus, Iacobo teste, qui ait, Omne datum optimum, & omne donum perfectum defursum est, descendens à patre luminum. Iam & prædicatores iuxta sacerdotium potestatem magnam habent ab ipso capite Christo, qui dixit Petro pontifici maximo, ac principi prædicatorum, Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis, Hęc terra est ipsa ecclesia illuminata à claritate christi, quod est verbum fidei ac caelestis doctrinæ eius. Nam & templum Salomonis in dedicatione eius repletum erat gloria, hoc est, claritate maiestatis Dei. 2. Para. 7. Esaiæ quoque cap. 6. dicitur, Quia plena erat domus maiestate

*Angelus
fortis Christi
fuit.*

*Claritas christi
fuit in nobis
doctrina fidei.*

eius. Hęc domus eadem Ecclesia est. Iam vide quid hic angelus agat, qualive classico munus sibi iniunctum obbeat. Sequitur enim.

Punctus 2.

Et exclamauit in fortitudine, voce magna dicens, cecidit cecidit Babylon magna, facta est habitatio demoniorum: custodia omnis spiritus immundi, custodia omnis uolucris immunda & odibilis.

Vbi vel quando angelus iste hęc clamauit, obscurum non est, quum sciamus omnes dominum in assumpta carne apud Iudæos prædicauisse, tam magna & forti voce ut ad eius clamorem quaterentur fundamenta orbis: multi enim ad ipsum confluere audire vocem sermonis eius, iuxta illud, Et fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi. Esa. 2. Non solum autem initium sermonis eius inibi factum, sed etiam finis cum vita hac mortali consummatus est: quando præualida voce cruce exclamans exauditus est pro sua reuerentia. Hebr. 5. ad cuius fortem vocem petra scissa sunt, terra mota est, sol obscuratus est, quando & magna Babylon cecidit, in qua vniuersitas reproborum mundus quoque condemnatus est: de quo idem angelus dicit, Nunc (id est, reuelata à cælis veritate) iudicium (id est, contritio siue castus) est mundi: nunc princeps mundi huius (per ablationem potestatis) eicietur foras. Ioan. 12. & 16. Princeps mundi huius iam iudicatus est. Ita ergo Babylon cecidit, ut iuxta & princeps eius caderet. Quid est princeps eius caderet? nisi virtute sua infirmaretur, & potestate priuaretur mundi. Cecidit ergo Babylon, & fortissima Dei verbi virtute cecidit: hac & diruta est: ut omnes qui salui fierent, euaderent ruinas eius, & transfiliendo euaderent. Apostoli enim sancti diuini per vniuersum orbem à ruinis illis colligebant filios Dei. Quid est e ruinis colligere? nisi de diruta ciuitate diaboli quæ facta est per mortem Christi ac virtutem crucis eius, vocat eos qui erant præordinati ad vitam, quibus spiritus sanctus internos dabat afflatus, ut viuant: qui dum essent ruina, erant mortui peccato: nunc autem viuunt Deo. Neque enim vltra tyrannide principis mundi huius legem tenebatur vocati christoque initiati. Rectè igitur cecidit Babylon

*Babylonis
castus.*

ciuitas magna regnum peccati, quod amplitudine sui, extendebatur per vniuersum orbem. Eo sensu loquitur, Esaias cap. 21. dicens. Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum comminuta sunt: scilicet spiritu oris Christi, apostolorumque eius: vt non essent impij cultores idolorum amplius. Quod autem per Babylonē ciuitas impiorum, hoc est, vniuersitas reprobōrum intelligatur, frequens est in sacris literis prout exhibent volumina Esaiæ, Ieremiæ, & Ezechielis. Ad literam tamen vrbs chaldeæ est, in qua Nabuchodonosor regnavit: per quam consensu omnium spiritaliter mundus vanitatibus deditus figuratur: nō solum per hanc, sed etiam per Aegyptū, Tyrum quoque: eo quod quædā hic verba ponuntur, que apud Ezechielem de Tyro dicuntur. Sequitur, Et facta est habitatio dæmoniorū. Si cecidit & diruta est, quomodo habitatio facta est? Aut si habitatio facta, quomodo cecidit? Sed vtrunq; fieri possibile, vt & ceciderit, & habitatio facta sit. Quod cecidit, virtute ac potētia crucis christi cecidit, id est prædicatione crucis & euangelij. Sic cecidit quod comminuta est. Paulus dicit, Quoniam Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt; nos autē prædicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. i. Cor. i. quatenus Iudæi cum gentibus in casu simul inueniantur, qui merito cecidisse dicuntur, quia gratiam vltro oblatam accipere noluerunt. Cecidit ergo in Iudæis, cecidit & in gentibus Babylon illa magna: vt geminatus casus, vtriusque populi complecteretur mysterium. Iam vides vnde cecidit, vel à quo cecidit, quia à Deo, & à gratia eius. Ciuitas hæc: & in eo quod cecidit, facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis immundæ volucris, exosæque. Idem reperere videret, sed non sine mysterio. Quia videlicet damnati spiritus duplici causa pœnas luunt. Primo quia contra deum peccauerunt: deinde quia hominem seduxerunt, Ideoque propter illud, dæmones sunt, hoc est, scientes, quando aduersus scientiam Dei sese extulerunt. Quia vero hominem peccati sordibus inquinaverunt spiritus immundi: porro volucres immundæ exosæque, ob insignem eorum superbiam sunt. Volatus quip-

Babylon ciuitas impiorum.

Dæmonum habitatio fiet desertus à gratia.

pe volucrum leuitatem quandam, ac supra alios extolentiā designat. Neque vero simpliciter volucres sunt ipsi dæmones, sed immundæ exosæque, vt non puris assimilentur, sed sordidis, vt nocivis & vpupis, quæ stercorebus humanis delectantur & insident: & harpyis, De quibus legis ethnicum Poetam,
*At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ: & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactūque omnia ferdant
Immundo: tum vox tetra inter odorem.*

Et infra.

*Rursum ex diuerso cali cecis que latebris
Turba sonans prædam pedibus circumuolat vncis
Polluit ore dapes.* Quæ omnia spiritibus immūdis aptæ conueniunt, eorum quoque assecclis hominibus, vtpote auaris raptoribusque, & gulosis, qui vomant in mensam: quorum facta est Babylon custodia, quas Abraham abigebat sacrificiis irruentes, Gen. 15. Per easdem in tropo recte, & ipsi quoque hæretici capiuntur, homines sordidi, impuri, exosique: qui perinde ac harpyiæ hæc Virgilianæ circumuolitant ac pollunt ore dapes scripturarum. Porro, quod hic & cap. 14. supra bis dicitur, Cecidit, cecidit: potest geminatio ista verbi, & fortem assertionē, & gaudentem hoc dicentium animum indicare: quia & prædicatoribus sanctis eadem conuenire adstruximus: Ac si dicerent, Ne timeas o Hierusalem, ciuitas dei, terrenam potentiam ciuitatis diaboli: quia cecidit, ac viribus contracta est, vt non tibi præualeat: sed gaude & latere, & te auctori salutis non parum debere existima, per quem asfertur libertati, virtutem quoque adepta es triumphandi. Aliis tropologice, Cecidit Babylon, & nihilominus facta est habitatio dæmoniorum: cecidit in electis, vt nec ruina vestigiumve vllum remaneret in eis: quia videlicet omnis structura peccati, cunctaque mortis & inferni potestas in ipsis conruit: in reprobis verò, & damnatio peccati, & pœnalis inferni carcer permanfit: sicque & ruit & permanfit, ruit in electis, permanfit in reprobis. Quod vtrique magna consideratione à quouis pensandum putauerim, quatenus viderit quisque vtrum in ipso Babylon ruerit: hoc est vtrum sit vere fidelis, an adhuc ruinæ ali-

Sensus literæ.

Alia expositio.

Ec iiij

quæ in eo supersunt Babylonis. Breuiter ciuitas ista Babylon cecidit in Iudeis primum, deinde in gentibus, & quicumque repulerunt vltro oblatam gratiam dei, vt habitatio fierent demoniorum. Cedit & modo continue in suis membris, qui omnes cadunt in infernum & poenam perennem decedentes per mortem ex hoc mundo. Sed insigne cadet in fine Babylon in generali iudicio, post fulguratam ab ore domini terribilem sententiam, quando globatim ruunt reprobi suis quique fasciculis ligati in infernum, æternis ignibus cruciandi. Obserua. Hæc quæ in hunc modum dicta sunt maiorum meorum de promptuariis excepta sunt: & magis spectant primum ecclesiæ tempus, quam illud nouissimum, quod visionis ordo indicat. Dominus quidem Iesus bene angelus est, qui prænuñciauit casum Babylonis di. Iam princeps mundi huius eiicietur foras &c. Item apostoli quoque sancti forti voce ideo prædicabant, quia fidei fortitudine iam iam caderet Babylon, & ciuitas sancta è ruinis eius construeretur, sicut & constructa est. Tamen quia sub antichristo ecclesia tantam ruinam passura sit, vt nisi dies eius breuiarentur in errorem etiam electi inducantur, Matth. 24. post interitum eius casum hunc Babylonis proculdubio intelligere debemus: quando magna alacritate animi, fortissimi sacri verbi dei ministri, magna voce acclamaturi sunt, Cecidit cecidit Babylon, totum videlicet regnum antichristianorum & fortitudo omnis reproborum: quando ecclesia rursum in virtute fidei roborabitur, & cuncti laudem dicunt deo. Sequitur.

✽ Punc. 3.

Quia de vino ira fornicationis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.

Causa ruinæ ciuitatis depingitur, vbi tria dicuntur. Primum est, quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes. Secundum, quia reges terræ cum illa fornicati sunt. Tertium, quia deliciis eius mercatores terræ diuites facti sunt. Causæ summa. Totum fornicationis opprobrium regibus imputatur: & hi sæpius in hac scriptura fornicationis eiusdem scelere denotantur. Quia videlicet, quod meretrix illa docuit, non solum susceperunt, verum etiam imperij sui decreto simul & gladio corro-

Fornicationis opprobrium totis regibus imputatur.

borauerunt. Porro gentes, quæ regibus subiectæ sunt, siue pro imperio eorum, siue sponte sua idola coluerunt, aut turpiter contra deum egerunt: recte de vino iræ fornicationis eius biberunt: Quia videlicet fornicationem eorum, qua idola coluerunt, & seruiuerunt creaturæ potius quam creatori, ira punitionis est subsequuta, vt derelinqueret eos deus, & traderet in passiones ignominia: in immundiciam, iuxta desyderia cordis eorum: & in reprobum sensum, vt copiose descripsit Paulus Ro. 1. vnde grauissima hæc ira dei reputatur: tradi videlicet hominem in reprobum sensum, & in desyderia cordis sui, id est, vt ardeant prauo desyderio concupiscentiæ cordis eorum: & in passiones ignominia:, vt resistere non valeant conceptæ turpitudini, quin faciant opere quæ concupierunt corde: qui omnes, qui eiusmodi sunt, ad Babylonem hanc pertinent. Reges verò terræ cum illa fornicari dicuntur, quia plus diligunt terrena quam cælestia. vel etiam propter immundiciam, aut carnis voluptates, aut auariciam, quam idololatriæ seruitutem dixit Apostolus. Scimus autem reges in primis apud antiquos sectatos fuisse idololatriam, ac carnis voluptates: è quibus Sardanapalus vltimus Assyriorum rex notorius erat: quem Iustinus libro primo, tradit omnis generis luxuriæ deditum, vt non erubesceret inter scortorum greges nere: & muliebri habitu feminas omnes lasciuia anteire. Qui bibit de vino iræ fornicationis meretricis huius: Si quidem indignati Assyrij tali famina: parere, duce Arbace desciscentes bellum Sardanapalo intulerunt: qui victus in regiam se recepit: & extructa pyra se atque diuitias suas in incendium misit. qui vitæ ganeatæ regulas sibi hoc epitaphio inclusit. Ede, bibe, lude: & quum te mortalem noris presentibus exple deliciis: post mortem nulla voluptas. Bibit & ipse Nero, qui quum deliciarum omnium primus sectator esset, vt nihil intentatum relinqueret, miserabiliter tandem interit vim sibi manu inferens. Bibituri & alij omnes quicumque ad hoc corpus typicæ meretricis pertinent. Porro de mercatoribus meminit, qui singulariter deliciis eius diuites facti dicuntur. Nam hoc genus hominum (vt plurimum) Mercatorum vita abominabilis.

auari intelliguntur, iuxta illud Eccl. 10. Avaro nihil est scelestius. Et, nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim animam suam venalem facit, qui pro temporalibus lucris miseram animam infelicissimo satis cōmercio mutat & vendit. Quamobrem fugienda est cupiditas pecuniæ. Dominus dicit, Cauete ab omni auaricia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius. Lu. 12. Ethnicus homo dilaudauit auariciã. Cicero, qui in suis officiis ait, Nihil est tam angusti animi, tamque parui, quam amare diuitias. Sed carnis quoque deliciæ aliis, aut bestiis sunt relinquendæ. Neque enim vitia in sapientem cadere debent, qui de membro Christi esse vult, viuere de spiritu eius. Abbas Ioachim ad falsos sacerdotes & hypocritas mercatores refert: qui negociantes regnũ dei inhiant temporalibus lucris: & querunt verbis subdolis placere diuitibus huius mundi: quorum virtus est in deliciis carnis, vt ipsi diuites fiant, & possint de cetero viuere in deliciis. Attendentes quomodo eis indeficientes deliciarum redditus constituti sint: ita vt largientes multa, semper illis proueniat, quod largiri queant: & nunquam deficiat, quod largiendum sit. Hæc enim est virtus deliciarum Babylonis: qua diuites fiunt mercatores terræ. Cæterum qui sic participat ad tempus deliciis eius, vt tamen super hoc ipso doleat & ingemiscat: potest si vult recedere à consortio eius, & redire opportunius ad regem suum, qui redemit illum: ne forte si diu steterit apud olidam meretricem hanc, cogatur accipere hora superueniente de plagis illius. Haymo. Mercatores terræ appellantur, qui animam suam venalem faciunt, nec timent committere peccata: tantum vt honores huius seculi, & dignitates sibi acquirere possint. Isti de virtute deliciarum eius, hoc est, de ambitione secularis pompæ diuites facti sunt, non virtutibus sed peccatis. Tria autem hominum genera cōmemorantur. Gentes, Reges, Mercatores. Gentes biberunt de vino iræ fornicationis eius. Reges cum illa fornicati sunt. Mercatores terræ, de virtute diuitiarum eius diuites facti sunt. in quibus tria comprehenduntur genera peccatorum, in quibus omnes iniqui designantur, & etiam omnia peccata. Omne enim quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. Ioan. 2. vt

in gentibus lasciuia sit, superbia in regibus, auaricia in mercatoribus. Quæ peccata puniturus est deus in hominibus quibus per prophetam dicitur, Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt dominũ, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum: super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem. Esa. 1. Item Osee. 2. Et filiorum illius non miserebor, quoniam filij fornicationum sunt: quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos. Tunc quippe cepit fornicari mater reproborum, quando Cain manu sua obtruncavit fratrem germanum suum: & ab eo continuo in fornicatione permanet, vt recte operarij iniquitatis ex fornicatione sunt, progenti ex meretrice Babylone, quæ fornicatur cum diabolo, & generat nothos. à qua quum liberos se dicerent Iudæi, Nos, inquit, ex fornicatione nati non sumus: Christus minime liberos eos dixit, ita illis respondens, Vos ex patre diabolo estis, & desyderia patris vestri vultis facere. Ille homicida erat à principio: & in veritate nõ stetit, quia non est veritas in eo. Ioan. 8. Suspicio in eo quod dicitur, De virtute deliciarum meretricis mercatores diuites factos, stulticiam quorundam denotare, apud quos pauperas pro ludibrio habetur, tanquam probri sit esse pauperem rerum mundanarum, quæ suapte natura fluunt & pereunt, & non magis virtutis: abundantia autem diuitiarum in parte laudis existat, & non in parte probri. quamuis deus pauperes elegerit. Iaco. 2. & beatos pauperes fore prædicet. Matth. 5. diuites autem difficile ingredi posse in regnum celorum. Matth. 19.

Mulier purpurata quædo cepit fornicari.

DE VOCE EXITVM IVBENTE DE BABYLONE.

Sect. 2. Punct. 1.



T audiui aliam vocem de celo dicentem. Exite de illa popule meus: & ne participes sitis delictorum eius: & de plagis eius ne accipiatis: quoniam peruenerunt peccata eius usque ad caelũ: & recordatus est deus iniquitatum eius.

Postquam ille angelus præclarus, fortiter clamans, casum cecinit Babylonis, euestigio alia vox è cælo erupit: quia postquam secundus ordo prædicatorum, perditionem impiorū in Antichristo denunciauerit: non deerunt qui pios fideliter admoneant, vt de perditorum societate exeant, ne operibus eorū coinquinentur, & pereant. Certum namque est à conuersantibus mores trahi: cum sancto (inquit psaltes) sanctus eris: & cum innocente innocens eris. Psal. 17. Soler grex totus in agro vnus scabie cadere. Vnāque liuorem ducit ab vna. Proinde semper dominus deus per suos sanctos prophetas, eiusmodi exitum persuadebat hominibus quos elegerat: Esaiam, Ieremiam, & Zachariam. Esaias dicit, Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis. cap. 48. Et iterum cap. 52. Parauit dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius. Ieremias autem ait, Recedite de medio Babylonis, de terra Chaldæorum egredimini. cap. 31. Item Zacharias. cap. 2. O, o, o, fugite de terra aquilonis, dicit dominus. Et, O Sion fuge, qui habitas apud filiam Babylonis. Ex quibus edoctus Paulus ait, Exite de medio eorum, & separamini, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit dominus omnipotēs. 2. Cor. 6. Quid amplius dicam? vna hæc omnium Apostolorū vox erat post receptum spiritum sanctum, Exite de Babylone, fugite de Ægypto populi Dei, videlicet hortātes eos hoc, velut classico vt exirent electi de consortio peccatorum. Loth eductus est de ciuitate Sodomorū, ne vna periret cum illis: qui in iussu accepit, Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Et iterum. Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Gen. 19. Salubriter Abraham de Chaldæa exiit vbi homines idololatræ habitabant. Gen. 11. & 15. nec legitur illic ei dominus Deus apparuisse, licet bonus & integer fuerit: sed postquam inde exiuit, pluries. Porro fugiētē Iacob Esau fratrem suum dominus multipliciter

Integer debet vitare corruptos.

Apostolorum & propheta-rū vna vox.

Societas mala fugienda.

solatus est, Gen. 28. Noluic Iacob cū peruerso fratre ambulare. Gen. 33. Dixit Moyfes ad turbam filiorum Israël. Recedite à tabernaculis hominum impiorum: & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum. Numer. 16. Proinde ne syncerus populus ab inquinatis commacularetur, præcepit dominus filiis Israël, vt intrantes terram chanaam cunctos habitatores interficerent, Num. 33. Scriptum est Iud. 1. & 2. quia noluerunt iuxta præceptum domini filij Israël habitatores terræ illius delere, sed percusserunt scædus cum eis: & male eis euenit. Rebellanti Absalon aduersus patrem suum iuncti sunt multi simplici primum quidem corde abeuntes, qui si cum bonis pacificis in Hierusalem remansissent, nihil contra Dauid moliti fuissent. 2. Reg. 15. Breuiter odiuit Deus malos, à quibus liberos suos semper voluit. Legis 2. Reg. 21. quia propter quosdam superstites de domo Saul facta est fames in terra: donec ad petitionē Gabaonitarum crucifixione perempti sunt. Rex Iuda Iosaphat alioqui integer vitæ scelerisque purus propemodum occisus fuit, postquam cum aduersario Dei Achab rege Samariæ ad prælium iuit: cui propheta domini dixit, Impio præbes auxilium: & his, qui oderunt dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram domini promerebaris. 3. Reg. 22. 2. Paral. 19. Scriptum est. 1. Esdr. 3. Quia ædificantibus filiis Iuda templum, post reditum de Babylone, hostes eorum voluerunt simul ædificare cum illis, illi vero bono vsi consilio rennerunt. Item Tob. 1. Quum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, Tobias solus fugiebat consortia omnium: & pergebat in Hierusalem. Quid plura? Petrus existens cum bonis bonus fuit, cum malis malus, nam & dominū inter eos negauit. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. Et hic tādē conuersus & in domino cōfirmatus, quibusdam Iudæis, audientibus verbum Dei, dixit, Saluamini à generatione ista praua, Act. 2. Denique iubet dominus suos, Matth. 5. ab hominibus quantumuis necessariis, quantumuis proficuis alienos fore, magis quàm in eorum conuersationibus perire: sub conuenientibus tropis loquens, Si oculus tuus dexter scādalizat te, inquit, erue eum, & proice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorū tuorum

Oculus dexter quid sit.

Manus dextra.

quàm totum corpus tuum mittatur in gehénam ignis. Et si dextera manus tua scádalizat te, abscide eam, & proiice abs te, &c. Certum est autem quia nec oculus erui iubet, nec manum abscindi, vt seipsum detruccet quis, qui precipitationem iubenti respondit, non esse tentandum dominum : ergo aliud quiddá latet sub his nominibus. Per oculum igitur dextrum debere intelligi vult Augustinus dilectum quemcúque amicum, qui suis dirigebat te consiliis ad commoditatem vitæ. Qui si impedimento tibi sit ad assequendam beatitudinem cœlestem, amoue à te: quoniam vtilius tibi erit in re salutis talibus carere consiliis quantumuis salutaribus, quàm peccare contra dominum, & peccando ruere in gehennam ignis. Per manum similiter dexteram, dilectum adiutorem seu beneficium quemlibet debemus capere: qui operose, vt manus dextra, ministret tibi, réque adiuuet. Apud eundem evangelicam cap. 18. & Marc. 9. additur & pes scandalizans. Si manus tua, inquit, vel pes tuus scádalizat te, abscide eum, & proiice abs te: simili intelligentia vt scilicet quantumcunque necessarius tibi aliquis videatur, cōsultius tamen fuerit carere eo, quàm scandalizari, id est, peccato offendi, & perire. Rumpe ergo omnem affectum carnalem, & separa te ab his remotis: nihil enim tam nocium vt perniciofa societas. Proinde inemendabiles deplorataque maliciæ quantumlibet amici vitandi sunt, ne si cum perditis in hac vita partem habere volueris in futura pereas. Vnde. S. Hieronymus. Melius est, vt propinquitate, & emolumentis carnalibus careas, quàm dum vis tuos lucrifacere cognatos & necessarios, causas habeas ruinarum. Itaque non frater, non vxor, non filij, non amici, non omnis affectus, qui nos excluderet à regno cœlorum, amoris domini præponatur. Nouit vnusquisque credentium, quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur animus, tenterúrque. Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam amittere. Melius est solum saluum fieri, quàm perire cum pluribus. Hæc ille. Atqui secundum Augustinum, etiam hoc ipso separatur mali, quòd eis mala suadentibus non consentitur. Sic Iob commendatur, quia inter malos bonus fuit, hoc est, non consensit operibus illorum. Ideo dice-

bat, Frater sui draconum, & socius struthionum, Iob. 30. Et Esaias. In medio populi polluta labia habentis se protestatur habitasse, cap. 6. Ezechiel quoque dictum fuit, Increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Ezechiel. 2. Propterea Philipenses commendat Apostolus, quia in medio nationis prauæ & peruersæ luereut sicut luminaria in mundo, Philip. 2. Dicat ergo vox è cælo tonans, Exite de Babylone, id est, de congregatione reproborum, & ne participes sitis delictorum eius. In præsentem quippe vitam mixtim boni cum malis habitant: sed moribus, & vita longe ab eis distant: custodiunt enim se, ne culpæ eorum participes fiant: vt & præmiis merito eorum illis dissimiliter existant, alioqui culpa similis constitueret eos similes & pœna. proinde recte sequitur, Et de plagis eius ne accipiatis. Ac si diceret, Idcirco videte ne participes sitis delictorum eius: ne forte quum peccata illius fuerint consummata, pariter cum illa incipiatis affligi. Quorum enim vitam similem habere in peccatis voluistis, vltionem cum eis parem recipietis. Sequitur, Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum. Peccata illorum perueniunt vsque ad cælum, qui nolentes agere pœnitentiam contra Deum habitorem cæli in blasphemiam conuertuntur: iuxta illud, Tenuit eos superbia: operi sunt iniquitate & impietate sua: prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis: cogitauerunt & loquuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelsis loquuti sunt: posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiit in terra. Psalm. 72. Hoc ergo est peccatum peruenire in cælum, quod ponere os in cælum: & hoc ponere os in cælum, quod blasphemare cæli habitorem Deum. Isti tempus sibi datum vt agant pœnitentiam, vertunt in augmentum culpæ: & vnde diutius expectantur, inde districtius ferientur: idcirco rectè Babylon nequaquam ante ad plagas peruenit, nisi quum peccata eius ad cælum pertingunt: quia *Non punitur qui conuerti à prauitatibus nolunt, & expectantur ad prius Babylō huc, vt amplius delinquentes durius feriantur: non nisi quam in cælo consummatis delictis damnabuntur.* Vnde Apostolus *peccata eius de quibusdam dicit, Vt impleant peccata sua semper, perueniant.*

Semper quidem peccata implent, qui semper peccant, & non conuertuntur, vt sine fine puniantur: & hæc quidem spiritualiter de singulis Babylonis membris dicuntur. quo sensu & Ierem. dicit, Peruenit iudicium eius vsque ad cælum, & eleuatum est vsque ad nubes. ca. 50. Iudiciũ quippe tunc ad cælum peruenit, & vsque ad nubes eleuabitur: quũ minime quis prauitatis suis finem facit, sed protendit vsque dum perueniat ad pœnas. Sic & de Niniuitis dominus loquitur, dicens. Ascendit malicia eorum coram me. Ionæ. 1. Cæterum generaliter tunc peccata eiusdem corporis vsque ad cælum perueniunt, quum nouissime in Antichristo capite per superbiam contra Deum erigitur, tumescitque. Vox ergo qua dicitur, Exite de ea popule meus, ne participes sitis delictorũ eius, toto quidem nunc tempore aures electorũ verberat. Sed tunc instantius quum iam cælum delictis in immensum auctis perfida ciuitas Babylon, siue purpurata meretrix ad debitas suppliciorum plagas in articulo temporis illius extremi peruenerit pulsatur. Dicatur ergo, Exite de ea popule meus, &c. Ac si diceretur, vt æternis suppliciis non puniamini: donec superest tempus, commercia prauorum fugite qui qui estis electi, quoniã appetit ille terminus, quo peccata mercedem recipient. Etenim recordatus est Deus iniquitatum eius. Recordari Deus dicitur, non quod aliquando obliuionem subeat: sed more nostro scriptura loquitur, attemperans se ad captum nostrum. Videtur enim obliuisci bona iustorum & mala impiorum, quãdo illos permittit affligi, hos autem honoribus ornari. Ecõtra in iudicio facta bonorum videbitur rememorari, quũ eos dignis afficiet præmiis, bona impiorum tradet obliuioni, quod sine mercede permittit effluere. quib⁹ & dicit, Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis. Vel interdum, quia non punit malos obliuisci dicitur Deus facta horum, tanquam dormiens crapulatus à vino, qui non facile expergiscit, sed qui multo iracundius validiusque postmodum exurgat delictorum excitatus importunitatibus, sicut scriptum est, Psal. 77. Et excitatus est tanquam dormiens dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Qua virtute, qua potentia? immo quali iracundia? subsequenter dicitur, Et percussit, inquit, inimicos suos in posteriora;

posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. Lento namque gradu ad vindictam diuina procedit ira, sed tarditatem supplicij grauitate compensat. Tanto namque sustinet patientius quanto sapientius: vt videatur & credatur ab improbis, aut nõ videre mala quæ in terris sũt, aut minus curare. Videt certe & curat, qui in scriptura loquitur dicens, Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum. Et, Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Deuter. 32. Et in Psal. 49. Existimasti inique quod ero tui similis, arguam & statuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Sic ergo venerunt peccata eius vsque ad cælum (vt breuite dicta recapitalem) Quia nimirum hi qui assidui sunt in malo, quotiescunque aduersi eis aliquid contingat, nõ merentur aduersus Deum loqui iniquitatem. Et quoniam pro nimia patientia videtur quandoque obliuisci iniquitatum: quum in visionem insurrexerit, reminiscetur etiam minimorum. Vnde sequitur. Punct. 2.

Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicata ei duplicia secundum opera eius. In poculo quo miscuit vobis miscet illi duplum.

Qui nam sunt ij, qui reddere illi, sicut & ipsa reddidit eis, & secundum opera eius duplicia duplicare iubentur? nisi hi, qui cum domino sedente ad iudicandum in sede maiestatis suæ, sedebũt & ipsi iudicariis in sedibus, quorum primi sunt Apostoli, deinde martyres: quorum ebria sanguine hæc meretrix superius ostenditur. Sed mirum valde est, quomodo hic dominus electis suis loquitur dicens, Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis, &c. quasi manibus eorum meretrix ista vindicanda tradatur: quatenus fiat in potestate eorum, quantum debeat puniri, quũ alibi orare pro persecuentibus iubet, & calumniantibus eos. Sed sciendum nobis est, quod non semper præcipit dominus orandum esse pro persecuentibus atque inimicis, sed pro tempore, & vsque ad tempus statutum, pro persecuentibus debet tamen orandum esse, quod patet in scriptura. Tempore autem iudicij iam non est orandum pro eis, eo quod patientia sanctorum versa sit iam in gloriam: & voluntas res

persecutorum in penam. Alioqui si semper orandum esset pro persecutoribus nos, ergo & post hanc vitam. Oramus ergo iuxta præceptum dominicū pro impiis, quando spes est conuersionis eorum, ut forte qui putatur reprobus, sit electus: quando autem tempus uisionis aduenierit, tum pro eis orare desinemus. Nam ne sancti quidem persecutioni tum erūt obnoxij aduersariorum, nec vlla amplius supererit spes conuersionis eorum. Reddite ergo illi, sicut & ipsa reddidit vobis, id est, condemnare illam, sicut & illa vestrum condemnauit sanguinem. Denique quasi parū fuisset dixisse, sicut & ipsa reddidit vobis, nisi addidisset. Et duplicate ei duplicia secundum opera eius. & dehinc in eadem sententia continuo versatur tenore. Quid vero hac sententia indicet audiamus. Cōstat enim quia dum hæc sanctos persequitur, & martyres Iesu facit, corpus tantum occidit, & post hæc non habet facere quicquam, Luc. 12. Ipsis vero sanctis, iuxta prophetiā seimonis huius potestas committitur, in iudicio magno corpus & animā simul perdere in gehennam ignis in eorum aduersariis, quando opportune duplicia hæc duplicabunt, Christi & eorum vindictam superabundanter vlciscendo. Duplicate ergo duplicia secundum opera eius, Babylonis scilicet, id est, in corpore, & anima condemnare illam. Vel certe (vt Haymoni placet) duplici pœnæ tradite illā, calori scilicet & frigori, secundū corpus. iuxta illud Iob. 24. Ibunt ab aquis inuitum ad calorem nimium: secundum autem animam vermi conscientiæ & carētiæ visionis diuinæ, siue tenebris externis, quod est duplicare duplicia in dānatis, vt vtraq; portio duabus subiaceat pœnis: corpus frigori calorique, anima torsionib⁹ miris, & visionis Dei essentia carentia. In inferno nanque reprobi cum anima & corpore cruciabuntur, & duplici pœna vtrinque torquebūtur. Rursum pœnæ istæ duplicari dicūtur, quia pro temporalibus delictis æternas recipient pœnas. Impii enim pro temporali peccato æternaliter punientur, quia Deus ad iudicium veniens, non tantum opera, quantum singulorū affectus, & volūtates iudicabit. Reprobi quippe (si fieri possent) æternaliter viuere optarent, vt semper peccare possent, & deliciis carnis fruerentur. & ideo semper sustinebunt tormēta, qui (si fieri possent) semper cupere

Duplicia duplicare.

Pœna æternalis cur pro temporali peccato infligitur.

rent perpetrare peccata. Iusto ergo Dei iudicio sit reprobis intermina pœna in vtraque parte, quia in anima peccare cogitauerunt, & in corpore peccauerunt. Primo impij interne, deinde externe fugentes charitate Dei & proximi, ardētes cupiditate carnis & mundi. Quid igitur mirum, si pœnas peccato iuxta perpetuitatem voluntatis respondentes sustineant, vt & algore constringantur, & ardore exurantur: Hinc nascetur ille fletus & dentū stridor præualidus, de quibus non semel Christus in euangelio meminit, vt terreamur: terrorēque à scelere reuocemur, in quibus sic affectis non tantum virtutis exerit amor, vt respectu solius pietatis in Deum patrem charissimum peccare desistamus. Porro in poculo tormentum exprimitur passionis, quo martyres sunt cruciati: potest & pœnæ acerbitas designari, quæ tanta erit, vt faties, inebrietas, & ebrietate sui vexet. Extat præclarū aduersus improbos iræ domini testimonium in Ieremia cap. 50. vbi legis, Illaqueauit, & capta es Babylon & nesciebas: inuēta es, & apprehēsa, quoniam dominum prouocasti: aperuit dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quoniam opus est domino Deo exercituum in terra Chaldæorum. Sequitur. Væ eis quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum. Et, Reddite ei secundum opus suum iuxta omnia quæ fecit, quia contra dominum erecta est. In poculo ergo quod miscuit vobis, id est, pro multiplici tribulatione, qua vos potauit miscere illi duplum, id est, duplicatam & æternalem pœnam illi infligit, vt iam diximus, neque hoc sit iniuste. Iniustū enim fieri nequit, quod summa iustitia decreuerit sciendum: quanuis illa reprobis pœna fiat multo maior ea quam illi inulerunt iustis, quia æterna & acerbissima. ☉ Punct. 3.

Quantum se glorificauit: & in deliciis fuit, tantum dato ei tormentum & luctum.

Hoc ad summam iudicantis pertinet iusticiam, vt pro peccato mensura delicti fiat & pœnarum modus. Ac si dicat, Pro quantum tāta gloriatione sua qua se meretrix mundi huius gaudens & pœna. extulit dato illi luctum: pro deliciis quibus inordinate vsa est tormentum, vt pro singulis ex diametro mercedem recipiat. Hæc autem sunt capitalia vitia quibus maxime debetur gehenna, in qua domino testantur

Ff ij

Poculum tormentum passionis.

sunt duo hæc præcipua tormenta, Luctus & stridor dentium, de quibus dominum legimus loquentem: vt luctus fiat pro glorificatione, tormentum pro carnalibus delectationibus. Quantum ergo se glorificauit contra Deum & iustitiam eius inaniter gloriaudo, vel se extollendo, honores ambiendo, & in deliciis carnalium voluptatum fuit: tantum date illi tormentum & luctum: tormentum quo in corpore ob impuras delicias crucietur: luctum quo acerbius calamitate damni quod incurrit affligatur: vnde inanis gloriatio sui processit. Atqui quum in comparabiliter maior, grauior, & diuturnior sit poena inferni quam delectatio præsens: quomodo dicitur, tantum date illi &c. Dico ista proportio attenditur penes gradus peccati mensuræque: vt qui magis peccauit, magis puniatur. Quod & si omnibus timendum sit, maxime tamen luxuriosis & superbis: namque hos principaliter hæc sententia ferit. Quo enim nunc amplius hi intumescunt, & quo plus se foetidissimis luxuriæ inquinamentis tradunt, eo impensius acerbiusque punientur. Etenim iustus dominus & iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius. Psalmus 10. qui dicit, Visitabo iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Psal. 88. Et, Reddet unicuique secundum opera sua. Psal. 61. Item. Reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos. Psal. 93. Legis & in Iob. cap. 22. Iuxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit. Hic est ille luctus de quo dominus in euangelio meminit dicens, Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, Luc. 6. Dicatur ergo, Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum. Quia enim ij, qui olim persequebantur iustos, & sanctos martyres Iesu, nimia turgebant superbia, & toros se diffundebant in carnales delicias: recte sub hæc nomina iidem in Babylone taxantur, glorificauit & in deliciis fuit. In primo namq; superbia, in secundo luxuria eorum designatur: & illud quidem animi, hoc corporis vitium esse dignoscitur. Superbia in mente sedet: in corpore deliciae sunt, ex quibus veluti fontibus distinctis riuulis cætera omnia vitia prolabantur. Seminarium enim quoddam viciorum hæc sunt, per quæ vtraque portio hominis occupatur, vt cæterum nihil superfit reliqui: quum & anima superbia, immo ipsa

*Luxuriosi et
superbi, plus
puniuntur.*

crudelitate obsidentur, & corpus inquinatur luxuria. Quibus rebus, heu quam multi præsertim ex his qui Christo nomen, sacrarius, vt ei in simplicitate seruiant, dedere, perierunt: qui à communi vulgo secernuntur, de quibus loquitur propheta dicens, In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Quorum fructus mox ibidem subiugitur, Ideo inquit tenuit eos superbia: operi sunt iniquitate, & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transferunt in affectum cordis. Psal. 72. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat & non sit qui eripiat. Psal. 49. Intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite. Psal. 92. Sed vir insipiens non cognosceret, & stultus non intelliget hæc. Psal. 91. id est, hi qui non sunt prædestinati, & in quibus nihil operatur gratia amabilis Christi. Breuiter glorificant se filij huius sæculi, quia nobiles, quia potentes: quia diuites: quia domini aliorum sunt: in quibus verbum crucis nihil capit, nihil operatur: qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dicunt Deo, recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus. Et rursum, Quis est omnipotens vt seruiamus ei, & quid nobis prodest si orauerimus illum? Iob. 21. Veruntamen in die illo, quum hæc venerint, fiet illis angustia multa valde. videntes namque se constitutos in arto: nec redire posse ad assuetas delicias, & pro omnibus paria eis reddita: fieri non poterit quin vehementer affligantur.

Punct. 4.

Quia in corde suo dicit. Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.

Procede tantummodo meretrix, & videbis, si ita, vt iactas fiet, Equidem collectio reprobatorum in vno corpore mystico meretricis intellecta, cupiditatem mundanam vt dominam suscipiens, regnareque super se faciens, eadem vt domina modo gloriatur, donec cursus eius duret, sperans perpetuo gerrumque se sic fore felicem, nec sentire aliquid aduersi cunctis diebus vitæ eius. Sic olim carnalis illa Hierusalem ciuitas plena deliciis, super quam dominus fleuit dicens, Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, Luc. 19. colens eandem mundi felicitatem, multa sibi pollicebatur, quæ tamen non est asse-

quata: immo breui tempore & ipsa deleta, cum tota sua felicitate euauit. Dicit ergo. Sedeo regina, & vidua nō sum. A commoda satis re & simili tralatio sumpta. Sic enim meretrix forma, ætate & diuitiis præstās, videns cuncta ad votum sibi succedere, solet applaudere, gloriari, semperque polliceri sibi meliora: similiter & qui mundi sunt imitatores, quorū imago meretrix gloriabunda hæc est. Tam mirifica est apud plerosque sui existimatio, & in rebus prosperis huius mundi exaltatio: vt quum miseri sint, se tamen miseros esse non agnoscunt: sed regnare, & viuere, & nūquam possessa amittere, spe meliore eleuantur: & vbi felices se credunt, ibi laqueos incurrunt miseriarum. Non erit bene in finē homini glorianti, semperque in corde tumentī. Deus enim superbis resistit, cuius spiritum super humilem, & mansuetum dixit sapiens requiescere. Sed iā videamus insanæ huius meretricis atque in se cōfidētis sibiq; stulta nimis pollicētis gloriationē. Sedeo regina, & vidua nō sum. Ac si diceret, Perdurabo semper, nec vnquā mea me prosperitas deseret, nunquam mihi marcescet vitæ flos, pergā vt cepi. O stulta, ô misera, tu quū sis miserrima oīm, nō tamē miserā te esse cognoscis: nec vides plagas sup te vêturas. Quæ merces sunt mentorū tuorū: Mors, luctus, fames, vermis & ignis, & si qua sunt alia malorum genera, quæ tibi iam sunt præparata. Haymo. Loquit hæc meretrix dum gloriat in principib⁹ nequam, & regibus huius sæculi: qualis fuit Nero & Domitianus: in quibus diuitiis & honoribus maximis exaltata, putabat se cum eis æternaliter regnare & viuere, & nunquā eos amittere, vt in eorū amissione lugeret, sicut lugere solēt mulieres viros suos dum eos amittūt. Potest esse & hæreticorū vox, qui Christū in doctrina non abnegāt, putātes suū esse virū Christū, sicut & ecclesia putat & tenet: cui dicit Apostolus, Despondi enim vos vni viro virginē castā exhibere Christo, sed fallūtur: ij nāque cum fatuis virginibus illis lampadē habēt, sed oleū non habēt, vt luceret illis fides in charitatis operibus: ideo venient eis mala hæc, quæ in hac scriptura summarim commemorantur. O itaq; pudendam meretriculeæ sapientiæ gloriationem: dilatat præsentia, futura non prospicit: & vere sceminea mēte facit hæc omnia: quæ fatua, & breuis,

*Gloriatio
stultorum.*

& vana, ignara futuri, ebria præsentiu deliciarū. De qua Esaias loquitur ca. 47. dicēs: Dixisti, in sempiternum ero domina. Nō posuisti hæc super cor tuū, neque recordata es nouissimi tui: & nunc audi hæc delicata & habitās confidenter quæ dicis in corde tuo, Ego sum, & præter me nō est amplius: nō sedebo vidua, & ignorabo sterilitatē: venient tibi hæc duo subita in vna die, sterilitas & viduitas. Hęc ille. Itaque, quia peccat hæc meretrix, non quoquomodo, sed superbiendo peccat, & peccando superbit, & exultat, quòd nō ita vt ciuitas dei, quæ modo peregrinatur in hoc mūdo à domino, vidua sit, quū sit meretrix, & multi reges scortentur cum ea, tanquam id sit matrimonium beatæ potentisq; reginæ ac dominantis: proinde iusto Dei iudicio breui miris animaduersionibus punietur. Sequitur enim.

** O Punctus ꝑ.
Ideo in vna die venient plaga eius, mors, & luctus, & fames
& igne comburetur. Quia fortis est dominus Deus qui iudicabit illam.*

Quid vna hæc dies, in qua veniet plaga meretricis insolentis huius: nisi vltionis iudicijque, in qua subito veniet mala hæc super eā, quādo nec sperabit, vt reddatur ei secundū opera eius. Quid verò sint plagæ istæ, subiūgitur: mors, & luctus, & fames. Per mortē nō carnis mors intelligitur, sed inferni: cuius damnatio idcirco mors dicitur, quòd priuet visione, lucēq; claritatis Dei: vnde omnibus beatis prouenit vita, à qua perpetuo separati fiēt dānati. Scriptū est, Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Psal. 48. Huius passus cruciatus est. Non solum autem à luce claritatis separabuntur Dei quicumque ad hanc meretricem pertinent, sed etiam pēnas tolerabunt immēsas: quia anima quæ peccauerit ipsa morietur. Eze. 18. id est, semper erunt in cruciatibus mortis, qui modo vitalem fidei gratiam aut accipere renuunt, aut acceptam turpi vita exuunt atque abiiciunt, id est, qui peccando moriuntur, pēnas infidelitatis suæ perpetuantur æternas. Quod vt manifestius fiat, à contrario coniectemus. Electi habentes fidei gratiam, habent Deum, habent & vitā, iuxta illud Ioan. 17. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te verum deum, & quem misisti Iesum Christū, ideo perpetuo viuunt, qui in præsentia vitam habent, quæ est

*Mors inferni
damnatio.*

*Electi habent
deū & vitā.*

fidei per gratiam in Christo Iesu domino nostro, in quo vita erat: & vita erat lux hoim. Ioan. 1. Hæc lux fides est. Ergo fides quæ est in christo, vita est. Sic fiet, vt qui fidē habent in illum: viuunt: viuunt hic per gratiam, in futuro per gloriam admissi ad faciem dei contemplationē, vt inenarrabilem habeant lætitię consolationem, Psalmista dicente, Notas mihi fecisti vias vitę: adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem, Psal. 15. Rursum. Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo, satiabor quum apparuerit gloria tua. Psal. 16. Quid hæc iustitia nisi fidei est: hæc & vitæ: quas notas fecit suis ex largitione misericordia sua Deus, vt in filio suo dilecto notas faceret nobis vias vitæ, vt adimpleret nos lætitia cum vultu suo. Reprobi autem vltro oblatam minimè acceperunt: aut accepta abusi sunt, dico fidei gratiam: & ideo in vmbra mortis sedent & in tenebris: cum eo partem habituri cui nomen mors: fietq; certo certius id, vt sanctis viuentibus, & plurima lætitia exultantibus, laudēque creatori Deo decantantibus, sicut scriptum est, Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, Psal. 83. damnati in plurima mœstitudine luceant, iuxta illud. Væ vobis qui ridetis nunc, quia iugebitis, Luc. 9. Qui enim præsentibus gustatis voluptatibus nolunt vltionem diuinam super malos vêturam perhorrescere, qui lætantur quum malefecerint: ij breui descendentes ad inferos, luctu merebunt perpetuo, & fame sempiterna cruciabantur. Fames hic naturalis appetitus est vltimæ finis: ad quem non pertinentes damnati, semper esuriunt, & nunquam refocillabuntur. Quum ergo sancti vltimo illo sine potiantur: soli reprobi æternam sustinebunt famem, quæ pœnarum maxima est. Ad hæc incendio desflagrabit æterno, nec consumentur, vt æternum torqueantur, iuxta illud, Ite maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo & angelis eius. Marth. 25. Denique idcirco dominus, qui iudicaturus est meretricem, fortis dicitur, quia omnipotēs, cui nemo poterit resistere, & quia fortiter impios iudicabit. De omnipotentia domini loquitur Baruch propheta, dicens: Domine omnipotens deus Israel. Et Moyse

Dem fortis.

Genescos ca. 17. Ego Deus omnipotens, Et item in Exo-

do. Omnipotens nomen eius. Rursum libro Iudith. Dominus autē omnipotens. Sic præterea Iob. Tu autem si diluculo confurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: & multis aliis scripturæ diuinæ locis præclarissima extant omnipotentia domini testimonia, vt iurē & in hac quoque scriptura fortis dicatur, vt diximus ob omnipotentiam eius: quæ coget reprobos ad omnem sustinentiam malorum quibus affligentur ob culpam. Præterea vnicuique impio ad ciuitatem Babylonicā sub meretricis nomine depictam pertinenti, vanaque securitate decepto, mala hæc in vna die obueniunt, mors scilicet luctus & fames, & ignis: quam nec sperat, quando diuinitus iudicium descendet super caput eius, sicut talentum plumbi.

✠ Punctus 6.

Et flebunt illam: & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, quum viderint fumum incendij eius, longe stantes propter timorem tormentorum eius.

Describit fletum membrorum meretricis huius purpuratæ, quod cum ea simul pereant, id est partes cum toto corpore mystico, amittantque vna hora simul & gloriā, & splendorem, & delicias, & voluptates, & prosperitates omnes. Vnde ait. Et flebunt illam: & plangent se super illam reges terræ, qui sunt principalis portio meretricis: cuius fauiliore fortuna suauius sese habebant. Reges ergo in malam partem hic capiuntur: quod hi sunt, qui rebus terrenis spem suam collocantes prorsus terreni sunt. De quibus Psalmus testatur. 2. Assiderunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus christum eius. Quod etsi ad præsentium discriminum luctum referatur: quando in præsentibus rerum affluentia cessante, & contritione gentium diuersarum instante, prauorum voluntatibus adimplendis circumfluens carnalium deliciarum ablata fuerit occasio: tamen ad futurum iudicium potissimum refertur: quando impiorū vna vox & lamentatio erit. Quid nobis profuit superbia nostra: aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? transierunt hæc omnia tanquam vmbra. Sap. 5. Et ij sunt, qui cū illa fornicati sunt, & in deliciis eius vixerunt: hoc est, honoribus & diuitiis, comedentes, & bibentes, & volunta-

tes suas sequentes. Hi ergo in iudicij Die: tota mundi gloria, in qua confidebant conflagrante, flebunt, & plangent, videntes fumum incendij eius. Scriptum namque est, Deus noster manifestè veniet, deus noster, & non flebit. Deinde subiungitur. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida, id quod de aduentu domini ad iudicium debere intelligi probant frequentia, sequitur enim, Aduocauit cælum desursum, & terram discernere populum suum. Psalm. 49. Per cælum & terram angelos hominèsq; intellige: quòd illi in cælo, sed non de cælo creati: ij verò è terra formati sunt. Esaias quoque dicit, Stat (tanquam paratus quantocyus venire considerans interim facta omnium) ad iudicandum dominus, & stat ad iudicandos populos, dominus ad iudicium veniet cum senibus populi, & principibus, Esa. 3. Expende vt libet, qui sint senes populi, & qui principes. Certum est, quia cum apostolis veniet principibus, quibus dixit, Amen dico vobis, quòd vos, qui sequuti estis me, in regeneratione quum sedent filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Matth. 19. De principatu autem eorum scriptum legis: Constitues eos principes super omnem terram. Psalm. 44. Et Psalm. 46. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, id est, cum christo: qui erat deus Abraham, quem credebat saluatorem olim venturum orbi, in cuius etiam figura dum immolare filium suum Isaac, artem cornibus hærentem vepribus immolauit. Gene. 22. In cuius conspectu ignis iste exardescet, à cuius fumo terrebuntur impij, & longe stabunt. Hinc habes particulatim ignem istum variis in partibus primum exoriri, alias quomodo ab eo lóge starent: deinde latius flammam promouere, qua semel conuoluat vniuersum orbem, deletque omnes perinde atq; diluuium in diebus Noë. Matth. 24. Luc. 17. 1. Pet. 3. De ignis exustione loquitur, Petrus in 2. cano. cap. 3. dicens. Adueniet autem dies domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient: elementa verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Nec obstat quòd dicunt è sphæra ignis incendium illud vniuersale prolabi: poterit enim particulatim cadere, modo super v-

*Aduentus
domini ad iu-
dicium cum
senibus.*

*Ignis iudicij
particulati-
ter veniet.*

nam ciuitatem, modo super aliam, & regiones nonnunquam exurere: donec incumbar toti orbi vniuersaliter, & veniat Christus cum angelis in maiestate sua. Id quod dico non temerè, sed saluo meliori iudicio. Quis enim cognouit sensum domini? Rom. 11. Scimus è scripturis dominum per ignem orbem iudicaturum: modum nescimus: nisi quia aut non hic omnimodum iam finè mundi debemus accipere, sed præcidaneum: diminutionem rerù humanarum, & contritionem gètium diuersarum, quam prædixit dominus, Luc. 21. Secularium quippe diuitiarù pompam dicit auferti, per quam prauis voluntatibus adimplendis circumfluës carnalium deliciarum opportuna quodammodo suffragabatur occasio: qua sublata per defectum & desolationem diuinis mundo iudiciis irrogatam, certi superstites aliorum perhibentur interitù plangere. Plangent quippe (vt Haymo ait) illorum interitum, qui simul cum vita diuitias amiserunt, & metuunt ne eis familia eueniant: dum & tormentum sibi futurum, & præteritorum pœnas inspiciunt: vnde & subiungitur, Videntes fumù incendij eius. Sicut fumus index est flamarum, sic & præsens tribulatio futurorù malorù, quæ occupatura est aduersarios. Dum ergo tales præsentis tribulationes mali inspiciunt, coniectant pœnas, quæ eos excipient, & ideo flent & dolent: sicut & merito flere, & dolere debent, metuentes ne similia eis eueniant. Quocirca & à longe stare dicuntur vehementer conterriti, & consternati mente. Vnde etiam vrget. D. Haymo de præcidaneis tribulationibus hunc passum debere intelligi: quia, inquit, in iudicio minimè id licebit eis facere: quando simul omnes casus apprehendit ruinæ, de quibus dominus, Surget, inquit gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terramotus magni erunt per loca: & seditiones, Luc. 21. Matt. 24. In qua orbis commotione fieri non poterit, quin incendia magna fiant, & deprædationes per aduersarios, qui superiores bello fient: quando quisque longe fieri se cupiet ab eiusmodi conflagratione & clade. Cæterum, in hac vita longe stant, dum vitare pro virili quisque nititur malum, quod aliis irrogari videt. Obserua vna calamitas solet aliam describere: sicut & felicità magna in terris,

folet eam describere, quæ erit in patria. * Punc. 7.

Dicentes: Vah vah: ciuitas illa magna Babylon: ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum.

Deploratio concidentis Babylonis ab eius alūnis fienda. Vah interiectio est. hæc enim voces vehementis sunt insignia doloris, quæ peculiare sunt cantus malorum: nusquam non in scripturis sacris tormenta vehementia, aut conscientiarū male affectarum, aut inferni exprimentes. Legis apud Ezechielē ca. 2. Et vidi, Et ecce man⁹ missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum corā me, qui erat scriptus intus, & foris, & scriptæ erant in eolamentationes, & carmē, & Vah. Quid liber iste nisi omnis scriptura diuinitus inspirata est: qui coram propheta expanditur, dum intelligentia illi datur, & fideli viro gratia Christi aperiēte intelligibilis redditur. In eo libro scriptæ erant lamentationes, & carmen, & Vah: quia videlicet & pœnitentium fletus ex scriptura sacra docentur, & sanctorum cælestium gaudia explicātur, & impiorum pœnæ comminationum fulgetris commonstrantur Carmen & Vah duo sunt sibi contraria, medium tenet Lamentatio. Carmen quippe sempiternæ lætitiæ sanctis est

Carmen.

Vah.

Lamentatio.

peculiare. Vah reproborum horror est & damnatio. Lamentatio eorum qui medijs sunt, qui in hoc mundo lugēt sua flagitia, ne ad vah reproborum perueniant. Quæ simul scriptura hæc passim indicat, velut quum diceret, Exite de illa popule meus: ne participes sitis delictorum eius, Babylonis scilicet: & ne de plagis eius accipiatis. Veh manifestius hic indicatur, quum trigeminata repetitione iteratur. Primum, quod dicunt, Vah vah ciuitas illa magna Babylon. &c. Secundo vah vah, ciuitas illa magna quæ amicta erat bysso &c. Tertio veh veh ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes &c. & vna eadēque causa, paucis tantum commutatis vocibus. sic, Quoniam vna hora venit iudicium tuum. Et, Quoniam vna hora destituta sunt tante diuitiæ. Rursumque, Quoniam vna hora desolata est. Nec vacat à mysterio, quod trigeminata repetitione hæc voces luctuū efferuntur, vt ad senarium excreceret. Omnium quippe mūdi a ratum, quæ senario numero complectuntur, mala, tunc quando ad iudicium venit dominus, simul ylciscuntur in his, quibus nulla su-

Omnium a ratum mala ylciscuntur in extremo iudicio.

perest septima, id est, nullum sabbatum: quod requie est, & solennitatis interminæ. Et hoc valde miserum erit eis, qui hic delicias, & gaudia quæsiere: quæ tum auferentur ab eis. Denique, Magna ciuitas, Babylon dicitur, ob ingentem reproborum collectam multitudinem: dicitur & fortis, videlicet valens robore corporis, & ingenij viribus, famuliciorumque frequentia. foris & ad miscendam ebrietatem, & ad flagitia omnia exercēda. Esa. 5. Vah qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Imbecillis autem ad bene operandum, & ad virtutes quasque exercendas: quatenus tanto acriore punitione affligatur, quanto fortior ac potentior in malo memoratur: sicut scriptum est, Potentes potenter tormenta patietur, & fortioribus fortior instat cruciatus. Prouer. 6. Cuius Babylonis vna hora veniet iudicium interitus & condemnationis. Quia qui mala egerunt procedent in resurrectionem iudicij, Ioan. 5. Porro, magnitudo eius ostenditur, & potētia in amplitudine diuitiarū eius, cuius ciues sunt negociatores terræ. De quibus sequitur.

* Punc. 8.

Et negociatores terræ stebunt: & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet amplius: merces auri & argenti: & lapidis præciosi: & margarite: & byssi: & serici: & purpure: & cœci: & omne lignum thynū: & omne vas eburneum: & omnia vasa de lapide præcioso: & eramento: & ferro: & marmore: & cinnamomum: & amomum: & odoramentorum: & fraguenti: & turis: & vini: & olei: & similia: & tritici: & iumentorum: & osium: & equorum: & rhedarum: & mancipiorum: & aumarum hominum.

His negociatoribus, amaritudo, & luctus exorietur in amissione præciosarū mercium, quæ hic singularim commemoratur. Tunc enim quum venerit hora desolationis meretricis huius purpuratæ, omnia hæc vna peribunt, in quibus ardens cupiditas mortalium versari solet vsque in luxuriam. Abbas Ioachim, negociatores refert ad sacerdotes quæstuarios animales, qui nundinantur suis preculis, & milliarum officijs in templo dei, domum orationis facientes domum negociationis, forum publicū, & latro-

num spelunca. Dolebunt, inquit, hi tum & flebunt: quia merces eorum nemo emet amplius. deficiet vèdendi studium, quia eminentium rarefcet concursus: sola manebit delusa & confusa cupiditas, quæ ablata sibi voluptatis materia in vocem fletus erupet, quia iam quod libet non licet, & quod sibi erat familiare & charum carebit. Hæc ille. Potest tamen generaliter aptius ad omnes mudi negotiatores intelligi, quicumque sint, siue sacerdotes siue seculares, qui negotiationibus studet & incumbit. Namque iuxta omnes sensus delectabilia hic commemoratur. Merces quidem auri & argenti, & lapidum præciosorum, & margaritarum & ferici, pertinet ad lucri utilitatem. Et byssi & purpureæ coccinæ, &c. vsque marmoris nominationem pertinent ad sensum oculorum. Memorantur deinde quæ in primis ad olfactum pertinent: cinamomū, amomum, odoramentum, vnguentum, & tus. Hinc quæ ad gustum. Et vinum & oleum, simile & triticum, vel vini & olei &c. Post hæc subsidia animalium ponuntur, & aliorū: quatenus intelligeres nihil defuisse meretrici huic delicatissimæ quicquid ad summam pertinere videatur voluptatem, pro rerum suarum affluentia, & quantum ad aspectum oculorum, & quantum ad olfactum, ac gustum. Quin potius quicquid ad sensuum singulorū irritamenta attineret: quatenus aperte ostendatur omnia fornicationis incendendæque libidinis instrumenta tum condemnanda, pro quibus, eisdem sensibus quibus gustabatur hæ voluptates singularem aprabūt è regione torméta. Ideoque fletus negotiatorū harum rerum indicatur, quoniam merces eorum nemo emet, inquit, amplius: nec enim tūc illæ erunt quum pereunt omnia, quarum super amissione acerrimè dolebunt, qui in illis delectabatur, pro tentigine sensuum. Nomina clara sunt, præter thynū, quod genus ligni cariem minime sentit, nec putredinem: nascitur in Ophyr. De quo legis. 3. Reg. 10. quòd Salomò fecit cantoribus templi lyras, & citharas ex eo ligno. Cynamomum species aromatica est, cinereum habens colorem: crescit ad modum cånæ, & fractum fundit odorem. Item amomum species est feminis ciens vrinam & mestrum, Author Albertus. Simila candidissima, & delicatissima farina est, cuius panis excoctus vapore clibani simile no-

*Delectabilia
pereunt omnia*

men obtinet. Rhæda quadriga est aut biga, genus videlicet vehiculi rotatile. Mancipium seruus, manu captus, vel empticius. Porro animas pro hominibus posuit. vbi verò in genitiuum fit mutatio nominum, reduc ad merces, vt odoramentorum, merces vnguèti & turis. &c. cum Zeugmate à superiori, videlicet, nemo emet amplius. Planus textus laborem hic fusioris explanationis ademit: facile enim est ex hinc coniectare longum fore & anxium perditorum luctum: quorum omne solatium fieri adèptum. Nobis præclarissimo documento, ne nimis rebus perituris confidamus, nec ad quæstum earum nos totos dedamus: quos liberos fore iussit Christus ab talium cupidine, quæ suo pro ingenio pereit, parientes luctū & planctum: tum quia amabilem alioqui gratiam dei expungunt à corde, tum quia amissione sui accerfunt dolorem, quæstui autem laborem irrequietum, vt nunquam misera mens quiescere valeat inferior illaqueata nexibus. Sequitur.

✠ Punic. 2.

Et poma desiderij anime tue discesserunt à te: & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenies. Mercatores horum, qui diuites facti sunt ab ea, longe stabunt propter timorem tormentorum eius flentes ac lugentes, & dicentes, Vah vah ciuitas illa magna, quæ amictus erat bysso, & purpura, & cocco: & deaurata erat auro, & lapide præcioso, & margaritis: quoniam vna hora destituta sunt tanta diuitie.

Perstat adhuc in commemoratione earum rerum quæ suo pro ingenio voluptatem carnalibus afferre solèt iuxta omnes sensus corporeos: poma quoque inter periturarū mundi suppellectilium connumerantur, eo quòd & ipsa cupiditatibus humanis videntur inferuire, per quæ omnes fructus hortenses capiuntur, quæ ex arboribus nascuntur fructiferis, in quibus mire interim delectamur: quæ omnia suprema hora eripiet, quum ceperit mundus iste suo igne conflagrare, quando non sine graui dolore dilectores mundi, voluptuosi homines, rerum incendia spectabunt, perituri & ipsi cum eis: ideoque longius territi absistent. Alij per poma desiderij carnalis animæ carnalem voluptatem in mysterio intelligunt: voluptas.

Poma desi-

derij carnalis

voluptas.

quam illaqueata miserè sequitur anima, volens expleri deliciis eius, ubi legem spiritus semel reiecerit. Et quavis, sint multa alia, in quibus carnales homines, magis quam in pomis delectentur: tamè pomorum nomenclatura indicat, quòd non tantum in rebus præciosis, sed etiam in vilibus offenditur deus, si quis his abutatur: & ideo per poma intelliguntur vilia quæque, quæ seculi huius amatores antefecerunt bonis spiritualibus tum magnis, tum preciosis, velut artemis: nec cum mundo arsuris. Unde similes sunt tales pueris insipientibus, qui poma & fructus pluris faciunt quam præciosas res velut gemmas, aut aliquid tale: qui merito in puerorum ratione habendi sunt ob stultitiam, quæ donis sapientiæ consiliique aduersatur. Poma ergo discedunt tum à voluptuosis, id est, pereunt delectabilia quæque: vt non illis potiatur amplius: & omnia alia voluptatis iruitamenta. Mercatores idem, qui & reges sunt, longè stantes, animo vehemèter conturbati & consternati, abhorrentes flammam ac tormenta impiæ ciuitatis. Qua in re non mediocri turbatio mortalium indicatur, nec mediocri dolor ac planctû rerum pereuntium, vt etiam carmine lamentabili stulti amatores ea quæ possidebant, & quidem in medio flammæ prosequantur: velut eripere seruarique sibi cupita vltra modum gestiant, dicentes, Vah vah, ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso & purpura, & cocco &c. Sed nunquid ciuitas muris & turribus, aut auro cingitur aut bysso, & id genus aliis? Methonomicos ergo est: vt per id quod continet, ea quæ continentur accipiantur: sicut apud Elaiam dicitur, Audi cælum, & auribus percipe terra, Esa. 1. quum nec cælum audiat, nec terra, quum sint inanimata rationisque experta: inhabitantes ergo intelliguntur. Equidem per ciuitatem impios figurari nõ raro legimus, quorum primi sunt reges, ac terræ principes, qui his omnibus gula voluptatisque instrumentis armantur, nihil magis sequentes quàm voluptates corporis: namque in hæc dominia ac principatus à carnalibus quæruntur. Hay. Quibusdam itaque pereuntibus cum terrenis pariter rebus, superstites eorum lugent, eo quòd gloria illorum perire videatur: & à longe stant, quia nolunt illis fieri socij, neque in amissione terrenarum rerum, neque in pœnis, ad quas eos transire credunt.

dunt. Vna autem hora, in qua tantas diuitias periisse denunciat, hoc breue tempus intelligitur, à domini passione vsque ad finem seculi, de quo Ioânes dicit, Filioi nouissima hora est. Primasius. Horam hîc pro tempore poni multorum testimoniorû probatur indicis. * P. Pun. 8.

Et omnis gubernator, & omnes qui in laco nauigat & nauitate, & qui in mari operantur, longe steterunt: & clamauerunt, videntes fumum incendiij eius, dicentes, Quæ similis huic ciuitati magna?

Omnis, nemo, in scriptura diuina non semper vniuersaliter accipiuntur, sed plerunque alterum pro multis, pro paucis alterû poni nouimus. sic Ioan. 10. dominus dicit, Omnes quotquot venerunt ante me, fures sunt & latrones. quû & iusti non pauci fuerint populi rectores. Non igitur generaliter accipiendum de omnibus sed de multis. Rursum, quod ait Ioannes baptista de Christo, Et testimonium eius nemo accipit: non ita est intelligendum, hoc nemo, vt nec sancti Apostoli accepisse illud intelligantur: sed quia pauci fuerant, qui acceperant verbû eius respectu illorum qui illud non acceperat. Certum est autem quòd non solû episcopi nonnulli, sacerdotésque implicatur negociis Babylonis vt diuites fiant, verumetiam aliqui religiosorum abbatû, monachorûmque aliorum: non qui sint (nam qui verè sunt religiosi non ea curant) sed qui ita esse videri volunt. Haymo. Qui supra negociatores, hîc gubernatores nauium dicuntur. Idem & nauaræ sunt, per quos incunctanter intelligimus prælatos in Ecclesia, cuiuscunque ordinis & status, nõ qui iusti sunt, sed qui in mari quæstum faciunt. Mare autem mundus est: cuius mirabiles elationes per prophetam dicuntur. Propter quod dicitur, Et qui in mari operantur. Quid enim est operari in mari, nisi in mundo lucta laboribus quærere: Neque vero segniter est accipiendum, quod dicitur, Et omnis gubernator: & omnes qui in laco nauigant, & qui in mari operantur. Si enim gubernatores prælati sunt, nauis, vti que Ecclesia erit. in Ecclesia itaque prælati hi sunt quorum alij in lacis nauigant, alij in mari laborant. Sunt enim in ecclesia dignitates maiores alij minorésque. Proinde siue maiori dignitate quis præmineat, siue minori: si quæstibus mundi studeat, ci-

*Omnis & nemo particula
ria quadoque
signa.*

*Mare mundus
dñ significat.*

tra dubium pereundum est illi. Quare? Quia non curam aiarum per zelum dei suscepit, sed cupiditate mundi. & hi omnes tempore incendij quicunque erunt expauescent, & fuga salutem quarere nituntur. Pauli vox est, Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, vt coronam accipiat. 1. Cor. 9. Idem. Nemo militans deo implicat se negociis secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Nam & qui certat in agone non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. 2. Timo. 2. Abbas Ioachim. Nonnulli, inquit, monachorum quærunt elongari fugientes & manere in solitudine, & tamen ad extremum ad epulas redeunt Babylonis, & ab ipsius execrandis deliciis abstinere non possunt. Idem. Scimus esse aliquos nauas, qui nauigant in laco, & aliquos operari in mari: quia nonnulli monachorum in ciuitatibus manent, nonnulli vero & parochias habere permisi sunt: sed isti omnes lugebunt & flebunt super excidium Babylonis, quam temporaliter amauerunt. Videbunt namque in fine, quando insurger gens contra gentem, & regnum aduersus regnum ciuitates nobilissimas desolatas & absque habitatore factas, alias nouiter incendio conflagrare: tunc mirabundi, quia non credebant ita facile ista posse euenire, dicent, Ecquæ similis huic ciuitati magnæ? Et hæc in particulari dicta sunt, magis tamen vniuersaliter de carnali vita, deque gloria mundi, & de reproborum ruina intelliguntur pro diuersitate statuum, quorum collectio vniuersalis vna ciuitas Babylon est: & meretrix ad carnem viuens, & sentiens ad carnem, cuius destructionem videntes stulti admiratores dicent, Quæ similis huic ciuitati magnæ, quæ in vna hora perit: quasi dicant, Nulla in magnitudine, ac opum splendore, rerum quoque affluentia illi exquiri poterat. quæ & si per se in veritate magna non sit, quantumuis ciuibus copiosissima sit: stultis tamen admiratoribus, hoc est, pereuntibus, quibus seculi splendor aliquid esse videtur, magna & incomparabilis est: qui plus aurum quam cælum, plus se quam deum diligunt: terrenam habitationem pro cælesti computantes, salutem corporis animæ prælocantes: honores mundi, gaudia, diuitias, voluptates, bonis cælestibus longè plurius facientes, seducti præsentibus. ✠ Punc. 9.

Monachi parochiarum.

Et miserunt puluerem super capita sua: & clamauerunt flentes, & lugentes dicentes, Veb veb ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes qui habebant naues in mari, de precijs eius: quoniam vna hora desolata est.

Quid sit puluerem mittere super capita, non ignorat Puluerem mittere super capita, non ignorat hi, qui scripturas legerunt: id enim tristitiæ summæ erat indicium apud veteres. Sic in lib. Iob. cap. 2. falsi fictique amici videntes scilicet, Iob ita afflictum, ita desolatum, dolorem super eum similes cinerem misere super capita sua. Et Iudith. 2. Holofferne Bethuliam obfidente, filij Israel conspererunt capita sua cinere. Item Iere. 35. Alpergite vos cinere optimates gregis, quia completi sunt dies vestri, vt interficiamini. Proinde Ecclesiæ catholice vsus habet in capite ieiunij quadragesimalis inspergere cinerem super capita Christianorum, quod venerint dies doloris pœnitentiales, in quibus quisque debeat affigere carnem suam, quæ suis deliciis multa peccata intulisse homini conuincitur: quatenus posthabitis carnalium voluptatum deliciis quibus Deus offensus in nobis erat, deinceps digna pœnitentia vita nostra castigetur. Namque tristitia, ait apostolus, quæ secundum deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. 2. Cor. 7. quæ fit de amissione bonorum temporalium: de qua vane conturbatur omnis homo. quatenus intelligeres eos omnes qui dolent vsque ad offensionem dei, de corpore meretricis huius esse, & de pereuntium multitudine. Nam electi gaudent in tribulationibus & deo gratias agunt. Non solum autem in populo domini id peculiare erat, vt pulueris iactu supra caput dolorem promonstraret: sed etiam apud ethnicos. Quod poetarum libri palam ostendunt. Homerus in suis Iliadibus Achillem testatur conspersisse caput suum puluere Patroclo interfecto. Virgilius Mezentium super morte Lausi.

*At Lausum soti exanimem super arma ferebant
Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnouit longe genitum præfaga mali mens.
Cauciem immundo deformat puluere: & ambas*

Ad celum tendit palmas, & corpore inhaeret.

Legis & in Catullo simile quiddam, poeta veteri, & exagitatissimo.

Canciem terra, atque infuso pulvere sedans.

Vt longe praeterit sensum loci ad hunc morem capere, quam nescio in qua distrahi. Neque vero negauimus per caput mentem alibi intelligi, velut Luc. 21. Leuate capita vestra. & terram terrenum esse affectum: hic tamen minime aridet, sed nec principes viros per caput. Porro naues hoc loci negociationes sunt, quae potissimum in mari fieri solent nauibus. Multi enim in hoc seculo ditantur ex negociatione maritima, quod facillima sit aduectio mercium etiannum de quantumcunque longinquis partibus orbis, vt palam est. Et in Regum libris legimus, quia sub Salomone classibus ibant semel in tribus annis in Ophir, & afferebant inde auri talenta quadraginta, & multas alias species quae non poterant reperiri in terra Israel. Sequitur ratio nimio marore conturbati desperatiq; animi, quoniam vna (inquit) hora desolata est scilicet ciuitas reproborum. Inopinatè enim desolabitur tribulationibus grauissimis ante iudicium exorientibus. Primo post interitum Antichristi: quando Babylon cadet virtute Christi. secundo tribulationibus superuenientibus ante iudicium: quando sol obscurabitur: & luna non dabit lumen suum, & stellae cadent de caelo: & virtutes caelorum mouebuntur. Marth. 24. Mar. 13. Explanatus ponit Lucas. Erunt, inquit, signa in sole & luna & stellis: & in terris pressura gentium praefusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus praef timore & expectatione, quae superueniet vniuerso orbi Luc. 21. Tunc incipient a longe stare ab incendio meretricis mundi huius, qui in sui cupiditate non nisi meretrix est, in speciem apparens pulchra, caeterum turpis & ignominiosa, quae sub ciuitatis nomine hic designatur: quod sicut ciuitas colligit gentes: ita & mundi concupiscentia. Obserua. Quia non solum iacturam diuitiarum, sed etiam repentinam improuisamque deplorant amatores seculi ruinam. Obserua item, quia in hoc catalogo plorantium: non rustici, non pastores pecudum, non infima sortis homines commemorantur, sed magni eo quod vo-

luptas seculi ad eos minus pertineat, qui magis necessario vsui, quam superfluae cupiditati inferuiunt, Tria autem genera hominum nominatim exprimuntur. Reges terrae, Mercatores, & Nautae: eo quod in his praefertim voluptuosa vita sedeat. quippe qui plus deliciis & carnis libidini inferuiunt, a quibus non secernuntur impie militantes: qui sub regibus suis comprehenduntur: sicut Ecclesiastici, in nauis mercatorumque, & qui indulgentius sibi viuunt vniuersi.

Reges. Mercatores. Nautae voluptuosi mortalium.

DE CONSOLATIONE SANCTORVM.

Sect. 3. Punct. 1.



Exulta super illam caelum, & sancti Apostoli: & prophetae. Quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de illa.

Memoriter tenendum est, quia cuncta *Sanctorum* haec damnatio & coëritio meretricis infan- *consolatio.* dae ad consolationem cedit sanctorum: de quibus speciatim nominantur maiores, qui sunt in dei ecclesia, vt Apostoli, & prophetae. Nomine prophetarum intelliguntur sancti praedicatores verbi dei. Eo sensu vtitur Paulus in suis arcanis literis, hoc verbo propheta. 1. Cor. 13. dicēs. Ex parte prophetamus. Et cap. seq. Emulamini spiritualia, magis autē in prophetis. Item qui propheta hominibus, loquitur ad aedificationē. Rursum quoque. Qui propheta, ecclesiam dei aedificat. Et, Maior est qui propheta. *Papa sanctif* Constat autem apostolorum locū tenere in Ecclesia dei, *simus.* Papam, cui ob dignitatis primam excellentiam sanctissimi nomen indidimus, qui primus est, Petri successor: deinde Cardinales, quorum appellatio Reuerendissima est: quibus munitur sedes apostolica, ornati nuper reperto titulo, penes quos summa rerum versatur, habentes auctoritatem à Christo domino, qua regant populum dei, in verbo sancto & salutari, quibus dicit Christus, Amen dico vobis: quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in caelo: & quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelo. Marth. 18. Quod exponens post refer-

rectionē suam insufflauit, & dixit eis, Accipite spiritum-sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorū retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20. Qui teste Apostolo, quosdā dedit apostolos, quosdā autē prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad eonsummationē sanctorū in opus ministerij: in ædificationē corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatē fidei, & agnitionis filij dei in virū perfectū, in mēsurā ætatis plenitudinis Christi, Ephē. 4. In hoc catalogo cōputātur Archiepiscopi, Episcopi, & ministri ecclesiarū, Parochique omnes, & qui ad illos pertinent clerici. Nec ordines religionū secernuntur, in quibus sunt pastores, & doctores, omnes in vno corpore Christi, qui sunt citra hypocrisim fideles. Hos omnes in hac scriptura consolatur spiritus sanctus, vt nō deficiāt in tribulationibus suis, & in iugo domini diutius ferendo ne lassentur: sciētes, quoniā mali quantūuis in tēpus floreat, nō diu regnāt: tollentur autē ē medio, ne in æternū noccant sanctis, vt pacatū fiat regnū Christi. Quod quū factū fuerit sicut præcedēs sermo declarauit, tūc nimirū & angelis & hominibus plentū erit gaudiū. Ait ergo, Exulta cælū, id est ecclesia catholica sanctorū: Exultate & vos pastores gregis dominici Apostoli sancti, & propheta: qui in verbo sancto pascitis ecclesiam Christi: Quoniā iudicauit dominus deus iudiciū vestrū, eruens vos a persecutoribus vestris: quorū vltio vobis cedit in gaudiū. iuxta illud, Letabitur iustus, quum viderit vindictā, Psal. 57. Quid est quod dicē? Quū enim dominus in euāgelio præcipiat, diligere inimicos nostros, & benefacere his qui oderūt nos, & orare pro persecutoribus, & calūniantibus nos, vt simus filij patris nostri qui in cœlis est, qui solē suū ortiri facit super bonos & malos, Matt. 5. Luc. 6. Quid est quod hic horratur cælū, & Apostolos, & prophetas, vt gaudeant super excidium inimicorū suorum? Sed eninvero nō de perditione reprobōrū letari iubētur, quin potius de iusto dei iudicio. Vnde quū dixisset, Exulta cælū & sancti apostoli, & propheta: protinus subiicit, Quoniā iudicauit dominus iudiciū vestrū de illa. Vel etiā in hoc lætari præcipiuntur, quia post dānationē reprobōrū vētura est remuneratio sanctorū. Neque enim ante electi subleuabūtur in cælū ad beatā gloriam,

Sancti an super perditione aduersariorū gaudeant.

quā reprobī damnentur in infernum. Gaudent ergo, quia dum illi pereūt, gloria illorum appropinquat. Gaudent, quia iusto Dei iudicio concordant. Non enim illi concordarent, si de eius iusto iudicio non gauderēt. Vnde quum dominus ruina p̄reuentis mundi discipulis narraret, statim subiicit, His autem fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quoniā appropinquat redemptio vestra. Ac si diceret, Quum ex mundi desolatione finem eius appetere cernitis, respicite, & leuate capita vestra, id est, considerate, & exhilarate corda vestra: quia dum finitur mūdus, cui vos amici non estis, prope fit redemptio, quam speratis. Obserua. In cælo, in apostolis, & in prophetis comprehenditur omnis ecclesia à principio sæculi vsque ad finem. Quoniam iudicauit Deus iudicium vestrū de illa, ciuitate impiorum, scilicet: hoc est, illud iudicium, de quo superius cap. 6. dictum est, Vsque quo domine, sanctus & verus, non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Iudicauit ergo iudicium vestrum, id est, damnauit illam meretricē iuste, quæ vos damnauit iniuste: & quæ vobis temporalem iniecit mortem, æternam subiit pœnam. Zelo ergo iustitiæ hortantur ad gratulandum: & vt amore gloriæ incensi, appetant quamprimum iungi præsentis deitatis, vnde perfecta sanctorū promanat gloria. Sequitur.

Punct. 2.

Et sustulit vnus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens, hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.

In visione imaginaria apparebat Ioanni quod angelus vnus fortis proiecit saxum grande quod erat ad fornā lapidis molaris in mare: ad figurandum, & facto exemplari demonstrādum, quod Christus magni consilij angelus in die iudicij proiciet subito in infernum omnem impiorum congregationem. Simile legis apud Ieremiā, Quum, inquit, veneris in Babylonem, ligabis lapidem ad librum istum, & proicies illum in medium Euphratem dicens, Sic submergetur Babylon, & non consergetur à facie afflictionis, quam ego adducam super eam. Vnde nūc subditur de Babylone, cuius typus fuit Babylon illa Chaldaica, & vltra non inuenietur. Bene ergo hoc facto

Lapis molaris in mare missus.

angeli figuratur, quàm potenter & cito exterminanda sit in tempore suo ciuitas diaboli: quum dominus Iesus sedens in iudicio cum senioribus populi sui sententiam denunciatus dicet, Ite maledicti in ignem æternum, Matth. 25. Tunc veraciter vniuersa ciuitas diaboli, & reproborum cum magno impetu in profundum mittetur: & sicut lapis magnus in mare missus non emergit vterius, sic nec illa semel præcipitata liberabitur. Congrue autem non qualemcunque lapidem, sed quasi molarem dixit: quia videlicet Babylon ista reproborum, sicut pondere grauis est peccati, ita & erroris agitatione instabilis: quorum vtrunque, id est, pondus & instabilitatem plenissime in se exhibet lapis molaris. qui & pondere grauis est, & circulari agitatione instabilis. Nunc id quod de angelo dictum est videamus. Diximus enim Christum per angelum hunc exhiberi, qui recte & vnus est & fortis: vnus, quia vnus ipse est mediator Dei & hominum vt Paulus habet. 2. Tim. 2. Qui & fortis est, ad debellandas aëreas potestates. De quo Psalmographus ait, Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Psal. 23. Donec fortis is angelus non apparuit, possidebat omnia malignus: dum autem aduenit superans fortior ipse fortem, omnia vasa eius abstulit, Luc. 11. Et vt apertius dicam, Animas ab eius potestate ipse iuste abstulit, quas tenebar ille per fraudem. Sequitur.

Et vox citharedorum, & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in ea amplius.

Impij solatio
carebunt
damnati.

Scriptura hæc ostendit quia carebunt impij omni solatio: nec vero frustra meretricis tantæ musica omnis condemnanda prædicatur, quia eius foelicitas summa cum voluptate defluxit: & lasciuia erant carmina, quæ ab ea modulabantur, vt pote dæmonum iuentiones. Porro in veris Dei laudibus musicæ artis rationale obsequium adhibetur, & eis qui legitime canunt, psallunt sapienter, remunerationis præmiū erit cælestis sempiternum, de quo post paululum scriptura ista bonum referens auditū magnifice patietiam sanctorum consolatur. Ac si diceretur, Nulla suauitas harmoniæ, nullus sonus auditū qui mulceat erit in damnata impiorum collectione: sed plâctus, & vltimus, & miserabilis clamor in sempiternum, Ecce

qualis erit pars reproborum, qui vitæ præsentis gaudia præterere æternis. Bonum erat eis per luctum peruenire ad ea, quæ intermina sunt beatorum gaudia, quàm de temporalibus hisce gaudiis transire ad sempiterna lamenta. Atque vtinam sufficeret eis sic gaudium perfrui transitoriis, vt non alios corrumperent conuersatione morum. Sed heu, quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium: proinde consumentur quasi stipula ariditate plena. Naum. 1. sequit. * Punc. 4.

Et omnis artifex: & omnis ars non inuenietur in te amplius: & vox mole non audietur in te amplius: & lux lucernæ non lucebit in te amplius: & vox sponsæ & sponsa non audietur post hæc in te: Quia mercatores tui erant principes terræ, Quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.

Principium huius textus sic alibi legitur, Omnis artifex cuiuscunque artis. In summa, omnia quæ ad vsum, vel ad solatium humanæ vitæ pertinet, tolluntur ab impijs: eo quod in vita sua receperint bona, & in seductionibus eorum multos errare fecerunt. Hæc autem quæ hic dicuntur certo certius implebuntur in impijs. Non solum enim artificia nulla erunt, sed etiam quicquid arte elaboratum fuerit peribit illis. Cælum enim & terra transibunt illis mutata à priori forma iuxta qualitatem, vt non eis seruiant. Neque ventri amplius indulgebunt hi: quando mola eis nulla erit, nec vox eius audietur. Nec lucis solacia habebunt, densissimis compressi tenebris, clausi perpetuo horrore carceris inferni: vt qui internam fidei lucem contempserunt dum viuerent, post mortem in tenebris sint externis, quos mitti iubet rex in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium, Matth. 22. & 25. Præterea nec blanda vox sponsi aut sponsæ audietur ibi, quorum blandicies vertetur in execrationem: vt qui procaciter multa lasciuie locuti sunt, execrationibus vltro & citro inuicem iaculatis saturentur. Quod vero subdit, Quia mercatores tui erant principes terræ, adhuc persistit in enumeratione causæ, cur videlicet hæc Babyloni eueniat. Ac si dicat, Idcirco nihil omnino virtutis, quod præmio dignum sit remanebit in te: quæ etiam illa quæ bona fecisti, ob vanam gloriam, & temporalem laudem fecisti, venditans ea tuis vanis laudatoribus, nec vnquam

Nulla solatio
erunt
damnati.

*Mercatores
vani adula-
tores.*

veram iustitiam coluisti: vt non alij sint mercatores eius, quàm vani adulatores, ij & principes terre, terrenis inhabitantes, mentientes pro terrenis apud reges terrarum, quos diximus supra, principalem, & magnam portionem huius meretricis cõdemnatã existere. Iustitiã ergo tuã laruã tulisti mercedem à tuis vanissimis adulatoribus, qui te insigniter commendabant, velut iustam, & piam, tua obfucata facinora, alioqui teterrima, vt minime te hæc eliberent à pœnis: Nam sunt alia quæ te cõdemnent, etiam si hæc pro te essent. Primum est, quia in veneficiis tuis, id est, scãdalo pestilenti ac pessimo tuo errauerunt gentes, id est, scãdalizati sunt multi: quia sicut ecclesia in omnes mundi gentes diffunditur, ira & Babylon, cuius principalis pars (vt sæpe dixi) mali principes sunt, exemplo malo & pestilenti doctrina multos corrumpentes.

¶ Punct. 5.

*Et in ea sanguis prophetarum, & sanctorum inuentus est:
& omnium qui interf:cti sunt in terra.*

Sermo diuinus aliquando loquitur ad Babylonem in secunda persona, aliquando de ea in tertia. Dixerat enim supra, Omnis artifex, & omnis ars non inuenietur in te amplius. Nunc autem persona mutata dicit, Et inuentus est in ea, &c. In quibus verbis ostenditur in hac Babylone, ciuitate meretricis totum corpus diaboli debere intelligi. Sanguis autem inuentus est in ea, quod membra eius sunt ij omnes, qui effuderunt, & effundũr innoxium sanguinem: à primo parricida Cain vsque ad vltimum nec pœnitentiam egerunt agũtque. De quibus loquitur spiritus sanctus dicens, Viri sanguinum declinate à me, Psal. 138. Et in Psal. 15. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Non solum ergo prophetarum, & sanctorum sanguis ab hac Babylone exquiritur: sed etiam omnium pariter, qui interfecti sunt in terra iniuste. Alij addunt, variis in præliis: eo quod bellorum causa non alia fuit, quàm cupiditas terrena, qua ebria est Babylon. Custodiat nos dominus à malo eius.

CAPVT XIX.

* DE VOCE MAGNA LÆTITIÆ IN

CÆLO AUDITA HALLELVIAH.

Sect. I. Punct. I.

P

*Ost hæc audiui quasi vocem magnam tubarum
multarum in celo dicentium Halleluiah.*

Græcus textus habet, Audiui vocem turbae multae. Proinde consentaneum erat interpretem ponere turbarum, & non tubarum: vel certe ad Græcam veritatem in singulari turbae multae in celo dicentis, Halleluiah. Hæc est vox consolationis & lætitiæ communis post interitum Antichristi: quãdo omnis Israël saluus erit vniuerso orbe fidẽ Christi recipiente. Nota, vox magna dicitur audita: quia multorum, quia omnium. Porro halleluiah Hæbræa vox est, Latinis sonat Laudare dominũ: vox plena gaudij & omnis exultationis. scribitur autem cum aspiratione in Hæbræo ante & post: sic, halleluiah: cõposita à hillel, quod est laudauit: & Iah quod diuinum nomen est, solẽtque veri Deus vel dominus. Quæ gratissima laus est, perfectissimiq; affectus in Deum explicatio: quo nomine plerique Psalmorũ inscripti sunt. Horum vnus sic in frontispicio habet titulum rei suæ præ se ferẽs, Halleluiah reuersio Aggæi & Zachariae. Quod præsentis loco maxime competit. Aggæus quippe & Zacharias captiuitatem filiorum Israël factam à Nabuchodonosor solui singulariter prædixere, templi quoque destructionem: qui & ipsi demum in reuersione illorum in Hierusalem affuerunt, templique reedificationi interfuerunt: id quod certissimus futurẽ rei est typus, & prægestamen quoddam. Nam quemadmodũ olim destructa veteri Babylonia: & illius rege Baltasar, qui tẽpli Dei vasis abusus fuerat interfecto, à Medorũ rege Dario data est libertas redeũdi filiis Israël in Hierusalẽ, vt & templũ cõuulsũ reedificaret, & ciuitatem: redditis sacris vasis templi, vt templũ reportarentur. Ita contrita mystica Babylone, & pereunte Antichristo qui cunctis Dei vasis abutetur, hoc est, Dei electis: dabit pax ecclesiæ in toto terrarũ orbe, & quæ con-

Halleluiah.

*Ecclesiæ pax
vniuersalis.*

uulsa destructaque erant in ecclesia Dei reedificabuntur. Vasa sancta inferentur, namque & sacerdotium in pristinam dignitatem restituetur, habiturum maiorem honorem quam vnquam antea, quando cum ingenti latitia cordis ac vocis exultatione ab omnibus cantabitur halleluia. Obserua, ratio ordinis euentuum minimè sinit locum subito sustolli ad caelestium exultationem: quamuis nonnulli ita reddere conati sunt, minus attendentes rerum ordinem: sine quo facilè quibus in expositione tantæ rei hallucinari poterit. Quum enim de interitu Antichristi actum sit in superioribus tanto fragore, tanto cladis horrore sicut accepimus: nunc spiritus in consolationem credentium describit latitiam quæ sequutura est tam solenniter: vt primo aspectu statim persuasibile sit incauto passum scripturæ huius debere accipi de exultatione, quam perpetuam habebunt sancti in patria, post resurrectione: fatius tamen intelligi arbitror de communi ecclesiæ vniuersalis latitia, quæ sequetur antichristianam persecutionem: in quod nõ nihil suffragari videtur figura quoque liberationis filiorum Israel de Babylonica captiuitate. Nam quod contrito regno Babylonis filij Israel ex captiuitate Babylonica rediere in Hierusalem, vasaque sacra illata sunt: & templum reedificatum, & ciuitas: plane significat, quod contrito regno Antichristi, fideles reuertentur intra sinus ecclesiæ: qui abducti per varios seductionis errores alienati à Deo suo erant, & sacerdotes in templo suis restituentur honoribus. Tunc equidem implebitur illud quod dicitur: quia maior erit gloria secundi templi quam primi quod in vniuersum gloria domini implebitur. Quod ergo vocem audit Ioannes in caelo, figurat sanè illam exultationem quam habituri sunt credentes in tempore illo de interitu Antichristi, & liberatione ecclesiæ, & pace vniuersali: & etiam quia totus orbis conflueret ad recipiendam fidem christi. Quid putas qualis erit tunc exultatio illa? Talis erit vt propemodum exæquet illam, quam habituri sunt sancti post resurrectionem in caelesti patria, eamque perscribat. Solet enim vna exultatio alterius typus esse, sicut contra & tribulatio, vt non mirum sit quosdam statim locum hunc scripturæ ad caelestem beatorum exultationem retulisse, quod

tanta solennitate tanto lumine describatur. Non fuit ab initio talis letitia, tam solemnus triumphus. Similis locus est supra de signatis ex omni tribu filiorum Israel: & de innumerabili turbæ magnitudine collectæ ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. Indicat namque ea innumerabilis turba multitudinem eorum qui tunc conuertentur ex omni gente quæ sub celo est: & etiam figura est electorum omnium, qui referendi sunt ad sedem quietudinis sempiternæ:

* Punctus 2.

Laus, & gloria, & virtus Deo nostro, Quia vera, & iusta sunt iudicia eius: Qui iudicauit de meretrice magna, qua corripuit terram in prostitutione sua: & vindicauit sanguinem seruatorum suorum de manibus eius: & iterum dixerunt, Halleluia.

Haymo dicit, hoc esse halleluia, quod dicere laus: quia omnis creatura caelestis & terrestis Deum laudare debet, & gloriã, id esse quod honorem, & exultationem. Tribuitur autem virtus Deo nostro, quia ipse vicit diabolum, & electis suis potestatem vincendi tribuit: quibus ipse dixit, Confidite, ego vici mundum. Ioan. 16. Noua translatio ex græca veritate habet, Salus, & honor, & gloria, & *Salus Deo est* virtus domino Deo nostro: quæ voces rectè sibi inuicem *proprium.* succedunt, vt primo sit salus, deinde honor, hinc gloria, post hæc virtutis attestatio. Salus enim solius Dei, qui in se primum, & à se, & per se conseruari habet, nullius egès adiutorio: per se autem sibi sufficiens, ideo non est in eo mutatio, nec vicissitudinis obumbratio, vt Iacobus ait. Perpetua enim virtus est Deus, qui & alia à se in vniuersum conseruare valet: cui tribuunt sancti salutem, qua conseruantur, quoniam virtute eius fit vt conseruentur. Scriptum est enim, Rex non saluatur per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Psal. 32. Nemo est cui propria merita sufficiant in salutem, vt pote rem tanti momenti: sola autem virtus gratiæ Dei id efficit, vt salui simus. Ergo ea ipsa in primis est quaerenda: vt non fide torpeas, sed quodcunque poterit manus tua instanter operare, Eccl. 9. Non est, inquit, Paulus volentis neque currentis, sed miserentis Dei, Roma. 9. Et

*Miseratio
Dei gratia
collatio.*

Exod. 33. Moyſi dicit Deus, miſerebor cui voluero: & clemens ero, in quem mihi placuerit. Miſeratio Dei eſt gratia eius collatio, & ſaluatio à malis, ſiue peccati, ſiue pœnæ: quæ à ſolo Deo eſt. Et vt in eis expendamus qui ſuperſtites erunt periculis Antichriſti, ſola Dei miſeratione fiet, vt ſeruentur, vtque non pereant, & qui referuntur in cælum: quatenus merito à ſeruatis eſt tot periculis, honor illi tribuatur, & gloria, & virtus, quòd hæc omnia propriè habeat Deus, & honorem & gloriam, & virtutem. Honorem à præſtita laude, gloriam ex laudis honore naſcentem, virtutem in potentia efficaci, quod in virtute & potentia conſeruet ſaluèque eos, qui verè illi honorant & glorificant. Cæterum prorumpunt in hanc commendationem ſancti fideles Dei, cauſa hortante eos iuſtitia iudicij eius, quia vera & iuſta ſunt iudicia eius. Cuius eius: dei, qui multis nominibus laudè à ſanctis ſuis promeretur, qui liberauit eos de meretrice magna, quando in eius membris condemnauit eam: vt hi qui ſanguinem fuderunt, ſanguinem bibant. Quid eſt ſanguinem bibant, niſi vindictam ſanguinis ſuſtineant? Hinc Pſalmiſta ait, Iuſtus eſt domine: & rectum iudicium tuum, Pſal. 118. Sic ergo liberauit ſuos de meretrice magna, quæ ſui corruptione corrupit terram, hoc eſt, immunditia carnis, vel idololatria, ſeu etiam terrenorum cupiditate: Et vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius. Quid eſt vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius? niſi contrita eius poteſtate in violationem fui ſanguinis ſeruorum ſuorum, id eſt, quæ ſudit impia, ſeruos Dei mactando abſque reſpectione animarum ſanctarum: liberos ſuos fecit, ne amplius eis nocere poſſit. Vel etiam vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum, id eſt, liberauit vitam eorum, qui ei fideliter ſeruunt, & qui per mortem erepti ſunt, & qui ſuperſtites in viuus permanſerunt: vt vtrobiſque liberi ſint ſerui Dei cæterum à neſandorum perſequutionibus. Et iterum dixerunt, magna ſcilicet lætitia cordis eorum geſtiente, Halleluiah, commemorando enim diuinæ æquitatis iudicia delectati fuere in laude ipſus, ideo repetitis deum vocibus laudauerunt: ad innuendum quòd inſatigabili aut inceſſabili voce Deū laudare debemus. D. Hay.

*Sanguinem
bibere.*

Geminatio, ſermonis cõfirmatio eſt. Eccleſia enim ſemper indefinenti affectu Deum laudat, ex cuius perſona Pſalmiſta dicit, Benedicam dñm in omni tẽpore, ſemper laus eius in ore meo. Pſalm. 33. Duo autem facta inſamæ meretricis in hoc loco (ſicut & in fine præcedentis cap.) commemorantur: primo, quòd terram corruerit fornicatione, deinde quòd ſanctorum fuderit ſanguinem crudelitate: pro quibus gehennæ incendium æternaliter ſuſtinebit. In quod ſtatim ſequitur.

✽ Punctus. 3.

Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.

Fumus hic non tam præſentis ſæculi tribulationum eſt, quàm æterni incendij: cui ſimile erit incendium iudicij, quo peribit mundus, quòue continuè pereunt impij. Vnde intruendum, quia non dicit aſcendet, ſed Aſcendit, pro tempore præſentis: quia videlicet, in ſingulis reprobis, quotidie reproba ciuitas damnatur, & ad inferni pœnas quotidie deſtinatur: quemadmodum & Hieruſalem ciuitas ſancta quotidie iuſtificatur, & quotidie tranſit in electis ad patriam cæleſtem. Nam hic per fumum (vt diximus) flamma æternæ pœnæ deſignatur: & quia miſeri in æternum torquebuntur, fumus eorum in ſæcula ſæculorum aſcendere dicitur. Locus reſellit opinionem eorum, qui putant reprobos exactis certis annis, nec paucis, poſtea tranſituros ad gloriam, contra ſententiam domini, qua dicit, Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Quicquid enim æternum eſt, terminum non habet. Fumus ergo eius aſcendit in ſæcula ſæculorum: quia nimirum tormenta, quibus reprobi continuè traduntur, finem non accipient. Infernalis namque camini babilonici ſuccèſſio perdurat æternum. Vnde pœna eius grauis eſt propter tormenti acerbitatem, grauior propter ſuppliciorum diuerſitatem, grauiſſima propter æternitatem. Quod vtique ſolicitè eſt nobis cõſiderandum, & vehemèter expauidendum, ſed quibus? Primo incredulis: quorum primũ & maximũ eſt peccatũ incredulitas. Qui enim non credit iam iudicatus eſt, hoc eſt, infernali igni deſtinatus. Deinde, improbitate fidem abiurantibus, quos ſemper vitiorum gurges conſequitur, ad pœnam: iuxta quorum qualitatem pœnas

*Reprobi
quotidie dãm-
nantur.*

*Eccleſia quo-
tidie iuſtifica-
tur, & tranſit
ad patriam cæ-
leſtem.*

*Inferni pœ-
næ grauitas.*

*Fides in san-
ctitudine vi-
te saluat.*

damnati plus minusve accipient. His ergo expauendum, non pijs, non credentibus: qui probitate fidem adornant quorum conscientijs pauorem ademit Christus passionis tolerantia, vt sint ei in peculium. Nemo ergo se seducat, nemo sibi blandiatur velut fide sanctitudinem omnem ita imbiberit, vt perire ultra nequeat. Fides equidem saluat, sed si in iustitia & sanctitate contineatur, seruiaturque Deo in ea omnibus diebus vitæ: vt non iniuria vitæ, Dei vltionē stimulet: alias, quid intererit inter christianum Ethnicūque: quos pares, vita nihil discrepās fecit.

¶ Punctus 4.

Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt deum sedentem super thronum, dicentes, Amen, Halleluiah.

Quemadmodum per. xxiii. seniores intelligantur sancti veteris ac noui testamenti, qui figura sunt duodecim apostolorum ac duodecim iudicum, quos Deus instituit: opinor ex precedentibus palam esse. Per quatuor autem animalia sine altercatione euangelistæ & ministri verbi Dei vniuersi intelliguntur. Qui cadunt vsque adhuc coram Deo: gratias ei agentes in summa gratulatione animi (viuunt enim: & non defecerunt) quòd tanta gratia summa illa maiestas, ecclesiam pro qua ipsi tantum laborarunt nō deseruit in sinem, sub quorum personis in hoc mundo intelliguntur primores ecclesiæ, qui regunt subiectam plebem: qui omnes videntes erga se immensa Dei omnipotentis beneficia, ardentissimo in eum spiritu excitati sese submittent, & humiliabunt, adorantes Deum & dominum nostrum Iesum Christum tanquam excelsum præ regibus terræ, qui potest saluare & perdere: qui recto iudicio iudicat omnes: vt bonos saluet, perdat malos. Iste ergo casus seniorum, & animalium non pertinet ad ruinam, sed ad humilitatem. Cadunt enim ante sedentem in throno, id est, ante deum, qui præsidet suæ ecclesiæ: quia semet ipsos humiliant, & quicquid habent, in fide & opere ipsi deputant, à quo hæc perceperunt, qui dicit, Sine me nihil potestis facere. Aiunt itaque adorantes, Amen, id est, verum est, quia Deo nostro debetur laus & gloria & virtus: qui iudicauit de meretrice magna. Iustū equidem erat, vt qui sanguinem sanctorū sibi iuit, sanguinem

nem bibat, hoc est, vindictam sanguinis sustineat: & idcirco laudāndus est: qui siue propter voluptatum gustum, variisque carnis contraminationes, seu effusiones sanguinis non nisi iuste reprobos damnat. Halleluiah, hoc iungitur ad immensitatem gaudij: quippe ex immensitate gaudij hortantur sancti ad laudandum Deum. Ita enim hebræa vox halleluiah interpretatur, Laudare dominū tanquam non sit ei sufficiens, qui primi sunt sanctorum, pro merito laudare dominum, nisi adsint in eadem celebritate & alij, id est totum corpus ecclesiæ sanctæ. Nota, non ab re sedentem in throno dominum dicit. Thronus iudicij est sedes, iuxta illud, Parauit in iudicio thronum suum. Psal. 9. Quia enim mox de iudicio eius mentio facta est, congruè in throno sedentem dominum commemorauit, etiā si thronus ecclesiæ sit sanctorum, in qua est sedes eius, sicut scriptum est, Dominus in cælo sedes eius, Psal. 102. Et, Dominus in cælo parauit sedem suam. Psal. 102. Cælum autem militans est ecclesiæ, præterquā quòd sit beatorum requies: quo nomine & sancti non raro intelliguntur, vt est illud, Cæli enarrant gloriā dei. Psal. 18: Et iterum. Confitebuntur cæli mirabilia tua domine. Psal. 88.

¶ Punctus 5.

Et vox de throno exiit dicens. Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius: & qui timetis eum pusilli & magni.

Vox ista, quæ de throno profiliit, inuitatio omnium est ad veritatis confessionem, & vt dignam tribuant laudem deo: cantent & psallant de cordibus suis in omni gratiarum actione, iuxta quod multiplicauit misericordiam suam nobiscum deus, secundū omnes promissiones suas, quas fecit patribus nostris, quorum filij nos sumus per fidei imitationem in omnibus bonis, quæ in nobis operatur deus. Quo in loco impensius considerandum nobis est, quia vox profiliit è throno. Thronus autem ecclesiæ est. Ecclesiæ ergo præcepta per hanc vocem quadratissime capiuntur, de qua dñs dixit, Qui ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Matt. 18. Et quia vox iuberet illi laudem Deo: quicquid Ecclesiæ instituit ad laudem dei in suis fidelibus est impretermissè obseruandum, nisi quis alioqui velit Ethnici nomine iniuri. Sed Ecclesiæ ritus sacrorum sanxit, instituit quo ordine sacerdotiū

*Thronus sēa
des iudicij*

*Vox de throno
prophiliens,*

*Ecclesiæ præ-
ceptis obediē-
dum.*

Hh

consecratur, officia horaria interdiu & noctu, quo ritus peragantur: & alia. Opera præcium itaque fuerit ea omnia obseruare, nec contemnere, nec aliter ordinare quam sunt ordinata. Nostrium est parere: non causas trutinare, quare hoc ita, aut quare illud secus instructu sit. Dicatur ergo, Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius. Qui hic per sanctos intelligantur, facile est considerare, quoniam in christo, in fide eius per baptismum omnes sanctificati sumus, iustificati à peccatis, Deo viuimus. Sancti ergo credentes in Christum sunt, qui timent Deum pusilli & magni. Hoc est, quod dicebā antea, non statim beatos esse simul atque fidei sacramentis iniciamur, nisi & præcepta dei custodiamus, & hi sunt qui timent deum. Timēs offendere deum, custodit præcepta dei: & hic est qui diligit Deum. Ioan. 14. Haymo, seruos legit, non sanctos: sed ad idem pertinet. Seruus enim christi fidelis est: quem redemit proprio sanguine Christus: cui tenemur seruire ex pacto ex omnibus mandatis eius: quos dominus habet in peculium iure emptionis. Quare autem timentes Deum laudare præcipiantur, quum ipse Ioannes dicat in Epistola sua, Quoniam timor penam habet. Et, qui timet non est perfectus in charitate. Sed sciendū nobis est, quia duo sunt timores. Est enim timor seruorum, est filiorū. Serui timent flagra ne verberentur si quo minus rem herilem tractauerint, aut præceptis non obsequandauerint. Filij timent ne deliquo peccus paternū quod propensum sibi vident conturbēt, immo ne paterni pectoris dulcedinem vel tantilla amaritudine viciant, in qua sublimiter delectantur & viuunt. Timent etiam offendere ne hæreditate priuentur. Aliter ergo timent mali, aliter boni: mali timent, ne flagellentur, neve ob flagitia in supplicia æterna damnentur: boni ne piissimum patrem offendant: qui hoc loco iubentur laudare deum, pusilli & magni. Pusilli sunt qui alta penetrare non possunt, de quibus Apostolus, Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam. 1. Cor. 3. Et Hebr. 5. Imbecilles facti estis ad audicdum: Etenim quum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis vt vos doceamini quæ sunt elementa exordij sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus

Sancti credentes omnes.

Timētes omnes laudare debent Deū.

Timor duplex.

Timor electorū reproborūque.

Pusilli in ecclesia quæ.

fit non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est: perfectorum autem est solidus cibus, eorum, qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali. In quibus verbis sanè docet Paulus, qui sunt paruuli: vt non opus sit pluribus: quæve magni, quoniam spirituales ac perfecti. Potest & ad ætates referri: vt pusilli innocua ætate sint. Magni, virilem statum iam assequuti, qui promiscuè in Ecclesiis laudat deum permixtis vocibus cantantes & psallentes domino Deo omnipotenti, qui vult ab omni ætate laudari: cuius delitiæ iam sunt nobiscum postquam in peculium facti ei sumus, in sanguine Christi: qui iussis eius per omnem modum paremus. Magni sunt & qui dignitate ceteros antecellunt, nec horū laudes contemnit, si ex vero corde & humili proficiantur. Pusilli vero subiecti, sincere & fideliter Deo seruietes, præcepta custodientes. Magni sunt & illi, qui virtutibus præminent, quinque talentis domino quæstum facientes: aut duobus superabundantem vsuram cumulant, Domino attestante, Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5. Pusilli possunt esse & fragiles, qui quum lapsi fuerint resurgunt multo humiliores. Aut Pusilli humiles, nihil magni de se sentientes: qui & ipsi cum magnis, id est, perfectis laudat Deum, placent enim illi: qualium esse dixit regnum cælorum, Matth. 19. Luc. 18.

✽ Punctus 6.

Et audiui vocem quasi turba multa, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Halleluiah: quoniam regnavit dominus Deus noster omnipotens.

Magna vox hæc, quæ tot rebus comparatur: vnanimis & concors collaudatio sanctorum est: quæ primum voci turbae multæ exæquatur, deinde aquarum multarū sonitui: postremo terrifico mugitui tonitruorū, hoc est autē turba multa, quod aquæ multæ, vt in sequētibz expressè legis. Obserua, vulgata æditio non turbae sed turbæ habet: quo pacto etiam alij expositores documenta sensuum reddunt, præter nonnullos, qui ad Græcā veritatem

Hh ij

Magni in ecclesia perfecti.

textum reddidere: quorum ego studium imitatus correxi errorē, vt non tubarum, sed turbarum vt supra, ita & hic ponerē. Vitio namque scriptorū multa inuerſa ſunt, quæ è graciſ fontibus magis corriguntur. In voce tonitruorum, terror exprimitur iudicij: & dira cōminatio ac terrificatio p̄c̄torum. Habet namque Eccleſia & conſolatoriā & terrificam vocem: mitiore in pios vtitur, terribiliore in impios, ſi quomodo conuertantur, vt ſanet eos Chriſtus. Vox tubæ multa, cōmunis populi eſt conſenſus in laude Dei, in fide & gratiarū actione: idē & aquarū multarum eſt: quæ futura eſt in nouato orbe poſt interitū Antichriſti: quando reparabitur iterum ſedes Chriſti, iuxta illud, Parata ſedes tua. Cuius etiam t̄ternitas ibidem cōmemoratur, quū dicitur, A ſeculo tu eſ. Et deinde totus Pſalmus explicat diuinam fidelium conſeſſionem in vocibus fluminum, aquarūque, prout & hic. Cæterum hi qui tubæ multæ ſupra, & hic legunt: idcirco voces ſanctorum tubis comparāt, quod prædicatoribus per Eſaiam dicitur, Clama, neceſſes: quali tuba exalta vocē tuā. Et vt multitudo tubarum, multus ſit concentus fidelium: & ij vnā vocē dent: quia omne quod loquuntur, in vnus fidei concordia loquuntur. Haymo, dicit. Iſtæ ſunt tubæ prædicatorum, quibus ſeptem diebus Hierico circumeunibus, muri illius corruerunt: quod myſticè in hac eccleſia cōpletur, in qua per ſeptem dies, hoc eſt, per omne tempus huius vitæ, prædicatoribus tuba doctrinæ inſonantibus, oīs fortitudo infidelium ruit. Sequitur. Quoniam regnauit dominus deus noſter omnipotens. Ac ſi dicant, In eo nobis collaudandus eſt, quā ſicut ab initio mundi regnauit in nobis diabolus: ſic ab aduētū ſuo, maxime vero à gloria reſurrectionis ſuæ regnauit pulſo diabolo Chriſtus. Et nos qui eramus regnum diaboli facti ſumus regnum Chriſti & Dei, Paulo dicēte, Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ: in quo habemus redemptionem, & remiſſionem p̄c̄torum, Col. 1. Idem Ephēſis ſcribēs ait: Benedictus Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti: qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituāli in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi cōſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, in charitate: qui

Tuba prædicatorum vox.

prædeſtinauit nos in adoptionē filiorū, per Ieſum Chriſtum in ipſum: ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudē gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionē, per ſanguinē eius, remiſſionē peccatorum, ſecundū diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis, in omni ſapientia & prudentia, ca. 1. Et in ſeq. Et vos conuiuificauit, quum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulatiſtis, ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aëris huius ſpiritus, qui nūc operatur in filios diffidentia: in quibus & nos omnes aliquādo conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, faciētes voluntatē carnis, & cogitationū: & eramus natura filij iræ ſicut & cæteri. Deus autem, qui diues eſt in miſericordiā, propter nimiam charitatē ſuam, qua dilexit nos: & quū eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati: & correſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus, in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſeculis ſuperueniētibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper vos in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus: vt ne quis gloriētur. Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit deus vt in illis ambulemus. Hæc & plura valde vtiliter ſcripta legis ibidem. Quæ omnia magna cū laude commemoratū ſunt ſancti illius venturi ſæculi, quādo eripiuntur de poteſtate tenebrarum pereunte Antichriſto inſormi monſtro.

Gratia Dei donum.

✱ Punctus 7.

Gaudemus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptia agni: & vxor eius preparauit ſe: & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino puro. Splendido: Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum.

Hæc vox nō Antichriſtianorū eſt neque ethnicorum, ſed nec quidē Iudæorum, qui à fide Chriſti, & confortio fidelium longè ſunt alieni: ſed ſanctorū qui nuper eruti ſūt de clade Antichriſtiana, & ob id mutuo ſeſe cohortantur ad cōmunem congratulationem, vt gaudeant & exultēt Deo adiutori ſuo in omni gratiarū actione, qui ex ſua magna miſericordiā dignatus ſit eos eripere de poteſtate tenebrarū, & tranſferre iterum in regnū filiorū adoptio-

Hh ij

nis suæ, secundâ promissionem gloriæ suæ, sicut in Osee dicit. Vocabo non plebē meam plebem meā: & non dilectam dilectā: & non misericordiā cōsequutā, miā consequutā. Et erit in loco vbi dictum est eis. Nō plebs meo vos, ibi vocabūtur filij dei viui. Osee. 1. & 2. Ro. 2. perierant omnes per seductionem pseudoprophetarum antichristi in signis & miraculis, & potentia sermonis. Sed restituti sunt per christum tanta gloria: tanto splendore, vt consequens illud gaudium velut nuptiale abstergerit oēm illam mestitudinem, quam contraxerant ex tempestate tribulationis prioris. vt dicerent: *Quia* venerūt nuptiæ agni. Nuptias in sacro eloquio sæpe legimus appellatam esse Christi, & Ecclesiæ coniunctionem, vnde est illud, Simile est regnū cælorum hoi, qui fecit nuptias filio suo, Matt. 22. Sponsus est Christus, Sponsa Ecclesia, quam sibi desponsauit fide & baptismatis gratia, iuxta prophetæ vocem, Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsa te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia, & miserationibus: & sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego dominus. Osee. 2. Dedit itaque sp̄sus iste Christus, huic sponsæ arrhabonem, id est, fidem, cum spe assequēdæ cælestis gloriæ, & charitate, indiuidue eam sibi iungente, quatenus amādo, præceptorum eius iura obseruaret, & spe gloriæ fruere. Venerunt ergo nuptiæ agni, id est, plena & consummata coniunctio christi cum Ecclesia celebrata est semel, & iterū celebratur. Magna celebritas illa fuit, quando Constantinus magnus Christi fidem suscipiens baptizatus est à beato Siluestro papa, & construendis ecclesiis incubuit, tradens occidentale imperium in manus Siluestri papæ, & successorum eius, ea intentione vt pontifices romani potētes essent aduersus hostes Ecclesiæ, & vt æterna pax per hanc potentiam illi esset, sæculari potentia transeunte in spiritualem. Tūc dilatata est magis ecclesia in vniuerso orbe, & cantabatur vbiq; Christo, Halleluia: & nuptiæ agni celebrabantur in vniuerso orbe: Sed quia interuenientibus sæculis, iam non ea pace fruitur ecclesia Dei, quæ sub sexto tempore minus multo pacem habebit, iactabitur enim & affligetur. Septimo itaque adueniente post interitum antichristi, rerum renouabuntur

Nuptiæ agni.

Nuptiæ agni tempore Constantini primū fuerunt.

nuptiæ agni, quando vniuersali pace ecclesia sub toto cælo prosperabitur. Tunc & Iudæi recognoscentes suos errores conuolabunt cum vniuersa gētium multitudine ad Christum secundum illud Esa. 59. Veniet ex sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Id quod apostolus Paulus Rom. 11. pertractans ait. Cæcitas in Israel ex parte contigit donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret. Et in cap. 10. de eisdem ait. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquæ saluæ fient. In nouissimo tamen iudicij die hæc implexi magis creduntur, dum Christus electos suos in anima & corpore glorificabit: dum per beatificam visionem, suauissimam fruitionem, inamissibilem tentionem mentes suorum electorū, in thalamo cælestis regni sibi sociabit. Ausbertus harum nuptiarum sponsalia credit contracta in prophetarum sponcione, perfectum esse matrum colloquutione, cōsummatum denique in carnis & verbi vnione: Solennitas cœpit celebrari in ascensione, à quo paulatim cœpit introduci sponsa in domum sponsi per temporum successionem: sed in fine penitus introducetur per corporum resuscitationem. cui conuiuium fiet tum generale, ac iuxta æternale. Sequitur. Et vxor eius preparauit se. Evangelica tenet veritas, Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, Matth. 25. ergo preparatio ad electionem pertinet, quæ sine hac non assequitur. Hæc est causa, quare dominus tantopere vigilantiam subinde inculcat: alias, quid opus erat admonere? Dicit itaque, Et vxor eius, id est, Ecclesia, quæ sponsa est & cōiunx Christi, preparauit se. id est, aptam dignaque studiose effecit, donec peregrinaretur in via, quatenus digna existeret vniri suo sponso in patria. Duo dixi, sponsam & coniugem. Nunc enim sancta ecclesia sponsa est donec peregrinatur à domino in via: quum autem ad amplexus eius perducta fuerit in cælo, sedique beatæ reddita: videritque in re, quod nunc contempletur in spe: tunc demum fiet coniunx. Consuetudo quippe est scripturæ sacræ, vt aliquando sponsas appellet coniuges seu vxores, quasi improprie: & sponso viros: rursumque vxores sponsas, & maritos sponso, vnde, S. Matthæus Euangelista, quum dixit

Preparatio pertinet ad predestinationem.

xisset, Quum esset desponsata mater eius Ioseph, in frequentibus addidit. Ioseph autem vir eius quum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere illam. Cui angelus dixit. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quum necdum coniunx cohabitatione esset. Tale est illud. Si inuenerit, puellam desponsatam in agro & dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliavit vxorem proximi. Appellatur quoque vir vxor que sponsus & sponsa. Eo sensu Ioel dicit, Egrediarur sponsus de cubili suo &c. Proinde dicatur, Vxor eius preparauit se. Iam scimus cur vxor dicatur siue coniunx, quæ adhuc sponsa est: sed quomodo se preparauit, autem quali ornata, restat inuestigandum. Si fide dicas eam se preparasse, nec alio quàm fide erat coniunx, vt probatum est ex propheta: necesse est ergo vt aliis à fide virtutibus, sed tamen ex fide proficiscentibus se preparauerit: hæc sunt Christianæ iustificationes quæcunque. prout eadem ipsa hæc scriptura aperit, quum dicit, Et datum est vt cooperariet se byssino splendenti & candido, prout vulgata antiquiorque editio habet. Deinde, byssinum, inquit, sunt iustificationes sanctorum. De quibus loquens regius propheta ait, Et exercebor in iustificationibus tuis, Psal. 118. Et iterum, Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar. Iustificationes igitur hæc operum sunt ex fide proficiscentium: nam quod non est ex fide peccatum est. Proinde recte & byssinum purum dicitur siue candidum, & splendens: purum ob fidei candorem: splendens, ob præclarissimorum operum nitorem. In charitate autem omnes iustificationes nostræ perficiuntur: cuius induuii lucebit nuptiale conuiuium ingredi, vt non eiiciamur. Vnde, & dominus, quum de operibus sanctis loqueretur, immo magis quàm ad ea hortaretur, dixit, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, Matth. 5. Lux hæc bonorum operum splendor est, de quibus Paulus loquitur. Induite vos sicut electi dei, sancti & dilecti, viscera misericordiar: benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis. Col. 3. Idem Phil. 2. dicit fideles lucere velut luminaria in mundo. Et Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino: vt filij

*Dei præceptis
de non violā-
da sponsa al-
terius.*

*Preparatio
sponsa i qua
se attriditur.*

*Opera sancta
lux.*

lucis ambulare. Fructus autem lucis, inquit, in omni bonitate, & iusticia, & veritate. Semper enim sancti dignis operibus sese exornarunt, quia & regina circūdata varietate à dextris astitisse regi memoratur. Psal. 44. Sponsa hæc, quum adhuc paruula esset placuit altissimo in primo iusto, nec vnquam placere desit: quæ auctis incrementis grandior modo quidem, sed nondum apta introduci in thalamum sponsi, nondum enim nuptiis conueniens: quum autem venerit septima ætas eius, tum matura virgo, tum plenis nubilis annis fiet, tum animum sponsi sui specie vltro prouocabit in plenitudine credentium: & nouis ornata modis gestit vltro & ipsa quoque occurrere suo sposo.

* Punc. 8.

Et dicit mihi, scribe. Beati qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt.

Quid hoc loco cœna sit ignorare non possumus si præcedentia cum sequentibus consideremus: neque enim aliud per eam intelligimus quàm vltimi tēporis gaudia, quæ tanta erunt in dei ecclesia, vt quodammodo paria sint cælestibus: vt iure consortes conuiuij eius beati fore autumetur. Solet enim scriptura vnum per reliquum exhibere: & per gloriam cælestem exultationēque eius, quæ illius cui erunt perscribere, etiam si incōparabilis illa sit, proportione tamē quadam assimilatur: quatenus ne vilis, neue modica & ista existimetur. Consolationes namque sanctorum ita dilatabuntur, vt non nisi celestes existimentur: quando certatim regna, regiones, ciuitates, oppida, & vniuersæ gentes ad fidem suscipiendam vltro conuolare cernentur. Quid dicam? Mystera tunc agerur in credentibus cælestium gaudiorum: & tam ampliflua erunt, vt nequeant nisi cælestium comparatione describi. Quod si sancti in hoc seculo, in carne adhuc viuētes, tantas quandoque animorum intra se sentiunt consolationes: quantas, credis, tunc experientur: quando intus & extra pleni erunt Christi gloria. Nec potest hic vocatio prædestinatio esse, vt quidam hallucinantur, nec eam includere, ita quod tum temporis qui ad fidem vocabuntur infallibiliter saluentur omnes: poterunt enim multi perire, sed simpliciter intelligendo vocationem, quemadmodum & dominus dicit, Multi sunt vocati, pauci verò electi, Matt. 22.

Cur ergo vocati beati? dico, propter gloriam pacis vniuersalis ecclesiæ. Vbi nota duplicem esse vocationem: Nam quædam est interna in spiritu, sanctificans & mouens efficaciter per gratiam cor: & trahens ad Christum, de qua loquitur dominus in euangelio Ioannis dicens, Nemo venit ad me nisi pater traxerit illum. Ioann. 10. Et Paulus, Ephe. 1. Elegit nos ante mundi cõstitutionem: vt essemus sancti, & immaculati, in charitate in conspectu eius. Et. 2. Thessa. 5. Elegit nos deus primitias in salutẽ in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis: in qua & vocauit nos per euangelium nostrum. Hęc vocatio non fallit, non est ociosa: quicunque ad eum modũ vocati sunt, non pereunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manibus eius, non dubium quin Christi, de hac vocatione non loquitur hic textus. Altera vocatio per externũ verbum seu signum exemplare, sine electionis quandoque spiritu. Quia enim cupit Deus omnium salutem, quantum ex se est: vnde & in omnes inuulgari dilatarique voluit suæ vocationis verbum: non tamen omnes vocationis effectũ salutarem sortiuntur. Quare hoc? Incertum nobis est, nec de alto dei consilio quippiam præter scripturam definire audemus: solus ille nouit, quare illum trahat, hunc verò non trahat: qui libere operatur in omnibus, cui fit honor & gloria in secula seculorum amẽ. Nisi forte diceremus, quia nõ omnes capiunt salutis verbum: nec eodem modo salutis ardore tenentur. Beati namq; qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5. Quare nunc qui sunt salutem ardentes, iusticiam dei esurientes ac sitientes: & hi sunt, qui vocationis effectum cõsequuntur. Nunc denique perspice aliud, quare ista refectio cœna potius quàm prandium dicatur? Ratio in promptu est. est enim refectio vltimi temporis, cui non subsequetur alia in hoc mundo: quæ abundantissimorum charismatum, ac verbi dei, & consolationis spiritus est; cœlestis illius patriæque refectiois quodãmodo inchoatio: quæ non corruptibilem escarum quales nobis proponuntur ad mensam, & quales coci cõficiunt: sed spiritualium, quibus anima nostra repleri atque adsatiari habet, cuius suauitas exuperat omnem sensum. Eo sensu dictum est supra cap. 3. Si quis mihi aperuerit ianuam: intrabo ad illum: & co-

nabo cum illo: & ipse mecum. Non enim potest saporosior hac refectioe adhiberi. Porro, non erunt in his nuptiis, & in hac cœna, vana, lasciuia, ficta, prophana, & intemperata gaudia: sed solida, vera, honesta, sancta, ac modesta: quæ nemo scit, nisi qui gustauerit. O itaque quæ beati, & ter quaterque beati, qui ad cœnam nuptiarum harum agni vocati sunt: quique sub illud tempus erunt. Quicquid modo solemnitatũ habemus, vmbra quædam solemnitatis illius temporis est. ✽ Pun. 9.

Et dixit mihi Hęc verba Dei vera sunt.

Quis dixit? Arbitror angelus vnus ille de septem, qui phylas habebant, qui loquutus est cum eo, supra dicens. Veni, ostendam tibi dannationẽ meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, &c. Plus enim ostendit quàm promissit. Quippe qui non solum meretricis dãnationẽ, sed etiam glorificationem beatæ coniugis agui, & auditorum cœlestis carminis, quod halleluia est, Græcus textus habet, Hęc verba vera sunt dei. Et est sensus, hęc verba, & vera sunt, & dei sunt: vt si quis ea vera non crederet, ob simplicem assertionem, quod sint vera: vel ob hoc credere debeat, quod dei sunt, cuius omnis sermo veritas est: immo quia deus verax est, qui non mentitur aliquando: & hęc verba, quæ dico tibi, dei verba sunt. Et ideo pro certo obuient quæcunque futura prædixi. Accipienda igitur sunt non vt hominis, aut etiam angeli cuiuspiam puri, verba, sed vt vere sunt dei verba, credentia ac reuerentia omni, etiam si alicubi minus capiamus: exemplo beati Ioannis, qui quum audisset verba dei esse quæ angelus ei reuelaret, ob reuerentiam & affectum erga dei verbum, & ipsum deum, qui reuelatur in verbo suo, cecidit ad pedes reuelatoris. In quod sequitur. ✽ Pun. 10.

Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum: Et dixit mihi, vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu: Deum adora: testimonium enim Iesu est spiritus prophetia.

Similis locus est infra cap. vlt. Quia enim maiorem se angelum talia commonstrantem, ac docentem

videbat Ioannes, cedit ante illum ut adoret, nec tamen id angelus passus est: ubi tam angelus quam Ioannes proprias sumunt personas. Nam quum supra angelus dixit, Ego sum Alpha & ω: primus & nouissimus: ostendit illo loci personam Christi agere quando Ioannes cecidit ad pedes eius tanquam mortuus: & ponens dexteram suam angelus super caput eius solatus est eum cap. 1. Hic vero ea exutus, quum simpliciter se considerat, prohibet ne se adoret, sed Deum solum: ne diuinum sibi arroget honorem: bene enim memoria repetebat magnum illum angelum, idcirco è cælo deturbatum quia diuinum sibi honorem vsurpabat: cui spectaculo tum aderat ipse. Vbi & hoc quoque notandum quia idem angelus pedes habuisse memoratur. Dicunt eos dum ad homines missi descendunt corpus sibi tenui ex aëre coaptare: quatenus natura alioqui inconspicibilis, eo pacto se conspicabilem exhiberet. Ait ergo, Vide, id est, caue, ne feceris, quia conseruus tuus sum: ego & tu communem dominum super nos habemus, nec tantillum tibi prælatum sum, par seruili conditione, etiam si impar naturæ sublimitate: eruditorem nunc ago domini iussione: missus sum ut te erudiam non ut tibi me præferam, socius datus sum non dominus: conseruus autem sum non solum tuus, sed & omnium fratrum tuorum, in Christum credentium, habentium testimonium Iesu, hoc est, fidem. Causa in promptu ex his est, Cur angelus à Ioâne se non permiserit adorari: Dei quippe filius factus homo, humanam in se naturam assumens, non solum illam angelis coæquauit, verum etiam super angelos in immensum sublimauit. Proinde angelus socium tantummodo se agnoscit, non superiorem: conseruum non dominum. Aliis imaginariè hæc omnia visa fuisse magis quam corporaliter probantur: quemadmodum & angelus eidem apparuit, qui cum ipso loquebatur, & commonstrabat per formatas imagines omnia: & quod nec ipse angelus in assumpto corpore, sed specie formata interno sensui sese exhibebat: cecidit ergo Ioannes ante pedes eius, eo modo, quo Ezechiel in spiritali visione adductus in Hierusalem, cecidit in faciem suam. Ezech. 4. Nam casus iste in spiritu fuit, videlicet in imagine, quemadmodum supra de se ait, Fui in spiritu in do-

Angeli pedes.

Angelus recusat sui adorationem.

minica die. cap. 1. Porro ostendit quod testificari de domino Iesu sit, & angeli & hominis, dicens conseruum se esse omnium habentium testimonium Iesus immo ut prædicatores fidei synceri sint & veraces, eo quod angelorum ad homines gerant officium, qui & ipsi angeli in scriptura vocantur, Malach. 2. & 1. Cor. 11. Debet, inquit, mulier velamen habere super caput suum, & propter angelos. In Malachia autem, Angelus enim domini exercituum sacerdos expresse dicitur. Habentium ergo testimonium Iesu, id est, qui in verbo fidei testificatur Iesum, quod testimonium docet spiritus sanctus reuelans Dei mysteria, domino attestante, Ioan. 15. Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis. Non prius vos quam ille, ut verum sit testimonium vestrum, alias testificari sine spiritu mera impostura est, quia omnis homo mendax. Psal. 115. Hoc autem testimonium ut verum, ita à spiritu sancto proficiscens est. Est enim propheta. Sequitur. Deum adora, qui solus adoratione dignus est, qui fecit omnia, & seruat vniuersa, & suos cultores honorificat. Quo in loco & hoc considerandum, quia quum sæpe in veteri testa. legamus angelos ab hominibus adoratos, nec vnquam eos ab eis prohibitos, hic autem minime adorationem tulisse angelum. Quare hoc? Iam diximus: quia enim postquam dominus in carnem venit conditioni nostræ multum additum est, ut par honor nobis atque angelis postea deberetur. Matth. 22. Luc. 20. Christus assumptum hominem supra angelos sublimauit, ideoque ab homine adorari hic angelus timuit, quem super se in Christo regnare cognouit. Nemo hic putet daminari reuerentiam muruam, pro qua bona gratia datur, quum Paulus doceat honore inuicem præueniri. Sed ut in primis Deum quisque veneretur, ac deinde iuxta humanæ consuetudinis exigentiam licet & homini impendere honorem. Euangelio namque politia honestas ac modestia minime reicitur. Auguror angelum minime passum Ioannis adorationem, quod eum voluerit adorare, tanquam huius officij authorem, tribueréque illi gratiam & gloriam, quem omnino noluit ita arbitrari angelus, sed ut erat author rei huius Deus, cuius solum ministerioungebatur, & quæ acceperat ostendebat, doce-

Angelus recusat sui adorationem.

bátque ipse, voluit illi omnem gratiam tribui, vt par erat, non sibi qui minister erat tantum. Deniq; ostenditur veritas visionis totius, & verború libri, in eo quod dicitur, Testimoniú enim Iesu est spiritus prophetiæ. Quicquid enim spiritus in prophetis dixit, testimoniú est Iesu, cui lex & prophetiæ subscribunt. Vnde etiã cum ipso in móte transfigurato, Moyses, & Elias visi in maiestate eadem, quatenus præclarior sole ostenderetur ipsum habere testimonium à lege & prophetis: contra improbitatem Iudæorum, qui conspectis eius tot mirabilibus, auditis verissimis sermonibus eius, adhuc credere noluerunt, sed nec volunt vsque in hodiernum diem. Quibus ipse dixit, Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, Ille enim de me scripsit, Ioan. 5. Quia vero omnis scriptura per spiritum sanctum est data: ideo ipse spiritus prophetiæ testimonium Iesu est: quia peculiare est spiritui testificari de Iesu velut auctore salutis omnium. Præterea, quia omnis scriptura testimonium perhibet Iesu. Vnde ipse resurgens ex mortuis dixit, Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & Psalmis de me. Luc. 21. Nam & eo baptizato spiritu sanctus testificatus est Deum, quòd esset Dei filius, quando in specie columbæ, innocuæ, ac fecundæ alitis super eum descendit. Spiritus itaque prophetiæ Christo nusquam non testimonium dat: quia omnia, quæ lex & prophetæ narrant, de illo dicta intelliguntur. Habent autem hoc testimonium Iesu, non hi qui verbotenus ea quæ de illo dicuntur credunt, quia fides si non habeat opera mortua est: sed qui ea fide polleunt, quæ per dilectionem operatur. i. qui fidem, quam habet, operibus comprobant, ornantq;. Moraliter, Prohibet angelus Ioannem, ne se adoret dicens se esse conseruum eius, quia nequaquam alta sapientibus arcana sua deus reuelat. Etenim qui per timorem cordis sui, cõseruus, id est, sibi æquales esse dedignatur, quibus ea gratia data non est, quæ sibi, Deus respicit. Sit oportet Moyses, sic Paulus, qui vehiculú gratiæ dei fieri cupit in populo dei: quorú alter prælationi se indignú iudicat, quãdo à Deo mitreretur, alter minimú se Apostolorú asseuerat, maximus in euulgãdo dei sermone Apostolorú, qui alibi eorum seruum fore protestatur, quibus prædicaret.

Spiritus sanctus auctor scripturæ.

DE EQVO ALBO, ET
SESSORE EIVS.

Sect. 2. Punct. 1.



T vidi cælum apertum, et ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax: & cum iustitia iudicat & pugnat.

Haecenus de Babylonis condemnatione *Equus albus* actum est. nunc demique ostenditur vtriusq; *describitur.*

bestiæ iudiciú, in primis autem prioris. Ad id autem primum exhibetur Christus cum suis velut paratus ad prælium, vt deceret, vincat, & in iudicio cõdemnet. Demum bestia illa horribilis cum vniuersis exercitibus suis quasi in Christum exurgens pugnatúra reuelatur. Postremo gloriosissima Christi victoria prænunciatur. Primum itaque prodit Christus gigas ille inuictissimus, ad cuius reuelationem cælum aperitur: sic enim videbatur Ioanni cælum aperiri, vt Stephano protomartyri, quando ad patris dexteram Iesum stare vidit, Act. 7. Sed in cæli hic apertione cœlestis spiritualisque mysterij reuelatio designatur. Item, quòd cælum olim clausum peccato parentum, iam per Christum foret apertum. Sed quale est illud cœleste spiritualéque mysterium, quod fuit Ioanni reuelatum? nempe quod in typo habet textus, in quo significatur, quòd Christus per sui auxilij exhibitionem è cælis suæ ecclesiæ in eius opportunitatibus semper adesset, id quod in oppressione Antichristi & eorum qui sibi adhærebunt promonstraturus est. Porro equus albus fidelissimi eius pugnatōres sunt, fide & animo magni audacésque, ne aduersis perterreantur, super quos sedet ipse Christus, fidelis in promissione, verax in exhibitione, iuxta illud, Fidelis dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, Psalm. 44. Qui in suis cum iustitia iudicat & pugnat. Fuit etiam fidelis patri, cui fideliter obediuit, de quo Apostolus Paulus, Hebr. 3. dicit, Considerate Apostolum, & pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est, ei qui præfecit illum (id est constituit principem in domo sua, quæ

*Cæli apertio
mysterij reuelatio.*

*Equus albus
qui sunt.*

est Ecclesia,) sicut & Moyses in omni domo illius. Amplioris autem gloria iste præ Moyse dignus habitus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquā famulus in testimoniū eorum, quæ dicenda erant: Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. Item verax immo ipsissima veritas, Ioan. 10. & cap.

Deus verax. 3. Deus verax est. Fidelis & verax, digna Christo vocabula. Proinde mox subditur, Cum iustitia iudicat & pugnat: neminem nisi causa iustitiæ impugnat, & condemnat. Non est apud illum malum bonum, & bonum malum, Esa. 5. Vah, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce in amarum. Quare nullum horum ei competit, quia verax est, & fidelis, & tenebræ in eo non sunt vllæ. 1. Ioan. 1. Ergo per iustitiam iudicat iniustitiam, & mendacium, & omnem iniquitatem, impietatemque, & impugnat eam. Esa. 63. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum. Nemo ergo confidat in iniustitia sua, nemo in impietate sua speret, quoniam grauis expugnator iniustitiæ est Christus, atrox vltor impietatis. Mortuus pro iustitia, morte à suis depulit impietatem: & quo pacto parcat iniustitiæ? aut impietatem dominari permittat? quæ nisi exturbasset quis iustus vllquam? quis pius esset? Aliis placet per hunc equum intelligi purissimum eius corpus & animam: per sessorem diuinitatem verbi, quæ præsidet humanitati, constat ex corpore & anima: hunc autem equum tunc diuinitas ascendit, quando verbum Dei humanam sibi carnem, & animam copulauit. Nec prærogat, quòd aliud est equus, aliud sessor: nam & Christus vna persona non dubium quin diuina in duabus substantiis, humanitate & diuinitate subsistit, alias etenim sessor & equus in re bellica pro vno computantur, quasi sint vnum. nam & prima rudis ætas hominem equo mistum credebat adhuc militiæ equestris expers: vbi hominē equo infidētem conspicata est: centaurique nomen illi indidit, cuius superior pars homo esset, inferior equus. Sed quid hæc phantastica res ad veritatem? Recte autem eius humanitas purissima per equum album figurari dicitur, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 1. Petr. 2. Esa. 53. Posui-

Christus per iustitiam iudicat omnem iniustitiam.

Christus mortuus pro iniustitia.

mus

mus hæc quia argutiora forsitan quibusdam videri possunt: nobis equidem longe amplius superior expositio probatur. Sequitur.

✽ Punct. 2.

Oculi autem eius sicut flamma ignis: & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei.

Quinque de domino dicit. Primum quòd oculi eius sint vt flamma ignis: secundo quòd in eius capite diademata sint multa: tertio, quòd nomen scriptum habeat nemini cognitum præterquam soli: quartum, quòd tincta sanguine veste sit indutus. quinto, quòd nomen eius sit verbū Dei. Dicitū est supra cap. 2. de oculis domini flammeiscentibus, cur huic rei potius comparentur, nimirum ob viuacitatem perspicacitatemque. Sunt enim viuacissimi iuxtaque perspicacissimi: omnia vident, omnia penetrant, norūt omnia, vt falli iudicij eius examen nequeat. Quod Paul' Hebr. 4. elegāter magnifico illo stylo profequitur dicens. Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingēs vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarū, & discretor cogitationum, & intentionū cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectū eius: omnia autē nuda, & aperta sunt oculis eius. Nō possunt hæc nisi ad diuinitatem verbi referri, quod efficit sua virtute omnia, quæ pronūciata sunt. cuius oculi flammei sunt, & penetrabiles, vt displiciat, cognoscantq; distinctius animalem à spiritali separādo, & iudicent inter medullas, hoc est, affectiones, quæ carnales sunt, & quæ spirituales, id est, lege spiritus directæ: cogitationes itidem, cordisq; intētionēs, quum omnia pateſcant illi: tam viuacissimis, tamq; perspicacissimis oculis, hoc est, cognitionibus prædito. Aliter, Quia in equo, quasi aduersarios expugnaturus, apparuit: igneum iuxtaque terribilem contra impios prægeſtat visum, ne humilis videatur, facilēque contemendus. Scimus enim (qui scripturas legimus) quia in futuro aduentu, non tam humilis apparebit, sed que merito perhorrescat mundus, & quæ in eo sunt: ante cuius faciem & virtutes tum exlorum mouebuntur, Luc. 21. D. Haymo. Oculos domini igneos ad dona retulit spiritus:

Oculi domini flammei.

¶

sancti : & hoc non contentus, diuina eloquia adhibet, vt sicut oculi hi, dona spiritus sancti, sint & Dei eloquia perspicacissima. Nobis certū sit, & satis sit dominum Iesum ex certissima omnium cognitione verissimum super orbem iudicium habiturum, idq; ex diuinitate, qua poller, ideoque victor vbiq; , vt merito in capite habere dicatur diademata multa (quod erat secundum hic positum) Quia nimirum non solum ipse vincit, sed & multi sanctorum in eo, quorū victoria ac triumphus, coronarū quoque ad gloriam ipsius referuntur, & in capite eius ponuntur. iuxta quod scriptū est in Zacharia, vbi loquitur dominus Deus ad prophetam dicens, Sume a transmigratioe, a Boldai & a Tobia, & ab Idaia argentum & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech, sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens : Ecce vir, oriens, nomen eius. Quod de domino nostro Iesu Christo saluatore quis vnquam dubitauerit accipiendum? Ipse enim est cui magno omnium consensu coronarū in capite ponuntur, quando omnium operum merita sibi imputantur, & tanquam coronarū capiti eius imponuntur, qui de Babylone & peccatorum confusione per baptismum redire ad terram suam, hoc est, ecclesiam. Ipse coronatur in singulis virtutibus nostris, quarū omnia, dona eius sunt in nobis. Ideo. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psalm. 113. Tertium erat de scripto nomine quod nemo nouit nisi ipse, noticia scilicet comprehensua, iuxta totum pelagus diuinitatis, quo cognoscibilis duntaxat est a se toto. Hoc est nomen, de quo ait Apostolus, quod dedit ei pater nomen, quod est super omne nomen, quo in vna persona verus Deus, & verus homo vocatur. Quod nomen nominarum, id est, res ipsa secundum id quod diuinitatis est, incomprehensibile est omni menti creatarū loquēdo de totali comprehensione, qua aliquid cognoscitur tam perfecte, sicut ex natura sui cognoscibile est. Porro, in eo quod ait, nomen hoc neminem nouisse preter se, valde perplexum est humano ingenio. Nunquid filius scire aliquid potest, quod nesciat pater, aut spiritus sanctus? Nō omnino: quia quorum inseparabilis est substantia, inseparabilis est & scientia: ideoque quod scit filius, scit & pater, scit & spiritus

Christus diademata multa habet.

Scientia communis trium personarum.

sanctus. Proinde quum filius aliquid scire dicitur, non excluduntur pater & spiritus sanctus: quin potius tota prorsus trinitas scire docetur, & quod solus pater scire asseritur: cum sua sapientia, quæ Christus est, & suo sueque sapientiæ spiritu nosse probatur, & quicquid spiritus sanctus scire perhibetur, omnino cum patre, & filio, quorum spiritus est, scire creditur. In his enim quæ absolute Deo conueniunt, quod de vna persona dicitur, de aliis quoque duabus datur intelligi. Ideo quod in euangelio dicitur, Matr. 24. de die autē illa & hora nemo scit, nisi solus pater: nō perinde est intelligendū, quod aliquid sciat pater, quod nesciat filius, qui utique est patris sapientia. Quod vero alius Euangelista addit, neq; filius, Mar. 13. nō in hoc dicitur quod omnino nesciat: scit enim quicquid scit pater, eo quod & pater non alia quā ea sapientia sciat qui filius est: sed quod aliis reuelanda nesciat. Hoc sensu, De die autem illa, & hora nemo scit, neq; filius, subintelligit aliis reuelanda: quasi enim nescire dicitur, quod nō reuelamus. Proinde nesciētia hæc filij est nesciētia hoīm, non sua. Nescit eq; dicitur nesciētes hoīes reddere: sicut econtra scire dicitur aliquid homines scientes facere. vnde est illud. Tentat vos dominus Deus vester: vt sciat, (id est, scire vos faciat) si diligitis eum an non. Quum ergo interrogassent eum Apostoli de die iudicij, & eis nō ipsum diem indicauit: per hoc utique nescire ipsum dicitur diē, quia eos nescientes reddidit. Neque enim ille ignorare potest diem, a quo omnis factus est dies: nec potest aliquid esse tempus, quod eum lateat, per quem facta sunt omnia tempora. Nomen itaque filij pater scit, a quo est genitus: scit etiam spiritus sanctus, quia ab utroque æqualiter procedit. Sed nunquid hoc nomen etiam homines non sciunt? In sequentibus enim idem Ioannes ait, Vocatur nomen eius verbum Dei. Respōdeo, Sciunt & credentes nomen domini, quū dicat idem, Manifestaui nomen tuū hominibus. Ioan. 17. Non tantū secundū totale diuinæ essentiæ pelagus, quo scibilis est, quo soli ipsi, (sicut prætulimus) est cognitū. Quomodo ergo sciūt? dico: scientia fidei, secundū scripturas in quibus reuelatū didicimus oēs, qui fidē habemus in illū. Vel sic: nemo nouit nomē eius nisi ipse, complectēdo simul sibi & totū cor=

Dei nescire aut scire quid sit.

Nomen Dei sciunt credentes.

*Nomen Dei
sciunt creden-
tes.*

pus fidelium, hoc sensu. Nemo extraneorum, nemo Ethnicorum nouit nomen eius nisi ipse, cum corpore suo mystico: quod est ecclesia. Non enim perfidi Iudaei norunt nomen eius, quod sit filius Dei: qui eum in synagogis suis blasphemant, non haeretici, qui male de illo sentiunt, non Ethnici quique siue pagani, qui eum scire nolunt, non Turca, non Scythia, non Tartarus, non alij quos ignoratio Dei secretis à suis: sed neque falsi christiani nomen eius, quod sanctum est ac terribile, Psal. 110. norunt. Sed nec infames peccatores obstinati in malo norunt: alioqui non tam temere sacrilegis suis operibus illud quod inuocatum est super se, dum in filios Dei consecrarentur, obfuscarent. Soli ergo vere credentes, vere religiosi, vere sancti & dilecti, qui sunt electi Dei sciunt, & cum his, & in his nomen suum Christus scit. Talis est haec loquutio in hoc sensu, qualis illa: qua alibi ait, Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo filius hominis, qui est in caelo. Ioan. 3. ubi secum comprehendit & totum corpus mysticum: aut propria virtute nemo ascendit. Verum enim uero, nec ipsum corpus scit noticia comprehensua, quomodo ipse scit, nisi (ut diximus) noticia fidei, secundum quod manifestatum est in scripturis euangelij domini testimonio: Quod facile est demonstrare intelligentibus. Nullus enim conceptus creatus potest comprehendere nec definire Deum secundum totum pelagus suae essentiae, ac plenitudinem suae deitatis, & perfectionis: eo quod finiti ad infinitum non sit proportio uilla, & nullum finitum ualet sinu suo ambire infinitum, qualis est Deus, utpote incomprehensibilis, indefinibilisque. Nam quum definire sit rem secundum totam essentiam ambitu suo comprehendere, & quodammodo includere: restat ut Deum nulla creata intelligentia sic comprehendat. Quod quum uerum sit, uerum sit oportet & hoc, quod dicitur, quia nemo nouit filium nisi pater, Matth. 12. Et nemo nouit nomen eius nisi ipse, ut praesens scriptura habet. Quartum sequitur, de uestimento eius tincto sanguine. Et uestitus, inquit, erat ueste aspersa sanguine. Vestis sanguine conspersa est caro domini sacrosancta passionis sanguine cruentata. Quare propheta Esaias cap. 63. Quare rubrum est indumentum

*Definire
quid sit.*

rum: & uestimenta tua sicut calcantium in torculari? Accipit ilico responsum, Torcular calcaui solus. Adhaec uestis domini sanguine cruentata ipsi martyres intelliguntur, ut in Psal. 21. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem: id quod non solum de induitiis carnis domini quibus nuditas eius tegebatur, donec uersaretur in mundo, est accipiendum: sed etiam de martyribus, qui fuso conspersi sunt sanguine: quos sibi diuidunt impij dum pro uoluntate sua cedunt, separant, & interimunt: sortem autem miserunt super propriam eius uestem dum primum eum interfecerunt, quasi in proprium ius eum conuertere uolentes Iudaei, de quibus acceperat uestem, ut facerent quod cum eo uellent. Porro, quintum quod sequitur de eius nomenclatura palam est: proprium enim id indicat nomen, quod uocatum est ab angelo priusquam in uero conciperetur, Luc. 2. quod est Iesus. Verbum enim Dei est Iesus, quod nobis in passione sua factum est Iesus, id est saluator. Quum enim angelus nomen hoc indicaret, Et uocabis, inquit, nomen eius Iesum: ad quid sic uocaret eum curauit declarare, dicens. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, Matth. 1. Idcirco in circuncisione uocatum est nomen eius Iesus. Luc. 2. Iesus ergo est nomen eius, nomen domini Dei nostri: priscis minime cognitum, nobis autem reuelatum: quando illud uerbum aeternum in carne uenit, per quod se pater nobis manifestum fecit: & uoluntatem, & omnipotentiam, & sapientiam, & misericordiam, & iustitiam, & totum mysterium trinitatis. Nam si nomen à notificando dicitur, illud profecto erit nomen Dei, per quod ipse Deus notificatus est mundo, quod factum est per ipsum Iesum, quem patris uerbum predicamus, & nomen. Namque uerbum, quod intra mentem concipitur de re quacunq; ea tota redditur per uocem, ita & uerbum aeternum, qui est patris conceptus aeternus, redditum est, hoc est, manifestatum mundo: quando in carne tanquam uerbum per uocem apparuit: unde sicut nomen seu uerbum nostrum uocale ac sonans continet in se conceptum uiuacem, & significatiuum mentis interne, ita humanitas Christi conceptum diuinum, hoc est, uerbum Dei uiuidum, & patris notificatum, & per conse-

*Martyres
uestimenta
domini.*

*Iesus uer-
bum Dei.*

*Nomen Dei
Iesus.*

quens omnium mysteriorum eius. Item sicut verbū nostrum vocale nihil aliud est, nisi conceptus mentis habēs vocem: ita Christus nihil aliud quā verbum Dei habēs carnem, vel verbum in carne, vel verbum caro factū personaliter, Ioan. 1. qui nobis primam sui noticiam & patris dedit. Nam & verbum nostrum voce indutum hoc primum præstat vt agnoscat, quæ per noticiā sui prodit rem de qua est. Porro declarauit & legem & prophetas, qua in re non aliud impēsius fecit, quā se manifestauit mundo, & patrem. Ideo dicebāt Iudæi tanti mysterij experiti, Tu de teipso perhibes testimonium: testimonium tuū non est verum. Et rursum. Vbi est pater tuus? Ioan. 8. Christus autem perplacide, vt semper solebat, improbitatem eorum excepit dicens, Ego si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est: quia scio vnde veni, & quo vado. Rursumque, Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater, simul eis declarans, se & patre, vt nusquam non partes suas ageret, cuius erat notificare, qui erat nomen patris, siue verbum Dei, quod os domini nominauit. *Esa. cap. 62.* Obserua denique: quia nomen eius scriptum dicitur: non sine mysterio. Est enim nomen eius magnifice scriptū quatuor literis mysticis Iot, he, vau, he, apud Hebræos: quod nemo sciebat Iudæorū: neque enim est aliquod nomen vocale in his innexum literis, sed realis persona Christi, cuius cognitionem quā non assequerentur patres veteris testamenti summe desiderabant, summe expectabant: sibi reuelari diuinitus. Neque vero hi aliquod nomen vocale desiderabant, aut expectabant: sed filium Dei Iesum, in quo omnes salui fierent. Huc pertinet illud euangelicum, Beati oculi qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi propheta & reges voluerunt videre, quæ vos videris, & non viderunt, Luc. 10. De quo *Esaías* prophetauerat, dicens, Nomen domini veniet de longinquo cap. 30. Quod nequaquam de vocali aliquo vel scripto intelligebat, sed de persona Christi. Ideo de longinquo, id est, de cælo, quod videlicet os domini nominauit: sed neque ex ore Dei aliquid accidentale labitur sed essentialia, & quod vna eadēque sit cum eo essentialia, quod est Iesus,

Nomen Dei scriptum.

Iudæorū desiderium cognoscitur nomen Dei.

verbum Dei tetragrammaton, id est, quatuor literarum, quod olim iussu Dei omnipotentis in lamina aurea opere cælatorio insculptum positumque fuerat super thyrā pōrificis à fronte, vt fronti immiueret in templo Dei, *Exod. 28. & 39.* quod nemo cognoscebat Iudæorum carnalium, nisi ipse cuius erat hoc nomen. Neque vlli est hoc perinde proprium atque Deo, saluare scilicet, quod pater mea liberalitate naturæ suæ soli filio comunicauit, quem sub nomine saluatoris olim orbi donaturū se Deus promiserat, vt palam est in tota veteris testa. *serie.* Probat hoc, *Esaías* cap. 12. & 35. & 36. & 64. Nam & sanctus senior Symeon acceptum in vinas suas in templo domini, eum ipsum salutare Dei nominauit, *Luc. 2.* Quod nomen admirabile est in vniuersa terra, *Psal. 8.* Vere admirabile: neque enim homo toto intelligentiæ pelago illud capit: nam quod capimus minus admiramur, admiramur autem quod non capimus, nec eius ponimus definitionem. Porro tetragrammaton, quod & adonay est, admirabantur, non definiebant olim Iudæorum sapientes: sed nec modo definiunt. Ideoque in summa veneratione habebant: habemus & nos, eo quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Neque enim est aliud nomen datum hominibus sub toto cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. *Act. 4.* vt satius sit adorare quā discutere, aut legitimam ei definitionē præscribere velle: cui sit laus & gloria, cum omnibus sanctis eius, per æterna secula. Amen.

✽o Punctus 3.

Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.

Exercitus hic multitudo intelligitur fidelium. Cælum quoque ecclesiam esse non raro diximus: sic ergo dicuntur exercitus, qui sunt in cælo, sequi Christum, quemadmodum in castris dicitur milites sequi capitaneum. Recte autem exercitus nuncupantur multitudines sc̄torum, quā continue stare debēt in procinctu certaminis, dimicentque aduersus hostes, quorum copia suppetit abunde siue malignorum spirituum, siue impiorum hominum:

¶ iiii

*Casti imitantur
sup Christū.*

adsunt & propria carnis tentamina. Equi albi sunt mundissima sanctorum corpora quibus illi insidet, id est imperant lege spiritus. Equus quippe proprius est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod prudentissime norit, & ab illicitis freno continentia restringere, & rursus charitatis inductu in exercitium boni operis liberalius laxare. Atque hi sequuntur christum, vestiti byssino albo & mundo: quia videlicet imitantur mundiciam castitatis: iuxta illud, Satagite immaculati, & iniuolati ei inueniri in pace. 2. Petr. vlti. Quod quia sine castigatione carnis non fit, ideo Paulus sua tuba clangit dicens. Mortificate membra vestra. Et rursus. Qui autem christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis. Gal. 5. Et ij non solum equis vehuntur albis, sed in super vestiuntur & candidis: quia scilicet ad mundiciam carnis, etiam operum candorem habent: ut bene vestiti byssino albo, & mundo perhibeantur. Byssus enim genus lini candidissimi est, unde fiunt rela candidissima: quod candorem designat fidei, vitæque puritatem, adhuc autem operum splendorem, quibus nos decet in ecclesia Dei amiri, sic ut in die honeste ambulemus. Rom. 13. propterea quum idem sanctus apostolus Galatis scribens memorasset sordidissima opera carnis, spiritus quoque opera subiungere curauit: inter quæ castitatem velut ornamentum aliorum posuit dicens. Fructus autem spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Gal. 5. Castitate ergo virtutes omnes spiritualis christiani ceu coronide consummantur ornanturque: propterea & dominus lumbos in primis præcingi iubet, Luc. 12. vbi D. Grego. Lumbos, inquit præcingimus, quum carnis luxuriam per continentiam coartamus. Et Petrus apostolus, Animas nostras castificandas esse docet in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, &c. 1. Petr. 1. Laudatur mulier strenua bysso induta, Prouer. vlti. quod candorem eius indicat, & totius vitæ perfectionem. Hinc sanctus Iob, iustitia indutum se gloriatur, cap. 9. Et Dauid dicit: Sacerdotes tui induantur iustitia, Psalm. 131. quibus in locis iustitiam capimus pro omni virtute, iustorum videlicet induitio, quo conspicabiles coram Deo & domino nostro

Iesu Christo in die aduentus sui sese exhibet. Porro byssinum album & mundum, sanctorum supra angelus iustificationes exposuit, quæ non aliud sunt quam studiose operationes eorum, & legis Dei obseruationes. Exercebor, inquit. D. P. saltes) in iustificationibus tuis, Psalm. 118. Bene autem ac sapienter per byssinum iustificationes signatae sunt: ut enim byssus multis torsionibus manuumque compressionibus ad perfectum perducitur cadorem, ita electi per varias tribulationum perpassiones redduntur candidi, pulchri, & præciosi in conspectu domini & sanctorum angelorum eius, ut dicant, Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 2. Cor. 4. Et iterum. Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus velut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Rom. 8. & Psalm. 43. Ut non incongrue quidam per hunc exercitum proprie ipsos martyres, qui variis occisionibus passi sunt pro domino & patiuntur adhuc intellexerint. Nam & in exercitiis varij agones sunt: qui idcirco in equis candidis visi, quod mundos se iniuolatosque per varia prælia custodierunt ab hoc seculo, & (ut beati August. verbis utar) qui propter adipiscendam gloriam ac coelestem coronam omnibus se mandatis dominicis subdiderunt: & ita cunctis se deuinxerunt legibus saluatoris, ut propter ante actam vitam mererentur ad hanc martyrij gloriam peruenire: non enim in tempore tantum quo confessionis supplicium perulerant præceptum domini perfecerunt, sed necesse erat illos prius secundum euangelium Christi vixisse, ut christi passionibus potirentur. Necesse erat inquam ut initia bona fuerint, quorum finis est optimus subsequutus: & martyres eos non solum tum fuisse quum passi sunt, sed etiam martyres christi fuisse, quum viuerent. Martyr enim græcè, latine testis dicitur. Quotiescunque vero bonis actibus mandatum Christi facimus, toties Christo testimonium perhibemus, unde in Euangelio saluator ait, Qui vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Obserua. Superius dictum est, de virginibus, quod ceterum quadragintaquatuor millia sequerentur illum quocunque proficisceretur. Que-

*Exercitus
scti martyres*

*Virginiū m-
mer^o minor.*

ro, nunquid solummodo virgines sequuntur? Sequuntur & martyres, sequuntur & confessores, boni etiam coniugati. speciatim tamen virgines, quorum exercitius quanto minor, tanto vtrique speciosior excellentiorque. Paucissimi enim sunt eius virtutis cultores ob difficultatem, vt etiam quibusdam propemodum impossibile videatur eam posse imitari integritate. Sed impossibile Deo nihil est, qui admirandas nouit suis virtutes conferre, eosque admirabiles mundo efficere.

*O Punctus 4.

Et ex ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt eo percutiat gentes: Et ipse roget eas in virga ferrea: Et tanquam vas figuli confringentur.

*Gladius Dei
verbum.*

Gladius in sacra scriptura Dei verbum intelligitur, vt Paulus adstruit. Est & iudicium eius: qui vtrinque acutus dicitur, id est aciem habens ab vtraque parte, quia virtus Dei in vtroque testamento claret, iudicium vtroque impii comminans. Vel ideo bis acutus dicitur, quod hinc peccata operis, illinc resecat cogitationis. Ex ore autem procedit iuxta quod per se: ipsam veritas dicit, in omni verbo quod procedit ab ore dei. Isto gladio couulneratur fideles ad salutem, infideles ad damnationem. Denique procedit hic gladius primum ad commonefaciendum, hinc ad iudicandum. Primum ad saluandum, deinde ad damnandum, nisi ex commonefacione resipuerint homines. Ideo dominus Ioan. 12. Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum, non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. Sequitur deinde. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: Sermo, quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. De hoc gladio Psalmus loquitur. 7. Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit. Vibrabit vbi dixit, Tunc dicit his qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. Et Ioan. 5. Procedent qui mala fecerunt in resurrectionem iudicij. Vibrabit & aliis in locis, vbiunque opera malorum damnauit. Quare vibrabit: vt percutiat gentes. Gentium nomine intelliguntur omnes qui gentiliter viuunt, hoc est, in concupiscentiis corda nutriunt, & in malis exercentur operibus: vt non solum incredulos comprehendat, sed & omnes, qui fidem iniquis operibus inquinant.

*Ceterū nomi-
ne qui intel-
ligantur.*

quos reclusus est verbo virtutis suae, quod virga directionis. psal. 44. dicitur, ideoque percussione vocabulo vtitur, vt percutiat, inquit, gentes, & tanquam vas figuli constringentur. Quam particulam adiecimus ex certo exemplari, vbi in hunc modum scriptum reperimus: Confringentur autem à duricia sua, qua erant obfirmati peccati alluetudine. Aduertendum autem hæc non spectare ad extremum iudicium: sed ad tempus, quod futurum est aureum illud post interitum Antichristi, quando vniuersas orbis recepturus est fidem christi. Tunc enim Christus reclusus est omnes gentes fortissimo verbo oris sui: ad cuius virtutem contracti à duritia in qua obriguerant quidam dum essent in infidelitate sua, libenter institutis euangelicis parebunt: ita vt & qui gentiles erant religione, & qui fide suscepta christiani, omnes in commune pietatem sectentur.

*O Punctus 5.

Et ipse calcet torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

Tropicus sermo est: torculari namque exprimitur quicquid vini in vuis est, acrem sane diuini iudicij punitione designans. Calcet autem dominus torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis in eo quod cogit suo iudicio malos subire penas nequiter factorum. Est ergo torcular hoc vini furoris iræ Dei omnipotentis, locus pœnalis inferni, in quo comprimentur impij resuscitatis corporibus, velut racemi botrique in torculari. Nota, furor hic & ira in Deo omnipotente, non passionem, aut mentis commotionem, sed æquitatis rigorem, & vltionis seueritatem designant. Vinum autem exhibet impetuosam & acrem pœne vehementiam, dum enim quis vino inebriatur, vehementius animi impetu fertur, iraque furorem in aduersarios potentius effundit. Inest enim vino ardens quædam vis, excitans impellensque vsque ad dementiam animi in nobis imperum. Ideoque tanquam excitata dominus crapulatus à vino describitur, quum potenti virtute in vltionem aduersus hostes insurgit. Psalm. 77. Calcet ergo torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, quia iustitiam suam exercet super damnatos in loco pœnali, tanta seueritate, quatenus est furor iræ Dei omnipotentis. Vt ergo ostenderet spiritus non dubium quin sanctus christo esse potestatem super omnia que modo dixit reclusus

*Torcular in-
fernum.*

Christus semper calcet mortem.

Pœna gehennæ vinum furoris iræ domini.

omnes gentes in virga ferrea, statim subiungere voluit eius non solum ad regendum, sed etiam ad puniendum potentiam. quum dicat, Et ipse calcet torcular vini furoris iræ dei omnipotentis. Vbi advertendum quod Torcular in scripturis congregatio nem quandoque recentium fructuum, quandoque prælum quo exprimitur vinum, aliquando supplicium solere significare dicunt: & iuxta hæc torquet expositionem, vt si torcular pœna sit, sensus fiat, Christus calcavit torcular, id est, mortem superavit, & superando à nobis depulit. Si superavit, quare non calcavit, porius quam calcet? Sed nihil refert: manet autem vera sententia, vt semper calcet mortem, semper à nobis pœnam æternæ mortis depellat. Nam moriendo pro nobis, mortem sustulit à nobis, iuxta illud Osee. 13. Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne. Sed etiam in seipso tertio die à mortuis resurgens mortem calcavit, conculcit & afflixit, ne vnquam dominaretur in eo. Namque Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Hæc autem mors separatio est à vita, & carentia visionis diuinæ: vinum furoris iræ dei omnipotentis, quia abscondit faciem suam à damnatis, ne vnquam beati fiant. Cõstat enim felicitatem omnem beatorum in faciali visione beati dei consistere. Nam & Moyses glorificatus erat in monte Sina ex allocutione dei, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem eius propter gloriam vultus eius. 2. Cor. 3. Torcular ergo calcet, qui in Esaia dicit. Torcular calcaui solus. cap. 63, quia solus ipse sustulit mortem eiusmodi, vitam condonans nobis. Nos, ait idem apostolus, omnes reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem. Porro si torcular locum supplicij angorisque illius exprimat, orci locus vtiq; erit, quem Christus calcet in membris, ne illos hianti ore absorbeat. Nihil enim dånationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant Ro. 8. Demum si torcular capiatur pro prælo, tunc pœna erit torcular peccatis debita, qua præmuntur damnati. Hoc sensu loquitur scriptura, Threnor. 1. Torcular calcavit dominus virgini filiæ Iuda, hoc est induxit cladem super Hierosolymam, vt non lapis super lapidem remaneret.

per T. Vespasianum: res est conclamata. Nobis redemptis satis fuerit ita Christum calcauisse infernum torcularis nomine expressum, vt vitæ nos reddiderit: & infernum destruxerit, & pœnas sustulerit: & hæc omnia potentia virtutis suæ mortis, qua calcet torcular adhuc & comprimit, protegens nos ne pœnas eius subeamus. vt verum sit quod in propheta dicit, Torcular calcaui solus, & de gentibus vir non est mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumentæ mea coinquinaui. dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Ad illud refertur locus iste quod supra ca. 14. in fine dictum est, Calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum &c. Ad ipsum namque pertinet censura iudicij, iuxta illud quod per se dicit, Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem, Ioan. 5. Vnde non incongrue dictum est, Et vocabatur nomen eius verbum dei: vt ostendatur quia sermone suo iudicaturus est orbem, iuxta illud, Sermo, quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Vt autem euidentius ostenderetur ad ipsum pertinere facere iudiciũ, subiunctum est de regali quoq; eius dignitate, qua præcellit omnes reges & principes terræ: secundum quã etiam in magna potestate & maiestate apparès iudicabit omnes, sine exceptione.

¶ Punc. 6.

Et habet in vestimento, & in scemore suo scriptum, Rex regnum, & dominus dominantium.

Hinc quantæ dignitatis sit Christus palam fit, quod in vestimento eius & in scemore scriptum ostendatur hoc eiusmodi elogium, Rex regnum, & dominus dominantium. Atque vt in primis hinc ordiamur, Vestimentum à foris est nobis, scemur à natura habemus. Et Christus vt persona diuina humanitatem à foris ex tempore, diuinitatem à natura qua ab æterno Deus est habet: & neutrum horum sine dignitatis honore, quia ab utroque rex. Quod à diuinitate id nominis sibi competat, dubium non est: Ab humanitate longa regum genealogia per sacram virginem matrem gloriatur. Quippe quum dictum sit ipsi David, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et ange-

Christus solus torcular calcavit.

Christus rex regum.

Ius diuæ matri dixit, Dabit illi dominus deus sedem Dauid patris sui. Adde quòd Matthæus per reges generationem eius descripsit: cuius scripta quum legimus, & veraciter eum ex stirpe Dauid descēdissē discimus: quid aliud quàm verum regem agnoscimus? sicque credimus, quòd ipse sit hic rex regum, & dominus dominantium, cui dixit pater, non dubium quin deus, Filius meus es tu, ego, hodie genui te. Psal. 2. Non semel id de seipso Dominus testatur in euāgelio Ioannis præclarissimè quòd sit filius dei, quemadmodū ibi, Sicut misit me viuens pater. Ioan. 6. & rursum. Non Moyses dedit vobis panem de cælo: sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Lege totum cap. 6. & 7. & 8. In. 5. autem capite dicit. Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Iam hic & de collata sibi iudicandi potestate mentionem faciens. Ecce vtraque generatio eius, secundum quàm vtramque discimus & adstruimus ipsum regem esse natura vtraque, & diuina & humana: vt iure præsit nobis, & dominetur, & regat, & iudicet, & remuneret bonos: malos autem puniat: Id quòd facere habet secundum quòd deus, & secundum quòd homo tradita sibi à deo potestate: quòd deus à se. idem enim deus cum patre æternus, omnipotens, natura & essentia. Quod equidem Iudæorum dannat proteruiam, qui dicūt vsque adhuc, Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. Atque velint nolint, sed regnabit dominus Iesus super omnes, quia dominus est in secula, testāte Paulo magnifico apostolo illo. 1. Cor. 15. Oportet autem illum regnare, donec ponat homines inimicos sub pedes suos. Et Dauid, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorū. Psal. 109. Idem. Dominus regnauit decorē indutus, indutus est dominus fortitudinē & præcinxit se. Etenim firmabit orbem terræ, qui non commouebitur. Parata sedes tua deus extunc Psal. 92. Et Psal. 98. Dominus regnauit, irascantur populi (id est, Iudæi irascantur licet, sed regnauit semper, & regnat super omnia dominus Iesus). Rursum, Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos. Iā habes, quia super omnes regnat dominus. Quis dominus? Non alius

Christus regnat inuitis aduersariis.

quàm de quo loquutus est Dauid, Dixit dominus domino meo &c. cui à resurrectione sua sedes parata est. Id quòd notat particula extunc. Sed vbi parata? In Sion, vbi dominus magnus declaratus est rex, primum à patre deo, quando dixit, hic est filius meus: ipsum audite, deinde ab apostolis sanctis qui ibi ceperūt prædicare Christum dei virtutem esse, & dei potentiam. Deinde & ab aliis Christum dei filium regem omnium seculorum confitētib; qui regnat super omnes populos. Hæc est dei Ecclesia, in qua deum ipsum fideles speculantur per fidem. Specula enim vel speculatio Sion ex hebræo latinis redditur. De huius regis dominatu loquitur expressius Psal. 71. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Quia liberauit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Ecce domini potentia magna, ecce regia dignitas præcellens super omnes reges. Neque enim locus scripture huius aliū indicat quàm Christū. Iā sunt isti reges, quorū rex Christus est? Respondeo, omnes sancti, omnes vere fideles, qui reges sunt in vno rege Christo cui insiti sunt, quibus dicit Petrus, Vos estis gens electū, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 1. Petr. 2. Hi namque vere regnant super se, & super omnia, dicente Paulo, Sancti per fidem vicerūt regna. Hebr. 11. Quocunque terrarum, ac marium positi situ, sed vbi que in Christo regnant. Idem & domini sunt, eadem ratione, qua & reges. Locus ostendit Antichristum iusto dei iudicio condemnandum, & eos qui adhæsurū sunt illi: & modo qui moribus, & vita, & perfidia exprimūt illum, quos Christus perdet in gehennam ignis, qui in vltimo iudicio perditurus est impietatem omnem. Ostēdit item, quantæ gloriæ sit, & quantum manifestabitur post interitum Antichristi gloria eius, quem sequūturi sunt omnes liberati ab Antichristo in innocētia per dies multos, qui rectorus est omnes gentes fortissima verbi sacri sui directione: qui habet potestatem super infernum & pœnas eius.

Sancti omnes reges, quorū rex est Christus.

Sect. 3. Punct. 1.



E vidi unum angelum stantem in sole: & clamavit voce magna dicens omnibus aëribus quæ volabant per medium cæli.

Ab eo, quo dictum est, Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus &c. de domini commedatione scriptura hæc loquuta est, & adhuc in eadem persistit: neque enim alium per angelum intelligi fas quam Christum. Christus ergo angelus hic est, de quo propheta ait, Nomen eius magni consilij angelus, Esa. 9. *Qui vnus est ob excellentiam, hoc est, incomparabilis, id est cui se nemo alius queat digne conferre: & hic in sole stans dicitur, iuxta quod scriptum est, In sole posuit tabernaculum suum, Psal. 18. eo quod in diuinitate sit persona eius. Sol enim conuenienter diuinitatem exhibet, ob excellentiam claritatis eius: est enim lucē habitans inaccessibilem, id est, humanis sensibus imperferabilem. 1. Tim. 6. quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest. Vel vnus id est vnicus patris filius cui est indiuiduus. Ego inquit in patre, & pater in me est. Ioan. 14. Alio modo stat in sole, quia, in fide populorum credentium: quoniam claritas fidei eius in toto terrarum orbe verisimilis radiis sparsa respandit. Vnde etiam credentes filij lucis appellantur. 1. Tell. 4. immo ipsa lux: domino dicente, Vos estis lux mundi, Matth. 5. Item Paulus Ephe. 5. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulare: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iusticia, & veritate. Et rursum, In medio nationis prauæ & peruersæ lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Phil. 2. vt iam non solum fides sit sol, sed & ipsi credentes fide illustres in quibus stat Christus, qui sunt luminaria lucentia in mundo in omni bonitate & iusticia & veritate, prout percussit Paulus. Aliis placet & forte prudentius, magisque ad veritatem accedendo, vt angelus hic typus sit constantissimorum verbi dei ministrorum, qui futuri sunt ad finem seculi in Christo, vt recte in*

Angelus in sole christus.

Sol diuinitas

Sol fides.

In sole stans angelus dicitur. In sole enim erunt iij, non in alio quam in Christo, quem indicat Malachias fatidici sui voluminis cap. 4. Sequitur, Et clamauit voce magna. Clamauit Christus vocando ad cœnam homines, primo in se, deinde in Apostolis dimissis pro orbem terrarum, & aliis ecclesiæ doctoribus illis succedentibus. Clamat & modo, clamabit & in finem: nam & clamans voce magna expirauit, testatur Matth. cap. 27. Mar. 15. Luc. 23. Item Paulus Hebre. 5. Cum clamore valido exauditus est pro sua reuerentia. Clamabunt ergo futuri verbi dei ministri, in quibus clamabit Christus, quia illi in Christo, iuxta prophetiam scripturæ huius. Erunt, & forti voce clamabunt præ zelo honoris dei & salutis gentium, alioqui periturarum. Neque verò istum in eis ardorem naturalis quædam excitat vis, sed fortis gratia naturæ imperans, vrgensque animum suo impetu cōtinuè ad validiorem clamorem. Porro aues aliquando in bonam partem capiuntur, aliquando in malam, proinde pro locorum circumstantia passim capiendæ: In malo ponuntur Luc. 8. in parabola seminum: vbi semen, quod secus viam cecidit, volucres comederunt. In bono Luc. 13. vbi regnum cœlorum grano sinapis simile dicitur, quod acceptum homo mittit in hortum, & crescens præbebit cœli volucribus requiem super ramos suos. Sancti namque hic per volucres intelliguntur, qui super ramos Christi requiescunt, hoc est, virtutes atque doctrinas eius: quorum quia omnis conuersatio in cœlis est, rectè cœli volucres appellantur: qui etiam per medium cœli idcirco volare perhibentur. Aues ergo sancti sunt vere fideles, cœlestia mente petentes, non terrenis rebus cupiditate hærentes. Iam verò quid angelus his aëribus clamet, audiamus. Sequitur.

Angelus clamat.

Aues quid sint.

Sancti volucres cœli.

*O Punc. 2.

Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei omnipotentis: vt manducetis carnes regum: & carnes tribunorum: & carnes fortium: & carnes equorum: & carnes sedentium in epulis: & carnes omnium liberorum, ac seruorum, & pusillorum, & magnorum.

Hoc est quod superius dicebam, quia cœna hæc magna indicat communis pacis, post interitum Antichristi iuiuium.

K k

conuiuium. Quale conuiuium? Verbi dei, quod tum in multa libertate pandetur, post quod iam non erit aliud æque simile in terra, quoniam veniens dominus, hora qua non putatur, finiet orbem, iudicans illum per ignem. Tametsi nihil negauerim cœnam quoque per hanc beatæ gloriæ magni dei figurari, ad quam angelus Christus in sole consistens, hoc est, in gloria sua cœlesti iam sublatu tunc primum a uibus suis clamauit, quando sub omni cœlo sursum ac deorsum eundo iussit suos prædicatores uolitare, atque ad preparatam cœnam uocare, & manducare promiscue omnia: ubi congrua admodum metaphora uirtutis apostolici muneris designans functionem. Aues namque manducandis carnibus uida sunt, nec curant, quorum, aut qualium, nobilium aut ignobilium carnes sint: vorant indiferece, dum in campo magnam occisorum corporum stragē offenderint. Sic veri uerbi dei ministri citra delectum personarum omnes Christo lucrifacere cupiunt, inque corpus Ecclesiæ cōscribere. Eo sensu dictum fuit Petro, de quadrupedibus, & serpentibus terra, ac uolatilibus quæ uiderat Act. 10. quo hic dicitur de manducandis carnibus regum, & tribunorum &c. Dictum enim fuit ei, Surge Petre, occide, & manduca. occide infidelitatem in illis: manduca fidē, ac salutem. hoc est, delectare de conuersione eorum, quos indiscriminatum lucrifeceris Christo, ut satiatur anima tua. Vnum tamen est hic quod magis figuratè putatur accipiendum de manducandis carnibus equorum. Eadem certe ratione id dictum crediderim, quod per equum utpote animal bellicum, fidei impugnatores rectius capiantur: hoc sensu, quod neque hi sunt à fide reiiciendi, si modo ex corde conuerti uelint: horum sessorum magni principes sunt, quorum illi imperio ac uotis obediunt, qui & ij suscipiendi sunt. Quis dubitet sæpe hos uerbis ac mira patientia sanctorum uocatos ad fidem. Legat sanctorum historias, qui fidem rei capere uelit: facile exempla occurrent. Hæc est cœna magna dei omnipotentis manducari ista omnia affatim sub ultimum tempus. Cœna autem conuiuium fidei, uerbique dei est, & gaudium amplum, & uniuersale, & consolatio in spiritu sancto de conuerso uniuerso orbe: quod tum futurum est. Nec refert tropis re-

Aues prædicatores.

Equi quid significant.

gum, tribunorum, liberorum, seruatorum, pusillorum, & magnorum, in aliud uti hic: tanquam per reges hoc & illud intelligatur: per tribunos similiter, liberos ac seruos, sicut quidam uirgines ac contigatos per hos intelligit: pusillos & magnos, tanquam sint hi philosophi & diuites, illi commune promiscuum vulgus, præterquam quod sine distinctione omnes suscipiatur ad fidem, quos manducaturi sunt sancti prædicatores, sicut prædictum est. Haymo, per angelum Eliam & Enoch intelligit, in aperta luce (tanquam hoc sit uidisse angelum in sole) Christum prædicantes. Licet, inquit, persecutiones plurimas per Antichristum tolerant, nihil tamen minus constanter & apertè Christum prædicabunt, dicentes omnibus sanctis cum sociis prædicatoribus, Venite ad cœnam magnam dei omnipotentis, id est, ad ecclesiæ congregationem, & æternam fidelium refectionem. Quæ cœna (ut idem adstruit) ea de re magna uocatur, quod & gentiles, & Iudæos ad vitam prædestinatos capiat. Tunc enim uenient uniuersi, ut edulium fiat ex omnibus: quorum caro maclabitur per poenitentiam, ut non sint ultra quod erant, sicque in corpus Ecclesiæ traiciantur: id quod erit sanctis prædicatoribus in refectionem non dubium quin spiritualem, quæ plurima eorum consolatio erit. Et quid posset maius esse hoc conuiuio? Quæ maior animorum delectatio? Sacrificiū nullum est maius zelo animarum, ergo nec conuiuium splendidius ullum.

DE BESTIÆ PRÆLIANTIS

DAMNATIONE.

Sect. 4. Punct. 1.



E uidi bestiam, & reges terra, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu eius.

Locus refertur ad nouissimum tempus, quando Antichristus cum suis proditurus est: hic enim (ut sæpe dictum est) instaurabit prælium contra Christū: cum suis regibus, & principibus, sicut scriptū

Kk ij

est. Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Pal. 2. Instaurabit namque prælum, vt reuiuifcant in eo ipso Pilatus, & Herodes, & Annas, & Caiphas, & omnes quotquot principes aut reges persequuti sunt Ecclesiam ab initio. Bestia ergo hic Antichristus intelligitur, sicut & exercitus, prapofiti eius cum subditis, qui vno spiritu pugnabunt contra Christum, & eius fideles, blasphemis, iniuriisque multis, & tribulationibus illatis, minantes, fidem Christi conuulsam pessum iri per ipsos, nec amplius stare posse, quoniam venisset hora eius vt pereat. Tum certè in his diabolus acius vires tremendo dei iudicio, resumet, exeretque: vt quasi solutus nexu, quo à cruce domini obligatus obstrictusque erat, videatur: eo quòd & signis præualebit, & miraculis, vt dictum est. Nec obstat quòd iam paulo ante dixerit de Antichristi & suorù damnatione: torquet idem iterum, ac retorquet, & quasi ob oculos ponit, conatus omnes bestie describens per anacephaleosim, & fortium eius, aduersus sedentem in equo, quem supra Christum esse astuimus, & exercitum eius, id est, omnes fideles. deinde beneficium dei cõmemorat. Semper enim, satanæ, qui rectorus est Antichristum, & omnes eius assecclas, inimica fuit crux Christi, quæ est virtus fidei, quam conuellerè nititur, ne fixis veluti radicibus exeret. Et ideo aderit instabitque tunc potissimum, quando tempus persequendi Ecclesiam illi dabitur. Sed quo fine? quibusve eius commodis? facilè est ex his quæ sequuntur coniectare. Bestiam dicimus, quicquid animantium rationis expertus est, quamuis crudelitatem quæ magis præse ferat ita appellare iuxta Vlpianum solemus. Eius verba hæc sunt, Bestias accipere debemus magis ex feritate quàm ex animalis genere, quæ propriè mortu vel vnguibus sæuiunt, vt pardi, leones, tigridè que, quasi vastiæ à vastando. Et cuius vocabuli etymologia discimus, feritatem plusquam animalem hominis illius peccati, quòd non alicui animalium speciatim comparetur: sed absolutè bestia sit.

✽ Pun. 2.

Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta qui fecit

Bestia anti-christum.

signa eorum ipsa, quibus seduxit eos, qui acceperunt charactera bestie, & qui adorauerunt imaginem eius.

Hoc erit Christi in nos singulare beneficium, quòd conantem contra se Antichristum apprehendat, & in infernum deturbet. Iam non semel dictum est per bestiam Antichristum debere intelligi, pseudopropheta autem eius sunt omnes doctores quasi in vno corpore intellecti, ob vnitatem spiritus eorum, qui facturi sunt signa ad seducendum gentes coram bestia, eo quòd placitura fiant illi omnia opera eorum. Vtitur autem verbo præteriti temporis, non solum propter prophetiæ certitudinem (vt solent prophetæ) sed etiam propter seriem visionis, aut loci scripturæ huius. Quam enim de sabbato sanctorum agere cepisset, quòd post persequutionem futurum est in terra, rursus ad bestiam rediit, à quo liberauerat suos Christus: quatenus & bestia damnationem aperius pœnamque indicet, & diabolum, quomodo iterum religandus sit: cuique potestas paucillimum temporis dabitur, donec tempora bestie Antichristi expleantur in aperto ponat. Porro dictum est supra cap. 13. quæ signa discipuli eius facturi sint, & quid sit character bestie, & accipere characterè bestie: denique quid imago, vt superfluum sit hic iterum & sæpe tractare eadem.

✽ Pun. 3.

Et viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.

Ecce fructus bestie & imitatorum eius, quoniam finis peccati mors, & pœna terribilis. dicitur enim, Et viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Quid hoc terribilius? Quid magis horrendum? viui missi sunt hi duo, vt sicut caput malorum sunt, ita etiam pariter puniantur. Qui sunt hi duo, missi bestia, & pseudopropheta, Antichristus, & congeries doctorum eius: hi viui mittentur in pœnas ignis atque sulphuris, quatenus in eis exultioni mirabilis iuxtaque intolerabilis fletor addatur. Hinc palam est, quia omnes pseudopropheta cum principe eorum Antichristo viui in infernum mit-

Antichristi & suorum damnatio.

tentur, quemadmodum olim accidit ipsis Dathan & Abiron. Num. 16. Hi enim plus omnibus in Moysen & Aaron insurrexerant, vt notabiliori plaga in metum cæterorum punirentur: vnde discimus eos, qui in principem Ecclesiæ insurgunt, in interitum abituros. Iam quid cum cæteris geratur, qui decepti per illos erant: sequens sermo explicat, dicens.

Punitio notoria qui in prelatos insurgunt.

¶ Punc. 4.

Et cæteri occisi sunt gladio sedentis super equum qui procedit ex ore ipsius, & omnes aues saturatae sunt carnibus eorum.

Judicium notabile post anti Christum fiet.

Non possumus gladium materiale hic intelligere, neque iudicij, consideratis circumstantiis. Nam post interitum Antichristi non statim fiet iudicium, alioqui quomodo implerentur scripturæ prophetarum de futura conuersione Iudæorum: maxime, qui iuxta prophetiam domini statim recepturi sunt Antichristum Ioan. 7. Ego, inquit, veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Quibus verbis prophetauit dominus consensu omnium de Antichristo, & Iudæis. Sed nec materialis exiet de ore domini gladius. Oportet ergo verbum fidei ac salutis esse gladium, quo cæteri interimendi sunt. Quum enim Antichristus, & pseudopropheta eius insigni clade propalam intereant vt celari non possit, cæteri ad Christum conuolantes fidem recipient, qua occiderentur in eis impietas eorum, qua viuere sibi videbantur. Sic ergo occidentur, vt non sint postea quales erant videlicet impij, increduli: sed fideles & iusti. Quem in modum alibi scriptura dicit, Verte impios & non erunt. conuersione enim impij non erunt, de quorum carnibus aues saturabuntur. Aues prædicatores supra retulimus, & ij saturabuntur carnibus, dum de carne prædestinatos eripiunt damnationeque. Gaudebunt enim velut aues saturatæ carnibus, & plurimum iucundabuntur.

CAPVT XX.
DE LIGATIONE DRACONIS
PER ANNOS MILLE. Sect. I. Punc. I.



E T vidi angelum descendente[m] de celo habentem clauem abyssi & catenam magnam in manu sua: & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & satanas: & ligauit eum per mille annos.

De communi pace etiam externa iterum dicturus, quæ futura est in tota Ecclesia sub omni cælo, post interitum Antichristi, turbatorem pacis ecclesiæ, & euangelij Christi satanam dicit esse religadum, nam nisi religaretur pacis tranquillitas minus succederet. In quod vidit beatus Ioannes angelum descendere, cuius ministerio in id venter dominus. Sunt enim omnes administratorij spiritus, Hebr. 1. Quorum officiis & in fine mudi vsurus adstruitur. Matt. 13. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Qui ergo tum vsurus est talibus eorum officiis, non erit inconueniens ita intelligere, & in religatione draconis serpentis antiqui. Dicatur ergo, Et vidi angelum descendente[m] de celo habentem clauem abyssi. Nota clauem abyssi habere dicitur angelus, eo quod habeat potestatem: & catenam, id est, virtutem religadi draconem, religatumque detrudere in abyssum inferni: & quidem ab eo hæc omnia habere dicitur, qui est rex constitutus à patre super omnia, siue quæ in cælis sunt, siue quæ in terris, & in omnibus abyssis, quo occludet illam ob signabitque, vt non valeat exire per mille annos. Quid per mille annos nisi pacis tempus illud amabile designatur, quod supra cap. 7. silentio dimidiæ horæ designatum iudicatumque est: vt quod inibi breue positum est, hic longius protendatur, eo quod abdita esse vult nobis momenta temporis Christi, quæ pater posuit in sua potestate. Breue ergo longumve tempus sit illud, nobis vtique incognitum est. Si longum, breue tamen satis ob iucunditatem videbitur, quæ post gradines & pcellas tempestatis, & mœstitudinem omni ecclesiæ fiet: id eoque, & media hora est, & mille anni: forte quæ nec diu durare poterit, quod longum esse de-

Angelorum ministerio vtitur dominus.

Angelus habens clauem abyssi.

Pacis tempus describitur.

*Mille anni
quatum tem-
pus designet.*

beret. Aliis millenarium tempus illud cēsetur, quod breue quidem futurum est, ob præciositatem. Quod quantum quantum breue fiat, tamen præciosius mille annis præcedentibus, sicut scriptum est, Melior est dies vna in atriis tuis super millia, Psal. 83. Et quemadmodum Eccl. 16. vnum piū præferendam impiis mille filiis cenfer spiritus sapientis: similiter puto sentiendum de tempore hoc millenario numero consignato. Durabit tamen pax illa aliquanto vtrique tempore, eo quod in donis suis bonus Deus cupiat se suamque bonitatem suis effundere ad sensum, qui solus nouit quam longum, quamque breue sit futurum tempus illud, de quo non audeo definire humana præsumptio. In qua re hoc solum pro certo habemus, quia felicissimum illud futurum est ecclesie regnum, cuius vel breuissimum tempus pro longissimo merito sui computabitur, quando pii exultabunt, & inenarrabili læticia iucundabuntur, & de Antichristi interitu, & de eorum pace, præsertim verò de Christi gloria, quasi quodammodo felicitatem vltimam forent assequuti. Eo igitur tempore fortissime vincietur draco ille diabolus angeli eius, ne seducere quæquam possint, nec prohibere gentes ne fidem recipiant, neque princeps tyrannus aduersus Ecclesiam Dei tum sæuiet vllus. Quod dum fiet, pulchra admodum tranquillitate conualesceant vniuersa. Tunc lætiores in suo cursu dies erunt, sol blandior spiculis ludentibus irradiabit, non mugiet horrendo tonitruo cælum, nec fulmina irati Dei iacentur. Tum ros & hyber complutu tellurem amplius fœcundabunt, ridebunt exortu astra: non criniti cometes propendent: non versa in sanguinem luna minabitur. Nullum tum draco cruento ore squiens seducet; nullus in toto orbe ab eo seductus erit. Quid plura? Tunc redibunt aurea sæcula, plusquam saturnalia regna. Porro ponuntur hic aliqua nomina impij spiritus aduersarij, vt sunt, Draco, Serpens antiquus, Diabolus, & Satanus. Draco est propter nocendi maliciam. Serpens antiquus, ob fallendi astutiam. Diabolus propter status sui casum. Satan propter obstinatam aduersandi voluntatem. Et hunc tam infestum, tam crudelem, tamque metuendum ligabit angelus. De quo sequitur.

✠ Punct. 2.

Et misit eum in abyssum: & clausit eum: & ob signauit super illum vt non seducat amplius gentes, donec consumantur mille anni: & post hoc oportet illum solui modico tempore.

De iudicii Dei mirari satis nemo potest, quali vicifitudinæ tempora ordinet, resque simul temporum aptet: vt modo tribulationibus agitari permittat orbem, modo multa pace quiescere: Aduersarij vires modo coërceat, modo soluat. Apprehendit, inquit, angelus draconem, & ligauit eum, & misit in abyssum, & clausit inibi illum & ob signauit, ne possit vltra gentes seducere. Primus misit in abyssum, non quia ibi ante non erat, sed ideo illuc missus dicitur, quia exclusus à creditibus plus cepit impios possidere, putat enim abyssi nomine impiorum profunda corda & ipsorum incredulorum designari. Haymo quoque in eandem sententiam in pedibus: nihil rationem temporum, nec visionum ordinem aduerterentes. Taceo Dionysium pythagorici silentij hominem Carthusien sis ordinis, qui nec pedibus nec manibus terram attingit, fluitans perpetuo in alieno mari. Nos doctissimorum, & in hac scriptura magis fidelium iudicia imitantes, contenti expositionis tenore lucem veritatis in hoc caliginoso opere perquiretes, neminem vnum ita sequi volumus, vt ab eo non discederemus, si in alijs maiorem lætitem aduerteremus, ordinem visionum in primis attendendo, sine cuius obseruatione spes non est cuiuspiam veram huius libri posse assequi noticiam. Nam, si lux aliqua emicet alicubi, subita caligine loci sequentis ea omnis ita obreuebrabitur, vt nulla fuisse ea credatur. Proinde iuxta visionum ordinem, Abyssum, infernum, damnatorum videlicet locum, & carcerem, vt res habet, hic incunctanter capimus, vbi potestate Dei angelus sathanam reclusurus est, atque ob signaturus imperio, ac fortissima virtute Dei, vt non elabi possit, donec iterum Dei permisso saluatur: & post hoc, id est, post pacis & silentij amabile tempus per mille annos figuratum, oportet draconem illum modico tempore resoluere ante iudicij diem: vt patientia sanctorum, ac sincera in Deum fides probeatur: vtque crux sanctorum duret in finem, vsque ad Golorgha vbi crucifixus est Iesus: nam & ipse modicum tempus releuatus fuit ablata paulisper ab humeris cruce, cui

*Satana
ligatio.*

illum passurum Christum, ut adueniat, tamen non sine graui periculo sed in reprobis dumtaxat, hoc est, in his, qui predestinati non sunt, nec sine eius iniuria in blasphemis, quas contra eum prouocauerunt nequam ille. tamen quia scandala, quae praedixit esse futura, aliter deleri nequeant, oportet certe, ut graue malum in tempus eueniat, quatenus diuturnum eleuet delectatque. Fiet ergo ut in toto mundo duae tantum leges sub Antichristo supersint, Altera Christi, Antichristi altera, deletoque Antichristo deleatur & eius lex, ut sola Euangelij permaneat, nam verbum domini manet in aeternum, Esa. 40. nec sine gloria, quod tum in primis eius veritas palam fiat, & nulli nisi christo sit honor & gloria, cuius regnum erit per vniuersum orbem dilatatum & firmatum. Tunc aues caeli, id est, ministri verbi Dei, manducabunt carnes regum, tribunorum, fortium quoque, &c. In eis autem qui conuertentur, regnabit Christus, & ipsi erunt populus eius, & ipse eorum Deus. Nam & Israel tunc conuertetur ad dominum, secundum, quod scriptum est per Dei promissionem. O quanto luctu, & quam acerbo cordis dolore errorem suum tunc agnoscent ij qui a veritate aberrauerant, aut qui nondum veritatem agnouerant. Quantum simul gaudeant de munere vltro oblatae sibi gratiae. Erunt namque omnes velut ex profundo inferni emerisi eductique, & ideo gratias in finitas benefactori Deo continuo agent. Tunc Iudaei plusquam aliae nationes Christum feruentissime predicabunt, quia ipsis specialiter de Christo repromissio facta fuit, palam est scripturis proferetes hunc esse liberatorem omnium, & nostrarum saluatorem animarum. Laudabunt ergo & confitebuntur, quoniam ablatum erit tum velamen illud, quo nunc laborant, ab oculis illorum, ut Christi mysteria palam videant. Tunc sane implebitur illud Iere. 23. In nouissimis diebus intelligetis consilium eius, tunc quippe agnoscet mundus, quod Deus non frustra semen Abraham in assumendo carne ex Iudaeis apprehenderit elegeritque: cuius postrema assumptio erit mundo velut vita ex mortuis, Ro. 11. Et quemadmodum eo loci dicitur naturales rami oleae denuo inferentur: sic restituetur regnum Israelis. Restituetur inquam, quod Christus regnum intra eos erit, sicut & in omnibus gen-

Iudaei ardentius in sine predicaturi Christum.

tibus: qui vere Israelis nomine censentur ob fidem. Sequitur. Et vidi sedes, & sederunt super eas. Quid sedes istae sunt, nisi ecclesiasticae dignitates, & super eas sedentes ij sunt qui a Christo spiritualiter regnant, & iudicia exercent, non forensia, sed spiritualia in verbo vitae, in plebe credentium: ij sunt episcopi, presbyteri, qui regere habent subiectam plebem plena autoritate, de quibus Paulus loquitur, Act. 20. Vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Omnes enim ordines fient conuulsi & suppressi per antichristum, quos iterum oportet reparari, dico ordines ecclesiasticos, ut omnia rite fiat peraganturque Dei ecclesia, non conuertuum ordines, de quibus hic nulla fit mentio: nec Ioannes vidit eiusmodi, qui non aliud sunt quam genus vitae, de quibus specialis uilitas ecclesiae prouenit in verbo Dei praedicando: alia singularia sunt & priuata pro eorum vita, & salutis commodo, omnia tamen in gloriam Dei ordinata: ne quis putaret me contemptu religionum haec dixisse, qui & ipse homo religiosus sum, regulis vitae obstrictus, seruies Deo in humilitate spiritus, & lachrymis, & tentationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis satanae, & improbitate satanicorum hominum, si quomodo gratiam Christi promerere per fidem in qua sto, quam & praedico: sicut & praedicaui in gentibus meis, secundum voluntatem Dei in euangelio eius. Ideo dicitur, Et iudicium datum est illis. A quo datum: Dico a Christo, cui pater omne iudicium dedit Ioan. 5. A quo est omnis potestas. Autoritate enim eius sunt sedes in Ecclesia, in qua solunt & ligantur in eis sedentes, quibus est par edum ab omnibus, quibus loquitur dominus Luc. 10. Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit: Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

✽ O Punctus 2.

Et vidi animas decollatorum propter testimonium Iesu. Et propter verbum Dei: Et qui non adorauerunt bestiam: Neque imaginem eius: neque acceperunt charactere[m] eius in frontibus suis: aut in manibus: & vixerunt: & regnauerunt cum christo mille annis: ceteri vero mortuorum non reuixerunt donec consummentur mille anni: & haec est resurrectio prima.

Verè quot verba, tot sacramenta in volumine hoc oc-

currunt. Tria se vidisse dicit. Primo animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, id est, martyrum, qui cæsi sunt ob confessionem diuinitatis ac humanitatis christi, cum christo per hosce mille annos regnaturas. Secundo, eos qui non adhaerant Antichristo, neque consignati erant caractere eius, qui etsi occisi non sunt, tamen confessionis suae palmam minime amissuri. Tertio, quod alij extra Christum aeterna morte oppressi renebuntur. **Quare?** Quia, inquit, non reuixerunt per illos totos pacis dies, quando christi veritas omnibus vbique clara erit, non reuixerunt inquam de morte culpæ ad vitam gratiæ transmeando: & ideo quum dies aduenerit, quo corporum fiet resurrectio procedent ad iudicium. Regnante itaque ecclesia cum christo sub hac amabili pace, sic (vt præfertur) mille annis, silentio mediæ horæ: id est, longo breuique tempore, & eo præciosissimo: vidit. S. Iohannes animas decollatorum cum his qui non adhaerant Antichristo, id est, verè fidelibus, qui nullam notam bestiae præ se tulisse probabuntur, nec spiritum eius habuisse, viuere & regnare, seu victuros regnaturusque esse cum christo sub eisdem mille annis. Sed quomodo animas mortuorum cum viuis regnaturas dicat? Nunquid aetæ sanctorum cum viuis diuersabitur? Nequaquam. Nā sicut omnibus sua tēpora, sic etiā loca congruentia dispersit Deus, qui est sapiens in ordinando, & iustus in retribuendo. Sed hoc ideo dicitur, quia piorum aetæ nequaquam ab Ecclesia etiā exuta corporibus separabuntur, quæ est regnum christi, alioqui nec ad altare christi fieret eorum memoria in cōmunicatione corporis christi. Quāuis ergo cum suis corporibus nondum suscitati, tamen eorum animæ, & nunc regnant cum christo: vnde in hoc libro dictum est supra, ca. 14. Beati mortui qui in domino moriuntur. Regnat igitur cum christo, nunc primū ecclesia in viuis & mortuis, & christus in ea cum eis. Qui sicut ait Apostolus. Rom. 14. mortuus est, vt & viuorum, & mortuorum dominetur. Sed tum propter pacis cōmunis felicitatē, Ecclesia multo insignius regnatura creditur, donec mille consignati anni decurrant. Denique idcirco martyrum tantum aras commemorauit, vt Primasio placet, quia ipsi præcipue regnāt post mortē, qui vsque ad mortē pro veritate certauerunt.

Anima fidelium exuta corporibus nequaquam ab ecclesia separabuntur.

Sed à parte totum etiā intelligimus, id est, cæteros pertinentes ad ecclesiam, quod est regnum christi: nā capite ostenso, & cætera intelliguntur mēbra. In martyribus, & cōfessores, & quicumque alij cōprehenduntur, inter quos martyres maiorē gloriā habebunt cæteris, qui pro christo sic vitā contempserunt, vt & sua corpora traderent dilanianda. **Quid vero est quod ait,** Propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei. Quæ idcirco distinctim posuit, vt intelligatur, quia hac sola causa interfecti sūt, quia confitebantur Christum deum & hominē. Iesus quippe propriū nomen est hoīs assumpti cōmunicatū à proprietate naturæ Dei, & interpretatur saluator, eo quod angelo teste, salū faciet populum suum à peccatis eorū, Matt. 1. Verbum autē Dei diuinitas intelligitur filij Dei in qua æqualis est patri, vt rectius sic diuinitas poneretur. Propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, id est, propter fidē humanitatis & diuinitatis eius, quia interfecti sunt sc̄ti.

Alij in tropologia sensum eliciunt, vt tum regnent aetæ, id est, spiritus voluntatem abnegantium: nā typus voluntatis caput est, & illi decollati viuant, qui propriam abnegantes voluntatē secundum christi beneplacitū sese legibus Dei obstringunt, auersantes omnem malitiam: qui potius eligunt mori quā peccare, & quā illius ignominia: quæ sub Antichristo futura est, notam subire. Vbi simul indicatur quale futurum sit illud regnū, quia mere spirituale, ex eo quod solas aetæ adstruat regnaturas: vbi per aetæ spiritus intelligit: quatenus sciamus non corporū sed spirituum hoc fore regnum. Spū enim regnabitur tū, nō carne in Ecclesia dei. Regnabunt ergo, & viuent spiritualiter qui christi causa semetipsos abnegarint, & bestiae spiritum, ac deceptionem depulerint: vt proprie hoc illi aetati competat, sicut & de ea dicta sunt: semper tamē verum fuit, quod qui propter christum se vitis abnegarint regnēt cum christo, hic per gratiam, & in futuro per gloriā: vt qui primam nacti sunt resurrectionē, nacti & secundam vna opera in spe videantur, quæ resumpta carne erit in gloriā. Postremo quicumque sub hoc tēpus quo prima resurrectio agitur, quæ spirituum est, non respuerint neque audierint vocem filij Dei, neque ad vitā de morte redire curauerint: in secunda resurrectione quæ car-

Martyres primates in caelis.

Iesus propriū nomē hominis assumpti in christo.

Anima decollatorum voluntatem abnegantium sunt.

Regnum cōmunis pacis mere spirituale.

Nacti primā resurrectione redire curauerint: in secunda resurrectione quæ car-

*videntur &
secundam.*

nis est, ad secundam mortem, quæ gehennæ tormentorū est, cum sua carne proinde transibunt. Sequitur, Carteri vero mortuorū non reuixerunt donec finiatur mille anni, id est, oblata pace externa, & declarata iterū gratia euangelij, quando apertissime Christus uisus tot miraculis, ac potētia uerbi manifestabitur ad omnes, nisi quis toto illo tempore resurgat à peccatis in gratiam, non resurget in gloriam, sed æterna morte opprimetur. Vel sic, Et si tam apertissime se Christus declararet omnibus, nec sic tamen omnes resurgent, sed remanebunt plerique eorum in morte donec consumentur mille anni, id est, tempus amabilis pacis transeat: quod statim excipiet terror tremēdi iudicij.

¶ Punctus. 3.

Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi: & regnabunt cum illo mille annis.

Mors prima.

Quum in præcedenti textu diceret, Et hæc est resurrectio prima: mox subiunxit, Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. Equidem per hoc accipimus, & secundam fore resurrectionem. Nisi enim esset secunda, nequaquam primā diceret. Potro nisi esset mors prima, secundam non diceret. Intelligamus ergo quid sit mors prima, quid secunda, & quid resurrectio prima, quid secunda. hæc enim duo mors & resurrectio sibi inuicem contra posita sunt. Igitur mors prima est separatio gratiæ iustificantis ab anima credentis, vel nō credentis: quæ quis iustitiæ moritur, uiuit autem peccato. Quid enim est mori iustitiæ, nisi gratiam iustificantem abiicere, accipere peccatum? Gratia enim uita est. Ro. 6. peccatum mors. Ita enim idem apostolus definit, Stipendia peccati mors. Aut amare peccatum & odire gratiam. Amor enim uita quædam animæ est, ut id quod amat quis in illo se uiuere credat, odium mors, quod priuationem infert charitatis, ut mors uitæ. Mors ergo prima hæc spiritus est, quoniam non minus est regnum mortis in spiritu incredulorum, quàm regnum uitæ in spiritu credentium. Nam quemadmodum regnum Dei uitæ & uirtutis est ab intra, ita regnum diaboli mortis & peccati est ab intra.

Peccatum

Peccatum autem separat inter hominem & deum, ut scriptura habet. Mors secunda corporis est quæ est separatio aic à corpore, quando aia separatur à corpore. Deniq; prima resurrectio fit quum quis ab infidelitate uenit ad fidem, vel à peccato ad uirtutes, contemnens illud, has amplectens, ut iustitiæ cæterum uiuat. Quid enim est iustitiæ uiuere, nisi in fide iustificante per gratiam omnes uirtutes complecti amare & exercere? Iustitia enim quandoque uicem est uirtutum omnium, in quibus iuxta beneplacitum suū delectatur deus. Iustitiæ ergo uiuimus dum amamus, dū sequimur illam. Ad quam capessendam nō raro in epistolis suis hortatur apostolus, sine qua uita non est in hominibus. Secunda resurrectio carnis est ad gloriam reuiuificationis, pij etenim resurgent incorrupti, glorificatis corporibus ad modum solis refulgētis, de quibus Saluator noster loquitur dicēs. Tunc fulgebunt iusti sicut sol. Matt. 13. Beatus itaque & ter quaterq; beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, id est, qui hic resurgit in aia per gratiam: felix equidem est is qui dum adhuc uiuit in corpore à morte animæ resurgit, quia dum carnis resurrectio aduenit in æterna lætitia uiuet. Namq; ille solummodo post in carne resurget fœliciter, qui in hac uita à mentis suæ morte resurrexerit sapienter. Quare resurget fœliciter? Quia nimirum in eos secunda mors nihil habebit iuris. Nunc deinceps quæ sit secunda mortis potestas non ab re erit indagare. Scimus quia secunda mors dominatio sit æterna: huius potestas est perdere in interitum æternum, ut nunquam, quem simulatque comprehenderit, Deo suo uiuat. Deus enim uita animæ est, uita nostra, sine quo ois uita mors est, non uita. In ipso enim uita erat. Ioa. 1. immo qui est ipsissima uita, qui sola de se fide uiuificat mortuum quemq; , sicut scriptum est, Iustus ex fide uiuit. Abach. 2. Sed in quos sit potestas ei⁹, id est, quos habet perdere? Respondeo, Eos qui mortui sunt prima morte, & neminem præterea. Proinde si quis nō uult experiri in se illius potestatem, accurrat ad Christum, ut per eum primæ resurrectionis fiat particeps. Ipse enim est, qui mortis abstulit potestatem: qui in scriptura dicit, O mors, ero mors tua. Osee. 13. Et rursum, Mors absorpta est in uictoria. Itē, Vbi est mors uictoria tua? 1.

Mors secunda.

Prima resurrectio.

Secunda resurrectio.

Mors secunda.

Cor. 15. Ibidem: Stimulus mortis peccatum est, Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum christum. Et ille, per quem facta est victoria de morte abolendo eius stimulus, per quem regnare solet in nobis, potest liberare nos, ut non experiamur eius virtutem. Liberat illum, qui tota fiducia credit in eum, & ardentem diligit eum, ut non procliupe peccet in legē eius, quin potius ab negatis secularibus desideriis, & impietate omni viuat sinceriter: quod si per fragilitatem humanam peccauerit, iustificari Deo in christo quam primum contendat expectans beatam spem, & aduentum gloriae Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum, Tit. 2. Sic itaque agnita potestate secundae mortis, è regione videamus quae sit potestas secundae resurrectionis. Ea nimirum seruire est. Sed quos: Dico eos, qui priorem resurrectionem sunt consequuti, praeterea neminem. Ergo eos non seruat, qui priorem minime sunt consequuti, id est, mortui sunt morte priori, quae per peccatum fit, nec resurrexere: quibus secunda mors erit potius ianua gehennae, & damnationis aeternae. Postremo sancti mox ut priori resurrectioni communicant, non solum spiritu regnant, sed insuper Dei & Christi erunt sacerdotes, offerentes seipsos per Christum verum sacrificium laudis iustitiaeque. Quod non de solis episcopis & praebiteris est intelligendum, qui in ecclesia Dei sunt sacerdotes: sed etiam de omnibus fidelibus, quos sicut omnes christos, id est, reges dicimus, propter mysticum christum, quo vncti per spiritum sanctificationis sunt, sic omnes sacerdotes, quoniam omnes membra sumus vnius sacerdotis: iuxta illud, Vos estis genus electum, regale sacerdotium. 1. Pet. 2. Reges quippe sunt pij etiam moraliter, quia motus carnalium sensuum in se recte secundum dictamen legis diuinae regunt. Sacerdotes, quia seipsos mortificant, ut hostia viua Deo sint semper, de quibus per prophetam dicitur, Isti sunt filij Sadoch, qui accedunt de filiis Leui ad dominum, ut ministrent ei. Sunt itaque sacerdotes & reges Christo initiati fideles: quorum sacerdotium & regnum ne quidem in die iudicij finem acci-

Resurrectionis secundae potestas.

Christianus & sacerdos spiritualiter idem.

piet: quin potius autoramentum, honore & gloria longe illustriorem: quando & semetipsos totos Deo offerent, & super omnia regna constituentur. Contra reprobi & qui hic illustrium facinorum mercedem recipiunt, omnibus eorum bonis quaeque habere in faciem videbatur, spoliabuntur, ut miseri sint semper, & miserabiles, & nudi, & ludibrio daemonum expositi, nec sit qui misereatur illis in eorum miseriis. Ex his palam est, qui sint vere fideles Deo: quia hi soli, qui in prima resurrectione censentur: & hi soli predestinati ad vitam, qui & sacerdotes sunt, & reges, quorum utraque dignitas splendidiori luce in futuro reuelabitur, qui regnaturi sunt cum Domino per mille annos, siue in praesenti, siue in futuro. Namque mille illud annorum tempus, quod pacis erit, consignat futurum caelestis patriae omne aeuum, in quo nullo termino regnaturi sunt sancti cum Christo. Typus enim eius est: reo quod sicut illud mille annorum sequetur post procellas grauium persequutionum, ita hoc post varios angores, vitaeque tedia in caelestibus, ubi erit vera pax & laetitia sempiterna sanctis omnibus, Amen. Sequitur.

*DE TURBATIONE AMABILIS
PACIS PER SATANAM.

Sect. 3. Punct. 1.

Et quum consummati fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog & Magog, & congregabit eos in praedium, quorum numerus est sicut arena maris.

Post felicissimum illud silentij tempus soluetur satanas de carcere suo, id est, permittetur agere ea quae prius non poterat, superna eum religante, coercentque virtute. Vnde palam est, non tam corda reproborum per abyssum, in quibus superius satan reclusus religatusque erat, debere intelligi, quam locum inferni, qui hic expressius carcer dicitur. Vel, soluetur in eis (ut locus sit eorum quoque opinionum quorum exercitatissimi sensus in scripturis ali-

bi quoque probantur) quos aget in impietatem omniē terra electos: non quod illos desereret, quos mordicus tenet, sed libera dabitur facultas agendi tum impellendique eos suscitare bellum contra ecclesiā. Sic & vitium, & ipsa etiā virtus exire dicitur per operationē, nō per loci mutationem. De carcere ergo inferni post pacem soluetur, vbi per mille annos religatus iacuit fremens, & stridens, ac multa interim secum reputans, multos dolos excogitans, quibus piis noceat, vbi primum eruperit: vt rectē hic dicatur, Et seducet gentes (intellige per suos) quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, quæ nomina aculariui casus sunt & generis masculini, id quod Græcus articulus plane ostendit, & pro hominibus capiūt multarum gentium, quos congregaturus est in prælium sine numero. Porro, eos, pronomen, refert, Gog, & Magog, non terræ angulos, neque gentes. De Gog, & Magog, scribitur, Ezech. cap. 38. & 39. vbi figurantur per Gog capita Antichristorum omnia, præsertim summus ille perditus homo peccati. Per Magog verò vniuersi, qui illotum spiritum sequuntur. Et tum quia tum quando hæc fiēt diu iam Antichristus peribit, & Antichristi omnes (vt dixim⁹) alios ergo nobis in mysterio nomina hæc in hac scriptura indicant: etiam si antichristi, Antichristorumque spiritum habeant, & hi quos nomina hæc nobis indicat. Aliud enim tempus ista respiciunt. Proinde opere precii fuerit spiritualiter examinare, & secundum hoc, sensum elicere enucleatorem. Neque enim aliquæ determinatæ gentes possunt per eosdem intelligi, quum toto terrarum orbe diffusos satan tum congregare dicatur, quemadmodum beatus quoque Augustinus 20. de ciuitate scribit. vt vana sit existimatio quorundam, qui ad decem tribus hæc referunt, aut Gargas, Malagatasque, quæ Scandiam insulam inhabitant: aut feras Scytharum gentes. Sed nec eos quos fabulosa narratio vulgat ab Alexandro magno in partibus Macedonia conclusos, iamque in vintiquatuor regna diuisos possumus per hæc nomina capere. Neque enim hi, etiam si sint, quatuor mundi partes tenent. Necesse est ergo in mysterio poni eadem nomina. Gog namque rectum dicitur, Magog de recto tanquam domus, & ipse qui procedit de domo, vt Primasius ait.

Gog &
Magog.

Gog quid sit
& Magog
similiter.

Per Gog ergo hi intelliguntur, qui tecta in hypocriti malitia pietatem insectantur, & quasi ementita pietate pernicaciam contegere nituntur: quorum primus tum exercitus instigante demone, contra iustitiam Dei exoritur, horum scelerata phalanx in ipsum dominum primum irrupit, nec quieuit donec neci eum traderet: qui non defecerunt ab illo tempore: habet enim & habuit quæque ætas suos hypocritas, nihil ad Christi regnum pertinentes. Porro Magog ex his prodeuntes sunt, qui ab horum pendunt simulationibus, technis, & crudelitatibus, omnes impietatis potentes ministri, emulatores quoque horum. Mox igitur vt solutus fuerit satan cum angelis suis circumibit omnem terram, quarens opportunos pietati contradictores, qui crudeli odio ac furore insurgant contra pios, quorum ecclesiam concupiuit ab olim demoliri: horum numerus arena maris assimilatur, quod absque numero ferè sint futuri hi retinentes spiritum Antichristi, in quibus velut octaua bestia perditus ille reuiuiscet. Fiet enim vt hæreses extinctæ renasci videantur in successoribus etiam post longa sæcula: & hoc quidem opera satanæ, qui virus suum permissione Dei infundet & in posteriores, sicut fuderat in priores. Sequitur, Et congregabit eos in prælium. Prælium hoc præfati sumus plus consistere in clādestinis machinationibus per deceptionem, quàm apertis congressibus dimicationum. Erasmus Roterodamus in suis annotationibus negat consistere posse pro sensus competentia verbi positionem hanc, Et congregabit, sed ad congregadum, hoc sensu, Post amabilem pacem quum solutus fuerit satanas de carcere suo, exibit, & seducet gentes quæ sunt super terram hypocritas, & horum assecclas, ad congregandum eos in prælium, qui erunt ferè absque numero. Neque enim ipse illos congregabit, sed seducet, vt congregentur. Et quidem peruersi suo ingenio tuunt in omne genus flagicij, vbi persuasum fuerit illis, vt non opus sit eos cogere.

*O Punctus 2.

Et ascenderunt super latitudinem terre: Et circumierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam: & descendit ignis a Deo de celo, & deuorauit eos.

Ll iij

*Malorum
ascensus.*

Tria dicit, Primum quòd ascenderunt super latitudinem terræ. Secundum, quòd circumierunt castra sctòrum & ciuitatè dilectâ, quòd idè est. Tertium, quòd descèdit ignis à deo de cælo, & deuorauit eos. Sed quid est ascèdere per uersos super latitudinè terræ, nisi eos ubique diffundi, ubi q; reguare super terrâ? quorum ascensus potètia in timore cordis eorum est, sicut scriptum est, Vidi impium super exaltatum & eleuatum sicut cedros libani. Psalm. 36. Quo uerbo multitudo impiorum tumens & eleuata nimis indicatur. Etenim simul atq; malignus impiorù corda possederit, agit quoquoersum suo arbitratu eos ut congregentur, facessantq; negocium piis: eorum namque iuxta prophetæ uocè superbia ascendit semper, tam non cessabit, tã nò conquiescet. Cogitant enim superbi ingètia, moluntur quæ non probat deus, qui alta à longe cognoscit. Psalm. 137. Potest latitudo terræ & terrænam eorum execrabilem ac inexplebilem cupiditatem exprime-re. Nisi enim terrenis hisce affectibus immoderatissime tenerentur, super terræ latitudinem minime elati ferrentur: nunc uero, quia prorsus immergi cupidita tenentur, ascendisse dicuntur. Et ascenderūt, inquit, super latitudinem terræ. Obserua. Ascendunt impij, ascendunt & iusti, forte tamen ac spiritu minimè æquali: quum hi gradibus humilitatis nitantur ad summa, illi superbiæ timore. De iustis hoc dictum est, Quia ibunt de uirtute in uirtute Psalm. 83. Et alibi. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem. De impiis autem illud legis, Ascenderunt populi & irati sunt, Exo. 15. Quid est ascenderunt, & irati sunt? Quia nimirum superbis dum non succedit ex sententia irascuntur. Quare irascuntur? quia uirtute patientiæ carent, patientia enim opus perfectum habet, Iaco. 1. & Paulus dicit patientiam ex tribulatione prodire. Roma. 5. Tam abhorret ab improbis hæc uirtus, quòd ad omnem illi tribulationem, irascantur magis quàm sustineant patienter, proinde rectè dictum populos ascendisse & iratos esse, quorù ascèsus descensus est semper in uitiis, iuxta quod scriptum est, Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuo-

rata est. Psalm. 106. Secundum erat, Et circumierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam, quam non aliam putamus quàm ipsa collegia sanctorum, quæ bene castrorum nomine designantur, quia sancti semper in prociuctu esse debent, perinde ac milites in castris, immo vigilantius, quum nobis pugnandum sit aduersus hostes spirituales, qui eo formidabiliores sunt, quo inuisibiles, pertinaces, infatigabiles, & astuti, de quibus sub uini nomine loquitur Cyprianus. Aduersarius noster uerus est, & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus: sex mille annorum plene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat, omnia iam tentandi genera, & artes atque insidias, deticiendi uisus ipso uerultatis edidicit. Si imparatum inuenierit Christi militem, si rudem, si non sollicitum, ac toto corde uigilantem, circumuenit nescium, fallit incautum, decipit impertum, ut bene castra quædam sint ciuitas ipsa sanctorum dilecta à deo, quæ est ecclesia: quæ ciuitatis nomine describitur Psalm. 47. & 86. cuius ciues sunt domestici dei, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetatum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Eph. 2. quæ domestici canes cū alienis, qui sunt Gog & Magog, circūire dicuntur, quoniã hæretici cū Ethnicis pari manu eam infestant, obsident, oppugnant: quam expugnare protinus ac demeriri nituntur, sicut scriptum est, Super populū tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos, dixerunt, Venite & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen eorum ultra. Psalm. 82. Sed quid dicit scriptura? Salus autè iustorū à domino, & protector eorū in tēpore tribulationis: & adiuuabit eos dominus & liberabit eos, & eruet eos à peccatorib⁹, & saluabit eos, quia sperauerūt in eo, Psalm. 36. Proinde sequitur Tertiu, Et descèdit ignis à deo de cælo à deuorauit eos. Sic ergo liberat suos deus ut perdat eorum aduersarios, in fine maxime, quādo ignis in conspectu eius exardescet, Psalm. 49. & 96. Subscribit & Petrus apostolus in posteriore epistola, Nouit dominus pios de tentatione eripere: iniquos uerò in diem iudicij reseruare cruciados, magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immundiciæ ambulant, dominationemque contēnūt, audaces, sibi placentes, sectas non metuūt

introducere, blasphemantes. Lege plura ibidem contra carnales quos irrationabilia pecora appellat, periréque in corruptione sua. cap. 2. de quibus Psal. 20. dicitur, Pones eos vt clibanum ignis. Ignis iste è caelo à deo descendere dicitur, quia virtute dei de sua sphaera labitur, qui combusturus est aduersarios, quorum ignis hic inceptus descendet vna cum eis in infernum, vt vere deuorasse eos dicatur. Hoc est quod alibi minatur dominus, Si auero vt fulgur gladium meum: & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam, Deut. 32. Ibidem, Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.

✽ P. Pun. 3.

Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi bestia, & pseudo prophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.

Pereuntibus impiis, & ipse sceleris author similiter in igne perire dicitur. Iusto enim dei iudicio fit, vt similiter peccantes, similiter pereant, vtque peccatis pœnæ ex diametro corrépondeant. Quia enim omnes ij malo igne concupiscentiæ cuiusvis generis peccati contra dominum deliquere, igne pereant necesse est: quibus dominus dicit in iudicio, Ite maledicti in ignem æternum, Matth.

Stagnū ignis inferni profunditas.

25. Per stagnum autem ignis, (vt Haymoni placet) profunditas inferni intelligitur: in quo impij omnes in bestia & in pseudo prophetis intellecti cum capite suo damnati perpetuo exurentur: vbi & ignis est, & tenebra: ignis, non ad lucendum, sed ad miserorum corpora cōcremandum: corpora enim reproborum erunt fomentum ignis: proinde ignis iste erit indeficiens, quia & corpora erunt in cōsumptibilia, & immortalia, quibus semper accendetur & ardebit vehementer: sulphur etiam fomenta igni præstabit, & fetorem. Namque vt ignis hic erit perpetuus ita & fetor, vterque intolerabilis, vbi bestia & pseudo prophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum, Quero, Quis in inferno semper tenebræ sint, iuxta illud, Inutilem seruum proiците in tenebras exteriores, Matth. 25. Quid est quod hic dicitur, cruciabuntur die ac nocte:

Nunquid dies erit ibi & nox, vt mutua vicissitudine succedantur? Sed sciendum nobis est, quia non pro vicissitudine diei noctisque hic dies ponitur & nox, sed pro perpetuitate. Est enim hic vsus loquendi communis, quo & gentilis poeta Maro vitur in sexto æneidos. Noctes atque dies patet arti ianua ditis, id est continue. Haymo putat diem ac noctem referri ad mutabilitatē pœnarum, caloriscilicet & frigoris. Quo contra, inquit, de sanctis dicitur, quia iam tempus non erit vltra, id est, nulla mutabilitas. Apud electos enim nullius rei erit vicissitudo, sed sicut erunt immortales corpore, sic erunt & immutabiles mēte. Reprobi autem licet fiant immortales corpore, corruptioni tamen obnoxij erunt: quia & à verminibus erodentur immortalibus, & igni inextinguibili exurentur. Adhæc sustinebunt miram impatientiam animi, & semper in tormentis mutabuntur, semper deficient: & nunquam ad nihilum deuenient. Potest & distinctim dies ac nox intelligi, vt dies sit iustorum, nox reproborum. tali sensu, Cruciabuntur die ac nocte, id est quo adusque dies beatorum perdurabit, & nox damnatorum non deficiet: quorum perpetuum vtrūque erit. Aliter quoque diem possumus referre ad gloriam iustorum, noctem ad pœnam reproborum. Illi ergo qui in inferno erunt, die ac nocte cruciabuntur, recordates bonorum iustorum, & malorum suorum: hoc est, cruciat eos & gloria iustorum, quam ipsi amiserunt, & pœna quam incurserunt. Sic ergo die, id est, gloria iustorum cruciabuntur: & nocte, id est, pœna in qua erunt, & carebunt æternaliter anabili visione dei, & gloriæ eius. Hæc est vna pœnarum maxima in damnatis, quia recordantur gloriæ iustorum, quam ipsi quoque acquirere poterant in terris si non magis vitia amassent quam virtutes, & in oblectamentis seculi sese occupassent, quam legem dei sectati fuissent, ipsūque deum glorificassent. Sed quia stultorum infinitus est numerus, ideo infiniti pereunt.

Pœna damnatorum interminata.

Dies electorum, nox reproborum.

DE EXTREMO IVDICIO SPECIATIM.

Sect. 4. Punct. 1.



Thronus christi.

H T vide thronum magnum candidum, & sedentem super eum: à cuius conspectu fugit terra, & cælum: & locus non est inuentus eis.

Thronus hic magnus & candidus, iudiciariæ potestatis Christi typus est, qui & magnus est & candidus. Magnus, quia cum potestate magna & maiestate adueniet, vt despici nō possit, Matth. 25. Luc. 21. Candidus, quia falsitas nulla erit in eo, iuxta quod dicit scriptura, Iustus dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius Psal. 10. Et rursum, Quum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Psal. 74. Item Iustitia & iudicium correctio sedis eius. Psal. 96. Obserua. Sedentem absque nomenclatura ponit, longe magnificentius suppressio nomine personam indicans quam nomine exhibens, Ac si diceret impossibile esse quin agnoscat ab omnibus, qui omnibus manifestus adueniet: videbunt enim eum, & qui eum pupugerunt, vt supra notatum est. Quid vero est, quod sequitur, A cuius conspectu fugis terra & cælum? Quomodo terra fugiet, aut cælum? Sed hoc est quod dominus ait, Cælum & terra transibunt: Luc. 21. Transibunt quippe cælum & terra, non vt esse desinant, sed quia immutabuntur, iuxta quod Apostolus dicit, Præterit figura huius mundi. 1. Cor. 7. Erat enim tunc cælum nouum, & terra noua, vt recte secundum pristinam formam à iudicis conspectu fugere videantur: fugient ab ea specie, quam nunc habent, in sui mutabilitate: & immutabilitatem induent cum decore: non secus ac formosa virgo attrita veste exuta si nouam pulchrâque induat. Proinde in hac Apocalypsi dictum est supra, Vidi cælum nouū, & terram nouam. Equidem terra ista quæ nunc est sordida, & mirabilis per ignem renouabitur: cælū similiter in nouā faciem transibit. De hoc loquitur Petrus in 2. epistola, cap. 3. Adueniet autem dies domini tanquam fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Et Psal. 101. Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt. Quibus scripturarum sacrarum locis, cæli intelligendi sunt aerei: Etenim crassior hic atque corpulentior aer cælum dici consuevit: sic enim & Poeta lyricus ait,

Cælum quomodo transibit

Cælum non animū mutant, qui trans mare currūt. Complectere nunc animo quā mirabilis & quā pauenda erit illa cælorum fuga: neque enim silentio fiet, sed cum magno fragore ac strepitu, quemadmodum in magnis tonitribus fieri solet: immo terribilius, vt æthera acri fragore scissâ, crebris fulgurationibus rupta subito conuellī videantur. nam & terra graui tremore ac motu quatietur: prærupti montes suis verticibus nutabunt: scopuli ingentes ruent: alta ædificia solo æquabuntur, & omnes munitiones quas à Cain sanguinario fraticida vsque ad illum diem struxere homines subitis lapsibus demolientur. Hoc itaque modo terra tremens, ac imis fundamentis mota fugiens reddet omnem sanguinem quo corrupta est, ex quo Cain occidit fratrem suum, cuius sanguis adhuc clamat è terra ad deum: reddet & corpora recepta. Hay. Ignis comitatur domini aduentum, qui tantum spacium aeris occupabit, quantum occupauit aqua diluuij, quando quindecim cubitis fuit super omnes montes, qui erant sub vniuerso cælo. Inter hæc autem sciendum: quia quidam minus caute diuinam scripturam considerantes dixerunt, prius cælum & terram transire per ignem quàm iudicium fieri. Quidam vero affirmant prius futuram esse resurrectionē, deinde cæli & terræ inouationem: sed & hos & illos minus cauta conspectio fefellit: quod Paulus manifestat, quū dicit, Dies domini in igne reuelabitur. 1. Cor. 3. Et Psal. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida Psal. 49. Simul enim dominus veniet ad iudicium, & mortui resurgent, & elementa igne soluentur, atque omnia, deo iudicante per ignem, quum aduersarios dei ignis inuoluerit, & in infernum demerferit, atque electos ad regnum præmiserit. Tunc cælum & terra noua apparebūt, quod nos quoque exemplo colligimus, qui hyemalium dierum horridulis madidisque reuolutionibus exactis, vernum tempus nitidioris solis lumine excipimus, conspersam varietate florum tellurem maiori gratia aspiciamus. Hinc & dominus regnum illud cælorum ætati in euangelio aptius voluit comparare. Denique quod ait, Et locus non est inuentus eis, intelligendum est de loco pristinae corruptionis mutabilitatisque, quæ non

Cælum pro aere.

Ignis qui faciem domini præcedit.

apparebunt in eis, terra, cælóque. Quasi enim iam ipsa non erát, dum alia facie à vetustate primæ: corruptionis cernerentur. Hoc est, quod Paulus dicit, gemere & expectare creaturas, vt scilicet renouentur in filiorum Dei inuouationibus. Sic enim legis apud illum, Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei. Scimus autem quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc: non solum illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adorationem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Rom. 8. Quo verbo sane admonemur præsentia delectamina & carnis voluptates spernere, ne rebus creatis simus inferiores, quæ gemitu quodam futuram sui inuouationem expectant: nobis fuerit magis ingemiscendum quod nondum gloriam sumus assequari. Per allegoriam terra homines impij sunt. terrena ambientes: cælum demones aëreæ potestatis sunt, qui tum supigient à facie tremendi iudicis, sed minime effugient: optabunt se abscondere, sed non poterunt: ideo dicent montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos à facie sedentis super thronum: horum locus minime inuenietur, nec in terra, nec in cælis, sicut scriptum est, Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani: & transiit: & ecce non erat quæsius eum, & non est inuentus locus eius. Psal. 36. Consentaneum igitur fuerit in harena capere consilium, nec in incertum nos committere.

¶ Punct. 2.

Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui, ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.

Quomodo intelligatur magnos pusillos sicuti ad thronum.

Puto simpliciter accipiendum esse magnos & pusillos secundum ætates, in quibus singuli quique eorum decesserint: non quia forsitan aliqui teneriore ætate, robustiore alij futuri sint sub conspectu domini, quum omnes in perfecta ætate occurrere debemus illi: prout docet theologus ex apostolicis scriptis coniectantes. Ephes. 4. vel ali-

unde: sed quia alij magni, alij pusilli mortui, qui omnes vno ordine sistuntur ad tribunal iudicis magni Christi. Aliter per magnos possumus intelligere reges & principes huius sæculi: per pusillos simplicem plebeculam. Sūt magni, & hi, de quibus dominus dicit, Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum: hi sunt studiosi, hoc est, pleni virtutibus, sancti, & dilecti. Pusilli, qui simplicitatem vitæ seruant, nec altiora mysteria capere sufficiunt. Quales quales ij sunt, sed omnes oportet manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum, dixit Paulus. 2. Cor. 5. Sequitur. Et libri aperti sunt. *Librorum apertio.* Apertio librorum est manifestatio conscientiarum: vt sint tot libri conscientiarum. Et est sensus, omnia omnium bona malæ facinora tunc reuelabuntur. Sunt ergo hi libri conscientiarum, qui sunt ipsissimæ conscientiarum, secundum quod in eis merita vel demerita, (vt vocant) continentur legunturque. Qui tum aperientur, quia conscientiarum singulorum innotescet. Proinde & in Daniele scriptum est. cap. 7. Iudiciū sedit, & libri aperti sunt. Beda, & Haymo per libros intelligunt verus ac nouum testamentum, quæ tunc aperientur: quia iuxta eorum continetias iudicabitur mundus. B. Augustinus per libros capit sanctos in quibus mali poterunt conspici bona, quæ facere debuerant, & neglexerunt. Sequitur. Et alius liber apertus est, qui est vitæ. Primasius libros dixit esse apertos, & librum cuiusmodi sit, non tacuit. Illi itaque intelliguntur noui & veteris testamenti: vt quum in eis ostenditur quid Deus fieri præcepisset, in illo claresceret quid horum quisque fecisset, siue non fecisset. Qui liber non carnaliter cogitandus est, nec tanquam scripto exaratus vitas continere putandus est singulorum iudicio recensendas: quædam enim vis est intelligenda diuina, qua fiet vt cuiusque opera sua, vel bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul & omnis, & singuli iudicentur. Quæ nimirum diuina vis, libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur, quicquid ea faciente recolitur. Hæc ille. Haymo dicit, Libri aperti duo sunt testamēta quæ iudicio aperietur, quando

*Iustorum est
bona opera
abscondere.*

singuli electorum manifeste videbunt quid ex eis compleuerint, vel quid prætermiserint. Alius autem liber, qui est vitæ, dominum Iesum Christum significat, qui vitam suis fidelibus tribuit. In illo enim libri, hoc est, duo testamenta aperientur: quia in illo omnes actiones suas iusti considerabunt. Vel libri aperti, opera iustorum significant, quæ in iudicio omnibus manifestabuntur. Nunc autem abscondita sunt iustorum opera, quia humanum cupientes vitare fauorem, omne opus suum in abscondito faciunt: tunc autem manifesta luce reuelabuntur. Vnde Apostolus, 1. Cor. 4. Veniet, inquit, dominus & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. quorum intentiones ac desideria solus ille nouit, qui vita est: qui & ipse, quem modo tenebat clausum, & occultum, in die illo notum faciet, & aperiet librum iustitiæ cordis sui ut separet à consortio reproborum, eos, quos scriptos semper habuit in memoria æterna, iuxta illud Apostoli, Nouit dominus qui sunt sui, 2. Tim. 2. Idem sentiunt. B. Augustinus, & Pimafius, de libro hoc intelligentes per illum quandam vim diuinam: qua fiet, ut unicuique sua facta monstrantur, ac pateant, ut se quisque iure damnari vel saluari conspiciat. Hic liber prædestinationis quoque nomen obtinet, non nihil faciens ad veritatem iudicij, ac iuxta ad commendationem misericordiæ Dei: ubi perspicuum erit neminem cum mala vita ad gloriam fore prædestinatum, sed qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, ut catholicorum docet ecclesia ex verbis domini docta, Ioan. 5. Qui bona egerunt ibunt in resurrectionem vitæ. In hoc libro primus est Christus cum omnibus meritis eius, & operibus quæ fecit in carne pro implendo mysterio redemptionis nostræ. Hinc beata virgo Mater intemerata, quæ singulari fide in Christum unigenitum fuit, seq; illibatam custodiuit ab hoc sæculo, quæ in primis diuino paruit nutui: & Christo domino sedulum per omnem vitam eius exhibuit famulatum in omni deuotione vsque ad crucem: orauit, ieiunauit, & alia religionis sacræ opera perfecit vsque ad mortem, quæ etiam cum Christo eius unigenito maternis ex affectibus, martyrium simul passa. Quæ quia mater Dei summæ prælata omnibus, omnes merito præ-

cessit, ut iure primum post filium locum in libro vitæ obtineret: post hanc careri quisque sanctorum, iuxta dispositionem diuini beneplaciti pro merito singulorum: diuina etenim voluntas pro suo beneplacito disposuit dare ab æterno suis electis gratiâ & gloriam, quos etiamnum in libro hoc suo scribendo proposuit. Sequitur, Et iudicari sunt mortui, &c. Ex his dicit esse iudicatos eos, quæ scripta erant in libris, id est, in conscientijs, vel scriptis in veteri lege, & noua, secundum facta eorum. Vel etiam (ut Haymoni placet) ex comparatione operum sanctorum iudicabuntur reprobi, qui quasi in expansione librorum legunt bonum, quod agere noluerunt, considerantes vitam iustorum, quorum comparatione reprobi inueniuntur, & damnantur. Quapropter expedit illis ut in præsentia vita actus eorum considerent, & deteriores vsus conuersione immutent. Qui enim veracissime ac plenissime intelligere appetit qualis est, debet nimirum tales conspiciere qualis ipse est: & in bonorum forma metiri quanto ipse deserto bono deformis est. Nam Christus iustus iudex continentiam conscientiæ cuiusuis, & opera perspicies, vnūquenque secundum ea est iudicaturus: qui & ipsa opera librat magis secundum internos affectus, quam externos actus. Ideo disquirat cogitatus, & intentiones vsque ad medullas (ut dicitur) ossium. Notandum verò quod in hoc iudicio, illi, de quibus superius dixerat, vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis, iudices & ipsi erunt cum Christo, ut compleatur in eis promissio domini dicentis, Vos qui sequuti estis me, in regeneratione quum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Quocirca etsi dicat Apostolus Omnes nos stare oportere ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque prout gessit, siue bonum siue malum: non est ita intelligendum, ut peccata, de quibus iudicati sunt electi in hac vita à vicariis Christi, & remissa eis, referenda iterum sint ante tribunal Christi, in die illo. Sed boni astabunt, ut referant bona quæ gesserunt ad confusionem malorum. mali etsi inuiti, ut referant mala ad gloriam bonorum. Sicut etenim ex operibus bonorum iudicabuntur reprobi, ita ex operibus reproborum glorifica-

Quomodo intelligatur apostolus ibi oēs vos stare oportet ante tribunal.

buntur electi. Quapropter hoc loci mortuorum nomine possunt intelligi & peccatores homines, qui mortui sunt in delictis: quorum tamen aliqui poenitentes, & dolentes de reatibus suis, vitæ sunt redditi. Sicut autem sancti non astabant ante tribunal Christi vt referat mala opera sua, quæ confessi sunt coram sacerdotibus: ita quod hic dicitur, Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum: non est intelligendum, quasi iniquitates remissa referenda sint iterum ad iudicium, sed secundum opera mala, de quibus non egerunt poenitentiam in vita sua. Illi enim quorum nomina Dei filius scribit in libro cordis sui, post exolutas per poenitentiam peccatorum poenas recipientur in consortio electorum: qui autem donec viuunt negligunt donum Dei, data sententia districti iudicis, ibunt in locum sceleratis deputatum, vt perpetuo dignas luant pro commertis poenas.

Et dedit mare mortuos suos, qui in eo erant: & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.

Communem mortuorum resurrectionem depingens varia enumerat loca, è quibus corpora animæque reuocabuntur, vt sunt mare, & infernus, mors quoque. Erunt enim qui receter sub iudicium moriantur: quod dum fit, quasi mors reddit suos mortuos quum statim extincti reuiuificabuntur: hoc autem quod hic dicitur prius fiet, quam libri aperiantur. Est autem sensus, Vbiunque locorum sunt posita corpora nostra, vbiunque animæ reponantur: tamen tunc reuiuuntur, & resurgent: vt sicut pariter gesserunt, pariter recipiant & mercedem gestorum. De mari præcipue meminit nullam omnino de terra faciens mentionem, quia nimirum persuasio eo quod magis difficile est ad credendum, facilius persuaderetur id quod minus: periisse enim putamus corum corpora, quæ in mari merfa deuorantur à piscibus. & iam transgulara quasi non sunt. Sed equidem mare reddet mortuos suos, reddet & terra, vt capillus de capite non pereat: vt eadem caro cum ossibus & cute resurgat, & anima. Primasius. Qui sunt mortui, quos exhibuit mare, nisi illi, quos in sæculo positos secundus Christi inuenit aduersus? & bonos scilicet & malos. mortuorum nomine significans, bonos, quibus dicitur,

dicitur, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, Coloss. 3. Malos vero de quibus dicitur, Sine mortuos sepeliant mortuos suos, Matth. 8. Luc. 9. Possunt mortui etiam propter hoc dici, quod mortalia gerat corpora. Vnde Apostolus, Corpus quidem, inquit, mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustitiam, Rom. 8. videlicet vtrunque in homine viuente in hoc corpore esse demonstrans. Mare itaque exhibuit, quia sicut inueniunt sunt affuerunt: Moyses vero & infernus reddiderunt, quoniam vitæ, de qua exierunt restituerunt. Nec frustra, fortasse enim non satis fuit, vt diceret, Mors aut infernus, sed vtrunque dictum est. Mors propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non infernum. Infernus autem propter malos, qui & poenas apud inferos pendunt. Sic enim non absurde credi videtur antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis apud inferos fuisse, donec eos inde Christi sanguis, & ad ea loca descensus crueret: profecto deinceps boni fideles effuso illo præcio iam redempti, prius inferos nesciunt, donec receptis etiam corporibus, bona recipiant quæ merentur. Nota mors & infernus iunctim posita sunt: quia & qui recentem tum morientur, & qui iam apud inferos poenas sustinent, omnes manifestabuntur ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum siue malum. Sequitur. Et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum scilicet bona an mala. Bona quali ex corde facta. Nam dominus inspector cordium quum facta iudicat, pensat intentionem: quam si puram reperiet, probat gesta, & digna mercede remunerat: alioqui reicit quantumuis in faciem videatur hominibus bona, & operarium damnat. Adstruit hoc parabola decem virginum, quarum quinque cum lampadibus intromissa sunt, quinque exclusæ, & ad olei venditores remissa, Matth. 25. Adstruit & simplicitas oculorum, nequitiaque, domino dicente, Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, & corpus tenebrosum erit, Luc. 11. Matth. 6. vbi per corpus, sacri expositores congeriem operum intelligunt: per oculum intentionem, metemque. * Punct. 4.

Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis: hac est mors secunda: Et qui non est inuentus in libro vite scriptus, coniectus est in stagnum ignis.

Pœna inferni describitur.

Nō possumus infernū pro carcere orci capere: opus ergo est, vt sit methonimicos, id est, transnominatio, quatenus per id quod continet, ea quæ continentur significantur. Sic in Esaiā, Audi cælum, & auribus percipe terra, per cælum & terram in eis existentes intelligimus. Esa. 1. In quem modum hic quoque per infernum impios omnes, qui pertinent ad eum iure accipimus. alias quo pacto infernus coniceretur in stagnum ignis, quum stagnum ignis non aliud sit quàm infernus? Potest per mortem significari diabolus, quod auctor sit mortis, nam inuidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, Sapiēt. 2. Non autem solum principem, sed omnem quoque multitudinem: quod omnes vna intentione mortis auctores sint. Neque enim aliud agunt nisi mortem, cuius aculeus est peccatum. 1. Cor. 15. Nam vt scorpius minutum animal in caudæ aculeo vim habet omnem, sic & mors in peccato. Proinde omnes non aliud sunt quàm mors, quæ missa dicitur, simul cum inferno, id est, omnibus ad infernum damnatis in stagnum ignis, id est, in profundam damnationem, vt perpetuo illic pœna ignis crucientur: hanc pœnam dicit esse mortem secundam: hoc iam superius euidentius dixerat. Et diabolus, inquit, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris. Quod vero ibi obscurius adiunxerat dicens, quod & bestia, & pseudo-propheta, hic apertius, Et qui non sunt, inquit, inuenti in libro vite scripti, missi sunt in stagnum ignis, id est, omnes mali per infernum intellecti, qui non sunt inuenti in libro vite scripti, hoc est, qui non sunt prædestinati in mente diuina, in qua nemo malorum reperitur, mittentur in carcerem igne plenum. Intellige de his qui cum criminibus decessere nulla pœnitentia delectis, quod hi mittentur in stagnum ignis. Infantes autē non baptizati siue christianorum sunt, siue Ethnicorum, qui ante annos discretionis solo originali decessere, non mittentur in hoc stagnum, neque punientur ab igne, sed erunt in limbo puerorum absque pœna sensus. de quibus, quia scriptura non extat, nihil temere definire volo. Deus nouit, quid

Quales peccatores mittentur in stagnum ignis.

eum illis sit faciendum in finem, alieno malo damnumpassi: aut quia non erant prædestinati. Hic mihi extrasententias aliorum aliud quoddam infernus & mors offerunt, mysterio occultiore, vt per hæc nomina duo generata peccantium intelligantur. Per infernum, qui fuerit occasio aliis delinquendi. Per mortem, qui apud se peccant, nec pœnitent, quatenus illud grauius sit peccatum, hoc læuius: quippe qui non solum peccant, sed etiam aliis præstant occasionem peccandi. Tales erunt omnes tyranni per portas inferi alibi intellecti. Et portæ, inquit, inferi non præualebunt aduersus eam, scilicet ecclesiam. Matth. 16. Et hi mittentur in stagnum ignis reassumptis corporibus, vt cum quibus peccauerunt, cum his & puniantur. Nota. ex his, quæ hic & Matth. 24. Item Luc. 17. & 1. Theślāl. 4. & 5. Et in posteriore epistola cap. 1. Et. 2. Petr. 3. sic rerum ordinem accipe. Primum insurgentibus Gog & Magog, id est, principibus subditisq; horum impius, ad primum seductorem satanam pertinentibus hypocritis, bona prætententibus, mala autem irrogantibus, siue etiam aperte malis persecutoribus, satanas ille labete communi pace, solutus de carcere captiuitatis suæ excitabit eos ad contradicendum veritati, ac persequendam Ecclesiam dei, non tam aperto Marte quàm clandestino, vt credentes seducti per eos soluantur à lege spiritus in carnem, vnde Christus offendatur. Sed, Deus perdet illos in breui vt Pharaonem & exercitum eius in mari, vt vnus ex eis non remaneret. Porro sicut populus Israël contra dominum peccauit, modo in vituli adoratione, modo aliter, sic & christiani liberati ab apertis hostibus defluent ad carnem, & in vitia multa labentur. Et tunc quando neque sperarent I E S V S C H R I S T V S dominus noster iudex viuorum & mortuorum cum horratu & voce archangeli ac tuba Dei horrifona clangente descendet de cælo, & mortui qui sunt in Christo, id est, fideles, resurgent primi, tanquam primi in aërem subleuandi, respectu eorum, qui resurgent quidem sed non subleuabuntur: ij sunt miseri damnati, qui & in resurrectione vltimi erunt, qui voluerūt esse primi in mūdo dū viuerēt, aut respectu viuentiū in carne primi, deinde qui erūt reliquæ sanctorū viui morietes & ipsi & resuscitati,

Mors & Infernus quid sint.

Ordo rerum describitur resurrectionis

simul cum his qui erant mortui ab initio sæculi coalescentis usque ad illud tempus, iamque reuocati ad vitam rapientur in nubibus in occursum domini in æra. Theophilactus quaerit. Cur quum sit descensurus dominus fideles arripere? Id vtrique honoris gratia facturus est. Nam quemadmodum & imperatori urbem ingressuro honoribus quique & dignitate præstantes obuiam prodeunt, noxii vero & capite damnati in carcerem interiorum cœlesti iudicem hunc ipsum operiuntur: sic eo iudicij tempore peccatores quidem & prauis facinoribus obstricti, in terris iudicaturum illum expectant, Iusti vero in sublime tollentur ad Christum sic demum Christo eodem fruuntur, qui est bonorum omnium caput, & perpetuo apud illum mansuri. Denique in hoc ipso occurso puto, eos, qui viuentes sic rapiuntur, quoniam statutum est omnibus semel mori, Hebr. 10. tum repente præciosissima morte soluendos: rursumque redditis animabus reuiuificandos, & sic in gloriam transferendos, vt nullus ultra sanctorum relictus sit in terris: quibus omnibus glorioso habitu in summo gaudio summamque lætitia circa Christum consistentibus, simul exurentur cœli & elementa calore soluentur, terra quoque, & vniuersa quæ in ea sunt: sicque iudicante domino orbent in igne sententia derudet reprobos in infernum, igne ac sulphure feruentem, super quos exustio omnis cum impetu deuolueret orbis, & conclusi coartabuntur in æternum. Hoc & apostolus testatur dicens, quia in flamma ignis dantis vindictam his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio domini nostri Iesu Christi dabunt pœnas in interitu æternas. 2. Thess. 1. Electos autem ipse dominus deducet in regnum patris eorum paratum ab origine mundi.

CAPVT XXI.

DE INNOVATIONE ORBIS,
ET CIVITATE NOVA HIERU-
SALEM DESCENDENTE DE
CAELO. *Sect. 1. Punct. 1.*



E *vidi calum nouum, & terram nouam: primum enim calum, & prima terra abiit, et mare iam non est.*

Hæc est visio septima, vna ex principalibus, & vltima: in qua primum, agitur de cœlo nouo & terra noua. Deinde de noua Hierusalem præclarâ, & admirabilia ponuntur. Quantum igitur ad primum, exterminatis his, qui corruerunt terram: cœlum nouum, & terra noua, ignis exustione reddetur, specie noua, & meliore quam prius. Exesa namque scabredine vetustatis, turbidisque notis abolitis: candidiora perfectioraque resplendebunt omnia. Nam congregationes aquarum desinent in terra, tumores montium aquata erunt, aqua in suam spheram redibit, fluiditate solidata, vt crystallum potius quam aquam specie exhibeat: idemque dicitur, Et mare iam non est. Non quia omnino non erit, sed fluidum non erit, neque variis terræ locis vt pote in suam spheram actum: congregata ergo non erit. Etenim quia nemo posthac habitaturus est in terra, necessum non erit vt aqua hæc elementaris vltra sit fluida, nec vt reclusis terræ è venis fontes erumpant: sed nec flumina intra suos alueos costricta fluuant: nec pluuia secundans tellurem imbuat: quando nec tellus vltra graminum arborumve, aut herbarum fructus ex se producet, nec villo amplius fungetur munere, præterquam quod intra viscera heribum igne perpetuo damnatos coquente continebit: purgata superne per vniuersalem ignem: & cœdificata & solidata inque suam spheram coacta, tanquam æternum nulla vnquam mutatione duratura, iuxta quod Apostolus dicit, creaturam liberandam fore à seruitute huius corruptionis. Rom. 8. Tunc nihil erit in absolutum: dies enim domini vocabitur tempus illud omne, quod sanctificabit in æternum, in cuius typum dederat sabbatum Iudæis. Refert quippe Moyses quia Deus summus rerum opifex sex diebus mundi vniuersam hanc stabilivit nolem, die vero septima quieuit ab omni opere quod pararat, ob idque sanctificauit illum, Genes. 3. Proinde Israelitis summa religione commédauit eam diem obser-

uandam fore in sempiternum. Exod. 20. Neq; autem arbitradum fuerit Deo tam impensam fuisse curam de die septima celebranda summa cura mortalium propter se ipsam, non vique, sed ob verum sanctorum sabbatum in fine habendum, quod eo figurabatur vt obseruaretur iussit, quatenus perpetuo sabbati illius per beati rememorarentur mortales, quod electos in finem exciperet. Enimvero quemadmodum Paulus de templo fidelibus dixit, quod sanctum quidem esset Dei templum: quod tamen ipsi essent, quasi propter ipsos Dei templum esset sanctum: retulit ergo ad eos templi Dei omnem sanctitudinem: quasi ipsorum typus sit. ita de sabbato externo ac mundano, siue temporario fuerit sentiendum: quod benedictum sanctumve esse sit, sed vera electorum pax ac requies per illud signatur. Hoc est, felix illud sabbatum, de quo Esa. ultimo dicitur, Erit perpetuum sabbatum ex sabbato. Nam ex sabbato, id est, septima ætate ecclesiæ illud orietur, eo quod eam istud excipiat, quod & octauum tempus nominauimus supra: ita vt sabbatum hoc dici sacrum significat, & temporis septimi requiem ecclesiæ hic habendam, & resurrectionis futuræ, quæ fiet in fine tēporis septimi. Alio quoq; mysterio sabbatum erit ex sabbato: nam qui vere hic sabbatum colūt, ac Deo vacant fidei cultibus, ad sabbatum illud præciosum & amabile proculdubio sacro phasē, id est, transitu permeant: quibus erit sabbatum ex sabbato iuxta præscriptum, prophetæ vaticinium. Porro ipsa huius sabbati benedictio nihil aliud est quam facere ipsum sanctum, & aptum diuinis cultibus: ideo omnium labor interdicitur fidelibus, ne temporariis occupati vacent Deo, suumque sabbatum, quod futurum est recolant. Denique hoc sabbatum quantum ad illius spectat plenitudinem, quod in futuro speramus seculo, & de quo in primis hæc visio capienda est, in eo maxime est situm, quod omnis labor, dolor, & afflictio, penitus abolebuntur: & pax summa, gaudiumque plenum succeder, in quo suauiter sancti cōquiescent, quemadmodum & Deus die septimo requieuisse memoratur. Hæc est requies promissæ terræ, in quam filij Israël post multos exantlatos exhaustosque labores tandem introierunt, prout manifeste docet Apostolus, Hebr. 4. Igitur quemadmodū post sex

Sabbati mysterium.

laborum & inquietudinum dies sabbatum sequitur quod quietis est: ita post sex præcedentes visiones, quæ plenæ malorum sunt, septimo tandem loco hæc vltima ponitur visio, velut sabbatum domini, in qua describitur gloriosissimum filiorum Dei sabbatum, vt diximus, quod reuelata gloria ingressuri sumus post huius vitæ peractā peregrinationem: cuius & modo in hac vitā gustulos quosdam sancti in spiritu fugūt, quatenus in mysterio sabbatum illud iam teneant gustulis eiusmodi spiritus interire receptis: tunc tamen plena fiet degustatio bonorum eius, quando resumptis corporibus cum capite christo eadem sedes communiter omnes continebit gloriam Domini speculantes.

✽ O Punctus 2.

Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem de celo, à Deo paratam sicut sponsam ornata viro suo.

Postquam depinxit statum ecclesiæ, quem habuit per septem tempora à Christo passo vsque ad extremum iudicium, in quibus magnis, ac variis rotata est tribulationibus, vsque ad sanguinem, & interfectionem filiorum: nonnunquam miris seductionibus hæreticorum, hypocritarūque laborans: nunc ab his ærumnis liberata depingitur, qualis videlicet futura sit post iudicium. Noua ergo reuelatione oblata, plurima læticia affectus, antequam ostenderet calamo quod vidit, se nominat, oblectionis fidem, quia idem Ioannes, Christo dilectus Apostolus, & hæc quæ sequuntur vidit, qui superiora. Et ego, inquit, Ioannes ille, cui tanquam fidei euangelistæ, & apostolo (quem Deus spiritu suo impleuit, confirmans in annunciationem veritatis filij sui) est firmissime credendum, Vidi ciuitatem sanctam hierusalem, id est, Ecclesiā, cuius ciues sunt omnes electi, sancti, & dilecti, de quibus Paulus loquitur dicens. Non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei. Ephe. 2. quæ idcirco hierusalē dicitur, quia visio summæ pacis in ea habetur, (id enim vox hæc hierusalē latinis sonat, vt dicatur visio pacis, namque in eo summa pax est) & author pacis æternæ facie ad faciem conspiciatur in ea: non dubium quin Deus ipse. Hæc & noua est: vel quia in Christo,

Hierusalem noua visio.

qui nouus homo est, regenerata: & per baptismi gratiam in nouitate vitæ ambulans, & filij eius omnes noui sunt exuentes veterem hominem, induentes nouum qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis, vel quia per gloriam illustrior reddita, innouataque: tunc enim sancti habebunt corpora glorificata splendidaque sicut sol. domino asseuerante, qui ait, Tunc fulgebunt iusti sicut sol. Mat. 13. Id quod primum in seipso transfiguratus in excelso monte exhibuit, quando facies eius resplenduit sicut sol. Matth. 17. Luc. 9. Vidi ergo sanctam ciuitatem hierusalem nouam, descendente de celo, &c. Bene ciuitas hierusalem primum de celo descendens dicitur, quia hoc ipso intelligitur nata ex Deo, Ioa. 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et. 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare quoniam ex Deo natus est. Et in sequenti cap. Vos ex Deo estis. Ibidem. Nos ex Deo sumus. Item cap. 5. Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est: & omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. Rursum, Scimus quoniam ex deo sumus, tot locis comprobatur veritas rei, quoniam Ecclesia sanctorum per ciuitatē nouam hierusalē intellecta, verē de celo descendens est, de celo originem decens: quoniam de celo venit verbum vitæ ad nos, in quo nati sumus ex Deo Iaco. 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt sumus initium aliquod creaturæ eius. Non autem ita intelligendum crediderim, quod beatus Ioannes ita viderit hanc sanctam ciuitatem Dei nouam hierusalem, quasi tum descenderet de celo sublimi, sed quæ ortum haberet de celo per verbum Dei: eo ergo pacto descendens est, quo de supernis est, ex Deo videlicet genita. Scimus enim, quoniam omnis qui nascitur descendens ab eo dicitur à quo est. Hanc ergo sic de celo descendente nouā hierusalē dicit se vidisse beatus Ioannes paratā à Deo per pulchre illustratam sicut sponfam ornata viro suo. Attende verba, Nouam appellat, & paratam testatur: Ideo nouam, vt discernatur ab antiqua illa & carnali hierusalē, quæ spiritualiter Sodoma erat, fordida peccatis. Hæc autē noua,

*Ciuitas noua
descendens.*

*Quare noua
hierusalem.*

quia spiritualis, fide in baptismo regenerata: parata autē charitate, & operibus bonis, ac virtutū veritate, sicut scriptum est, Psal. 44. Altitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circumdata varietate. Cuius omnis gloria ab intus in fimbriis aureis, inesse probatur, id est, non in carne sed in spiritu. Quæ sicut per seipsam à Deo est, ita & ornatus eius, atque adeo omnis apparatus: figurata olim in admirabili in tabernaculo primum, deinde in templo Salomonis: quorum vtriuque erat admirabili apparatus, atque ornatus auri & preciosarum rerum, de quibus docetur, Exo. 25. & seq. duobus cap. Item. 36. & seq. Porro. 3. Reg. 6. & seq. Item. 2. Paralip. 3. & 4. Cuius pulchritudo quantum placeat Deo in prædicto Psalmo exponitur, quum dicitur, Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Iam qua ratione sit apparatus, atque exornata Ecclesia, hæc regina filia pulchra & dilecta, nisi vt digna fieret eius sponso christo, perinde ac sponsa quæ viro suo solenni ornatu copulatur, vt in nuptiis fieri solet. Quæ omnia fidelis animæ documentum sunt gestientis occurrere vero & vnico sponso illi, qui pulchritudine sic capitur, vt non admittat aliquid quod non ad summam venustatē ac splendorem pertineat. Quod verò Christus sit sponus ille, & Ecclesia illa sponsa, palam fit Ioan. 3. vbi. S. baptista Ioannes de Christo loquens ait, Quia habet sponfam sponus est. Hoc & Salomonis Cantica testantur, quæ de sponso & sponsa texuntur, in omni troporum admiratione. Sed vt institutum prosequamur: tam venerabili præconio Ecclesia sanctorum effertur, vt non satis fuerit vna eam attolli gloria, nisi pluribus ornaretur titulis: vt & ciuitas esset, & sancta esset Hierusalem, noua, de celo descendens, à Deo parata, denique ornata viro suo: quatenus longe diuersissimam crederes sanctorum vniuersitatem ab impiorum vniuersitate quæ superius descripta est in persona meretricis magnæ, cui in fronte scriptum erat nomen mysterij eius: Babylon magna mater fornicationum & abominationum vniuersæ terræ, quæ ebria erat de sanguine sanctorum, & de sanguine testium Iesu Christi, quæ sedebat super bestiam rufam, habentem capita septem, & cornua decem: ipsa autem circumdata

*Christus spon-
sus ecclesie.*

*Ciuitas noua
confertur anti-
quæ Baby-
loni.*

purpura & bysso, ornata auro, & lapidibus præciosis ac margaritis? Ad hæc gestabar in manu aureum poculum, plenum abominationum, & immunditiæ fornicationis totius terræ: quæ tandem occidit iudicata, & tanquam lapis molaris cum impetu in infernum demersa est, cum acerbillimo fletu omnium, qui decepti misere erant per illam: quæ omnia mysterium sunt historiæ impiorum, p̄ terrâ quàm celum amatum, plus demōni quàm Deo adherentium: qui in concupiscentiis tum variis, tum mirificis nutriūt corda: quibus merces & gloria omnis de terra est, & voluptas omnis in carne: quorum finis interitus, & gloria in confusione. Non perinde sponsa hæc, sponsa inquam multum amabilis, & decora: cui omnis decor ab intus: quæ ciuitas sancta est, & hierusalem, ipso nomine videlicet consignans quantum ab illa discrepet. Illa babylon, hæc hierusalem. Scimus babylonem interpretari confusionem, Hierusalem autem pacis visionē: quatenus certo certius teneremus, omnes in confusionem abituros quicūque carni seruiunt: ad pacis autem supernæ visionem peruenturos omnes quicūque legi spiritus subduntur. In illa meretrix super bestiam colitur: in ista Deus adoratur. Meretrix non dat, nisi abominationes spurcitiæ suæ, quas visa est porrigere in aureo calice, quo potat vniuersam terram, & inebriat eam. Ecclesia charismatum dona distribuit, & ornamenta virtutum. Noua hæc, vetus illa & strigosa, quæ florem iuuetutis suæ profugauit cum amatoribus terræ. Speciosa virgo est ecclesia, sponsa pudica, à Deo è cælis descendens, in omni ornatu virtutū spiritualiū decora ideōq; parata: cuius odor inestimabilis nimis in vestitu eius, quæ circumdant flores rosarum, & lilia cōuallium, de qua summæ admirationis illa vox Cantici est. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus, Myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij: Cantic. 3. De cuius pulchritudine in eadem scriptura loquitur sponfus christus, Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra: oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, capite 4. Et iterum, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, vbi eadem hortus conclusus, ob varietatem fructuum bonorum operum: & fons signa-

tus, ob vbertatem gratiarum describitur: cuius emissiones paradisi sunt, & summæ voluptates malorum punnicorum. Babylon autem nullo decore, nulla honestate, nulla commendatione, vtpote suarum libidinum spurcitiis abominabilis, & opprobriis, & confusione flagitiorum plena. Multum ergo interest inter hanc tot vocibus commendatam, & parum adhuc pro dignitate commendatam, christi regis regum sponsam, ciuitatem sanctam hierusalem nouam, descendentem de cælo à Deo paratā ornata viro suo: & illam tot titulis prodigiosis infamē, vetustate marcidam, ab inferis dirarum furore erutam, libidinis totius mundi conspurcatam, blasphemis notatam, cum qua scortati sunt omnes reges terræ: hoc est, impij potentes, cupiditate terreni perinde ac terra orti, gloriam non nisi in terra habentes, & in terrena potentia spem statuentes quibus omnibus par exitus cum meretrice fiet.

✽ Punctus 3.

Et audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus eius erunt: & ipse deus cum eis erit eorum deus.

Vox audita è throno infallibilis veritatis typus est. Bene autem è throno, quia parauit in iudicio thronum suū. Psalm. 9. Quis parauit? Ille qui iudicauit orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia, Ibidem. Thronus hic, candidus ille thronus est supra saxis commendatus, falsitate omni iudicium Dei vindicans. Quicquid igitur de throno audis, scito quia infallibiliter verum est. Alias, quid tropo tali opus erat? Euangelium ergo est magni Dei vox è throno audita infallibilitet verum, immo ipsissima veritas est quicquid deus dicit, qui nihil nisi veritatem nouit. Quid vero vox hæc audita sit explicat dicens, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Magnum sacramentum, magna gratia, immo magna consolatio nostra. Ecce, dictio hæc demonstratiua, signum admirabile rerum dicendarum est. Ad nos est vox ista, qui sumus fideles vocati sancti, hæredes secundum spem vitæ æternæ. Timo. 3. hæreditatem salutis capientes, Hæbr. 1. non ad Ethnicos. Porro tabernaculum hoc opus Domini est cum vniuersis ornamentis eius.

Vox è throno audita.

ab intus & extra. dominus edificauit istud tabernaculum, sicut in Genesi scriptum est. Formauit deus hominem, & tulit de latere costam eius, & edificauit eam in mulierem, Gen. 2. Vbi consensu omnium in mysterio per mulierem ecclesia designatur, nata ex latere secūdi Adā, id est Christi in cruce dormientis, quando lancea latus eius miles aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua, Ioan. 19. Ex hoc deus adificare tabernaculum suum sanctum, & electum, & præciosum non desit: non lapidibus ferro & petra excisis, sed uiuis hominibus, spiritus sancti opere expositis. O magne admirationis res. Quis audiuit talia? ut homines illius fiant tabernaculum, cuius magnitudinem vniuersus non capit orbis. Ipsi homines ergo sunt tabernaculum dei, Apostolo teste qui ait, Vos enim estis templum dei uiui, sicut dicit deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo: & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. 2. Cor. 6. Item Leuit. 26. dicit deus, Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea: ambulabo inter vos, & ero vester deus, vosque eritis populus meus. Fere eadem verba hæc sunt, Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipse deus cum eis erit eorum deus. Quomodo deus habitabit cum eis? nisi quia postquam deus homo factus est, deus reconciliatus est hominibus, & se magna gratia superimpendit illis: ipsi quoque in quibus sic habitat deus, populus eius sunt, & ipse deus illorum est: cuius deliciae sunt cum filiis hominum. Prouer. 8. Iam si querimus, qui sint ex dei populo, in promptu est, quod non nisi hi, qui dei habitatio sunt, & in quibus spiritus illius manet. Nā qui sancti sunt habitatio demoniorum, ac spurcicia, scelerum, & impietatis omnis, nihil pertinent ad illum: nisi reintegrata virtute, expulsis barbaris hospitiis deus iterū pacatissima recipiant conscientia, cum quibus pollicetur in æuū se permāsurum, dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, Mat. vlti. In quem modum hi omnes erunt populus eius, iuxta illud, Hæreditas mea Israel. populus inquam peculiaris ac iuxta charissimus, in quo beneplacitum est deo habitare in eo, Psal. 149. Ad quos est vox prophetæ dicens, Dominus deus tuus in medio tui fortis ipse saluabit, gau-

Deum habitare cum hominibus.

debit super te in laticia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude. Soph. 3. Hoc est magnum sacramentum: magna gratia, magna consolatio nostra, quia tabernaculum dei cum hominibus est. Traditum habemus in libris Regum, & Paralipo. quia Salomon septem annis edificauit templum domino, & in octauo dedicauit illud, & solennitatem encarniorum instituit, quorū filiis Israel celebrandam: quod totum in mysterio factū esse credimus. Nam quod septem annis templum ædificatum fuit, significat, quia per totum huius seculi tempus, quod septem temporibus euoluitur, structio Ecclesiæ cessare non debet: quæ in octauo postmodum erit dedicanda. Nam & Salomon rex in octauo anno templum dedicasse domino adstruitur: qui celebritatem eiusdem dedicationis posteris suis reliquit solennem. Quid, oro, celeberrima illa ac maxima solennitas à Salomone rege sic cunctis filiis Israel instituta, insinuat? nisi quia completo electorum numero in fine, secundæ resurrectionis nouitas celebrabitur: & omnes, qui ad pacifici regis veri scilicet Salomonis regnum pertinent, æterna cum eo gaudia patriæ cœlestis intrabunt. Nam & dominus octaua die, id est, post septimam sabbati resuscitari à morte voluit: ut recte numerus octonarius nostræ quoque resurrectionis festa ventura designet. Celebrando ergo festa dedicationis templorum in Ecclesia dei, commemoramus venturam nostræ inuolutionis festiuitatem, quæ erit dedicatio vniuersalis Ecclesiæ Christianæ deo & patri per dominū nostrū Iesum Christū, qui est verus Salomō per typicū illum designatus. Id quod & ipse Apostolus paucis Corinthiis scribens indicare curauit. Christus, inquit, surrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in christo omnes uiuificabuntur: vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde hi qui Christi sunt, qui in aduentu eius crediderunt: post hæc finis, quum tradiderit regnum deo & patri. 1. Cor. 15. Quid est dicere, Quum tradiderit regnum deo & patri: nisi quum dedicauerit Ecclesiam quæ est regnum eius, in qua spiritualiter regnat in omnibus electis Christus: de-

Dedicationis ecclesiæ celebritas.

*Apocalypsis
digesta in se-
ptē visiones.*

dicandoque tradiderit ipsi deo & patri: vt quāam rectissime ordinata sit Apocalypsis per septem visiones, in quarum mysteriis Ecclesia vniuersalis ad optatam visionem decurrit: quæ fiet in gloria, quando videbimus eum sicuti est facie ad faciem: & tunc finis: quando maiestas domini implebit domum hanc in nobis. Nam & ipse Salomon quum dedicasset domino templum, maiestas domini impleuit illud. 3. Reg. 8. & 2. Para. 7. vbi legis. Et dedicauit domum domini rex, & vniuersus populus: sacerdotes autem stabant in officiis suis, & leuitæ in organis carminum domini, quæ fecit rex ad laudandum dominum, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Porro sacerdotes canebat tubis ante eos: cunctusque Israel stabat. Sanctificauit quoque Salomon medium atrijs ante templum domini, & quæ sequuntur ibidem. Vnde erupit solennis ritus encensurum per annos singulos in ecclesiis celebrandorum. Id quod in primis nos admonet, vt memoriam dominicæ resurrectionis, quā iam factam credimus, & nostræ, quam futuram speramus semper animo repetamus, vitamque nostram sub obseruatione diuinorum preceptorum taliter dirigamus, vt templum dei eo die dedicari cum sanctis omnibus mereamur. Nec sine discussione illud quoque prætereundum est, quia videlicet dedicans templum Salomon vbi preces suas compleuit, ignis de celo descendit, & deuorauit holocausta & victimas. holocausta nāque & victimæ veri Salomonis fumus omnes electi eius, de quibus ait Petrus, Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Paulus quoque, Obsecro vos, inquit, fratres per misericordiam dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam deo placentem. Ro. 12. quos ignis celestis deuorat, quū seruore mutua dilectionis conglutinatur, totoque in se absorbet, ac in deitatem demutat. Completa ergo dedicatione templi ignis è celo descendens oblatas domino hostias deuorat: quia completo resurrectionis nostræ tempore, flagrantia veri amoris, quo nunc angelicæ virtutes ardent, vna specie nostri redemptoris absorbet. Qua quidem face dilectionis tamen etiam nunc plurimos electorum in superna illa ciuitate patriæ plene ab-

*Christiani
holocausta
sunt.*

forpros esse non dubitemus: tunc tamen nimirum plenus, quādo recepta carne immortalis cunctos eadem beatitudo ambiet. Tunc iam non habebunt quid ultra desiderent, quo intuitum cogitationis suæ aliorum vel ad momentum vertant, habentes coram deum in quam desiderant angeli prospicere: de cuius visione sempiterna gaudent. Post hæc autem omnia ita scriptura conclusit, Et dimisit Salomon populos, qui benedicentes regi profecti sunt in tabernacula sua, lætantes, & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat dominus Dauid seruo suo & Israel populo suo. 3. Reg. 8. Dimittet namque perfectio resurrectionis opere dominus electos suos in tabernacula sua lætantes atque alacri corde, non quidem à sua præsentia remouendo, sed vnumquemque pro meritis dignam mansionem capiendo, iuxta illud. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Ioan. 14. & propriam mercedem recipiendo. Sicut namque stella differt à stella, sic & resurrectio mortuorum. 1. Cor. 15. Bene autem benedicentes regi populi profecti sunt in sua tabernacula, quia actio æternæ nimirum æterna benedictione laudabitur deus in illa felicissima sede beatorum ab omnibus, qui est benedictus in secula: sicut scriptum est, Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Psal. 83. Hinc idem propheta vltimos septem psalmos in laudis diuinæ suauitate compleuit. Porro octauam ante finem psalmorum, de victoria pugna, qua gigantem strauerat, dominum benedicendo absoluit. Quia proculdubio omnes qui hic maligni hostis certamina suscipiunt, illic in requie multa ac vera laudem sui redemptoris decantant. Benedicentes, inquit, regi profecti sunt in tabernacula sua, lætantes, & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus dauid seruo suo: & Israel populo suo. Lætantes quippe iusti, super bonis, quæ à domino accipiunt, tabernacula introeunt cælestium mansionum: quia quamuis graues huius seculi, quamuis longi fuerint labores: breue tamē videbitur & leue totum, quicquid æterna beatitudine finietur: vnde oportet vt in ædificatione domus dei vnusquisque nostrum exhortando, obsecrando, incepando, piis actibus defudando quantum valet insistat: ne si quempiam rerum cælestium nunc desidem

*Gratiarum
actio æternæ
manet in pa-
triam.*

Exhortatio.

in opere sui templi conspexerit, hunc in tempore futurae dedicationis magnae, suae solemnitatis reddat exoritur. **Quaequid** (ait Augu.) in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali aedificatione compleretur. Nō enim mentitus est ille qui dixit, Templum enim dei sanctum est, quod estis vos. Et iterum, Nescitis, quia corpora vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est? Et ideo fratres charissimi, quia nullis praecedentibus meritis, nisi per gratiam dei meruimus fieri templum dei: quantum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne deus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis inueniat, quod oculis suae maiestatis offendat: sed habitaculum cordis nostri euacuetur vitiis, & virtutibus repleatur: claudatur diabolo, & aperiatur Christo: & ita laborantes semper instamus, vt nobis bonorum operum clauibus ianuam regni caelestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris ac vectibus vitae nobis ianua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. Hac ille. Dicatur ergo, Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Tabernaculum in terris, tabernaculum in caelis, & non nisi vnicū tabernaculum, vnica ecclesia, sicut & vnica est columba eius. vt simul habitet cum eis: non solum cum eis, sed etiam in eis. Et ipsi populus eius erunt. **Qui ipsi?** Respondeo, qui se castos custodiunt, & fidem habent in illum, faciunt bona, nec omnino facere volūt mala, quia fidei charitas malum non agnoscit, cum his erit deus eorum. Etenim taliū est deus, ideo erit cum eis. Erit hic per gratiam, in futuro per gloriam: quando tabernaculi huius gloria magis ac magis reuelabitur, & omnia quae hic narrantur complebuntur, vt non iota vnū, aut vnus apex huius scripturae effluat. Sequitur.

✠ Punc. 4.

Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra: quia prima abierunt.

Locus iste ad praesentem vitam luctum & lachrymas permixtam referri non potest, sed competit futurae, vbi omnis luctus auferetur, & extergentur lachrymae à fidelibus, quando & perpetuum possidebitur gaudium: iuxta
vocem

vocem veritatis dicens. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Vbi in primis considerandum, quid est quod dicit omnem lachrymam à sanctorum oculis esse tollendam? Sed in hoc verbo, quo dicit omnem lachrymam, vtique meminisse debemus, quia diuersa sunt genera lachrymarum sicut & causa, quibus in hac vita perfunditur electi. Aliquando enim ex recordatione peccatorum propriorum, iuxta quod scriptum est, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae. Esa. 38. Et alibi, Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis: stratum meum regabo. Psal. 6. & ij omnes merent & lugent: partim quia timet vltimes flammam gehennae: partim vero quia dolent ex corde quia precepta dei non custodientes offenderunt creatorem deum. Aliquando ex desiderio dilatae patriae, ac dulcedinis confortij sanctorum. Postquam enim delectis, digna expiatione, sceleribus, conscientia redditur pacata: pia mens dulcedine contemplationis absorpta, subinde repetit quantam libertate, quanta gloria, quanto honore ac securitate agant sancti in patria, pulchra valde, vbi summa quisque cum laude versatur coram deo & Christo, & quis ordo sit in ea, quanta sint gaudia, quam honorificum angelicis militum agminibus, gloriae conditoris assistere, praesentem dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuae munere laetari: ad quarum rerum singulas considerationes inardescit deuoti fidelis animus, iamque illic cupit assistere, vbi se sperat sine fine gaudere. Et quia non statim ea assequitur, ad quod aspirat sic incensus sic inflammatus, dulces per ora mittit lachrymas, altos gemitus, alta trahit suspiria, meditans versus dauidicos canit, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. Rursumque, Sititit anima mea ad te deum fontem vitae, quando veniam, & apparebo ante faciem dei? Fuerunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte, Psal. 41. Porro oritur fletus aliquando ex consideratione alienorum peccatorum, quae vergunt vel in detrimentum fidei, vel in scandalum aliorum, quia vltimi iniurias tantum apertas domini non possunt, vel quia vident periculum animae

*Lachrymarum
causae
tionis diuersae*

rum sceleratarum, quas abstraxit iniquus possessor demou, ne sanguis Christi eis proficeret: per zelum dolēt. Sic Samuel dolebat Saulem, eo quod videret pœnitere & ipsum dominum deum quod constituerit eum regem super Israël. Dolebat & Paulus, & lugebat suam gentem dicens, Veritatem dico in Christo Iesu non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & cōtinuus dolor cordi meo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, Ro. 9. lugebat ergo per compassionē. Eodem modo & de Corinthiis mœret, qui post scortationem & idololatriam nihil ad pœnitentiam conuertebantur. Dicebat ergo, Ne iterum quum venero humiliet me deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immundicia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserūt, 2. Cor. 11. Aliquādo & ex persecutionum afflictionibus vel etiam illatis iniuriis lugent: vel rerum damnis necessariorum &c. Qui luctus quomocumque conringant, deus absterget, in die illa, qua erit gloria plena ecclesiæ Christi, omnem lachrymā ab electorum oculis: quia nec peccata erunt in recordatione amplius, quæ remissa erunt & deleta omnia coram oculis domini, & sanctorum angelorum eius. sed nec alterius cuiuspiam blasphemias curabūt, eo quod reprobis omnes in suppliciis erunt, quorum blasphemie in eorū continuo cruciatus reuertuntur. nec de dilatione patriæ cuiuspiam erit anxia cura, quū omnes in ea sint, eiusque honoribus potiantur. Nulla eos persecutio, nulla iniuriarū perpestio affliget vltra: nec damna cuiuspiam incurrer. Sic ergo absterget deus omnem lachrymā ab oculis sanctorū: quibus leticia sempiterna erit super caput ipsorū, sicut scriptum est in Esaia. Mira veritatis contestatio, Absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, Magnificentius exprimi non potuit copia consolationis sanctorum, qui in hoc mundo magna perperuntur: qui post labores, & erumnas grauissimæ sustinentiæ peruenierunt ad illud ineffabile sabbatum, in quo plenissima festiuitate perfruuntur. Alludit autem in hoc verbo ad piæ materculæ morem, quæ suis ipsa manibus flentis sui nati extergit lachrymas, dat oscula,

maletet amplexibus, mammam ori inserit, aut poma dat, vt stetur illi blandius adimat, maternis super illum concitatis visceribus: sed frustra ab oculis stetur extergetur, nisi etiam ipsa flendi occasio auferretur, quæ est mors, finis malorum, quæ in vita accidunt homini. Fleamus enim necessitate mortis in quam peccando nos primus ille parens vltro coniecit omnes, cuius malo obnoxij sumus. Vnde veluti ex insidiis, mala omnia profiliere. Quum igitur occasio illa sublata fuerit, simul etiam mala ex ea nascencia tollentur omnia. Proinde recte spiritus de tollenda principali occasione meminit dicens, Et mors non erit vltra. Quomodo non erit? Aut nullo modo erit? Sed non erit iustis, quia nemo eorum morietur: erit autem damnatis, qui conclusi in carcerem inferni perpetua ibidem morte tenebuntur. Non erit ergo mors iustis vltra, neque ludus, neque clamor, & quæ sunt reliqua malorum genera, quum caput & velut origo quædam, & fons horum auferetur, videlicet mors: quæ cum vita priore simul tollentur. Hay. Postquam enim omnes a mortuis resurrexerimus: in electis iam vltra mors non erit, neque corporis neque animæ. Primus namque homo ea lege conditus fuit in paradiso, vt si non peccasset, immortalis foret, & completo electorum numero, ab illa terrestri paradiso, absque mortis gustu, ad patriam cœlestem remearet, alias morti esset obnoxius legem præuaricando. Quæ mors morte domini contrita, locum in beatis non habet, postquam omnes ad vitam resurgemus prædestinati: ideo dein ceps neque mori neque peccare poterimus. Quare nec erit vltra nobis, aut lamento, aut clamore opus, quia nec vllus aderit malorum dolor. Haymoni placet per clamorem hic intelligi, querelam prauæ suggestionis: prius enim, inquit, quam peccaret homo, in magna quiete erat, omniāque membra sibi subiecta erant, & nullo modo in aliquo repugnantia possidebat. Sed postea quam peccauit, statim clamorem prauæ suggestionis contra se urgentem sensit: vidensque mulierem concupiuit. Et factum iusto dei iudicio est, vt qui noluit esse subiectus deo, non posset habere membra subiecta sibi ad obediendum. Hunc clamorem exhinc omnes sustinemus, quo laborasse se

Mors malorū causa omnium.

Paulus quoque ostendit dicens Ro. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captivum ducentem me in lege peccati, quę est in membris meis. Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius, id est, morti obnoxio. Theophilactus. Ecce clamor ex intimis cordis partibus erumpens: semper fit is clamor in nobis, quia semper caro spiritui rebellat. Atqui quum corruptibile hoc induerit incorruptione, & mortale hoc mutatum erit in immortalitatem, desinet clamor in electis, qui eos in hac vita quiescere non sinebat. Ibi enim nulla erit prava suggestio, nullus motus illicitus in carne. Sed nec dolor aut spiritum aut carnem torquet, quum perfecta vtriusque hominis sanitas erit: nec caro ultra electis spinas ac punctiones peccatorum, pro quibus dolere debeat aut puniri, generabit. Quę omnia prima ætate abierunt, hoc nomine misera, & parum vendibili, multo dehinc faciliore succedente, quę talia minime agnoscat mala, sanctos melius consolando.

✽ Punc. 5.

Et dixit, qui sedebat in throno. Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera.

Hoc ille dixit, cuius dicere facere est. Deus summus rerum opifex, qui novissimis istis temporibus in carnem venit, cui dedit pater omne iudicium Ioan. 5. quique paravit in iudicio thronum suum Psal. 9. Et constitutus rex à patre super Sion montem sanctum, quę est Ecclesia Psal. 2. Super quem motem promiserat olim idem deus pascere gregem suum, Ezech. 34. Et ipse est caput Ecclesię, qui est principium, primogenitus ex mortuis, Coloss. 1. Idem imago dei invisibilis, primogenitus omnis creaturę, quoniam in ipso condita sunt uniuersa, siue quę in coelis, siue quę in terris, sunt visibilia, & invisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et, In quo complacui omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso. Et, In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratię eius, quę superabundauit in nobis, in omni sapientia, & prudentia,

Christi officia quadam.

Eph. 1. Sapientia ad fidem pertinet, prudentia ad res factibiles: vt fides non sit sine opere: vt enim illa quędam cognitio diuinarum rerum est, & gustus spiritus: ita hæc res ita quędam ratio rerum factibilium dicitur. Et qui talis est, suscitans eum pater à mortuis, & constituens ad dexteram suam in celestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius. hunc inquam ipsum dedit idem pater caput supra omnem ecclesiam, quę est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet, vt Paulus egregie disputat. Quod verbum exponens Theophilactus ait. Ne forte quum caput intelligis, principatum prædici & potestatem existimes, infert. Quemadmodum corpori cognuit caput, ita & ecclesię Christus dicitur primum habere, & illi sanguine iunctus est & vnitus: & ecclesiam idem absoluit, id est perfectam facit, & complet: vtque caput propriis membris corpus integrum reddit, sic & ecclesia ipsa Christi perfectio est: quia omnia terminat, & finem cunctis rebus imponit. Christus namque in corpore mystico perficitur, & tamquam ex vniuersis fidelibus sua complet membra. Nam manus in viro misericordię, & opem agris ferente absoluit eam: quia subuenit defectuoso corpori sui membro, & ille qui prædicandi munus suscepit peragendo, & prædicando supplet quod deest illi. In summa, Membra quoque reliqua sibi ipsi suppediat Christus quum variis modis mortalium succurrit necessitatibus. Tunc etiam perficit corpus Christi, quum omnes vnanimis sumus glutino charitatis coniuncti. Sequitur, Ecce noua facio omnia. Noua quippe facit omnia, qui potest etiam de lapidibus filios Abraham facere, & de mortalibus immortales, de corruptibilibus incorruptibiles, de ignobilibus claros, de terrenis celestes: vt noua sint omnia. Noua ergo erunt omnia, quia talia erunt, quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec ascenderit in cor hominis, his qui deum diligunt: à quibus illa prima, scilicet omnia vetera, omnia mala, omnes persequutiones, omnes sustinētia, mors, luctus, clamor, & dolor vno impetu abierunt vt pro his veniant eis noua felicitas, pax, quies, vita, gaudium, claritas, & sanitas perpes, quibus

Fides nõ facta sine operibus.

Christus perficitur in ecclesia.

Noua facere omnia.

*Noua omnia
nobis per chris-
tum.*

sabbatum erit aeternū. O miranda res, ō gaudium perbeatum: ad quod spectās Christus in eo in ipso gaudere monēbar suos, quōd nomina eorū scripta sunt in caelis: tanquā his bonis perpetuo fruituri, quā mēs humana nō sentit, quum etiā narrantur. At Christus per belle sentiebat, qui noua omnia fecit, in cælo, & in terra. noua omnia erant in cælo, sed nobis non erāt. quum autem pro nobis mortuus est & resurrexit, facta sunt nobis noua omnia. Nouū est, quōd ex vetere Adam innoūati sumus, ex carnalibus spirituales: ex maucipiis diaboli, filij dei, hæredes regni. Ergo nō nostris meritis, sed Christi capitis redemptione, qui secundum suam misericordiam saluos nos fecit, liberans à peccatis nostris, qui lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, effudit in nos abunde: qui ergo hic fecit nobis noua omnia, faciet & ibi in caelestibus. O qualis illa ciuitas? quā admirabilis: quā luce spectabilis: in qua nobis pollicetur noua omnia? quā sublimis, quā ineffabilis: Vides nunc multa pulchra, amena, splēdida, delectabilia, admiratione digna, quā ab suis amatoribus aliquid esse putantur: sed hæc omnia nihil sunt, quum in infinitum pulchriora, ameniora, splēdiora, delectabiliora erunt in illa patria, in illo sabbato beatorum omnium. Vere itaque beata vere felix es tu, ō noua hierusalem, quā in caelis es, è caelis ducēs originem, semper caelestis, semper diuina, amabilis valde. Beatus tu quoque qui hanc eius felicitatem videre mereberis: cuius videre gustare est. Beatus ergo profus, & ter quaterque beatus, cui gustare & videre tantam felicitatem contigerit. Erunt namque ei noua omnia, qui & ipse erit nouus, qualis antea non erat: angelus non erat, neque similis angelis erat, grauitate carnis oppressus: angelus iam deinceps assumpta spiritualitate est. Non mentitur qui dicit hæc, erunt sicut angeli dei, Matth. 22. Vel vt alius euangelista narrat, æquales angelis Luc. 20. Filij nempe dei, filij resurrectionis, summis dotibus præditi amplissima prouisione donabuntur. Sequitur, Hæc uerba fidelissima sunt, uera. Quæ uerba? Illa scilicet, Ecce noua facio omnia: corrupta restaurabo, antiqua innoūabo, obsoleta illustrabo: & nihil erit inabsolutum, obscurum, obsoletum. Potest pronomen, hæc, referre etiamnum su-

periora, quæcunque dicta, commonstrataque sunt. Fidelia simplici uoce effert noua translatio, antiqua fidelissima. Sunt autem fidelissima in promissione, uera in impletionem. Sic ergo fidelissima, quia uera neminem fallentia. Denique in eo quod dicit, scribe, etiam in hoc uerbo Dei erga nos dilectio indicatur: qui propter nos hæc omnia reuelauit. ut simul spem habeamus: & in multa fiducia in ipso Deo persistamus: quia non relinquemur desolati in finem, qui in Christo sumus: quibus nouitas in æternam gloriam desinet omnis.

Et dixit mihi: factum est: Ego sum Alpha & Omega, initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aque uivæ gratis. Qui uicerit, possidebit hæc omnia: & ero illi Deus: & ipse erit mihi filius.

Quatuor in summa dicit. Primo impletum esse omne id quicquid à principio mundi de finali partium retributione per prophetas suos promiserat Deus. Secundo seipsum, qui hæc commemorauit principium esse & finem. Tertio, quōd salutem ardenti daturus sit de fonte gratiæ suæ citra merita. Quarto quōd uictoriose in carne militantem adornaturus sit amplissimis indicatæ gloriæ præmiis. Primo ne de præceptore quispiam possit ambigere, illum esse dicit, qui supra cap. 10. iurauerat per uiuētē in sæcula, quia tempus tale amplius non esset futurum: qui similiter hic loquitur dicens, Factum est, id est, completum est tempus sæculi huius & terminatum, quo laboratum est à piis: ut iam non laboris sed requiei, non merendi sed retributionem accipiendi sit quicquid futurum est: est autem futurum æternum, permanens, ac durabile, & adhæc felicissimum. Ergo factum tum iam esse dicit tempus, id est, præteritum, quo operandum erat: illud uero quod successisset retributionis esse. Factum ergo est, id est, præcessit, & iam finem perfectiore adueniēte accepit, hoc est, quod Paulus tanto studio inculcat, Dum tempus, inquit, habemus: ope-remur bonum, Galat. 6. similiter Eccles. 9. legis. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud *Tēpore pro inferos.* Et cap. 3. eiusdem scripturæ, Omnia tempus *prio quæq; res* habent, & suis spaciis transeunt uniuersa sub sole: *dimittuntur.*

tempus nascendi, tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus enuellendi quod plantatum est: tempus flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus saltandi: tempus belli, & tempus pacis. Ideo & Christus præmonēbar suos dicens, Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Et, dum lucem habetis credite in lucem, Ioān. 12. Et certe is sermo, Factū est, significat finitum esse mundum: & quicquid vsquam est malorum, miseriarūq; & afflictionum simul abiuisse cum mundo sanctis, etiam peccatorum finitum in eis. Item omnis carnalis operatio quod finita sit, & labor, & humani generis propagatio: vanitas denique omnis, & poenitentiae fructuosa tempus. Impleta etiam omnia, quæ scripta erant vsque in eum diem: vt sicut Christus finiens vitam laborum suorū, è cruce clamauit, Consummatum est, ira etiam idem clamaturus in fine mundi huius, operosi plenique sudoris ac periculi, Factum est, scilicet mundi istius tempus, & laboriosum eius negotium omne finitum. Deinde quis hunc sermonem prodar, apertius proprietate conditionis suæ explicat dicēs, Ego sum Alpha, & Omega: quod quid sit mox exponit, quum dicit, Initium & finis. Neque enim aliud Græcæ hæc literæ produnt, nisi vt intelligatur Christus initium esse & finis. Initium in creando, finis in restaurando. Sunt enim extremæ voces Alphabeticæ apud illos. Alpha prima est literarum, Omega vltima: hoc erat secundum in his, quæ eximia habet is punctus. Tertium sequitur post hæc, Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Magna & fidelis promissio. Primo pro mysterio sabbati, quod hic agunt sancti in hoc corpore degentes in cordibus suis, implenda, deinde pro reuelato in fine. Diximus enim sabbati huius reuelandi mysterium iam capisse in cordibus credentium: etsi minus dixissem, nunc dico, & ita esse affirmo, quando sancti credentes mira suauitate gustant & amplectuntur Deum in cordibus suis, de quo vox illa prophætæ est; Gustate, & videte, quoniam suavis est dominus. Psalm. 33. Et. 144. Suavis dominus vniuersis. Et. 1, Petr. 2. Si tamen gustastis quoniam suavis est dominus, cuius etiam nū interna vnctio dulcis, & omni melle suauior, in qua perficitur in nobis hic sabbati illius reuelādi

Christus initium et finis.

Sabbati mysterium operatur modo in cordibus fidelium.

mysterium: vt dicamus spiritui eius sic gustato non dubium quin sancto, quod scriptum est, O quam bonus & suavis est domine spiritus tuus, in omnibus, Sapient. 12. Fons aquæ viuæ, gratia est, & veritas, & vbertas spiritus suauitatis eius, id est, Christi: quibus veluti aquis viuentibus lucidissimo de fonte largo gurgite promanantibus, adficiamur sitibundi: dum in eis quæ Dei sunt, & Christi domini nostri, sincerissime erudimur. Est quoque eadem veritas, ac spiritus Dei suauitas, fons aquæ viuæ, quæ hic largitur & in futuro sabbato: quod, vt diximus, vere fidelis, in mysterio, pectore celebrant ad præsens candidissimo, vt mira eius suauitate perfruatur: non tamen eodem modo ac mensura nunc vt tum communicatur: nūc enim in his gustus quidā est solum ac delibatio, tum vero plenitudo refectiois eorū veritatis scilicet, & spiritus suauitatis. Videbimus enim facie ad faciem eam ipsam veritatem, quam nunc sola fide complectimur, per scripturas speculamur mente, cuius spiritus videndo adficiabit nos mirabiliter. Porro nunc solæ fontis vitæ guttulæ sparsim irrorantur faucibus animæ nostræ, tum plenus haustrus percipitur: nunc iste fons salit, ac quibusdam propriis donorum incrementis augetur in gustantibus: tum vero tota plenitudine se infundet ac redundabit in æternam satietatem: cuius aquæ nec deficient, nec minuentur: quæ vbertate sui redundabunt magis. De qua re loquitur Esaias quum dicit, Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris. Esa. 60. Vbi per mare vbertatem accipe veritatis gloriæ, ac spiritus consolationis eius, & dulcedinis gustus gloriæ beati Dei, cuius sola recordatio afficit mentem, implet dulcedine, & solatur: vt non aliud aque exspectat, quam protinus reddi talium deliciarum sensibus. Nec illud prætereundum, quod dicitur, aquam huius fontis dari gratis. Quod idcirco potissimum dici existimam, ne quis putet se propriis meritis, aut humanis viribus potum eius assequi posse: inæquabilia sunt hæc illi, nec vnquam tantum adolefcunt, vt æquent æstimationem: proinde nec redimi pretio potest, quod alioqui inæstimabile est: gratis datur per Christum sitientibus: quibus dicitur per eundem, Beati qui esuriunt, & si-

Fons aquæ viuæ gratis.

*Desiderio
promerere
satiatatem.*

tiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matt. 5. Esurire ergo oportet & sitire, hoc est ardentem, & studiose, non ociose aut utcumque appetere: velut recusanter & stomacho fastidienti, quicumque fructu eius ad satiari desiderat. Proinde quavis gratis detur, solus tamen sitiens promeretur. Magnum sacramentum, desiderio promereri felicitatis patriæ cœlestis gustum, & quicquid isthæ gloriæ est. Sed non nisi in certamine victor quis existat promeretur: quo solo pacto Deus illi communicabit, quem etiam pro charo filio agnoscit. Ergo ad desiderium conatus percipiendi, labor, & opus necessaria sunt. Pauli ista vox est, Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, ego sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte quum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. 1. Corinth. 9. Prædestinatus erat Paulus (ut obiter commemorare), de quo Christus dixit, Vas electionis est mihi iste. Act. 9. de quo & spiritus dicit in Psalmis mysticis, Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Psal. 67. & tamen nisi prædestinationi sanctis operibus quasi ex diametro respondeat, facile se posse reici arbitratum: ne forte, inquit, quum aliis prædicauerim vitæ promerendæ rationes, ipse reprobus efficiar: ut insanire conuincantur, qui solo ductu prædestinationis aut reiectionis, fata salutis stare, aut cadere prætexunt, dicentes, Si prædestinatus sum: viam recte aut secus, utique salutis sum. Namque & in hac scriptura insigniter hortantur omnes ut vincant, quâdo victores possessuri sunt omnia, tanquam filij hæreditatem: ex victoria proinde certissima spes possidendi prænascentur. Id quod electionis quoque signum minime incertum fore creditur, quum nemo non sanctorum victor fuit. Primus Christus, qui Luc. vlti. de agone suæ militiæ contestatur dicens, Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Et Acto. 14. sancti dicunt, Quoniam per multas tribulationes & angustias oportet nos intrare in regnum Dei. Item, Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna (id est, imperia tyrannorum & fasces) operati sunt iustitiam; &c. Iustitia

*Prædestinatus vincens
saluatur.*


hæc vitæ virtus est, & pro omni virtute capitur, quibus sancti insigniter præpollent: ut non solo prædestinationis titulo gloriamur. Qui ergo vicerit. Quid vicerit? carnem, diabolum, & mundum, tres coniuratissimos hostes. Vicerit, inquam, carnem in seruire sarraginis bullentis: Diabolum in suis ignitis telis: Mundum in blandimentis mendacibus. Vicerit denique omne peccatum, & circumspectas eius, hic possidebit omnes promissiones Christi: cui ille erit Deus, & ipse filius, consuetarie autem bonorum omnium hæres. Deus est qui singulari providentia præstat beneficia poscentibus, idem & saluator: promissor ergo, benefactor & saluator est Deus, & pater charis suis filiis. Filius valde dilectus: patri per omnia qui fuerit obediens, ac vere fidelis, & cultor strenuus.

* Punct. 7.

Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololâtris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est secunda mors.

Abbas Ioachim timidos vocat illos, qui metuunt relinquere præsentia pro futuris, qui timent eos qui occidunt corpus, & non potius eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Ergo timidi sunt, qui neque fidem habent, neque spem futurorum, in omnibus Dei promissionibus dubitantes: qui nihil propter spem vitæ arduum, nihil forte propter præmiorum fiduciam aggredi audent. Hi sunt in omnibus inconstantes, utpote, in quibus nulla est spiritus fortitudo, nullus fidei fructus, quia incredulis pares sunt in opere, ut pares sint & in mercede: ut enim ij maledicti omnes, quos fides non sanctificauit, ita & illi. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in lege, ut faciat ea, Deut. 27. Gal. 3. Recidunt enim in carnem, ut faciant ea, quæ non decet, quia timidi sunt. Non est laudis vocabulum hoc loci timidus, sed vituperij: eos enim commonstrat, de quibus dicit spiritus in Psalm. 13. Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor: Aggredi metuunt hi bonas virtutes, opera laudabilia: & mala facere non

*Maledicti
omnes quos
fides non sanctificauit.*



omittunt, iussa domini facere perhorrescunt: & iussa satanae implere nunquam faciunt. Hi significantur per eos, qui viginti duo milia recesserant de bello Gedeonis, quem mittebat dominus Deus contra Madian & Amalech, & orientales populos, qui omnes congregati erant aduersus Israel, Iud. 6. & 7. timore enim ij omnes recesserunt. Christus est Gedeon: ab huius expeditione multi desciscunt nolentes pugnare contra hostes salutis. Sed tamen etiam cum paucis superat Christus aduersarium: ij sunt pauci electi: Matth. 20. & 22. Multi plus timent principum minas, quam domini iudicium. Sicut autem illi pereunt, qui cogunt mala facere suos: sic ij, qui parēt crudelibus iussis dominorum: quia obedire Deo oportet magis, quam hominibus Act. 5. Alij timent res temporarias ne amittant, quas cumulare per omnem sollicitudinem non negligunt, sepe per fas & nefas etiam. Sed quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animę vero suę detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua: Matth. 16. De talibus conuerteritur dominus, Prouerb. 1. Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despectistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Quid deinde sequitur? Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subfannabo: quum vobis id quod timebatis acciderit: quum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Mane confurgent, & non inuenient me: eo quod exofam habuerint disciplinam, & timorem domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersa corruptioni meę: Auersio paruulorū interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos. Non ergo timeamus vt paruuli, timore terriculamentorum inanium perculsi retrocedentes, nec stultitiam iuberium mala aduertamus. Multi incommoda corporis metuunt, nisi infans dominis obediant: quibus proxime accedens familiaris, & quasi manu capiēs loquitur Christus, Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus: animam autē non possunt occidere. Glosa. Quoniam Deus reddet eā corpori. Sed potius timete eum, qui potest animam &

corpus perdere in gehennam, Matth. 10. Ideo Dauid Psalm. 30. viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Nemo esset martyr, nullus occisus esset pro domino, nisi plus Deo obediisset quam hominibus: nisi plus Deum amasset quam vitam propriam. Cogebat rex babiloniae Nabuchodonosor, impie facis, tres pueros adorare statuas, quam erexerat, & noluerunt. ob quod egregium facinus coniecti in ardentem ignibus fornacem seruati sunt illesi. Dan. 3. Domini verbum est ad omnes, Confortare omnis populus terrę, & *Pœnitentiam* facite quoniam ego vobiscum sum, Aggei. 2. Gaudium *multi timent* etenim Domini est fortitudo nostra. Neemie. 8. Bona *aggredi.* pars timemus pœnitentiam aggredi, corpus crucifigere abstinentia, castigationibus macerare, aut saltem suauia illi negare, ne ante tempus deficiat. Sed quid dicit scriptura: Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Prouerb. 20. Paulus quoque ait, Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 2. Corint. 9. Cuius loci pars prima parum meticulosos soluit ad liberius operandum, postrema totos in opere ponit, vt Dei beneplacitum facientes reportent promissionem. Contra idem, Paulus Galathas velut stolidos castigat, Nolite inquit errare, Deus non irridetur. Quę enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes, Galatas. 6. Haymō Episcopus, Timidos possumus eos intelligere quibus voluntas erat vt crederent in Christum: verum videntes diuersa tormentorum genera fidelibus præparata, timore perculsi recedebant a fide. Quidam etiam post receptam fidem, & baptismum, partim terroribus, partim blanditiis sequestrabantur. Increduli sunt, qui fide carent. Sicut enim Timiditas opponitur fortitudini, sic Incredulitas fidei, & sicut timidus nihil bene agit: sic nec Incredulus. Quum Dominus quarta noctis vigilia ambulans super mare venisset ad discipulos suos in nauticula existentes, quę a vento contrario iactabatur fluctibus, videntes eum sic su-

per mare ambularem turbati sunt dicentes. Quia phantasma est, & præ timore clamauerunt. Statimque Iesus loquutus est dicens: habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Matth. 14. Vides dominum ad fiduciam suos hortantem contra incredulitatem. Immo & petrum in sequentibus statim increpat de modicitate fidei dicens, Modice fidei quare dubitasti? Donec Petrus fide firma fuit ambulabat & ipse super aquas maris, infirmari incipiente fide in eo, cepit & ipse mergi. Legis in Matth. ca. 21. quia quum dominus maledixisset ficulneam sterilem & exaruisset: mirantibus discipulis dixit. Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hesitaueritis, non solum de ficulnea facietis: sed & si moti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare, fiet: & omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Item apud eundem Matth. cap. 17. loquitur idem dominus exhortans suos ad fidei firmitatem. dicit. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transe hinc: & transibit: & nihil impossibile erit vobis. O grande verbum. O promissio fidelis, omnia ergo fide fient nobis: fides imperat omnibus: caelo, & terræ: mari, & creaturis omnibus. dei ergo virtus est fides. hanc amplectamur. hac nos roboremus oportet, quæ in virtute vt granum sinapis est ardens & fortis: quod si seminaueris in agro vt Matth. 13. seu terra vt Marcus habet cap. 4. seu orto. vt Luce. 13. legis: narum crescit in arborem, & in ramis eius volucres caeli quiescent. Quid amplius dicam: fidei meritum celum est, & omnis gloria eius. nam & substantia sperandarum rerum fides ipsa Hebr. 11. describitur. Incredulitatis autem stagnum igni & sulphure ardens, vt scriptura hæc indicat. Porro execrati, homicidæ, scortatores, venefici, ac idololatræ, mendacésque nota sunt nomina, quos omnes in stagnum igni ac sulphure ardentem, id est, in ipsum infernum conicit, quibus isthic partem constituit, in morte secunda, quæ pænarum est. Sed de execratis forsitan esset ambiguum, qui intelligantur. Arbitror certa genera peccatorum significari, vnum eorum, qui naturæ iniuriam in proprio corpore sui euiratione inferunt. deinde vero qui cinædos cogunt in masculam venerem obsequi: Et qui quoquomodo postica diuerticula explen-

de libidini quarunt, siue in simili specie, sexûe, & omnis innaturalis coitus sub hoc execrati nomine cõprehenditur. Aut est qui sacræ virgini moniali vim inferunt: & illa contra iura emissi Deo voti se prostituit, arbitror est consanguinearum incestus in hoc catalogo censeri: & sacerdotum, siue etiam monachorum fornicationes: quos omnes hæc scripturæ sententia condemnat, & cogit in stagnum ardentem igne & sulphure, & in secundam mortem, eo quod de prima reuiuiscere noluerunt, vt primam haberent resurrectionem, quæ fit per pænitentiam: vt abundè dictum est supra. cap. 20. Sectio. 2. Punct. 3. Condemnat & Paulus. 1. Corinth. 6. di. Nolite errare. Neque fornicarij: neque idolis seruientes, neque adulteri: neque molles: neque masculorum concubitores: neque fures: neque auari: neque ebriosi: neque maledici: neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et Galathis scribens inter alia carnis opera ponit fornicatione: immundiciam: homicidium: idolorum seruitutem, subiungens: quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Galat. 5. Item Ephes. 5. Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus: aut auarus quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Sed iam ad alia vitiorum huius catalogi nomina. Homicidia autem & veneficia Paulus inter opera carnis recenset: subinferens, Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur, Galat. 5. Scitis homicidas esse qui hominem occidunt. In his primum atrox est animus: vt parem sibi contemnant odiântque, ita vt nec esse velint inter creaturas mundi: & Dei opificium destruere cogitant, Deumque inculant de creatione vniuersi: sic vniuersitati creaturæ & ipsi creatori Deo iniuriam inferre meditantur, quia hominem sibi parem, & ad Dei imaginem creatum, præter omne ius fasque perimere desiderant. Deinde armant manum, non ea lege sibi datam, vt noceant, magis autem vt ministrent in his quæ sunt necessaria sibi & proximo, quem amare debuerant perinde arque seipsum. Postremo, furore sese exagitant, acuiuntque: hinc celeriter aggrediuntur & interficiunt, nihil omnino considerantes quale sit facinus hominis sanguinem fun-

*Forma vitæ
Christiana.*

*Homicida
crudelitas.*

dere, qui mox de terra contra furorem clamaturus est ad Deum, iudiciumque postulaturus. Sic sanguis Abel usque in hodiernum diem clamat aduersus furorem suum. Dominus Deus dicit ad Cain, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Quum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram, Gen. 4. O dira crudelitas hominem parem perimere. O inexpiabile facinus, innoxio sanguini manus inferre. Nū ob id matrum pia cura longa tulit fastidia partus sui? Nū ideo manum dedit: aut præmansum cibum ori inferuit: lanit, purificauit, fouit, aluit, nutriuit, multorum dierum officia impendit, vt tu vna hora illū hunc è vita auferres: Quid nūc dicturus es Deo: aut quam causam pre-texturus? Si iniuriam tibi fecit, Deo committere debueras vltionem, qui dicit, Mihi vindictam, & ego retribuā, vt non propria manu vlscereris proximum tuum, tibi forsitan leui verbusculo peccantem, quem diligere lege Dei omnipotentis debueras, non odire, non interficere: aut si interficiendus erat, iura legēque ciuiles requisuisses. Quod quia contempsisti, nec furori immani habenas iniecisti, vt cohiberes: sed crudeli nimis animo ac truculenti corde manum armasti, inuastisti, & forsitan supplicis tibi, nihil vltorem sanguinis Deum considerans, nihil proximitatis iura aduertens, illiso mucrone sanguinem fudisti, dilectam animam à corpore seiuastisti, interfecisti hominem similem tibi, quem Deus formauerat. Non euades vltices manus Domini: non eris impune flagitiose: Repetitur sursus à te sanguis proximi tui, si repetitur à bestiis. Veritatis æternæ illa vox est. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matt. 27. & supra Apo. 13. Scriptum est & in Genesi, Quicumque effuderit humanū sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo, Gen. 9. Et iterum dicit Deus. Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. Peribis ergo, peribis, impie, crudelis, & dire furor sanguinis: & in stagnum subito mitteris, quod igne ardet ac sulphure. Ignis exuret te: sulphur odore cruciabit acerbo. Fornicatores sunt

*Bestias punit
deus ob homi
cidium.*

aut

aut alieni thori violatores adulteri: aut vaga libidine cū meretricibus vitam profigantes, qui sunt in desideria cordis eorum traditi, spurci & immundi porci: meriti penitus in carnem, in quos legionem dæmonum immisit Christus, vt mergerentur in mare huius sæculi. Matth. 8. Marc. 5. Lu. 8. Hi nihil egregij possunt in spiritualibus efficere, eo quod tota eorum cogitatio carnalis sit & imunda. Sub hoc nomine intelliguntur & ij qui virginibus vim inferunt: aut violant volentes illegitime. Venefici sunt qui veneno perimunt: cibo, potu, aut quocunque modo. Scimus & per aures veneno extinctum hominem. Idolatri, qui aut manifeste idola colunt, vt olim Saturnum, Iouem, Martem, Venerem, & reliqua id genus portenta demonum colebant mortales sine vero & viuo deo existentes: aut occultæ, & in mysterio, quemadmodum Paulus censet auaros idololatrias esse, Ephes. 5. nec habere hereditatem in regno Christi & Dei. Mendaces sunt, qui veritatem abnegant. Mendaces & ij, sed sceleratissime mendaces, qui fidem semel susceptam abiurant: Mendaces & ij, qui vota sacrosancti baptismi vita retractant: Aut qui professionis iura contemnunt, palam per apostasiam, aut occultè dum inani religionis retentō titulo vita minus respondent. Qui, iuxta Paulum, confitentur se nosse Deum, factis autem negant: quum sint abominari, & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Tim. 1. Speciem quidem pietatis habentes: virtutem autē eius abnegantes. 2. Tim. 3.

*O DE OSTENSIONE CIVITATIS SANCTAE HIERUSALEM, IN CLARITATE DEI.

Sect. 2. Punct. 1.

OO



T venit ad me vnus de septem angelis, habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum dicens. Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem agni. Hi sunt angeli illi, qui supra cap. 15. & seq. septem temporum integerrimos sacri verbi Dei ministros seu prædicatores exhibuere, è quorum numero vnus venisse memoratur: de quo nullam quæstionem facio, nec disputo quis hic vnus fuerit, nisi quòd ex illis angelis erat, qui menti beati Ioannis in typo ministrorum verbi Dei obuersabantur visione imaginaria, ita enim ei videbatur: nec cõgruit ad christum referri, eo quòd ostensurus potius sit sponsam vxorem agni: quo distinctius caperes, angelum & agnũ, ne confusio sit in sensu. Vbi aduerte. Alia namque visio est hæc à priore, in qua alię dotes, alia lumina, alij splendores ecclesię describuntur: quarum rerum multa longe amplius triumphantem quàm militantem competere videntur ecclesiã, licet nec militanti discõueniant, etiam si in terris adhuc persecutionibus multis obnoxia sit. Namque sunt quædam quæ nihil competunt huic tempoti, sed futuro, quo glorificabitur sponsa hæc vxor agni, id est, Ecclesia: quemadmodum illud quod dicitur, Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Et, quia nox nulla ibi diem interpollabit. Neque ciuitas illa eget aut sole aut luna, nec templum visum est in ea. Ergo ab hoc loco vsque in finem voluminis, status & excellentia, & dignitas, & pulchritudo ecclesię ita describitur, vt non alia quàm triumphãs videatur: & certè semper triumphat ecclesia etiam in præliis suis. Veni ergo non passibus pedum, sed passibus fidei, & mentis tuæ intelligentia. Veni, & ostendam tibi sponsam agni, id est, Ecclesiam in sua forma & pulchritudine, præsertim qualis futura sit, quum ad Dei veniet contemplationem. Duo dicit, sponsam, & vxorem: quia nimirum quæ nunc est sponsa per fidem & dilectionem, erit tum vxor per fruitionem, quũ ad amplexus peruenerit coniunctionem. Vel ideo, quia nunc Deo desponsata, tunc ad immortales est perducenda nuptias, quando etiam quum iam vxor facta, sponsa nihilominus permanebit. Siquidem in illa beata copula semper vxor cum filiis, semper virgo erit permanentibus

*Dignitas
triumphantis
ecclesię describitur.*

nuptiis & sponsalibus festis. O miraculum miraculorum, sponsa erit & vxor, virgo & mater, fecunda prole tam multiplici, quantus erit numerus electorum, & intacta florem gratissimi odoris suæ virginitalis spirans semper. Gaudia aderunt nuptiarum, corruptio nulla aderit membrorum. Thalamus nidebit odoribus vnguentorum, copula non sentiet contactus carnalium voluptatum: sponsus erit & sponsa, sed sine lege connubij maritalis, virgo est sponsus, virgo & sponsa. Nescit ille fœminam, nescit ista virum: pascitur ille inter lilia castitatis, ista candore integritatis gloriatur: Ambo fœlices, auspiciatissimis nuptiis ambo beati. Rex ille est, Regina confors regni ista. Gloriam dat ille, recipit ista. Quid dicam amplius: Sol ista, ista luna. Sol, qui nesciat eclipsum: luna quæ nesciat variabilitatem, vel hoc solo nomine semel atque iterum beata: crescit illius semper gloria, crescit & huius pariter: par gloria ambobus semper, par fœlicitas: idem locus: æternitas eadem ambos complectitur. Ille laudat sponsam, hæc sponsi vocibus intendit. Cantat sponsa canticum sponsus: Sponsa sponsi non retinet hymnos. Eunt, ambulant, gaudent, iubilant, cantant, visunt, nec modus gaudiis letitiæque vllus, tam beata copula nuptialis, tam fœlix coniuctus beatæ perennitatis. Ad quam quicunque peruenerit, tum demum fœlicissimus, minimeque exors tãtæ lætitiæ erit.

Punctus. 2.

Et sustulit me spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem magnam sanctam Hierusalem descendentem de calo à Deo habentem claritatem Dei.

Visurus in sublime fundatam ciuitatem Hierusalem Sanctus Ioannes in montem magnum & excelsum perducitur: quia videlicet illa quæ sursum est Hierusalem mater nostra est, Gal. 4. id est, semper sursum sum manens. *Ecclesia sursum manens.* etiam quum hic peregrinatur à Domino: multo magis quæ pars eius iam in sublimi est, ideòque in monte. Alij Christum montem magnum & altum intelligunt. Haym. Mons magnus, & altus in quo dicit se eleuatum Christus intelligitur, de quo

Oo ij

*Christus
mons.*

Daniel dicit, Quia lapis præcisus de monte sine manibus creuit in montem magnum, & repleuit vniuersam terram. Ipse quoque de se dicit, Non potest abscondi ciuitas supra montem posita. Magnus est iste mons quia totum mundum replet. Altus, quia ita est homo, vt sit etiã deus, quem psalmographus excelsum vocat dominum, Psalm. 137. cuius gloria super celos est, Psalm. 112. De hoc monte Elaias dicit, In nouissimis diebus erit mons domus domini præparatus in vertice môtium, id est Christus princeps omnium electorum. Mons est Christus, super quem fundata stabilis manet Ecclesia. 1. Cor. 3. Fundamentum nemo aliud potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, hoc fundamentum vt solidum ac stabile, manet in æternum, sicque montem magnum & altum christum intellige, qui est mons figuratus ad Daniele. Est mons & celum empyreum, de quo ad litteram legis, A summo cælo egressio eius. Psal. 18. Et, Leuaui oculos meos in montes: Psalm. 120. vbi est habitatio Dei cum sanctis angelis, & facialis eius visio, nam etsi vbique Deus sit: tamen facialis eius visio in cælis est, & cohabitatio cum sanctis suis: quo & dominus ascendit, secundum scripturas: & sedit ad dexteram patris. Mar. vii. Luc. viii. Act. i. & 7. Potest & simpliciter intelligi: vt beatus Ioannes in montem quendam excelsum sibi visus sit ab angelo sublatu: vnde ciuitatem sanctam hierusalem, è cælis à Deo descendente, pulchram, & mirabilem latius prospiceret. Sic enim nonnunquam solemus montem conscendere, quoties vel terræ latitudinem: siue etiam longinquas regiones: aut, vt est in præsentia causa, ciuitatem aliquam circumspicere volumus: vnde latior expeditione que patet prospectus, vel si in eodem monte ciuitas descendit, cuius & ipse erat ciuis, etiam sic bene sublatu sibi videbatur Ioannes, spiritu non corpore secundum imaginariam tantummodo representationem, & spiritalem ostensionem, ac mentis eleuationem: ad quem modum dicit se Ezechiel translatum de Babylone in Iudæam, in visionibus Dei cap. 8. nec tamen decipiebatur, quoniam angelo eum docente intellexit quid illa visio imaginaria designaret. Tunc enim illuditur nobis sensus, quum sine se mystica visio aliqua nobis obuersatur, vt procul sit

*Ioannes spiritu
visu videt
omnia.*

eiusmodi sacrosancta res ab illusionis existimatione. Sequitur, Et ostendit mihi ciuitatem magnam, sanctam Hierusalem. Nolim ita existimes, quod triumphare ecclesiam ita viderit, velut rem in se solemus conspicari, sed sub similitudinibus corporalium rerum. Illud quoque noueris, quia que hic scribuntur magnam habent consonantiam cum his que Ezechiel scribit cap. 40. Vbi adstruit se in monte excelsum abductum, in quo erat quasi ædificium ciuitatis. At sensus variat, ob quædam loca militanti Ecclesie ibi magis conuenientia. Ostendit ergo mihi ciuitatem sanctam in Hierusalem descendente de cælo à Deo. Ecclesia siquidem à Deo est, quia per verbum eius est, ideòque exaltis est: & de cælo descendens est: sed quæ sic de cælo descendens erat, subiecta in cælum est: & ad antiquissimum dierum peruenit, vt semper retineat honoris nomē hoc, quia de cælo descendens est, habens claritatem Dei. Quam utiliter descenderit de cælo à Deo Ecclesia, hinc præclare accipies, quum exinde nata sit claritatem Dei, fidei lumen habens in ipso, quæ etiam eadem beatitudine, qua Deus ipse est æternum beatus, futura est beata: iuxta illud, Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus autem quoniam quum aparuerit similes ei erimus. 1. Ioan. 3. Ecce qualem claritatem habeat, habituramque sit Ecclesia. Tunc, inquit dominus, fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Marth. 13. Nunc vides, vt non sit opus pluribus, quo profecerit ipsam natam esse ex Deo, per verbum eius.

✠ Punctus 3.
Et lumen eius simile lapidi præciso tanquam lapidi Iaspidi crystallizanti.

Si quæras, qualis sit forma tantopere commendatæ Ecclesie, sponsæ agni. Respondet spiritus. Et lumen eius, &c. Non equidem potuit gloriosa eius forma conuenientius commendari quam vt Iaspidi crystallizanti compararetur, magis quam excæcanti solis ardori, quum in illa visus delectatio sit, in hac visus perstrictio. Erit ergo Ecclesie forma præclara, quæ & fulgeat sicut sol, & temperetur fulgor ad visus delectationem: hoc est lumen eius esse simile Iaspidi crystallizanti. Iaspis enim viriditate sui afficit visum, plurimumque delectat, vt vix æque aliud: Iaspis viridis sed non manet in sanctis color eius densus, sed sicut Cry-lapū.

stallum pellucidum transparentisque: vt & splendor sit Ecclesie & translucencia in summa aspectus delectatione. Mundissima ergo debet esse fidei claritas sanctorum, qui habituri sunt lucentissimam Dei visionem, quæ restatur Paulus habitare lucem inaccessibilem. 1. Timoth. 6. Moraliter, Operetur in te mysterium huius felicitatis magnæ, quæ longe perfectior futura est in illo sabbato in electis. Quod fiet si Iaspis fueris, & crystallum. Iaspis per delectabiles viros virtutum, quibus indui vult Apostolus Paulus omnes, ad Coloss. scribens. Induite, inquit, vos: sicut electi, sancti, & dilecti, viscera misericordie: benignitatem, humilitatem, modestiam, &c. Quæ certe Iaspides sunt in homine commendabiles ex colore grato. Inter quas in primis viret misericordia, cui gratissimus inest color viridaceus, egros pauperum obtutus reficiens. Sed & crystallum sis oportet. Crystallum per fidei imitationem: vt enim per crystallina perspicilla transparentes res perspicimus, sic per fidem Deum ipsum, & quæ Dei sunt intuemur. Apostoli vox est, & testimoniu. Videmus nunc per speculum, id est, per fidem, in ænigmate, id est, in propositionibus scripturarum, tunc autem facie ad faciem, id est, præclarissime. 1. Cori. 13. Duo sunt quæ in hoc loco in mysterio docemur. Alterum, fide claros existere: alterum virtutibus insistere. Illud per crystalli speciem, hoc per Iaspidis virorem. Ne autem non è scriptura petium videatur virore studia virtutum designari: Christi inuertibile verbum est illud. Quia si, inquit, in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Lucæ. 23. vbi consensu omnium per lignum viride se indicasse probatur, à virore virtutum, quarum plenus erat, sed & gratiarum simul omnium. Ioannes ipse testis est, Vidimus, inquit, eum plenum gratiæ, & veritatis cap. 1. Ibidem, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Iam habes quid Iaspis tibi sit: habes & hoc, quid crystallum: quorum alterum si imitatione virtutum in te expresseris: alterum si luciditate fidei, Iaspis vique crystallizans eris, & mysterium scripturæ huius felicius in te exhibebis. ¶ Pun. 4. Et habebat murum magnum, & altum, habentem portas. xij. & in portis angelos duodecim: & nomina, xij. scripta, quæ sunt nomina, xij. tribuum filiorum Israel.

Descripta claritate ciuitatis huius nouæ hierusalem, circumponit illi munitionem quæ expugnari nequeat, nempe deum, iuxta illud, Ego ero illi murus in circuitu. Zach. 2. Et in Esaia legis, Saluator ponetur in ea murus, cap. 26. Et hic magnus, quia, Magnus dominus dicitur in ciuitate, & Sion, Psal. 47. & 98. Idem, Excelsus terribilis. Psal. 46. & 137. Ideo fortis, qui turris fortitudinis dicitur Psal. 60. Et protector. Psal. 17. Protector est omnium sperantium in se. Bene ergo & murus ciuitatis magnus est & altus. Et huic sunt duodecim portæ. Primus, inquit, per duodecim Apostolos dominum nostrum vniuersis ad fidem introitum primordialiter prauis: huius tamen circumstantia loci ab hac nos intentione reuocauit, quando. xij. tribuum Israel interpoluit mentionem, tanquam patriarchas primum hic intelligi volens, ex quorum stirpe nouimus vniuersam Israelitarum gentem specialiter propagatam: ex quibus, secundum Apostolum Paulum, reliquæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, adiunges, quonia non repulit deus plebem suam. Atque ideo duodecim patriarchas in totidem portis debemus accipere: presertim audientes, quod non tu radicem portas, sed radicem te. Ro. 11. Euidenter enim dicit, & nomina scripta duodecim tribuum Israel. Hinc enim Apostolus confidenter clamat, Qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in secula. Ro. 9. Angelos autem hic significari puto illos seniores ac proceres, quorum illa gens dispensatione, ac ductu mirabiliter regebatur. Quod si deos huiusmodi interdum dici meminimus, quid mirum si angelos appellare credamus? Applicabitur, inquit, ad deos Exod. 22. Et, Ego dixi dii estis, & filij excelsi omnes. Psal. 81. vt vniuersitatem totius plebis complexus ostenderet, quæ in præpositis constat, & populis. Hæc sententia vel ex eo veritatem tenere videtur, quod hi primum dei noticiam nacti, nobis per fidem vnus & veri dei quam profiteamur, velut ianua sunt ad introeundum in ciuitatem dei. Addit Haymo, filios, inquit, quomodo in Israel non debemus intelligere carnaliter duodecim

*Filij Israel
telligendi.*

filios Iacob, quorum fuit reproba vita, sicut scriptura manifestat: sed patres spirituales, ex eius progenie descendentes, sicut fuit Elías, Ieremias, ceterique prophetae: quorum nomina scripta sunt in portis, quia memoria illorum in fide continetur Apostolorum. Quod enim isti annunciant factum, illi praedixerunt futurum. Inscripta ergo nomina duodecim tribuum Israel in portis memorantur, quia quicumque per portam ingredi civitatem capiunt, fidem habeant patriarcharum, opus est, id est ut vere Israelitae sint. Paulus dicit, Non omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitae. proinde opus est fide esse Israelitas nos, non carne. Caro enim non prodest quicquam Ioan. 6. Dicatur ergo, Et in portis nomina tribuum duodecim filiorum Israel scripta erant: quia videlicet soli pertinent ad civitatem hanc, qui fidem habet Israelis, id est, christi figurati per Israel: proinde praeepto dei pontifex olim inscripta ea nomina lapidibus preciosis duobus, onychinis in superhumere gestabat, super utrumque humerum, & in rationali quoque. De quo sic extat preceptum dei, Exod. 28. Rationale quoque iudicii facies opere polymito ex auro, purpura, hiacyntho, coccoque bis tincto, & bysso retorta. Quadrangulum erit, & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine: poneturque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis Sardinus, Topazius, & Smaragdus. In secundo, Carbunculus, & Sapphirus, & Iaspis. In tertio Lygurius, Achates, & Amethystus. In quarto Chrysolitus, Onychinus, & Beryllus, inclusi auro erunt per ordines suos: habebuntque nomina filiorum Israel. duodecim nominibus celabuntur singuli lapides, nominibus singulorum per duodecim tribus. Ergo ad hunc modum capiendo in singulis portis erunt nomina tribuum duodecim inscripta, in totidem angulis iuxta communem lectionem, quae faciunt, 144. In quo omnis multitudo sanctorum includitur, ut sentit Haymo. Graeca tamen lectio vetat angulos legi, sed angelos: per quos vniuersitas praelatorum figuratur, iuxta illud, Angelis suis mandavit de te ut custodiant, Psal. 90. Et in Esaia legis, Super muros tuos hierusalem constitui custodes cap. 62. Possunt & sacri verbi dei ministri per angelos capi.

*Rationale
preciosum.*

¶ Pm. 5.

*Ab oriente porta tres: ab aquilone porta tres: ab austro
porta tres: ab occasu porta tres.*

In profectioe duodecim tribuum filiorum Israel ex *Castro* po-
aegypto ascendentium talis fuit positio castrorum, non *sitio filiorum*
dubium quin iussu dei, ut ad orientem tribus tres, ad a-
quilonem tribus tres, ad meridiem tribus tres, ad occi-
dentem tribus tres castra metarentur, Num. 12. Proinde
designatis duodecim portis diligentem lectorem ad si-
gnificatiuam illam castrorum positionem remittit: per
quod datur intelligi, quod fides trinitatis patet ad qua-
tuor mundi partes, & per eam vndequaue ingrediuntur
ad vitam. Sed vide quia castra illic, hic vero ciuitas no-
minatur, quasi e castris fieret in ciuitatem transitus. Quod
equidem verum est. Militia est enim vita hominis super
terram Iob. 7. Et qui bene militat in terris fidem trinitatis
habens, regnat in caelis praemis gloriae coronatus.
Oportet igitur donec viuimus semper in expeditione
esse, semper paratos esse, ut dum incurfus fuerit, viriliter
resistamus: non sunt arma abiicienda, immo vero tan-
tomagis corripienda, quanto infestiora instant militiae
certamina. Non enim coronabitur quis nisi legitime
certauerit. 2. Tim. 2. Non sumus pueri meticulosi, qui
ad quosuis minorum latratus canicularum expaues-
cunt, ac refugiant. Elephantum potius more conspe-
cto sanguine accendamus, quibus ne casus quidem
spem vincendi auferat vllus. Ita posthac gloriam ci-
uitatis degustabimus, miris modis in hac scriptura fi-
guratam. Ruperrus abbas. hanc plagarum distinctio-
nem ad aetates hominis refert: Pueritiam videlicet, ado-
lescentiam, iuuentam, & senectam: ut Pueritia sit oriens,
Adolescentia merides, Iuuenta occidens, Aquilo senec-
ta. Vnde Christianae scolae poeta quidam non illepide
ita carmine lusit.

*Plagarum
quatuor my-
sterium.*

Seu pueros sol primus agat, seu feruor ephabos

Accendat nimius, seu consummabilis aeni

Persiciat lux plena viros, siue algida Boreae

Aetas decrepitam vocet ad pia sacra senectam,

Occurrit trinum quadrina ad compita nomen.

Quod non idcirco dixerim, quasi isthuc post iudicium

futura sit susceptio venientium: sed quia quamvis cesserit suscipiendi officium, ordo tamen & meritum manet singulorum. Libet & aliorum sententias exquirere. Haymo per orientem populum capit Iudæorum, de quo Christus cepit originem secundum carnem, qui est sol fidelium, cuius nomen oriens est, Zacha. 2. Ibi primum posita sunt tres portæ, Fides scilicet sanctæ trinitatis, quæ in eis annuntiata est per prophetas. Nam & Esaias audivit cherubin clamantia, sanctus, sanctus, sanctus. Sed quia in hac trinitate intelligenda est vnitas essentia, recte adiunctum est ab eis, Dominus deus Sabaoth. Et Exo. 3. Matth. quoque 22. Ego sum deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob, sub quibus nominibus trinitatem intelligebant. Patrem videlicet, & filium, & spiritum sanctum, doctissimi Iudæorum, & qui fide integra essent. Aquilo. Gentiles sunt in incredulitate frigentes: apud quos apostoli sancti tres portas posuere eodem mysterio. Austrum tota latitudo populi Christiani ad meridiem diffusa, cui ardentibus radiis fides illuxit: potissimum quia in ea parte bona pars Christianorum erat. Occalus finis mundi computatur, quando Enoch & Elia prædicantibus conuersuri sunt multi, vt non semel dictum est. Illud tamen aduertendum, quia portæ etsi multæ memorentur, vna tamen est, qui se ostium profitetur Ioan. 10. quando in omnibus his non nisi vnus aditus: Et quisquis sit ille qui portæ rationem obtinet, sed Christus in omnibus aditus. Ille quidem tibi porta, per quem veritas prædicatur, & in salutem qui te introducit directione: tamen introitus est Christus. Sis in oriente, sis in occidente, aut meridie, aut ad aquilonem, sed Christus tibi est ostium: per eum patet ingressus ad gratiam, & gloriam: & in omnibus portis nomina xij. tribuum filiorum Israel, quia videlicet soli semini Abrahamæ promissio facta est, & datur hæreditas, id est, his qui vere fideles sunt re & nomine filij, vocati sancti.

*O Pun. 6.

Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim: & in ipsis duodecim nomina. xij. apostolorum & agni.

Primum Patriarcharum præmissa mentione, apostolos

memorat. Quum nouerimus Ecclesiam vnum tantum fundamentum habere, id est Christum: moueri nõ debemus, quòd hic eam duodecim habere dicit. In Christo enim apostoli meruerunt Ecclesiæ esse fundamenta, de quo Apostolus, Fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere præter id quòd positum est, quòd est Christus Iesus: in quo etiam lux sunt idem Apostoli, quibus dicit, Vos estis lux mundi. quum Christus sit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Christus itaque lux illuminans, illi lumina ab hac luce lucenia. Proinde in duodecim fundamentis cum nominibus Apostolorum, & agni nomen innexuit, sine quo illa nihil. Et super ea inquit nomina duodecim Apostolorum, & agni. Fundamenta itaque Apostoli, sed in vno fundamento Iesu Christo sunt fundamenta. Equidẽ solus Christus sine Apostolis fundamentum est: Apostoli autem sine Christo fundamenta nullatenus esse possunt. Meruerunt illi in Christo fideles spiritualiter generare: quos sine ipse solus Christus, si veller incomparabiliter adoptaret. Meruerunt etiam populorum in Christo esse magistri atque pastores: sed vt cœlesti patri magistro atque pastori, eorum seruius militaret. Illi ergo secundum mensuram quæ eis partitus est Christus: ipse autẽ citra mensuram, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 1. Cor. 2. de cuius plenitudine omnes accepisse Ioannes testatur cap. 1. Proinde bene ac sapienter quum duodecim Apostolos, seu fundamenta ciuitatis, immo muri ciuitatis nominatim expressisset: & agni vocabulo vsus est. Dicit Haymo. Quando singulariter fundamentum enunciat, ipse Christus intelligitur, super quem omnis ædificatio Ecclesiæ constituitur. Quando autem pluraliter: patriarchæ, Apostoli, ceterique doctores. vnde idẽ Apostolus dicit Eph. 2. Iam non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum, & domestici dei superædificati super fundamentum prophetarum & Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Infert. Sic ergo, inquit, fundamentum Apostoli ceterique doctores intelliguntur in vno fundamento Christo fundati. Ipse enim est fundamentum fundamentorum, sicut est rex regum, & dominus dominantium. Idem sentit Theophilactus super id loci scripti apostolici: cuius verba hæc

Fundamenta ecclesie apostoli.

Fundamentum in Christus.

Fundamenta apostoli.

Porta quis tibi sit.

sunt. Prophetas & Apostolos ipsos pro fundamentis subesse tãquam inquit, Nos vero veluti impostam molem structuram reliquam absoluisse. Quauis Paulus (si ad rectam trutinam expẽdimus rem) minime aliud hic fundamentum posuerit praterquam Christum, ita enim dixit, Estis ciues sanctorum, & domestici Dei: super ædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum. Non dixit, super fundamenta, quæ sunt apostoli & prophetæ, sed super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Sed id miraculo quibusdam erit, quomodo Christus qui modo ostium dictus est, dicatur & fundamentum. Ego vero adstruo & ipsum esse murum, ex præscriptis scripturæ locis, aliisque compluribus: & nunc primum ex apostolo proditum est, quod sit summus lapis angularis, & fundamentum. Neque enim fundamentum in superiori loco, vel operis consummationi ponitur, sed in imo, proque stabilitamento: & tamen vtrunque est Christus. Res spiritualis est fratres mei, quam tractamus: nec interest, idem aliis atque aliis ex causis, pro loci circumstantia, in diuersa referri. Christus est ergo & murus, & porta, & fundamentum. Sunt & Apostoli omnia hæc, immo omnes defensores veritatis, & constantes quique in Christo muri sunt, portæ, doctores, fundamenta.

DE DIMENSIONIBVS CIVI-
TATIS NOVÆ ET PORTARVM,
ET MVRI EIVS.

Secl. 3. Punct. 1.



Arundo aurea quid sit.

Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum eius.
Primasius. Superius sibi dicit Ioannes arundinem datam, tanquam prædicationis dispersionem sibi commissam: nunc vero angelum, qui ei loquebatur, auream habere dicit arundinem, vt metiretur, inquit, ciuitatem, & portas eius, & murum. Christum itaque oportet intelligi, qui est sapientia Dei attingens à

sine vsque ad finem fortiter, & dispones omnia suauiter. 1. Cor. 1. Sapient. 8. Inde legimus, Accipite sapientiam sicut aurum, Prouerb. 16. Et reuera soli Christo licet metiri ciuitatem, qui vniciquæ fidelium spiritualium distribuit dona gratiarum: qui etiam sicut legimus, Sap. 11. Omnia in numero, & mensura, & pondere disposuit. Hæc nimirum dimensio ciuitatis ab apostolo commemoratur, quum dicit, Secundum mensuram donationis Christi. Eph. 4. Itemque, Mibi minimo omnium sanctorum data est hæc gratia in gentibus euangelizare. D. Haym. per arundinem diuinam prædicationem similiter intelligit. Quia enim, inquit, arundine scribitur, recte per arundinem scriptura sacra intelligitur: ab efficiente videlicet illud quod efficitur. Hæc itaque arundine, id est, diuino eloquio tangit, & illuminat Deus corda fidelium: ibique perpendit, & metitur facta singulorum, perfectisque: dum alij tribuit sermonem sapientiæ, alij genera linguarum, alij prophetiam, &c. Quæ mensura aurea dicitur, quia diuinæ sapientiæ claritas in plerisque locis sacre scripturæ auro figuratur. Hinc est quod solus Christus, qui est Dei sapientia æterna eam teneat, quum discipulus virgæ similem habere dicatur, qua iustus est metiri templum Dei, non tamen nisi aliena auctoritate, nempe in cuius manu est aurea arundo, ad cuius comparationem sua virga similitudinem quandam duxerat refert. Ille enim est, Christum dico, quem metatorem sui templi in terras dimisit pater. Testatur Lactantius Fir. in diui. Inst. Diuinar Abbas Ruper. præmium felicitatis summæ auream fore arundinem, quæ ad mensuram metiri cuique confertur: Christus est collator, cui data est omnis potestas in celo & in terra, Matth. vlt. Hic considerat merita singulorum, & præmia felicitatis conferre, qui omnia in pondere, numero, & mensura constituit, Sap. 11. Apud Ezechielé angelus visus est habere in manu funiculum lineum, & calamus mensuræ, cap. 40. sed nihil auri, quatenus intelligeres auri speciem in primis pertinere ad summam Dei sapientiam. Metiatur ergo angelus Dei templum, metiatur & quis Ioannes, sed non aurea arundo illis contingeret, quæ superius retributionis auctoritatem tener, quam nemo præter Christum

Mensurare
ciuitatem
Christo com-
petit.

habet. In templo versabatur tum Ioannes, quādo illi calamus virgæ similis est traditus, & adiunctum est, Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo, supra cap. II. Vbi sane prophetiæ factæ huius scribendi illi facultas tradita est, cui euangelizandi regnum Dei dum antea cum cæteris commissâ erat. Docendi ergo, & scribendi solum munus habuit, non felicitatem dignis pro meritis tribuēdi æternam: vocauit ad fidem, non coronauit: docuit, non absoluit, id est, non beatos perfecit. In via erat, & ipse homo peccator similis cæteris erat, nec aliis tribuit quod ipse nō habuit. Vbi simul illud accipe, quia opus est, vt quisq; iniuncto sibi à deo munere omni contentione tū animi tum virium incumbens perfungatur. Paulus magis vult mori quā v̄ gloriā suam, id est, coronā eminentiæ perfectionis quis sibi euacuet, in quod etiā necessitatem sibi incumbere adstruit, adeo vt & Væ maledictionis sibi imminere testetur nisi Euangelizet. Si enim volēs, inquit, & sponte hoc ago mercedem habeo, si autem inuitus & quasi coactus dispensatio mihi tanquam rei mihi inutilis credita est.

☞ Punct. 2.

Et ciuitas in quadro posita est: V̄ longitudo eius tanta est, quanta V̄ altitudo.

Fideles æque cordi Deo in omnib; partibus mundi.

Partes ciuitatis quatuor ad quatuor mundi plagas, orientem, occidentem, aquilonem, & austrum referendæ sunt: quatenus liquido agnoscamus in omnibus mundi partibus fore, qui pertineant ad ipsam hanc ciuitatem. Partium autem æqualitas designat, tanti esse fideles apud Deum, qui sunt in oriente, quanti qui in aliis mundi partibus: & æque sunt cordi illi vniuersi, qui fidem habent in eum, fidem dico operantem per charitatem. Quo mysterio ciuitas in quadro æquali dimensione posita est. D. Haym. In quadrata figura, vbi non aliud latus maius est, aliud minus, sed cuncta simul latera æquali spacio distenduntur, intelligit fidem, spem, charitatem, & operationem, quæ æqualia sunt: quia videlicet vnusquisque fidelium quantum credit tantum sperat, tantum amat, & tantum operatur. Similiter quantum sperat, tantum credit, tantum amat, & tantum operatur. Rursum, tantum

amat quantum credit, quantum sperat, quantum operatur. Denique tantum operatur, quantum credit, quantum amat, quantum sperat. Bene autem Ecclesia in quadro posita esse memoratur, quia est robusta per fidem, longanimis per spem, ampla per charitatem, efficax per operationem. Habent etiam singuli fidelium fidem, qua credunt, quæ videri non possunt: Deum scilicet tantum in personis, & vnum in maiestate. Habet & spem, quia sperauit se posse pertingere ad illud, quod necdum vident: habent quoque charitatem, id est, Dei & proximi dilectionem. Quibus virtutibus vt perfecta sit vita illorum, adiungitur operatio: sine qua fides mortua est. vnde Iacobus Apostolus, Fides sine operibus mortua est, cap. 2. Siue etiam per quatuor latera ciuitatis possumus intelligere quatuor virtutes principales, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, atque Iustitiam. Quæ ita debent esse in electis, vt vna alteri quadret. Prudentia quippe scientia est in appetendis bonis, & vitandis malis, cui connectitur temperantia, quia non est perfecta prudentia nisi adsit & temperantia, quatenus temperet sibi à noxiis huius sæculi voluptatibus: quod dum fecerit, magna animi fortitudine vtatur oportet, qua venerem depellat, temperantiæ virtute fortiter resistens: Adhæc iustitiam accedere oportet, ne plus quàm oportet sapiat, sapiat autem ad sobrietatem. Sic ergo ciuitas in quadro posita esse memoratur, quæ placet Deo in quatuor mundi partibus congregata, contentiens fide, spe, charitate, & operationibus, quæ mutuo sese in quoque fideli complectuntur, siue etiam præciosis quatuor virtutibus æquali mensura compositis. Quod vero subdit longitudinem eius tantam esse, quantam latitudinem, repetitio est, quia figura ex omni parte æqualis & absoluta. Tanta quippe longitudo, quanta & latitudo: quia quanta est fides, tanta charitas, tanta operatio. Quantum enim credimus (nisi molesta sit repetitio) tantum amamus: & quantum amamus, tantum speramus: & quantum speramus, tantum per dilectionem erga Deum & proximū extendimur. Similiter vnusquisque tantum prudēs, quantum temperans, fortis, & iustus: Tantum temperans, quantum prudens, fortis, & iustus: Tantum fortis,

Ecclesia in quadro posita.

Virtutes quatuor cardinales.

Ecclesia mēsurā æqualis.

quantum prudens, temperans, & iustus: Tantum iustus, quantum prudens, temperans, & fortis erit. Et quia æquali mēsurā ciuitas hæc, donec in terris agit, meritorum quoquoersum stat firma, & stabilis: æquali mēsurā & præmia gloriæ, quacunquē orbis in parte prædictis virtutibus meruerit recipiet. Eodem modo in Ezechiele quoque templum situatum describitur. quatenus insinuetur, quia sicut quadrata firmitas stabilis est, ut nequaquam ventorum impulsibus, aut incurſibus fluminum euertatur: sic gloria ciuitatis huius è supernis descendens perennis.

¶ Punct. 3.

Et mensus est ciuitatem arundine aurea per stadia duodecim millia: ¶ longitudo, ¶ altitudo, ¶ latitudo eius æqualia sunt.

Arundo aurea.

Ciuitas hic maior quàm ¶ Ezechiele.

Arundo aurea, diuina est sapientia, qua Christus dimittit ciuitatem suam, id est, Ecclesiā, iuxta merita singulorū, ut retribuat gloriæ fœlicitatem pro meritis singulis quibusque ecclesię membris: cuius magnitudo à ciuitum multitudine inest illi. Maior autem hic ciuitas describitur, quàm in Ezechiele cap. vlt. Ibi enim nascens descripta est, hic vero consummata. Quod vero mensura eius dicitur stadiorum duodecim millium, intelligendum est in singulis quadris, ita ut totum circuitum viderit esse quadraginta octo millium stadiorū. Est autem stadium octaua pars milliarij, id est, mille passuum, nempe centū viginti passus. Auguror ciuitatis mensuram stadij proinde dimensam, quatenus intelligeremus vniuersos, qui ad eam pertinent, veluti in stadio currere, ac decertare debere. 1. Cor. 9. Porro numerus duodecim millium per singulas partes referendus est ad duodecim filios Israël, quod omnes ciues vndequaq; sint, ex veris Israëlitis sinit oportet, geniti per verbum Dei. Bene ergo D. Haym. per hæc duodecim mil. summam electorum comprehendit. Duodenarius enim numerus idcirco perfectus habetur, quia ex denario & binario constat: denarius pertinet ad decem præcepta legis: binarius ad duo dilectionis præcepta, in quibus tota lex pendet & prophætæ. Siue idcirco perfectus habetur, quia ex partibus septenarij conficitur, quæ sunt tria & quatuor: Ternarius ad fidem sanctæ trinitatis refertur. Quaternarius ad quatuor euāgelistas. Millena-

Millenarius quoque perfectus numerus ostenditur, quia denarij numeri quadratum solidum reddit. Decies enim centeni fiunt mille, atque proinde millenarius numerus perfectus est: vnde dicitur, Verbum mandauit dominus in mille generationes. per quas generationum vniuersitas exprimitur. Quia igitur duodenarius seu millenarius numerus in sacro eloquio pro perfectione ponitur, recte in duodecim millibus summa perfectionis illorum exprimitur, quia decalogum legis cum dilectione Dei & proximi absoluunt, fidemque sanctæ trinitatis obseruāt, & hoc secundum autoritatem quatuor euāgeliorum. Hos meretur Deus omnipotēs arundine aurea, quia vnicuique iuxta merita distribuit dona fœlicitatis æternæ, eo quod perfectos eos inuenerit fide & dilectione, cum decalogi obseruatione: & vnusquisque quod non accepit in se per studiū, possidet in alio per charitatis meritum, ut vna ex multis sibi consentiens ciuitas absoluetur. Proinde enim miro consilio author fœlicitatis, ac dispensator noster ordinat Christus, ut singulis pro merito non æqualiter distribuat, & tamen æquales illos remunerationis præmio reddat, ne arido aurea fallat. Sicut stella, *Præmia fœlicitatis inæqualia.* inquit Apostolus, differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum erit. 1. Corint. 15. Alia est enim (ut ibidem legis) claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, & nusquam mensura arundinis aurea peccat: pingit autem decorem, ut mirabilem vniuersitatem in varietate inæquali equabilem reddat. Sic & corpus hominis vnum in membrorum inæquali proportionē æquabile condens, pedem longius exporrexerit manu, oculos breuius auribus orbiculauit: omnia autem eximio decore absoluit. ut mirum non sit fœlicitatis supernæ præmiæ inæqualiter fore distribuenda. Porro quod ciuitas illa in quadro posita sit aperte demonstratur, quia regnum illud summæ pacis sit, *Ecclesia in quadro.* summæ concordie, utpote in quo nihil dissimile aut ductum sit, sed summa æqualitas, summa conuenientia, & vnitas summa. Quod vero longitudo, latitudo, & altitudo ciuitatis æquali mensura esse perhibentur, perpetuitas summæ fœlicitatis, quæ erit in cognitione altitudinis Dei maiestatis, designatur: ut longitudo perpetuitas ciuitatis sit, latitudo amplitudo eiusdem fœlicitatis, altitudo

do excellens cognitio deitatis summæ, in qua perficitur omnis felicitas sanctorum. Hoc autem intellige de altitudine ciuitatis, quatum atinet ad imaginariam eius visionem: non quia muri altitudine alta videbatur, sed quia in excelso monte situata. secundum ergo montis altitudinem alta, de quo dictum est, Sustulit me in montem magnū & altum, cuius altitudo .12. millium stadiorum, quemadmodum longitudo sparij & latitudo: Quarum rerum summa ad ciues ciuitatis superne refertur, nulla in parte diminuta, aut infelicitis.

Punct. 4.

Et mensus est murum eius, centum quadraginta quatuor cubitorum. mensura hominis quæ est angeli.

Quia hic, vt vides, specialem mentionem de mensura muri facit, proinde mensuram prædictam æreæ esse intelligamus ciuitatis eiusdem opus est. Geometricalis namque disciplinæ ratio sic habet, quia omnis terragonus æqualiter latera habens, vnum latus multiplicat in se, & ea simul multiplicatione aream suam implet. Intellige autem muri mensuram positam hic, de quolibet latere quadræ ciuitatis: Videbatur siquidem Ioanni quod angelus eadem cubiti mensura, qua solent homines metiri: & ciuitatem, & muros eius metiebatur. Denique quum meriti sit verbo Dei definire seu iudicare, sic Christus iudicat verbo Dei, sicut & sancti prædicatores, de Ecclesia, deque membris singulis eius. Dimensio autem, quæ nunc de vnoquoque Dei verbo fit, tunc reuelabitur, quando filiorum Dei gloria. Eadem ergo est mensura hominis, quæ angeli, nempe Dei verbum, quo modo vtuntur sancti prædicatores ciuitatis aream dimetientes, & murum eius: quantum videlicet credentes protendantur fidei longitudine, quantum dilatentur charitatis amplitudine, quantum erigantur spei altitudine. Potest & aliter intelligi, vt in superna illa felicitate, quæ patriæ est, homines æquales sint angelis numero, vt Primasio placet, iuxta id quod scriptum est, Deuter. 32. Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei. Sic enim contextum verborum verit. Haymo episcopus æqualitatem refert ad gloriam: quia videlicet, inquit, gloria angelorum & hominum in cœlesti beatitudine æqualis erit: vnde in

Mensura hominis & angeli eadem.

Euangelio dominus dicit, Neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælo. Vel ideo mensura angeli vocatur, quia quot angeli remanserunt in cælo post occasum luciferi, tot homines sunt ascensuri de terris. Hæc Haymo. Verum quia supra opinione aliorum murum retulimus ad Deum ipsum qui est protector ciuitatis sanctæ ambiens eam, idque multis scripturæ locis: quid aliud intelligimus per mensurationem eius, nisi confessionem fidei, quem confitemur æternum, summa maiestate altum, immensitate dilatatum. Vel si hæc dimensiones magis ad area pertineant, per numerum cubitorum hic positorum, perfectionem diuinam magis capimus, sedque ex partium meritis. Duodecies enim duodeni, centum quadragintaquatuor sunt. Centenarius perfectus numerus habetur, vnde & dominus felicitatis superne perfectionem hoc numero designauit quum dixit, Qui Centenarius reliquerit domum vel fratres, &c. centuplum recipiet, numerus feliciter summus Matth. 19. Quadragenarius etiam in scriptura multis nominibus perfectus est, quem in decalogi datione primum in Moysè Deus acceptauit, qui totidem diebus ieiunus in vertice alti montis residens permansit. Domini ieiunium quadagesimo die consummatum est. Quadraginta annis populus Israëliticus in deserto peregrinatus est. Porro decalogus cum quatuor euangelis absolutus christianismum, & quater decem assurgunt in quadragenarium. Mensus est itaque angelus murum ciuitatis: quia omnem in Deo perfectionem dum intentius considerat, reperit: & gloriam illi iure tribuit. Christus est angelus (vt iam diximus) qui gloriam diuinitatis in humanitate per omnem modum quæsiuit. Extant non rara apud Ioannem testimonia. Lege, & videbis: qui diuinitatem eius metitus est, siue quum illum solum adorandum esse è scripturis coram satana prodidit, Matth. 4. Siue quum se iuxta Deum ante Abraham statuit, Ioan. 8. &c. Nonne & tum metitus est Deum, quum neminem bonum nisi Deum adstruxit, Matth. 19. Luc. 18. & huic misericordem, Luc. 6. Quæ omnia summam in Deo perfectionem statuunt, quatenus mysterio numeri recte ad summam eadem reductum sit. Aliter quoque computus iste quadraturam duodenarij comprehendit, eo quod duodecies

duodeni centū quadragintaquatuor (vt diximus) faciunt, qui est numerus quadrarius, resolutās ex ductu duodenarij in seipsum. Id quod Dei maiestatis stabilem, permanentemque in æuūm fœlicitatem exprimit: exprimit & eorum, quos complectitur.

¶ Punct. 5.

Et erat structura muri eius, & Iaspide. Ipsa vero ciuitas, aurum mundum simile vitro mundo: & fundamenta muri ciuitatis omni lapide præcioso ornata.

Structura tota ex Iaspide erat: quo figuratur quod murus sit præciosissimus aspectu amoenissimus, & soliditate præcipuus, sed non nisi à sanis merèque spiritualibus videri potest. Iaspis enim viridi colore aspectum delectat: qui lapis præciosus est, & refert diuinam essentiam, cuius delectabili præciosoque aspectu futuri sumus beati, sicut scriptum est, Tunc videbis & afflues. Esa. 60. Et B. David. Satiabor quum apparuerit gloria tua. Psal. 16. Confirmat etiam visum præter delectationem Iaspis, & facies delectabilis est diuinæ visionis, quæ confirmatura est nos in gloriam, vt miseri non simus amplius, sed perpetua sanitate beati: cui loquitur idem ppheta in Psal. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuę potabis eos. Christus ergo ciuitatis murus est, cuius fundamenta sunt virtutes: pax, bonitas, iustitia, misericordia, & quicquid Deo cõuenit, quæ nõ aliud sunt quàm Deus, vt ipse se sustineat, firmet, stabiliatque, nullo sustentamento egens alieno, qui in se est absolutissime perfectus. Proinde recte dicitur, Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide præcioso ornata. Quum Deus in seipso bonis omnibus perfecte sit beatus, Ipsa vero ciuitas aurum mundum simile vitro, potest accipi pro continēte, & pro contento. Si pro continente capitur, certum est, quia pulchrum est cælum empyreum, quod est regnum beatorum, in quod ascendit Christus, & sedet à dexteris Dei. Mar. vlt. fœlicitate repletum: quod tale est, quale nullus oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: cuius muri non sunt materialiter capiendi, sed metaphoricè: quemadmodum de forti protectore dicere solemus, murus & antemurale nostrum, & propugnaculum nostrum, aut aliquid huiusmodi: in quem modum Christus est huius ciuitatis murus & Deus. Si vero pro eo quod con-

*Iaspis lapis
diuina essen-
tia.*

tinet sumatur, Ciuitas erit vniuersitas beatorum, qui aurum mundum sunt ob puritatem, & charitatis splendorem. Per aurum ergo claritas intelligitur glorię cœlestis, In vitro puritas. Primasius. Quis, inquit, nesciat aurum à vitro merito differre, & colore distingui: Et licet nouum non sit auro Ecclesiam figurari, quæ & in cadelabris aureis, & phialis propter sapientiæ cultum sæpe concepta describitur, hoc tamen permouet quod aurum mundum vitro mundo consimilatur. Illud autem significatum existimo quod prædixit Apostolus. 1. Corinth. 4. dicens, Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. In vitro enim non aliud manifestatur exterius, quàm quod cõtinetur interius. Quocirca illud tempus hic libere annuncians, quo sibi inuicem cogitationes in alterutrum perspicaciter declarantur: fidenter vitro aurum voluit comparare. Quicquid autem tunc inierit cogitationum sanctis, sapientiæ fulget honestate decorum, cui merito congruit comparatum. Nunc enim in quantacunque quis virtute præcellat, nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Haymo, ex cæteris metallis si conficitur aliquod vas, quicquid intrinsecus ponitur, extrinsecus minime videtur. In vitro autem, quicquid interius ponitur, totum exterius perspicitur: atque ideo per vitrum puritas designatur cordis omnium sanctorum quæ inuicem in celesti beatitudine omnibus manifestabitur. Hæc enim verba non ad presentem Ecclesiã referri possunt, in qua singulis singulorum conscientie occultæ sunt: sed futuram, quando veniente domino, qui illuminabit abscondita tenebrarum, singulorum conscientia cunctis manifestabuntur. Quicquid enim cogitatum fuerit ab aliquo, totum videbitur ab altero: sicque vnusquisque tunc erit conspectibilis alteri, sicut nunc esse potest conspectibilis sibi. Hactenus Hay. Porro per lapides præciosos, quibus ornata dicit fundamenta muri ciuitatis, possunt congrue capi Apostoli, necnon & propheta, qui sunt annuntiatores fidei, articulorumque eius. Adhæc cultores dei integerrimi, qui ornamenta sunt & muro, & fundamentis: adeo vt aliquid illorum putentur, in Christum demutati.

Legis in Tobia, Lapidis præciosi omnes muri tui. cap. 13. Et in Esaia, Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris: & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes tuos desiderabiles. Quod ne carnaliter intelligeres, subiecit dicens, Vniuersos filios tuos doctos à domino, & multitudinem pacis filiis tuis, Esa. 54. Aliorum sententia credit Ecclesiam hic in terris adhuc peregrinantem depingi: & duplicem ordinem sanctorum in ciuitate, & muro designari, fortiorum videlicet & imbecillium, Fidelium tamen, ne non in æstimatione sint: vt fortiores sint tanquam murus, qui imbecilliora complectitur, & custodit: ciuitas pars imbecillior: vterque tamè ordo mira præciositate, ac valore refulget, quum ille Iaspidi, hic vero auro mundo comparetur. Aurum sunt fideles, quod per ignem tribulationis probentur. 1. Petr. 1. Modicum si oportet nunc contristari in variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo sit præciosior auro, quod per igne probatur. Hi quia per peccatorum reuelationem sese clarificant, vitrum mundum sunt, præter id quod aurum. Ordo perfectorum, hoc est, vere spiritualium, Iaspis idcirco sunt, ac muris, quod imbecilliores consolentur, ac defendant, iuxta doctrinam Apostoli, Galat. 6. Vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu leuissimis. Iaspidi inest virtus visum delectas: & eiusmodi vere spirituales sunt delectabiles aliis ad consolationem.

DE FVNDAMENTIS CIVITATIS EX LAPIDIB. PRÆCIOSIS.

Secl. 4. Punct. 1.

Fundamentum primum Iaspis. Secundum Sapphirus. Tertium Calcidonius.

Iaspidis multa sunt genera. Alius enim colore viridis est, & tinctura florea sub lucens. Alius Smaragdi habens similitudinem, sed crassiore specie, quo omnia phantasmata fugari æstimant. Est & niuis colore mixto, quasi spuma marinarum obradians. Per Iaspidem ergo fidei antiqua virtus immarcescibilis exprimitur, quæ dominicæ

Iaspidis generum.

Iaspide fugatur phantasmata.

passionis sacramento per vndā baptismatis initiatur, atque spiritualium gratiarum proficietibus hinc meritis, velut quibusdam nitentibus, ac suauē spirantibus flosculis adornatur. Huius equidem odore imburum se S. Apostolus Paulus gloriatur, sic inquit, Christi bonus odor sumus, aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in morient. 2. Cor. 2. Neque enim vel pietas Apostolica æque omnibus erat in vitam, quum & Christus scandalum sit vsque in hodiernum diem, his, qui vitam non capiunt salutis. Ceterum fugari autumant Iaspide dæmonia, alioqui varie illudentia: sic & fides, sed excellentius longe idem efficit. Hinc Petrus fide resistere iuber aduersario eiusmodi spiritalium. 1. Petr. 5. Ioannes omnem victoriam de aduersario incunctanter fidei tribuit, in priore Epistola ca. 5. dicens, Omne quod natum est ex Deo vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra, vt graphice primo ordine ac loco Iaspis statuatur. Secundo Sapphirus. hic medica virtute optima putatur, inutilis tamen sculptura: interuenientibus crystallinis centris viret, & subinde translucet. Sapphiri colorem pariter & sacramentum Moyses exposuit, quum Dei excelsi habitum describeret dicens, Sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphiri, & quasi cælum quum serenum est. Ezechiel quoque vidit sub Sapphiri similitudinem gloriam Domini exprimi. Sapphirus enim cælestem exhibet imaginem, quales esse decet fideles, Apostolo dicente, Nostra conuersatio in cælis est. Hic lapis radiis solis receptis, ardentem mittit ex se fulgorem: significans, vt qui Christi meditationibus intentus, eius merita recollit, ardentius fidei lumine ignescit, vt iam non terrenas res, sed cælestes dignis operum claritatibus requirat. Fertur in mari rubro copiosius reperiri. Iam & hoc indicat, quia videlicet baptismi lauacrum Domini passione rubricatum, cunctas mortalium mentes abluat, & candificat, atque ad sublimia erigit appetenda. Vel certe cælestem salutem isthic innuit esse perpetuam. Porro calcidonius quasi ignis lucernæ pallēti specie renitet, cui sub dio siue cælo aperto color accedit, non in tecto; quo sanè demonstratur, quia hi qui ne ignis.

Apostolus paulus non odorebus erat in vitam.

Sapphirus celestis coloris

Calcidonius specie lucet

caelesti desiderio replentur, in abscondito nihil fulgere videntur, ubi ieiunium, preces, & elemosynas agunt. Sed quum, vel doctrina, vel aliis operibus sanctorum vibus inseruientes in publicum prodeunt: mox quicquid fulgoris tacite in semetipsis congesserunt explicat. Calcidonium ferunt, si vel solis radorum ictu, vel digitorum attractu incandeat, paleas ad se rapere. Quod his maxime competit, qui in nullo suam fortitudinem vinci permittunt, & fragiliores quosque diuinis gratiae radiis ad sese attrahunt, eosdem charitatis ardore retinentes, de quorum vno diuinus sermo prodit, Ille erat lucerna ardens, & lucens: ardens charitate, lucens doctrina. Caterum quod apud Nasamonas, quae Aethiopiae provincia est, nascitur: significat eos, qui sub ardore dilectionis, famae obscuritate, quasi denigratae cutis velamine reguntur, multo felicius nouissimo die reuelandos.

* O Punctus. 2.

Quartum Smaragdus. Quintum Sardonyx. Sextum Sardinus.

Smaragdus viriditate oculis gratissimus.

Scythia ferax auri ac gemmarum.

Gryphes volantes ferae.

Arimaspi monoculi.

Smaragdus preciosus lapis in genere suo est, sed praeciosior in electorum figura, qui nimiae viriditatis pulchritudine herbas exuperet: ad motus rebus inscit colore, aere quoque circumfusum viridem reddit, nulla gemmarum gratior oculis. Reddit imagines aspiciendum, proficit merito & viridi oleo, quamuis natura imbuatur. Huius generis plura sunt, sed nobiliores Scythici: secundum locum tenent Bactriani: tertium Aegyptij. Scythia tamen feracior eorum, terra diues auro ac gemmis, inhabitabilis tamen, & deserta minimaque tuta accessibus. Gryphes eam totam obsident, ferè volitantes, ac iuxta ferocissimè: quadrupedes, pedibus, capite rostro truculenti, ac alis grandibus similes aquilis, reliqua corporis portione leones sunt, terrestres & aerei: currunt in terris, volitant in aere. Arimaspi cum his dimicant, qui vno tantum oculo in media fronte feruntur insignes: rapiunt hi Smaragdus mira cupiditate Gryphibus eos custodientibus, etiam si nullus ex hinc sibi vtilis sit, tamen ut hominibus praedam auferant gaudet. Pulchro satis omnia mysterio si in spiritum referas, Quippe Smaragdus Christus est pulchra

viriditate gloriae refulgens, qui pascha aeternae refectio- nis suis daturus est fidelibus, cunctos tingens gloriae suae coloribus, gratos aspectu, vnde omnis inest sanctis felicitas: candor est enim lucis aeternae, speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, Sap. 7. Mero proficit & oleo, sed non nisi in membris, qui semitiui vulneribus vinum rudit & oleum, Luc. 10. Obseruant nullo proprio vsu Gryphes. Daemones sunt hi Gryphes: ne quis diuitias sibi gloriae ex eo compareret, cum quibus belligant monoculi Arimaspi, ij sunt vnica fide instructi, qui in aperta confessione Christum praedicant, constantissimi verbi Dei ministri. Significat etiam Smaragdus animam fidelem, semper fidei virore nitentem: quae quo amplius aduersitate premitur, hoc fortius hereditatem inmarcescibilem, & aeternam conseruatam in caelis mente pertractat, & complectitur, perfectionis suae exemplo veluti colore quodam admota imbuens tingensque. Quae mero dominicae passionis, ac internae charitatis pinguedine profici continuo in melius, grata diuinis prospectibus. Regione deserta versari potius gaudet quam alibi, nihil eorum, quae hic habentur appetens. Obseruatur a daemonebus si in peculium vendicent: contra quos dimicant Arimaspi vere fideles verbi Dei ministri, qui fidem factis ostendunt, ut oculum semper detecta in parte gerant. Sardonyx, ex onyce candorem, ex Sardinio ruborem trahens, ab utroque Sardonycis nomen accipit. Sunt autem eius genera plurima. Alius terrae similitudinem tenet, Alius quasi per humanum vnguem sanguis enitescit, bicolor apparet. Praeciosior qui tribus coloribus variegatur, primo nigro, medio candido, superno rubeo: cui comparantur homines despecti iuxta mundum, spiritus tamen puritate candidi, & praeciosi: qui, si officium postulerit, pro Christo non dubitent etiam sanguinem fundere, idem pro amicis minimè facere reculantes. Vel ij sunt qui corporis passione rubicundi, spiritus puritate candidi, mente autem sibi in humilitate despecti, cum Apostolo illud occinentes, Etsi exterior homo noster corrumpatur, sed interior renouatur de die in diem. Et, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustifi-

Christus Smaragdus.

Sardonyx rubore candido.

catus sum. Rursum, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, vt recte Sardonyx quintum locum vendicer. Nam & corpus nostrum in quinque sensibus consistit. Sextus Sardijs, qui in vniuersum coloris sanguinei est, martyrum gloriam consignans: qui purpureo sanguine rubricati, coram domino præciosam sibi charitatis immensitate mortem peperere. Merito hic lapis sexto loco ponitur: Nam & dominus ipse Agonothetes noster in sexta seculi ætate trabea rufæ carnis nostræ indutus, & feria sexta occisus, eiusdè diei hora sexta crucifixus est. Vel certe terræ rubræ speciem Sardijs habet, vt Haymo testatur: idè que significat sanctos, qui licet ad sublimia intelligèda erigantur, tamen suã semper student recognoscere fragilitatem: subinde recolentes se ex Adam duxisse originem, qui terra rubea interpretatur: ac si reuocant continuo ad memoriam, qui sint & vnde venerint, quia ex radice hominis peccatoris, ne videlicet ex accepto gratiæ dono extollantur. Hinc Ezechiel contus cœlestia, atque abstrusa Dei mysteria, sepe filius hominis vocatur. Et Abraham, Loquar, inquit, ad dominum meum, eum sim puluis, & cinis. Regius quoq; propheta comminiscitur fragilitatis humanæ dicens, Recordatus est quonia puluis sumus, homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri sic efflorebunt. Psa. 102. Quid referam vnicum illud, & vere primæ humilitatis propositum à patre Deo nobis exemplum, dominum nostrum Iesum Christum, qui quæ esset filius Dei, iuxta quod deus: tamen donec in terris mortali carnæ fuit, filiũ sese hominis appellare solebat: nempe ex infimo genere vnde scilicet moreretur, secundum quod homo: quem vermen, & nõ potius hominem propheta vocat, Psa. 21. quod tam facile contereretur, & occideretur veluti vermis, qui inter digitos acceptus lapidi facile atteritur, aut pede conculcatur. Bene autem iste lapis sexto loco iacitur, qui terræ rubræ speciem tenere videtur: quia & primus homo sexto die conditus memoratur, cui dictum est, Terra es, & in terram abibis. Lapis hic pellere timorem dicitur, & in gaudium animum accendere. Constantia enim sanctorum deridet omnia vitæ tericulamenta, & inter flammam exultat.

✽ Punctus 3.

Sardius sanguineus.

Septimum Chrysolitus. Octauum Beryllus. Nonum Topazius.

Chrysolitus auri speciem habet, & ardentes videtur scintillas diffundere: fulget namque quasi aurum scintillas compressim habens ardentes: confortat intellectum, & timores nocturnos pellit. Quo enim ratio amplius confortatur, hoc passiones carnis animique magis sedantur. Huius specie figurantur hi, qui luce supernæ sapientiæ resplendent: suas virtutes, atque sententias, cum verbo exhortationis velut scintillas in proximos effundunt: quibus ad amorem Dei, proximique subuentionem accendunt. De his Arator poeta.

Mentibus instat amor, sermionibus estuat ardor,

Quod quia solo spiritualis gratiæ munere geritur, decentissime pro septimo fundamento chrysolitus collocatur. Septiformi enim munere solet spiritu sancti gratia diffundi, & ideo numero septenario designatur, de quo supra dicitur, Et à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt. Subscribit huic sententiæ, & id quoque, quod eiusdem lapidis genus quoddam ceruleo vitæque colore inuenitur: vnde & apud Hebræos à marini coloris specie Tharsis vocitatus est, vbi viror ad fidei virentis integritatem semper refertur. Aqua verò ad spiritum sanctum pertinet, domino attestante qui ait, Qui credit in me (sicut scriptum est) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dicebat de spiritu sancto, quæ accepturi erant credentes in illum Ioa. 7. Nihil est, quod magis hoc confirmet intellectum (dico spiritum sanctum) in fide Iesu Christi, adeo vt foras mittat oem aduersarij timorem, in quo vniuersitas martyrum triumphat, & gaudet exercitus omnis sanctorum. Beryllus, est quasi aquam consideres solis fulgore percussam, rubicundum ac iuxta decorum reddere colorem: Sed nõ fulget, nisi in sexangulam formam poliendo figuretur: repercussione enim angulorum splendore acuitur, qui visum traditur corrigere. In bello quoque inuictum efficere, mitè ac benignum reliqua vita. Significat autem homines per se quidem ingenio valentes: sed amplius supernæ gratiæ lumine resurgentes. Nam quod aqua sensus profunditatem designet, Salomon testis est, qui ait, Aqua profunda ex ore viri. Sed

Chrysolitus aureus colore.

Beryllus a quo colore ac splendens rutilo quodam.

nō est perfecti fulgoris, vel humana vel diuina sapientia, nisi operum cōsummatione. Nam senario saepe numero perfectio designatur, & mundus hic sex diebus perfectus est. Porro tenentis manum adurere dicitur, quia quisquis sancto viro cōiungitur, eius bonae cōuersationis igne accenditur, ac recreatur Psal. 17. Cum sancto sanctus eris, &c. Simili natura est Pyrrhites lapis, si compressus tenetur. Tradit Haymo, Beryllis duos inesse colores, alterum viridem, pallentem alterum: per quam vita illorum designatur, qui aeternorum bonorum contemplationi inhaerent, & rursum fraternae administrationis curam suscipiunt: quod quoties faciunt, quasi ad pallorem reuertuntur, dum exteriora per actiuam vitam fratribus ministrare student: & qui paulo ante fuerant virides in dei contemplatione, palleseunt iterū in temporalium rerum per humanitatis officium administratione: mites hi sunt, & perbenigni, & inuicti in spiritali certamine. Topazius quantum inuentione rarus, tanto preciosus, qui duos habere colores fertur, vnum auri purissimi, alterum aetherea claritate relucentem: pinguedo rosea, verecunda puritas, vicinus crysopasso magnitudine vel colore, flammescit impensius quoties solis radiis verberatur, omnium gemmarum superas alacritatem, prouocat singulariter oculorum cupiditatem: quem vbi solis, obscuras: si naturae relinquitur irradias, regum articulis gratus: & ita mirabilis vt inter diuitias suas nihil se simile possidere cognoscant. Hic contemplatiuae vitae exhibet formam, naturae tum pulchritudine, tum preciositate, qualitatibusque externo decorare. Reges sancti, quorum cor est in manu dei, hoc est, vere fideles; cunctis bonorum operum gazis eam praefere solent, qua soli deo adherent, vt dicant Mihi autem deo adherere bonū est, ponere in domino deo spem meam: Psal. 72. Cunctis ergo bonorum operum diuitiis, vniuersis virtutum gemmis merito contemplatiuam praeferrunt vitam, in solum deum purae mentis intuitum, aciemque desigentes: tantoque ardentius diuina contemplantes, quanto vberius supernae gratiae fuerint splendore reueterati. Habent hi aureum colorem, ex flamma charitatis internae: habent & Aethereum, ex contemplationis affectu dulcedineque. Quia vero subinde praesentis seculi

*Topazius auri
reus aetherei
claritudine.*

*Topazius ve-
gibus gratus*

*Topazius cō-
templatiuae vi-
tae forma.*

turbine veluti attriti lima vilescunt, recte politi obscu-
rantur, liberi manent praclariores. Non potest animus
vno eodemque momento, & terrenis curis indulgere, &
illa caelestis vitae gaudia complecti. Quod quoties acci-
dit iusto, exclamat ad dominum, inquit, Turbatus est *Non potest
animus terre
narum cura-*
a furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos
meos. Rursumque. Eripe me de luto vt non infigar. Ro-
rum implici-
sea pinguedine esse adstruitur, quia pleni sunt eiusmodi
viri sancti vnctōne spiritus, in quo ineffabiliter delectā-
tur & gaudent, gustantes quā dulcis sit dominus: pin-
gues ergo sunt in mente pleni charismatibus: nitidi sunt
nitore gratiae. Denique vt lapidi huic natura inest quaedā
verecunda puritas, sic & viris contemplatiuis castitatis in
est pudor: timent enim ne aut ea gratia insolescant, aut
quodammodo per vitae huius rationes, perque delecta-
mina id quod dulciter possident, acerbissime amittant. Si-
quidem amarissimum est peccare contra dominum. Bre-
uiter timent ne aut elatione aliqua meritum perdant, aut
quod possident turpius amittant. Tradunt lapidem hunc
in Thebaide, in insula quae Topazion appellatur, vnde &
nomen accepit, inueniri, nihil aliena à mysterio regione.
Illa namque Aegypti partes plus sanctorum olim Paulō
& Antonio magno ducibus, Eremitarum corona a-
bundabant, qui vnice vitam amplexi contemplatiuā huic
foli rei studebant. Est denique illa regio soli vicinior, Et
quicumque soli iustitiae vicinus inhaeret Aetherei fulgore
luminis clarescit. Reperitur & in Arabia, lingua Troglod-
itarum Toparin quaerendi habet significationem, con-
sentaneo sane mysterio: nam qui peritura alioqui mundi
bona contemnunt velut solitudinem inhabitantes, vnum
hoc preciosum margaritum requirunt, quo affatim lo-
cupletes fiant, nepe deum: de quo propheticus sermo ait,
Quaerite dominum dum inueniri potest. Et in Euangelio
saluator ait, Quaerenti dabitur. Lapis hic miram habet
reprimenda ira: virtutem, propellit & lunaticam passio-
nem: quibus malis ij qui contemplationi vacare student, *premit iram,
lunaticā pel-
lunt passionem.*
lunaticā pel-
lunt passionem.
Quid por-
ro per lunaticam passionē designatur, nisi bonorum mu-
tatio ceptorum? Nam stultus vt luna mutatur. Pulchre
autem nono ordine Topazius statuitur, gemma videlicet

contemplatiuæ suauitati deputata: siue quia nouem ordines sunt (vt Greg. numerat) angelorum, quorum contemplatiui vitam æmulantur: siue quia à perfectâ beatitudinis statu vno duntaxat mortis interstitio dirimuntur in quem anhelant: vt graue eis, onerosumque iam videatur quicquid in terris geritur præ dulcedine dei, & decore domus eius, cuius amore tenentur, quorum animus iam pridè eo relatus est quo deû credunt in sua gloria obtinere.

✱ Punc. 4.

Decimum chrysoprasus. Vndecimum Hyacinthus. Duodecimum Amethystus.

Chrysoprasus Crhysoprasus colore viridis est, aurèaque permixtura, quoddam insuper purpureum iubar trahens, aureis sparsim guttulis interlucentibus, parum à Beryllo discrepans: gignitur in India sole viuido ac recent, eos figurans qui viriditatem gloriæ coelestis perfectâ charitatis fulgore promerentes, purpureo insuper martyrij iubare clarescunt: qui in eo quòd vitam carnis despiciunt, gloriam cæli obtinent mixtim charitatis operibus interlucentibus: & hi tanquam in India gignuntur, quia charitatis geminæ virtute gloriam plenius à sole Christo assequuntur. Qui & in decimo loco statutus describitur, quia perfectio omnis in obseruatione decalogi absoluitur, consummanda in gloria: vel quia charitate pleni velut solia regno patris eorû salgere, regi que suo proxime fieri cupientes, vitæ huius caduca dispendia decimi cæli diuite mercatura compensant. Creditur & lepram pellere: quia nimirum in gloria patriæ, ad quam perfecti quique charitatis operibus festinantes, cuncta labe puri fiunt, virore perpetuæ sanitatis succedente. **Hyacinthus** similis est aquæ radio solis percussæ, ceruleo colore optimo, qui nec rarus est, nec spissâ densitate obtusus, viroque temperamento relucens, purificatum florem trahere memoratur. Hunc Bereng. sereni cæli colore fulgore autumat, vt Sapphirus: nisi quòd ille sparsas tenet maculas, hic simplici puritate contentus, rutilat non æqualiter, mutans cum facie cæli colorem: Sereno perspicuus est & gratus, nubilo obtusus. In præcio est, dat membris vigorem, saporem reddit salutarem. Indicat eos qui

anima puri sunt, & clari meditantes coelestia, quique angelicæ quadantenus & quantum fas est mortalibus, conuersationi approximant: virginitatem cura mentis, tum corporis custodientes, ne peccati macula mentem obfuscer: vtque lapis hic tam mirabilis, tamque præciosus non æqualiter rutilat, cum facie cæli mutans colorem: sic his improba caro frequenter ingerit turbationem: hac depulsa redit color primus menti eorum. Significat & illos qui sapientia commodiore refulgent in templo dei, non ea, quam filij huius sæculi præ se ferunt naturali ratione à rebus tractam: sed quæ ducitur à sole Christo, quibus iubetur ne vel nimia sensus subtilitate supra captum rapiantur, aut ima sic teneant, vt ad infirma fidei rudimenta conuertantur: quin potius modesta quadam temperatura instar robusti palestritæ via regia grassentur, à dextris & à sinistris per arma iustitiæ, dicentes cum Apostolo, Siue enim mente excedimus deo, siue sobrii sumus vobis, quatenus vapor spiritus in omnibus reuineatur, vigore reducto primum fidei; deinde cæterarum quoque virtutum. Quod verò non æqualiter niteat, tali sensu accipiendum puro, quia videlicet viri cordati non semper eodem tenore sapientia quocunque tempore ad quamuis vtuntur, sese aut subiectis auditorum ingenis accommodantes: nec eundem modum tribulationum turbidine, qualem habent in tranquillitate, quando nitidius sermonum radios spargunt: mutati ergo modo altiores, modo summissiores, modo clari, modo obruso velut fulgore densius lucent. Sic Paulus modo sapientiam se loqui adstruit inter sapientes, ac perfectos: modo velut nutrix adblandit fouens filios. 1. Thessa. 2. omnibus omnia factus, vt lucrifaceret omnes. fiet ergo cum stentibus, gaudet cum gaudentibus. Et alibi densa nube cæli obrutus in infirmitatibus suis æquius gloriatur. 2. Cor. 12. **Amethystus**. Hic purpureus est permixto violatio colore, & quasi roseo decore vernans: fundit leniter flammulas, & quiddam in purpureo nitore nõ ex toto igneum gerens, sed quasi vinum rubens apparet. Alij simpliciter dicunt illum triforami colore radiare, roseo, violatio, atque purpureo: qui & paruulas fundit flam-

*Amethystus
purpureus cū
violatio.*

mas, facitque vigilem, & malam pellit cogitationem. Purpureus in eo decor, cœlestis regni habitum in sanctis exprimit. Roseus atque violatus, humilem sanctorum verecundiam, preciosamque mortem depingit. Et certe in hoc lapide ut Haymoni placet significantur sancti, qui cœlestem habitum gerunt in terris, & ad primum, & coeuitatem angelorum pertinent in cœlis: unde dominus dicit, Et erunt sicut angeli in cœlo. quod designatur per purpuram quæ principum est indumentum. In viola autem, quæ humilis flos est, & tamen odore præcipua, humilitas illorum exprimitur, qui præcipui sunt odore bonæ famæ. In rosaceo autem colore charitas intelligitur, quæ intantum in illis viget, ut etiam ad passio nem martyrij, non solum pro amicis, sed ipsis quoque pro inimicis suos protrudunt possessores: neque enim maiorem hac dilectione habere quis potest, quam ut animam suam ponat pro amicis suis: quorum mens principaliter in summa dirigitur, etiam quum exterius conculcari, inque imo subsidere inter spinas cernitur, dominici semper memor promissi, Nolite inquit timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro vobis dare regnum. Luc. 12. Quique flammam charitatis, non ad se tantum, sed ad ipsos etiam persecutores spargentes, positus genibus hac prece implorant, Domine ne statuas illis hoc peccatum. Atque inter calicem passionis illius vini letificantis cor hominis, quod dominus se novum cum discipulis, in regno patris promisit bibiturum, iugi recordatione memorantur. Tradunt Amethystum ebrietatem arcere, resistere veneficiis, adeuntes reges conciliare, grandinem ac pestes frugum auertere. Et sanctorum vita frugalis est & sobria semper, & sana: pellit demonum veneficia, conciliatum semper habet Christum, mala occurrentia arceat orationibus. In summa, In Iaspide fidei viriditas, In Sapphiro spei cœlestis altitudo, In calcidonio flamma charitatis figuratur. In Smaragdo fortis inter adversa fidei confessio, In Sardonyce sanctorum inter virtutes humilitas, In Sardio preciosus cruor martyrum exprimitur. In Chrysolito spiritalis inter miracula prædicatio, In Beryllo prædicatum perfecta operatio, In Topazio ardens contemplatio demonstratur. In Chrysoprasso martyrij opus & præmium, In Hyacintho sermolo

sermologorum cali ad alta sublatio: rursumque propter infirmos humilis ad ima descensio, In Amethysto cœlestis regni decor in humilium animo depingitur. Hi sunt lapides præciosi duodecim fundamenta muri civitatis, quibus nomina apostolorum insculpta erant & Agni: quia nimirum. xij. apostoli in agno fundamenta civitatis huius esse meruere. Habet ergo civitas fundamentum Agnum: habet. xij. apostolos in hoc ipsum ab ipso agno electos, quos ascendens ad paternæ maiestatis dexteram iussit abire per uniuersum orbem, & civitatem dei construere, cuius ipse primum iecisset fundamentum: qui quales vita doctrinaque fore debuerint fuerintque, lapides isti præciosi ostendunt: quorum virtutem atque pulchritudinem omnem primus ipse in se prægesit, qui est virtutum dominus & rex gloriæ. Psal. 13. ut ceteri doctorum erudiatur qui superedificare, gestunt quales esse debeant.

DE PORTARVM PRECIOSITATE,
ET PLATEA CIVITATIS,
ET GLORIA EIUS.

Sect. 5. Punct. 1.



Et duodecim portæ: duodecim margaritæ sunt per singulas: & singula portæ erant ex singulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.

Quantum ad literam pertinet sensus verbi est, quod civitas illa habet duodecim portas, & singulæ quæque portæ sunt ex singulis margaritis, id est vnaquæque porta ex vna gemmarum memoratarum. Rursum in vnaquæque porta, duodecim margaritæ, quæ sunt centum quadraginta quatuor. Sed iam ad mysterium. In vna quæque porta vel margarita singulariter intelligitur dominus noster Iesus Christus, qui sicut dicitur fundamentum fundamentorum, sic etiam potest dici margarita margaritarum, quam negociator distractis omnibus emit. In duodecim autem portis Christus in duodecim *Porta Christi* Apostolis intelligitur, non solum in his, sed & in omnibus, *scilicet* qui nobis ianua sunt salutis doctrina & exemplo. Legis

in Psal. 117. Aperite mihi portas iustitiæ. statimque post hæc, Hæc porta domini, iusti intrabunt in eam: dominus sane significans, sine quo nemo venit ad patrem. ait enim, Ego sum ostium. Porro, superius mensus est angelus muram ciuitatis centum quadragintaquatuor cubitorum, qui numerus hic quoque replicatur, quum duo decim margaritæ per duo decim singulas portas describuntur: quia duodenarius numerus duodecies ductus, ceterum quadragintaquatuor consummat, quo numero omnis multitudo prælatorum & sacri verbi dei annunciatorum intelligitur. Id quod Esaias indicat dicens, Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, cap. 62. Obserua, pulchritudo, & decor, & gloria portarum, per quas in illam ciuitatem pater ingressus conuenientius significari non potuit, quam nomine vel specie margaritarum. Nam sicut matrona nobilis præciosis ornata monilibus, exculta gemmis margaritisque, solet ad blandiri viro suo: sic ciuitas illa nobilissima, quæ est ecclesia, talibus exculta ornamentis, nempe prælatis, qui non aliud sunt quam virtus, viro suo Christo ad blanditur: nam prælati, & doctores sapientes sunt gloria, decus, & ornamentum ecclesiæ, dicente Paulo, Gloria vestra nos sumus. Non solum autem ciuitati sunt decori ipsi prælati sapientes prædicatores, sed etiam vtilitati, portæ enim sunt in Christo: in quibus totus est Christus. Nam & portæ singulæ ex singulis margaritis constare perhibentur, non minus præciosas quam splendidas, imo excellentibus: quatenus aliæ alias commendare videantur: margaritæ portas, portæ margaritas. Christus apostolos: apostoli Christum, de cuius plenitudine accepere omnes Ioann. 1. Et sicut omnis gloria capitis refertur ad corpus, sic corporis decor ad caput reuertitur omnis. Et sicut lux vera, quæ illuminat omnem hominem illis contulit ut essent lux: iuxta quod dicit, Vox estis lux mundi. sic omnem illi lucem in fontem refundunt, dum omnem virtutem tribuunt Christo, non se aliud quam hominem recognoscentes. Comunicauit Christus aliis lucem, decorem, & ornamentum de se, ut essent interdum & porta, & margarita: apud se tamē nihilominus gloriæ fontem retinuit vigorem. Sequitur, Et platea ciuitatis aurum mundum &c.

Ecclesia ornamentum prælati doctorisque.

Pulchra satis & præciosa ea ciuitas est, cui portæ tam præciosæ sunt, & fundamenta præciosæ, & platea aurum mundum perlucidum tanquam vitrum, & transparentes: mundorum certe locus mundus esse debuit: nam & ipsa tota ciuitas ex auro mundo superius descripta est, simili claritate resurgens. Platea à latitudine vocari dicitur. Platon enim greci latum dicunt, & mādatum dei latum nimis perhibetur charitate illud dilatante. possunt tamen per plateam ciuitatis simplex vulgus intelligi, qui latius in via vitæ iucundant, decalogi obseruatione contenti, consiliorum semitis sese minus constringentes. Non enim hi ab ea ciuitate excluduntur etiam si sint platea ciuitatis sancta: in mysterio. Hinc per beatum Iob dicitur, Paruus & magnus ibi sunt. Veruntamen Aurum mundum est platea & perlucidum, quia nimirum charitate nitenti oportet, sine qua nemo salutis gloriam consequitur. 1. Cor. 13. quæ debet esse in veritate, & non in hypocrisi. Potest per aurum perlucidum gloria singulorum quorumcumque designari, quæ reuelabitur in nobis. Hic non sumus perlucidum aurum, donec in carne sumus: futuri tamen sumus in patria. Quis enim est sine peccato? quoniam si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus. 1. Io. 3. Et propheta dicit omnes iustitias nostras periure esse atque paupum menstruata, eo quod permista sunt opera nostra aliqui impuritate, sepeque suum cernū secum trahunt, tantum abest ut hic aurum perlucidum esse possimus. Id quod absoluit in nobis futura gloria. Sed quid dicit scriptura? Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semet ipse in eo manet: & non potest peccare: quoniam ex Deo natus est. 1. Io. 3. Intelligat qui potest. Forsitan de electis loquitur, qui non possunt imputabiliter peccare ad damnationem: in quibus semet verbi Dei manet: cum quo stare non potest peccatum: per quod fit natiuitas spiritalis: secundum quod aurum perlucidum aliquo modo & hic dicimus. Aurum formicis excocione absoluitur, ita & vitrum: id in mysterio indicat, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in gloriam Dei, Act. 14. Nam & christum pati oportuit, & ita intrare in gloriam suam. Luc. vlti. Non nostris ergo meritis, sed Christi fiet, ut & aurum sumus, & translucidum vitrum. Sed ut ab hæc

Platea à latitudine.

Charitas necessaria omnibus.

subtilitate descēdamus etiam ad vulgi sensum. Quid negauerit competere, quod de platea dicitur, cælo quoque empyreo quod sedes est beatorum? Certū est enim quia non spirituale quid hoc est, sed corporale, lympidum & pulchrum, quo non aliud æque excogitari queat. Dixerim hæc ne dum continuo tenore spiritum persequimur, somnium quoddam narrare videamur, quasi nullus locus sit corporalis beatorum spirituum. Est certe locus corporalis, immobilis, clarus, pulcher, omni decore ornatus: rutilans, dignus deo & Christo, sacræ quoque matri eius & ceteris sanctis, quibus dicitur est Christus ipse idem, Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, Matth. 25. Verum igitur est quod sit locus corporalis, sedes beatorum, pulchritudine incomparabili, verum & hoc quod ciuitas Ecclesia sit sanctorum, quam spirituali sic ædificatione gloriosam descripsimus, verum & hoc quod fundamenta muri ciuitatis sint apostoli. Christus primus. Ipsi enim fundauerunt eam eundo, prædicando, laborando. Id quoque verū, quod præter id quod deus sit, & Christus principalis murus ciuitatis, vt ex scripturis probatum est. Apostoli quoque sancti, & alij quique defensores Ecclesiæ dei murus dicantur, prælati integerrimi Iaspideam habentes per omnem modum virtutem: namq; ex Iaspide constructus memoratur. Neque hoc ipsum abhorret à vero, quia idem sunt murus & ciuitas cū credentibus aliis, nisi quod in muro perfectiores intelliguntur, quorū fides nūquam marcescit, neq; declinat, sed in viriditate operationis persistit semper, vt Haymo adstruxit. propter quod Dauid orabat dicens, Benigne fac domine bona voluntate tua Sion, vt ædificetur muri hierusalem. Quod nequaquā de terrestri accipiendū est, nec de materiali, sed ædificata per Apostolos in sine templum, quæ est Ecclesia sanctorum, cuius muri idem sunt quod ciuitas. Porro verum est quod Christus sit ostiū, per quā patet aditus ad Ecclesiā, super eundem fundatam: qui per se dixit, Ego sum ostium. De fundamento Paulus testatus est. 1. Corin. 8. quia idē ipse Christus est. Insuper verū & illud est, quod Apostoli dicantur portæ ecclesiæ, per quos fere totus orbis ingressus est. Et non solum ij portæ sunt, sed & omnes qui similiter

Celum empyreum.

Apostolis cōuertendo gentes laborauere, & laborant vſque modo vocando peccatores in salutē. Nam si tot sunt portæ inferni, quot seductores, & peccata: ita tot erunt portæ ciuitatis huius sanctæ Hierusalem superne quot Orthodoxi prædicatores, qui verbo & exēplo docent, per quos ingressus fit in salutem. Numerantur tamen duodecim ad numerū apostolorū etiam ob perfectionē numeri ac mysterium eius: quod per tria & quatuor numerus iste multiplicetur. nāque siue ter quatuor numeres, siue quater tria duodecim faciunt: quia ij fidē trinitatis in quatuor mundi partibus prædicarunt. & modo quicumque fidem eandem peruulgant sub quatuor mūdi partibus, ad hunc catalogū pertinere nemo diffitebitur. Id etiam verū est, quod de margaritis, quæ in xij. portis positæ sunt, significare prelatos ecclesiæ, quorū primitiæ apostoli sunt, dictū est: quæ portæ ampliori significato, dilatantur ad omnes electos, vt putauit Haymo. Ita enim dixit, Superius legimus, quod mensus est angelus muros ciuitatis, centū quadraginta quatuor cubitorū, qui numerus etiā hic replicatur, quū xij. margaritæ per. xij. portas describuntur: quia duodenarius numerus duo decies ductus, ceterisimū ac quadragesimum quartū numerum implet, in quo omnis multitudo sanctorū concluditur. Porro idē Haymo per muros ciuitatis, robustiores & eminentiores ciuitatis intellexit: per plateā verò, quæ à latitudine ita vocari ex Græco fonte dicta est, simplices, qui illis subiecti in latitudine mandatorum dei manent. Idem sensu & P. Iamastus, qui in suis commentariis ita scriptum reliquit, Et plateas eius ex auro lympido, sicut vitrum lympidum dicit. Iam dixerat quod ciuitas ex auro mundo simili, vitro mundo, vel quod fundamenta eius sint ex omni lapide præcioso, quod ad potentes Ecclesiæ puto referendum: Nunc de plateis adiecit, dicens & ipsas ex auro lympido, sicut vitrum lympidum, tanquam plateæ ad descriptam dudum non pertineant ciuitatem, sed illos hic paruulos significari conuicio de quibus dicitur, Cum simplicibus sermocinatio eius. Prouer. 3. Sicut enim plateæ inferiori loco ponuntur, sic tales humili loco videntur saluari. Quod si in plateis latitudo intelligenda est charitatis, diuicis voluit vocabulis significare perfectos. tunc autem iam nullus ibi

*Portæ multi-
ciuitatis Hie-
rusalem.*

indignus, nullus inuenietur paruulus aut infirmus, licet alius alio premiorum magnitudine clarius emineat. stella enim à stella differit in claritate ait Apostolus, sic & resurrectio mortuorum, Hæc ille.

✱ Punct. 2.

Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.

Magnificis presidii speciem nostram erigit, & consolatur, quod in ciuitate illa superna ad quã tantis studiis festinamus, dominum deum omnipotentem statuat templum, & agnum, non dubium quin Christum, potius quam manufactum aliquod: hoc est quod Apostolus dicebat Christum introiisse tabernaculum per amplius, & perfectius, id est, non huius creationis, Hebr. 9. quod est tota trinitas, quam nunc quidem tenemus per fidem, tunc vero per manifestam speciem, quando erit omnia in omnibus. Erit enim tum templum Ecclesie pater cum filio, & spiritus sancto, in quo habitaturi sumus omnes, in eo quietando: Tunc in illa mansione, id est in illa desiderabili diuina protectione, diuinaque complexu habituri sumus tria, videlicet, summam felicitatem, perfectam cognitionem, & ardentem dilectionem, in quibus summa beatitudinis nostra consistit. Sed & presens Ecclesia etsi templum dei sit, iuxta quod Apostolus dicit, Templum dei sanctum est, quod estis vos: tamen habet insuper templum manufactum, id est, locum orationis, quo conueniuntur fideles ad dei cultum iuxta beneplacitum eius, ad audienda diuina eloquia, & christi sacramenta. Illa autem celestis ciuitas hierusalem iam non habebit templum visibile manufactum, quia dominus deus omnipotens pater & agnus templum eius sunt. Primum. Sicut membris singulis corpus extruitur, sic preciosis lapidibus templum: & quoniam non vult nos materialibus machinis deditos, carnale aliquid hic ex inolita consuetudine cogitare, ab hac nos intentione suspendens dicit, Templum in ea non vidi, dominus enim deus omnipotens, & agnus templum illius est. Ecclesia enim presertim remotis iam zizanias in solis electis exultans in domino secreta manebit, tanquam in templo tutius requiescens: vt à quo existendi sumpsit originem, & redemptionis experta est lenitatem, in ipso beatam quoque obtineat mansionem. His enim tribus omnis summa eius perficitur, esse, nosse, & dili-

Tria habituri in patria.

gere. Deus autem eam condidit informandam, illuminauit vocatam, beatificauit electam, cum se facit promissa glorificatione habitare perfectam: non iam per fidem ambulantem, sed in specie congaudentem. Hactenus ille. Porro Christus secundum quod Deus, vnus, & idem templum est cum patre, & spiritu sancto, sicut & vnus beatitudinis obiectum, in quo æternaliter beati conqueſcunt, & ipse Deus habitabit in eis, dona gloriæ infundendo, & conseruando eos: secundum autem quod homo, est precipuum premij accidentaliter (vt vocant) obiectum, qui visitur oculis corporeis in summa gloria. Sed nunquid & iuxta homines Christus est templum? Etiam. Soluite, ait, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Io. 2. quod ibidem exponens sanctus euangelista dixit, Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Cuius templum? Respondeo, totius trinitatis. In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti. Coloss. 2. Hoc autem quod modo templum eueruimus & consecramus, in quibus & sacrificia offerimus tum labiorum, tum sacrosanctæ Eucharistiæ à domino Deo habemus, qui fieri sibi voluit templum manufactum, & dixit cordi sibi fore, quicumque orauerint in illo loco, & inuocauerint nomen eius, vt liber Regum exhibet. Nam & dominum frequentius adiuſse templum Hierosolymis passim sacris in Euangelis legimus, cuius omnis actio nostra est instructio. Proinde haudquaquam contemnenda sunt templa hic manufacta, nec ex hinc est arguendum fieri non debere templum aliquod manufactum, quod nec in celesti ciuitate reperit dicatur. Alia enim est conditio temporis istius, alia illius, vbi facie ad faciem licebit cognoscere Deum, hic non nisi per fidei speculum: tunc nihil peccabimus, vt non opus sit amplius supplicationibus sacrificij nobis: hic quia non caremus peccatis, opus est vt loca sacrificiorum ac iuxta supplicationum habeamus, vbi singulariter Deum placeamus. Scriptum est, quia postquam compleuisset Salomon omnia, quæ circa domum Dei pertinebant, & sanctificasset eam, dedicassetque solemnibus holocausto martis, & orasset ad dominum Deum omnipotentem, apparuit ei dominus nocte & ait, Audiui orationem tuam, & elegi hunc locum mihi in domum sacrificij. Deinde, Oculi mei erunt

Qq iij

Templa manufacta non contemnenda.

aperiti, & aures meę erectę ad orationem eius, qui in loco isto orauerit: elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meū ibi cunctis diebus. 2. Paral. 7. Idem scriptum est. 3. Reg. 9. vt obstruatur omne os malignantium, quorū seges iam pridem vber excreuit. * Punct. 3.

Et ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam: Et lucerna eius est agnus: Et ambulabunt gentes, quę seruatae fuerunt, in lumine eius: Et reges terrę afferent gloriam suam. Et honorem in illam.

Primum. Volens nos ab vtitata diurni nocturnique luminis vicissitudine omnino suspēdere, & ad illud lumen incommutabile reuocare, dicit, nō eget sole neque luna, nec eodem ordine illam irradiari asserit ciuitatem, sed lōge meliōre & ineffabili luce, sole scilicet iustitię, quem propheta memorans dicit, Et fanitas in pennis eius. Malach. 4. Ipse est enim verus filius, & vita æterna, veraque lux, quę illuminat omnem hominem venientem in hūc mundum, Ioan. 1. Gloria ciuitatis melius explicari non potuit, quāam vt diceretur claritate Dei illuminari eam, & agnum lucernam eius esse. Quid enim potissimum daretur vincenti, quāam vt ipso mereatur munerum largitore potiri? Ipso lumine frui in patria, quo nunc dirigimur in via. Hoc informari inter bona & mala discernimus, quorum beatificati sola quę bona sunt possidemus. Dicatur ergo, Et ciuitas non eget sole neque luna, id est, illustratio luminarium cęli non erit necessaria beatis in patria, quę corpora eorum clariora sint futura illis, sole & luna, claritatē omnem à claritate Dei habitura. Quod vero differentius agnum lucernam appellat, ita accipe. Christus vt homo, non substantialiter lux est, sed receptaculum lucis præcipuum. In ipso namque habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: sic & lucerna nō lumen, sed luminis instrumentum, contentiuūque receptaculum. Quia enim humanitas Christi, post increatum lumen omnibus sanctis amplius fulgebit ex virtute diuinę immensęque lucis in ea inseparabiliter manentis, & micantis per ipsam: agnus merito lucerna ciuitatis Hierusalem superne memoratur. Idem testatur de ciuitate hac & Esaias per apostrophen dicens, Non erit tibi sol amplius

*Ciuitas
Hierusalem
gloria.*

*Christus re-
ceptaculum
lucis.*

ad lucendum per diem, nec splendor lunę illuminabit te: sed erit tibi dominus in lucem sempiternā, & Deus tuus in gloriam tuam. Aut quo pacto (oro) ibi nobis quarere solem aut lunam opus erit, qui factorem horum præsertem cernamus, gloria in immensum præclariore, quāam si innumerabiles essent soles lunęque, quibus & illis ipse dedit vt luceant. Sic enim dictum est, quia claritas dei illuminat eam, & lucerna eius est agnus. Mirum tamē est, & à nostra intelligentia valde remotum, quod ille idem agnus, qui & templum, sit lucerna: vbi quid aliud cogitare possumus, quāam omnia in agno hic, & ibi præclarissima fore. Nā & gentes ambulaturas ibi dicit in eius lumine, quę nunc quoque ad eius lumen ambulant, tamen si differenter: quia hæc fidei lumine illustratę, ibi glorię illustrandę, quod multo præclarissimum est. Vbi simul aduerte, quia magna & mirabilia circa nos agni beneficia, ac misericordiarum opera eius commemorantur. Non enim parum poudeus seu momenti habet, quod gentes appellat, eos, qui ambulabūt in lumine eius. Vnde & per Esaiam dicitur, Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloriam domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo. Esa. 60. Hoc ambulare in lumine hic per fidem est, in futuro per gloriam: per fidem autem, id est, viuere ex fide, ac iuxta præscriptum illius lucis, siue dicam præceptorum eius radiis ambulare, vitam instituere, quemadmodum ambulant omnes electi ex gentibus, iustificati per fidem. Vnde & subditur, Quę seruatae fuerūt in lumine eius. Fieri enim potest vt quis primum particeps sit luminis istius primit, quod fidei est: non tamen ex hinc alterius, glorię scilicet, nisi seruetur hoc lumine, id est virtute fidei, id est, vt vere sit fidelis, nihil à professione discrepante vita: Alioqui quid proderit fratres mei, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat, Nunquid poterit fides saluare eum? Iacob. 2. Sed & reges terrę allatuos esse gloriam suam, & honorem in illam adstruit: per quos intelliguntur omnes iusti iuxta Haymonem, qui bene se cum subiectis regere satagunt. de quibus dictum est, Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud. Iusti itaque reges, hoc est, omnes iusti suam gloriam, & ho-

*Reges om-
nes iusti.*

norem, referēt ad illam cœlestem Hierusalem: quia omnem suam remunerationem, & prosperitatem, atque omne suum gaudium & exultationem ibi recipient: & quo amplius in præsentī vita affliguntur despicunturque, eo isthic exaltabuntur. Quo contra reprobi, qui in præsentī suam gloriam & honorem possident, & in prosperis huius sæculi sese extendunt, ibi coangustabuntur, & inglorij erunt. Væ vobis diuitibus, inquit dominus, qui habetis hic consolationem vestram, &c. Quia enim sancti in præsentī vita, gloriam huius sæculi, quæ reproborum est, non amant: idcirco suam ad æternam referunt, vbi exaltati remunerabuntur: quorum vni iam à domino dictum est, Tu esto supra decem ciuitates: Alteri autem, Tu esto supra quinque. Potest & aliter dici, vt per reges terræ intelligantur Apostoli cæterique sancti verbi Dei ministri: qui propter regimen animarum, quas suo moderamine dirigunt, reges appellantur. Isti afferent gloriam & honorem in illam, sicut iam primi illi attulerunt: hoc est, omnes quos Christo lucrifecerunt, faciēntque sua prædicatione, & doctrina. Vnde Paulus quibusdam dicebat, Gloria nostra vos estis in die domini nostri Iesu Christi. Recte enim gloria regum, & honor vocantur hi, pro quibus iidem reges coronantur. Primum. Quod dicit ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ afferēt claritatem suam in eam: hoc sane voluit intelligi quòd idem ipse agnus sit peregrinantibus via, qui tunc ciuibus vita. Quicquid enim adepti fuerint dignitatis, debitis necesse est laudibus honori conferant largitoris. Reges autem hic spiritales dicit, de quibus legimus, Potens est & dabit virtutem regibus nostris, & exaltant cornu Christi sui. Dionys. Carth. Ambulabunt gentes in lumine eius. Quia sicut electi nunc viuunt in lumine fidei ipsius Ecclesiæ militantis, & in Christo, qui est lumen fidelium: ita in patria ambulabunt, agent, viuent, atque in Deum se iugiter erigent, & erecti manebunt in lumine Ecclesiæ triumphantis: corporaliter quocunque mouebuntur, & ambulabunt in lumine corporum glorificatorum: potissime corporis Christi, cuius corporea claritas lumē solis inæstimabiliter superat, regionem quoque terræ viuentium implet. Et reges terræ, id est, principes, & prælati

idonei, ac vniuersi qui sese bene rexere, afferent gloriam, id est, spiritales suas diuitias, merita, magnificentiamque virtutum suarum secum in cœlestem illam Hierusalem deferent, opera enim illorū sequuntur illos. Gloria quoque est conscientia puritas, dicente Apostolo, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ: quam secum reges afferre dicuntur. Quasi & hæc quoque adderent nõ nihil ad supernæ illius ciuitatis felicitatem: quia videlicet vniuersi, quicquid gloriæ honorisque assequuti essent, inferent cœlo: vbi nihil nisi gloria, & honor à cunctis in Deum autorem bonorum omnium redundat, simili sententia, qua dictum est supra cap. 4. de sanctis animalibus, quia dedere gloriam & honorem sedenti super thronū viuenti in sæcula sæculorum. Et viginti quatuor seniores procedebant ante sedētem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum: vbi dictū est quid sit mittere coronas ante thronum, nisi quicquid est virtutis vsquam, totum Deo tribuere, nihilque sibi proprie vsurpare. Non ergo principaliter honor & gloria iustos respicit, sed eū per quem facti sunt iusti, vt dicant, Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113. Et Psal. 28. Afferre domino gloriam & honorem, afferre domino gloriam nomini eius.

¶ Punct. 4.

Et porte eius non claudentur per diem: nox enim non erit illi. Et afferent gloriam gentium, & honorem in illam.

Magna securitas ciuitatis Hierusalem supernæ describitur, ad quam nullæ peruenturæ sunt insidiæ inimici, & ideo portæ eius nõ claudentur, vbi erit dies perpetua, nec nox vlla interpolabit diem. Sic tangit futura, vt tamen præsentia non negligat: portas dicit minime vltra claudi cœlestis illius Hierusalem, quod summam securitatem indicat. Sunt tamen interim & portæ peregrinantis Ecclesiæ apertæ: nec hic in mysterio nisi dies, in qua nõ nisi gloria & honor gētū. Verus hic sol Christus Deus fidei lumine refulget, nec vlla nox interpolat diē: omnes enim filij lucis sumus, & filij diei. 1. Thess. 5. Non clauduntur portæ eius ingredi aut exire volentibus: libere vt illos recipiat, tanquam obedientes: hos emittat tanquam inobedientes, in quibus nulla virtus, nulla constantia est,

Ecclesiæ libertas.

Ecclesia sanctorum dies est, in quibus sol ille iustitiae christus suis radiis permanet, etiam mali mixtum sint bonis: non tamen illi pro ecclesia habetur apud Deum. Sol iusti sunt Ecclesia Dei exclusis aliis, etiam quum sint in Ecclesia, ut non omnes reges in eam suam gloriam afferant, qui conuertuntur, qui intrant, etiam aliqui afferre videantur, qui pro conuersis haberi volunt, ceterum autem filij nequam, filij scelerati, qui potius blasphemant, quam gloriam afferant. ut in hoc status ecclesiae militantis, longe secus habeat, quam triumphantis. Siquidem in triumphantem omnes quotquot ingrediuntur afferunt gloriam: In militantem non omnes, sed hi soli qui pii sunt. Multiplicata est gens id genus stultorum regum terrae, sed non proinde magnificata laetitia: omnes dicunt, conuersi sumus, Christi sumus, attulimus gloriam nostram, in ecclesiam: sed mentita est impia iniquitas sibi: neque enim quicquam horum fecerunt, aut faciunt, immo diuersum. Non enim suscipiunt Christum, nisi quatenus putant sibi proficuum. Quibus respondit Christus, Amen amen dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducaastis ex panibus, & saturati estis. Ioan. 6. Placet panis, non placet Christus: placet praebenda Ecclesiae, non placet seruitus ecclesiae: religio in libertatem effrenata est in illis, dignitas in tyrannidem. Sed haec ferat, hi lupi, hi principes infideles, socij furum, hypocritae mali ferent iudicium suo tempore tale quale supra ostensum est.

¶ Punctus. 5.

Et non intrabit in ea aliquid coinquinatum & abominationem faciens, & mendacium: nisi qui scripti sunt in libro vitae agni.

Peccatum. Futuri temporis circumscribit Ecclesiam, quando non sicut nunc permixtos cum bonis cohabitantes patitur malos: quia soli cum Christo boni regnabunt, cum quo, & in quo in eandem Hierusalem caelestem matrem omnium fideliter permanebunt. Haec tenus ille. In praesentem ciuitatem equidem coinquinati cum puris, mali cum bonis, peccatores cum iustis, impij cum pijs simul habitant & intrant: quia sicut haec vita media inter caelum & terram consistit, ita vtriusque partis ciues recipit continetque: ad illam autem separabuntur. Ideo non intrabit

in eam aliquid coinquinatum quocumque scelere, pijs semper detestandum, ut aspicere non possint: quemadmodum & de Domino Deo scriptura loquitur. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris Micheaz. 1. Distinguunt inter coinquinatum & abominationem faciens: ut coinquinatum dicat spiritualiter peccantem, Abominatio carnis secula opera: vel ut illud ad cordis peccata referatur, hoc ad flagitia operis: mendacium oris vicia notat. Potest & eos subnotare, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Porro hi qui scripti dicuntur in libro vitae agni, predestinati sunt, qui est vis quaedam mentis diuinae, quae scit omnia antequam fiant, ergo solos bonos intelligamus fore scriptos, qui vitam agni sunt imitati, non malos, non in carne viuentes, Paulo attestante, qui ait, Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 1. Co. 15. Nullus ergo caelestem Hierusalem ingredi valet, nisi omnis labis atque reatus sit prorsus immunis. Quis hic pro dignitate existimet, quam purum oporteat esse cor, quod increatae lucis aeternae, speculum sine macula, scelus non accipit. Summa puritas est Deus, summa pulchritudo. Si ergo post hanc mortalem & caducam vitam nolumus remoueri a beata gloria, quae per unionem conspectus diuini contingit omnibus, nec in aeuum grauissima combustionis subire supplicia: satagamus oportet indefinenter pure mente Deo viuere, eique soli fideliter cum omni humilitate ac reuerentia seruire, in omnibus mandatis eius proficere, in charitatis opere nos captiuare. mentem nostram ad Deum ipsum attollere: continuis precibus insudare: quoridianos defectus plangere, conscientias nostras lauare, vitare mala, atque poenitentiae martyrio nos in dies mactare. Sic denique fiet ut inculpatus occurras, stolamque primam a charissimo patre promerere, qua praclarus fias & conspectibilis Deo & sanctis angelis eius in aeternum. Amen.

*Vita puritas
seruanda.*

¶ **DE FLVYIO AQVÆ VIVÆ: ET
LIGNO VITÆ.**

Sect. I. Punct. I.



F ostendit mihi purum fluvium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei, & agni. Describit in hoc capite primum fluvium procedentem à sede Dei, agni: deinde memorat de ligno vite, & fructibus eius duodecim, alia quoque: postremo librum concludit, & multa ponit, quibus prophetia huius excellentia demonstratur. Nunc igitur à principio peregrinantis Ecclesiæ mysticum agentis sabbatum felicitatem ob oculos ponit, quæ est illi ab agnitione veritatis summa: nam & vita æterna hinc promanat, Domino dicente, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et hæc ipsa veritas sub typo perennis fluij à sede Dei & agni profluētis describitur, cuius naturalis species tum deniq; apparebit, quando ois cæcitas, caro & vanitas euauerint: tum quippe ipsum fluvium videbimus sine typo & absque similitudine apertius, copiosius, gloriosius, viuidius, & modis omnibus admirabilius, à summo Deo, & agno profluentem, atq; exundantem more perennis gurgitis, quem pleni non continent aluci, cuius modo nō nisi tenues guttulas roris instar stillantes in sacris literis fugimus, aut lambimus, largiorem fontem eius ambiētes. Iam quum gustus ille huius fluij tam tenuis modicisq; tam suauissimus, sit vt merito omni gloriæ mundi, opibusq; ac deliciis præster: quid futurum censes, quum ex ipsius eiusdem fluminis limpidissimis, suauissimisque aquis plenter satiaberis? Fluminis inquam, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, à fonte vitæ scaturientis, & ebullientis: cuius potu satiari cupiebat ille, qui dicebat, Satiabor quum apparuerit gloria tua. Et, Inebriabuntur ab vbertatē domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psalm. 35. Esaias quoque ait, Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dila-

Ciuitatis felicitas describitur.

tabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, cælestium voluptatum scilicet, & veritatis eternæ. Hic est fluvius ille purus, non carnali sensu dilutus, nec voluptate sordida corruptus: sed sinceritate gloriæ splendens, ceu crystallum, quod translucentum est, reddensque quod post se est, qui pascit, potat, delectat, ac reficit: qui idcirco aquæ viuæ dicitur, quod per vitam credentibus, nunquam intermorituram, quos plenter imberit semel, vt perfecte sanentur, & seruentur sanitate inenarrabili, quam ipsa nunc fidei veritas dat. Primasius legit flumen aquæ viuæ, tali enarratione. Recte ipse fons vitæ dominus Iesus Christus significari cognoscitur, de quo legimus, Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, Psalm. 35. Ipse est enim quemadmodum legimus Imago maiestatis dei omnia potens, & permanens in se: omnia innouat, & per gentes in animas sanctas sese transfert. Ille itaque fons, qui fluius: fons, eo quod in se permanens sit: fluius, quod ad satietatem sanctis se largiter & iugiter communicet: Nam & vbi fons dicitur, etiam torrens nominatur. Quum enim psalmus diceret, Ex torrente deliciarum tuarum potabis eos, securus adiunxit, Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, Psalm. 35. Dion. Carth. Sacratissimus euangelicæ legis propheta Ioannes cælestis Hierusalem pandit edulium, atque beatæ refectionis materiam, & obiectum. Per flumen autem aquæ viuæ, intelligi potest exuberans illa effusio donorum gloriæ à Deo super benedicto in mentes beatas, seu increatæ beatitudinis participatio copiosa, seu ipsemet spiritus fons totius bonitatis, felicitatis ac voluptatis. Quod flumen dicitur aquæ viuæ, quoniam post vitæ præsentis laborem dulcissime recreat, & vitæ gloriæ præstat, de quo flumine legis in Esaiâ dominum dicentem, Ecce ego declinô in eos vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloriæ, cap. 66. Et Ezechiel asserit, Torrentem aquæ de templo procedentem, cap. 47. D. Haymo de presenti locum hunc expendens: per flumen aquæ viuæ, doctrinam veteris & noui testamenti intelligit. Quod enim aqua prædicationem sanctam significet Salomon docet, qui dicit, Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redu-

Iesus fons vitæ.

Fons aquæ viuæ sacra scriptura.

dans, fons sapientia. Et dominus dicit in Euangelio, Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aqua viuae. Sed quum vna sit doctrina veteris & noui testa. pluraliter enunciat, quia scilicet & vnitatem fidei annunciat: & tamen ad multos auditores prouenit, & per multorum ora diffunditur. Bene autem flumen aqua viuae vocatur, quia quos irrigat viuificat, & ad vitam aeternam inuitat: & crytallo splendenti ob puritatem fidei comparatur, quae in baptismo recipitur. Quos enim docendo viuificat, ad aquam baptismatis perducit, eoque & puritate fidei splendidos, & robore fortissimos reddit. Sedes autem Dei & patris, & filij, ex qua doctrina fidei inuiolabilis procedit, est ecclesia: quibus Paulus dicit, Templum Dei sanctum est, quod estis vos: quia in cordibus fidelium Christus sedet cum patre, & spiritu sancto: quorum quia inseparabilis est potestas, inseparabilis etiam sedes est. Ab ipsa ergo Dei sede procedit aqua, quia ab Ecclesia doctrina spiritus dimanat, extra quam error est omnis praedicatione, quae sanam doctrinam non habet. Iam habes copiose quid flumen hoc aqua viuae sit, iuxta maiorum examen relatum, & ad militanrem (vt dicitur) & ad triumphanrem Ecclesiam, quatenus duplex in eo spiritus intelligentiae amabilius capitur: namque eadem gratia, quae hic habetur a credentibus, consummatur in gloria: & doctrina fidei, & in veritatis aeternae assequutione impletur: vt idem spiritus vtrique operetur, non dubium quin sanctus, ad christi redemptionem, vt saluet & glorificet, & repleat & satiet, & deleat in sempiterna sacula. Amen.

✱ Punctus 2.

In medio plateae eius: Et ex vtraque parte fluminis lignum vite afferens fructus duodecim: per menses singulos reddet fructum suum: & folia ligni ad sanitatem gentium.

Omnia ista ostendebantur Sancto Iohanni sub corporaliu reru similitudinibus. Vnde in imaginaria visione apparuit ei quod per medium ciuitatis decurreret lucidissimum flumen, cui in vtraque ripa videbatur idem lignum. Dicit Hay. Hoc iuxta litteram non potest intelligi, vt videlicet idem lignum numero in vtraque parte fluminis

Lignum in vtraque parte fluminis.

minis sit, nisi forte in medio fuerit collocatum, vt rami illius, hinc atque illinc tenderentur, verum spiritualiter hoc intelligendum est, vt dominus Iesus sit in medio Ecclesiae suae, figuratus per lignum illud, quod Moyses asseruante Dominus Deus posuit in medio paradisi, Gen. 2. Mira efficaciae ac vbertatis lignum illud erat. At quid potuit efficacius, fecundiusque domino nostro Iesu Christo esse: Bene autem in medio plateae, & in vtraque fluminis parte lignum describitur: quia Christus, qui est in medio ecclesiae, quia & in medio candelabrorum aureorum supra versari visus, eodem sensu, vt dicitur, Luc. 22. Nam & salutem operatus est in medio terrae. Illud autem quod dicitur in vtraque fluminis ripa constitit: eodem sensu intelligendum, quo dicitur in duabus naturis consistere, quae velut ripae sunt veritatis perpetuae intellectae per flumen: diuina altera, altera humana. Hic produxit primum fructus duodecim, 12. Apostolos in quibus vniuersitas fructus christiani virtualiter tum erat collecta, quibus dixit, Elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Mirares, fructus fructum produxit, vt naturam superet in hac causa gratia. Porro folia ligni medica verba Dei sunt, quae non defluunt, nihil minore miraculo: nam & ipsum lignum verbum Dei est, testante scriptura, Misit Deus verbum suum, & sanauit eos. Ecce verba medica, verba sanatiua. O quot sanat folium ligni huius quod minime cadutum est, minimeque defluens, dicente scriptura, Misit Deus verbum suum & sanauit eos, intellige qui praordinati ad vitam erant. Deus ille per Esaiam loquitur dicens, Quomodo descendit imber & nix de celo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eum facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. Esa. 55. quatenus intelligeres non inefficax Dei verbum esse, quod manet in aeternum, Esa. 40. Idem. Egredietur de ore meo iustitiae verbum, & non reuertetur ad me. Esa. 45. Non reuertetur, intellige sine fructu: operatur enim ad quod missum fuerit. In summa per id vtrique vniuersi sanati sumus.

Christus in medio ecclesiae

Fructus, 12. apostoli sunt.

Folia ligni vitae.

Rt

*Menses 12.
omne tempus.*

Porro per duodecim menses omne tempus seculi presentis capitur. Illud ergo quod dicitur reddere fructus per singulos menses, ad semper est referendum: quod nunquam cesset procreare fructus, quod primum duodecim tulit. Potest non in cœcinnæ in utraq; ripa utraq; pars Ecclesiæ figurari, quæ hic est, & quæ alibi: per flumē vero aqua baptismatis lymphida, & viua, eo quod vitalis gratia per eā conferatur: cuius Ecclesiæ in utraq; parte stat Christus, qui gratiā dat & gloriā. Psal. 83. Per huius virtutē producti sunt duodecim Apostoli, & cuncti alij per menses singulos producuntur, in quatuor mundi partibus fide trinitatis baptizati. In visione Ezechielis in utraq; ripa plura signa exhibentur, per quæ ibidē ipsi fideles figurantur: renati in Christo, suis quiq; virtutibus fructuosi: de quibus in singulari loquitur Ieremias dicens, Benedictus vir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius: & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas. & non timebit quum venerit aestus, sed erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinit facere fructum, cap. 17. Fructus hic bonarū operationū est, folium salutis doctrinæ, à quibus non cessat in domino confidens, veritatis spiritū eum vegetante. In hac tamen scriptura lignū Christus intelligitur, ideoque vitæ: Namque in ipso vita erat. Ioan. 1. Apud quem in alio loco ipsamet veritas de se testatur dicens. Ego sum via, veritas, & vita. Ipsa est Dei sapientia, iuxta quod scriptum est, Quia lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam. Prover. 13. Sunt qui ad triumphantem. Ecclesiam plus velint presentem scripturæ locum referre, in qua Christus lignum vitæ est secundum diuinitatis naturam ubiq; presentis, ideoque in vtraque parte fluminis: qui alit menses beatorum omnium, satiat, confirmat, & felices efficit, omnibus ex se influens gloriā: cuius fructus duo decim, non aliud puto nisi magnam copiam mercedis sanctorum, qui ob fidei amulationem spiritalem in 12. tribus filiorum Israel computatur, quibus perpetuo suppetit ea felicitas sempiterna, potuit enim opportune in duo decim mensibus aui perpetuitas designari, ad exemplum presentis temporis quod omne in duo decim mensibus cõpletur. Atq; (vt apertius dicā) idē

*In analogia
locus expenditur.*

Christus lignum vitæ appellatur, quoniam ciues in patria feliciter reficit, dona sua illis communicando. Itaque fructibus iisdem, quos Christus procreat, in patria pascit sanctos: & sunt quicquid ad plenam electorū felicitatē pertinet. Beatitudo namque est status omnium bonorum aggregatione perfectus, vt diffinitum est à doctis: & dona hæc, quamuis sint plurima, tamen duodecim numerantur ob perfectionem numeri, mysticij quoque tribuū filiorum spiritualis Israel expressionem. Nā & per Apostolos 12. in nouo testamento electi sunt spiritualiter generati. Hugo Card. duodecim fructus sic numerat, vt primus sit lumen gloriæ: cum hoc tres dotes aia, quæ sunt visio, tectio, fructio. Quintus pax, quam distinctā vult à donibus alijs. Est enim realis delectatio, seu quietatio consummata beatorum in Deo. Alij quatuor dotes erunt corporum glorificationum, puta Agilitas, impassibilitas, subtilitas, claritas. Decimus accidentalis, id est externa illa beatitudo in aspectu humanitatis Christi consistens. Undecimus, gaudiū, quod beati ex mutuo consortio, & conspectu habent. Duodecimus, ex pulchritudine totius machinæ orbis tunc innouatæ. Quæ omnia Christi virtute sent, perinde atq; fructus ex arboris fertilitate. Primū. Bene autem per mediam plateam, tanquam commune omnibus sanctis bonum, quod nulli negetur digno, nulli doneatur indigno: Deus enim qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus, & metuendus super omnes, qui in circuitu eius sunt, Psal. 88. Addidit. In medio quippe est tanquam indiuisum patrimonium cunctis videntibus Deum. Hinc legimus, Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, participacionem eiusdem fore in idipsum; Psalm. 121.

✽ Punctus. 3.

Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei. Et agni erit in ea, Et serui eius seruient ei. Et videbunt faciem eius: Et nomen eius in frontibus eorum.

Quinque memorantur ex ordine. Primū, quod omne maledictū nō erit amplius. Quia enī æternæ beatitudinis locus ille est, non est fas quippiam maledicti inesse ibi, vbi totum est benedictio quicquid est, totum læticia, totum laus, totum gratiarum actio, sicut scriptum est, Exulta-

Rr ij

*Beatitudo
quid sit.*

*Fructuum.
12. allegoria.*

bunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis. Psal. 149. Et, Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Psal. 87. felicia ergo erunt omnia. Aut quo pacto ibi maledictum fuerit, quando illud iam dudum cōdemnatum coniectumque erit in stagnum ignis ardentis? Obserua. In presenti ecclesia maledictum est, quod tractum est à Cain, ut putauit Haymo. In illa autem societate sanctorum nullum erit maledictum, sed omnis ecclesia sanctorum benedicetur in verbo filij Dei dicentis, Venite benedicti patris patris mei, &c. Aliter, In cælesti habitaculo nulla erit alicuius verbi mali prolatio, nulla hæresis, nulla Dei offensio, iuxta illud Esaiæ, Non audietur vltia iniquitas in terra tua, & contritio in terminis tuis, cap. 60. Quinimo erit ibi indeficiens gratiarum actio, & iucundissima Dei laudatio: Sedes enim Dei est. Primasius legit thronum: vnus thronus, vna sedes indiuisibilis sessionis. Eius verba sunt ista. Non dixit, erunt, neque throni, vbi enim vnitas est naturalis & indifferens gloria deitatis, ibi maxime commendari oportuit vnus thronus indiuisibilis sessionis, qui nec Ariane prauitatis astu diuidi, nec Sabellianæ vanitatis possit suspitione confundi. Haymo corruptam textum sequens ex plurali cogitur nihilominus singulare reddere, congregans omnes electos in vnitate fidei. Serpit enim expositione, nec audet caput altius quandoque efferre, neque cum apostolo rapitur ut de excelso audiret arcana Dei verba, videret mirabilia. Sedes ista regnum Dei, & agni: Sedet Christus cum patre etiam ut homo, sedebitque. Quod modo sedeat hoc fides adstruit. Quod verò postea etiam sit regnaturus cū eo, palam est ex eo, quod Luc. 1. regnaturus in domo Iacob in æternum prædicatur. Credimus administrationem regni Christo commissam iuxta hominem, & quia tum eiusmodi administratio desitura sit, nec tamen proinde Christus nō erit rex. Tertium sequitur, Et serui eius seruiant ei, non dubium quin Deo & agno, qui sunt vnium in vna hypostasi. Serui Dei, electi omnes sunt. Quærit Haymo, Quum Dominus discipulis dicat, Jam non dicam vos seruos, sed amicos meos: quomodo hic scriptura iam immortales effectos, vocat seruos? Aut si iam

*Maledictum
tractum à
Cain.*

seruitute corruptionis liberati, ad libertatem & gloriam filiorum Dei peruenient: quomodo in illa quiete æterna seruire narrantur? Sed sciendum nobis est, quia in eo, quod iam nullo certamine desudabunt, sed æterna quiete erunt, liberi erunt, ac nulla seruitute obnoxij. Nam & nunc non sunt serui timoris, sed amoris. Duæ enim sunt seruitutes, altera seruilis, filialis altera. Timer seruus, sed aliter quam filius: ille ne verberetur à Dño, hic ne priuetur hæreditatis beneficio: seruit ille timore, hic amore: nihil interim ad hæreditatem respiciens, sed solum quia pater est, non offendit: pietatem erga illum habens, reuerentiam, & religionem. Hac seruitute seruiunt electi omnipotenti patri: præcauentes, ne eū in aliquo hic omnino offendant: ibi autem seruiunt ei laudando & glorificando illum pro dignitate. Dicit, Cartha. Seruiunt ei, seruitute larriæ Deum reuerentialiter adorando, indefesse laudando, eiusque beneplacito in omnibus obtemperando. Estque seruitus ista sine labore, non ad meritum, sed ad premium spectans, ad quem modum seruire Deo regnare est, est enim æterna felicitas. Quartum erat, Et videbunt faciem eius. Non ergo non poterit ibi esse felicitas, ac regnum, vbi amabilis facies cernitur Dei, non poterit non esse summa laus, & glorificatio, vbi reuelabitur nobis Deus, pater, & toties benefactor noster. Non ergo silentio præmentur istic sancti, nec tacebunt: sed sicut scriptura docet, Vox erit exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Psal. 117. vbi summa beatitudinis nostræ perficietur, videbimus enim eum sicuti est. 1. Corint. 13. Et. 1. Ioannis 3. Id quod procliui toto pectore desiderantes clamamus. Ostende nobis Domine faciem tuam & salui erimus. Videbunt ergo faciem eius, id est, diuinam essentiam clare & immediatè per speciem contemplabuntur: cuius noticiam plene assequuntur, plenæque cognoscent: quam in via ex parte cognoscunt. Et hæc ipsa visio tota merces est. Quod id putas quantæ dignitatis, nobilitatis, excellentiæ, diuicidinis, ac incomprehensibilis felicitatis sit intueri desiderabilem faciem domini? Sed hoc magis animo complectendum, quam stylo persequendum. Nonne facies illa in seipsa est infinitæ pulchritudinis, suauitatis, &

*Seruitutes
duæ.*

voluptatis, omni menti creatae prorsus conuenientissima. Cur ergo non proinde actutum cuncta spernimus? Cur non calcamus quæ mundi sunt? Cur non velut stercorea cum Paulo arbitramur cuncta? alioqui caduca, suopteque ingenio cito vanescentia? Cur præterea in eius vniquam obsequio animo defatigamur? quare non continuo consideramus, qualis & quanta sit illa beatitudo, quæ nobis promittitur in caelis, vt merito sui vile sepret animo, quæ habentur in terris: quatenus ex peccatis, liberiusque toros nos Deus possideret, peccatum suum dulce iuxtaque charissimum? Talem visuri sunt sancti Deum, qualem nunc angeli vident illum, de quo Dominus dicit, Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in caelis est. *Matt. 18. & alibi, In quem desiderat angeli, prospicere. Quod non pueriliter omnino est capiendum, vt putemus Deum liniamentis corporis conspexitibilem, & humana facie, quæ corporeis oculis cerui possit, sed quia in facie hominis cognitio est: ideo hic per faciem, quam electi videre dicuntur, nihil aliud, quam reuelata cognitio sancte illius tridatis intelligitur. hoc est, quod Paulus intendebat abstrusore quodam mysterio scribere. Nos, inquit, fratres reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem. 2. Corin. 3. Et. 1. Ioan. 3. videbimus eum sicuti est, ideo similes ei erimus. Magnum miraculum, magna merces: videbimus, & transformabimur: transformabimur in aliud quam quod in faciem modo sumus. Tanta est vis visionis diuinæ. Nam & facies Moysi igne flagrans à consuetudine colloquij diuini conspicebatur, vt non possent filij Israel intendere in eum. Quintum & vltimum, Et nomen eius in frontibus eorum. Diximus supra quid frons, quidue scribi nomen eius in eorum frontibus sit: tantummodo id accipe, per fidem iustificati electos, per quam etiam vitæ æternæ conferri merita certum est. Horum in frontibus nomen Dei & agni scriptum memoratur, tanquam ex titulo cognoscatur, qui sunt Dei, qui que pertinent ad regnū: quia vere fideles. Haymo. Per frontem exprimitur fides. Deinde querit, Sed quomodo ibi iam nō sit fides, quid sibi vult quod electi nomen Dei in frontibus habe-*

Facie ad faciem videre Deum.

Frons fides.

re prohibentur. Sed sciendum, inquit, quia fides hic pro remuneratione fidei est posita, quæ remuneratio contemplatio dei omnipotentis erit. Quum enim acceperit Ecclesia quod per fidem credidit, recte ipsum fidei præmiū pro titulo gloriæ in suorum frontibus gestare videbitur. Dicatur ergo, Et nomen eius scriptum in frontibus eorum. Dion. Carth. id est, apertissime per dona gloriæ innotescet, quod ipsi sunt filij dei ab æterno prædestinati. Habes quid sit scriptum esse nomen dei & agni in frontibus beatorum, quoniam pro præmio fidei manifestari, quod sunt filij dei ab æterno ex largituoma dei misericordia prædestinati: hic nomen dei & agni in fronte gerimus per apertam fidei confessionem, ibi autem per manifestam gloriæ reuelationem.

¶ Punc. 3.
Et nox ultra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, Quoniam dominus deus illuminat illos. Et regnabunt in secula seculorum.

Ad superiora pertinent, Nox non erit ultra &c. & regnabunt &c. Quomodo enim possibile sit ibi, noctem interuenire vbi nusquam disperebit verus ille deitatis sol, quæ fabricauit solem & lunam, & dedit vt lucerent mundo. Primasius. Nostrorum fragilitas eorum huius nunc, & vicissitudinibus temporum, & consolationibus elementorum, vt ad exercendum diurna opera, noctis quiete reddatur idonea. vtatur etiam nocte pro consolatione lucerna. Tunc autē quando erit deus omnia in omnibus, qui est lux vera, his elementis nullus erit indigens, quando ipse lumen erit regnantibus sanctis, qui totius author est operis. Neque perfectorum exhortatione, neque legis diuinæ prædicatione, quæ nunc in obscuro loco lucerna esse dicuntur, opus erit amplius: quia in dei contemplatione rebus expletis tenetur perfecta promissio. Hay. Si vero noctem intelligamus ignorantiam: lucernam vero, vel solem, diuini verbi prædicatione: neque nox erit tunc ignorantæ, neque prædicatione doctrinæ, quia sicut Esaias dicit, tunc non docebit vir proximum suum dicens, cognosce dominum: quia omnes scient me à maiore vsque ad minorem. Sed omnes æternæ sapientiæ inharentes perfecta scientia fulgebunt, & regnabunt cum capite suo in secula seculorum. O magnæ securitatis fiducia. O admiranda

Nomen dei scriptum in frontibus.

bilis æternitatis duratio. Quis tum pauebit interitum? Quis vitæ terminum exhorrebit: Quis damna complorabit: Studiose ergo nobis contendendum est, fratres dilectissimi, per bona opera, fideique feruorem festinandum: ne dum, tardius incesserimus, oclusa ianua foris erubescamus, damna rerum debitæ nobis felicitatis æternum ploraturi: cum fatuis virginibus olei meritum inopes, fideique luminis egentes, ad vendētes remissi, Hucusque septima visio processit. Quæ verò exhinc sequuntur, ad Ioannis pertinent admonitionem, reliquorumque credentium: & non nisi conclusio libri sunt.

EPILOGVS LIBRI TOTIVS.

Sect. 2. Punct. 1.



T dixit mihi. Hæc verba fidelissima sunt, & vera: & dominus deus spirituum prophetarum misit angelum suum ostendere seruis, quæ oportet fieri cito.

Quemadmodum in asseruandis rebus temporariis, quæ in primis preciosæ sunt, vt aurum argentumue ac margaritæ lucentes, solent adhiberi munitiones, vectes, repagula, seræque & id genus alia clausurarum, ne improbus fur irumpat ac furetur: ita præuidens spiritus multos huius libri aduersarios futuros, in eius conclusione quædam pro illius munitione posuit: è quibus primum hoc est, Hæc verba fidelissima sunt, & vera: nam dominus deus, qui est omnipotēs per angelum suum, qui mentiri nescit, hæc reuelare dignatus est seruis suis, non dubium quin credentibus, qui sunt eius populus peculiaris & sanctus. Hoc iam in principio dixerat, quatenus finis quoque principio consentiret, vt sicut principium galeatum esset, ita & finis, quo magis cætera intermedia velut inter propugnacula tuta essent, ne quis lectionem huius libri temerare audeat, vbi primum sacramenta eius minus cernat: aut velut rem vilem contennat, damnetur: sed vt dei verba religiose tractet, veneretur, & adoret. ac iuxta spiritum eius mysteria timeretur collaris scripturæ sacræ locis, è quibus scintillæ veræ lucis in huc

librum petuntur. Est ergo repetitio propter maiorem credulitatem. Porro noua tralatio habet non spirituum sed sanctorum: sed conuenit tamen sic legi, quasi dominus, qui dedit olim spiritum prophetiæ prophetis suis, idem dignatus sit hæc quoque per modum prophetiæ reuelare: Nam Paulus ait, Spiritus prophetarum prophetis subiectus est. 1. Cor. 14. quatenus ad arbitrium vel fileant, vel loquantur. Haymo legit, Et dominus deus spiritus prophetarum, id est ipse qui loquutus est in prophetis, idem misit angelum suum ostendere Ioāni, & in illo omni ecclesiæ. Siue ergo sit spirituum, siue sanctorum, siue spiritus: habes, quia à domino deo prophetia hæc est, qui quum sit dominus deus omnium per creationē & gubernationem, specialiter tamē per redemptionem, & iustificationem sanctorū, qui suis olim prophetis dabat spiritum prophetandi, qui est & ipse spiritus. Ioan. 4. Spiritus est deus. Et ideo necessario consequitur vera esse quæcunque in hoc libro traduntur, non friuola, non contemptibilia, proinde nec reiicienda: quin potius adoranda amplectandaque, & cum religione tractanda: de his enim habentur quæ oportet fieri cito, id est in breui, vel in præsentī, vt supra expositum est copiosissime. Primum. In breui, inquit, docuit se omnium utilitati generaliter prospexisse. Ipse est autem spiritus prophetarum, qui etiam spiritus sanctus, vtique dominus: propterea propheta, Audiam inquit, quid loquatur in me dominus deus. Psal. 84.

*o Punc. 2.

Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit verba prophetiæ libri huius,

Christus introducitur loquens: qui quamuis interdum morâ facere videatur, velociter tamen est venturus, vt nemo puter in peccatis diu securius viuendum, captus volutate carnis, & conuictus eius, persuadens sibi inique quasi aduentus illius sit nimium differendus: vt dicat, Quando veniet? Quando morte afferet? interim comedendum bibendumque est, genio quoque indulgendum. Quod sane stultorum est putatio: & vox dominus siquidem intercidit hanc eiusmodi, spem vitæ longiorē: *Quum dicit, Ecce venio velociter. Hoc velociter non tam ad finem mundi est referendum quam ad mortem cuiusque, quando*

Spem vitæ longiorē intercidit Christus.

*Aduentus do-
mini ad mor-
tē cuiuslibet,*

dulcem & bene communitam illis vitam idem dominus est adempturus: qui alibi quemq; cōmonitum esse voluit ad vigilandum atque expectandum: quatenus quisque paratus sit semper & vigilet nihil ab similitur hominibus expectantibus dominum surum, quādo reuertatur à nuptiis, vt quum venerit, & pulsauerit, aperiant ei: & beatos illos fore dicit, quos in aduentu repererit vigilantes, quoniam super omnia bona sua constitururus est eum, Luc. 12. vbi adiungit, *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram faciet dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet dominus serui illius in die, quā non sperat, & hora qua nescit: & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet. id quod proculdubio de aduentu domini in mortē cuiuslibet intelligitur: diuisio enim hominis per mortem fit, quando separatur anima à corpore. Proinde recte beatus, qui custodit verba prophetiæ huius libri, quib⁹ indicatur sane, bona quæ sequamur, mala quæ fugiamus, Beatus, inquit, nūc in spe & in merito: tūc autē quū aduenerit dominus, in re & premio. Custodit, qui credit, qui reuerēter præceptionibus eius obtemperat, vitamq; carnis corrigit, & in spiritu seruit deo & Christo. Quo cōtra valde miser & infelix qui non credit, nec obtemperat: aut si credit non implet opere nec vitam corrigit, domino dicente, Ille autē seruus qui cognouit voluntatē domini sui, & nō se præparauit, nec fecit secundū voluntatē eius, vapulabit multis. Luc. 12. Ideo ergo valde miser & infelix, quia pars eius erit cum dānatis ad pœnam. O quis ea pro merito excogitabit, quæ sustinere coguntur eiusmodi verborū contēptores: qui nec audire volunt, ignorantē pro excusatione prætendentes, id est, vt nesciāt, & nesciētes pereāt: vt impleatur illud apostoli: *Qui ignorat ignorabitur.* quibus ipse dominus iudex mortuorum, ac viuentium diciturus est, Amen dico vobis nescio vos. *Quare nescio vos: Quia nec vos scire voluistis me: nec vias meas elegistis, vt custodiretis mandata mea, & voluntates meas, & præcepta vitæ ac disciplinæ, quæ mihi in primis cordi sunt, proinde non excusabuntur. Quia vtiq; scire debemus vias domini: & legem eius excquirere, & certe in ignorantia peribit, qui non vult scire quæ debet, maxime in salutis rem pertinentia: affe-**

ctata est enim, & non simplex ea omnis ignorantia. Nos aliter simus: vt & discamus, & custodiamus verba dei, verba salutis nostræ, verba proficua, verba verba æternæ, quæ presentaturæ sunt nos conspectibus dei, dignosque celo iudicaturæ. *O Punc. 3.

Et ego Ioannes qui audiui, & vidi hæc.

Sicut ad commendationem libri in initio personarū suam semel & iterum ac tercio nominauit. Primo ibi, & significauit mittens per angelum suum seruo suo Ioanni: Deinde, Ioannes septem Ecclesiis. Tercio, Ego Ioannes frater vester. Ita & hic diligenter curauit nomen suū ponere, quatenus opus autore cerriote & illustri tutū foret & gratū, qui de Ecclesia multis nominibus bene mēruit, à domino in primis dilectus, cui hæc ostēnta sunt per angelum eius: quo omnis ambiguitas caluiniāne tolleretur. Imo ne finem quispiam alius texisset cœderetur, quān qui principium. In quod nimis cūm zelus impulit, vt toties in re tam necessaria se nomināret, dicēs, Et ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc. subāditur, dico, & testificor.

*O Punc. 4.

Et postquam audissem, & vidissem cecidi, vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostēdebat. Et dixit mihi: Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum: & eorum qui seruant verba prophetiæ libri huius. Deum adora.

Quatē venerationis sit hæc dignissima Apocalypsis, vel ex hinc conice, quia rursus adoratione officium conatur reponere illi qui monstrauit, vbi duo simul in Ioanne confydera. Primum magne humilitatis virtutem, qui semel prohibitus, tentat iterum idem facere, vt cadat ante pedes reuelatoris angeli. Secundum summam animi ipsius gratitudinem, vt recompenset tali officio, quod aliter recompenſari non posset. Est hic locus, veros prophetas, & seruos Christi apud dominum pares dignitate angelis fore, qui in veritate cordis sui seruiunt ei. Cur vero prohibitus sit, supra satis declaratum est. Primasius censer magno visioum stupore id Ioannem iterare voluisse, à quo iam antea simili responso fuerat prohibitus, velut sui oblitus fuisset. Ego tamen deputarem multo amplius gratitudini, ac spiritus in eo humilitati:

*Angelum re-
cusat ado-
rari.*

prohibitus autē ne non parem secum dignitatem habere putaret, seu ne nihil dignitatis homini Christ⁹ in se contulisse videretur quem supra super astra extulit, vt vniuersitas angelorum ipsum adoraret. Nec proinde docemur nihil honoris ac reuerentia senioribus, aut paribus etiam exhibere, quum Paulus doceat honore iniuicem præueniendum fore, & eos qui præfunt duplici honore dignos. Et Petrus Apostolus ait, Omnes honorate, fraternitatem diligite. 1. Petr. 2. Iterum Paulus Philip. 2. In humilitate superiores, inquit, sibi iniuicem arbitrâtes. Verum ne honorem, qui solum Deum deceat cupiam creaturæ tribuendum esse doceret, dixit, Deum adora, vt creatorem, & saluatorem, & gubernatorem, & etiam huius reuelationis principem autoremque. Deum ergo adora, nō me, qui sum creatura, etsi in præsentia personam eius agam, neque enim ego volo diuinum mihi vsurpare honorem. Viderat enim quid illi primo angelo olim euenerat, aliisque: qui diuinum honorem sibi in cælo vendicare nitentur: qui ad vnum omnes ob hoc cælo exturbati deiectique sunt, nunquam in pristinam gratiam Dei recipiendi: vt iam non angeli, id est, nunciij Dei: sed diaboli defluentes criminatoresque dicerentur. hæserat hoc menti huius angeli, & hæret adhuc: ideo noluit sibi diuinum honorem exhiberi. Ostendit autem cui eiusmodi honor sit exhibendus: quia Deo: ad quem eundem fideliter direxit: Deum, inquit, adora. Sic & apostolus. Regi autem sæculorum, immortalis, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. 2. Tim. 1. quasi dicens. Illi exhibe honorem, non mihi: illum adora, non me. Ioānes enim tantarum reuelationum intelligentia diues per angelum redditus, gratissimum se exhibere volebat: at ille perhorrescens facinus hoc nequaquam pati voluit, sicut nec debuit. Magno nobis erudimento, ne diuinos honores nobis vsurpemus, etiam quatumuis insigni opere: sed tribuere virtutem Deo, qui operatur omnia in omnibus, vt Paulus magnifice testatur. Nisi enim spiritus illius adfit, omnes conatus humani vertentur in contrarium. Ille aspirat, ille dirigit, ille promouet, ille perficit velle & operari in nobis. Vide ergo ne feceris, id est, ne me adoraueris. Quare: Causam subdit, Conseruus enim

tuus sum, id est, vnum tecum dominum sortitus sum: neque dignitate te exupero, par tibi officio sum: non solum tibi, sed & aliis fratrib⁹, qui in Christo sunt ministri verbi sacri Dei, & cunctis credentibus, qui vere fideles sunt. Quem vero adorare debeas, tibi prescribam, Deum adora, qui solus dignus est vt adoretur & ab angelis & ab hominibus, cui seruiunt creaturæ omnes. Simile legis, Act. 10. de Petro & Cornelio centurione. Quum enim Cornelius accersiuisset Petrum Cæsaream: occurrens illi prociidit ante eū adoraturus. cui Petrus, Surge, inquit, & ego ipse homo sum. Quidam namque diuini in eo Centurio credebat. sic & Ioannes in angelo. *Punct. 5.*

Et dixit mihi, Ne obsignaueris verba prophetia libri huius, tempus enim prope est.

Potest lectorem mouere, quomodo hic obsignare verba prophetia libri huius Ioannes prohibeatur, qui supra cap. 10. obsignare iubetur, quæ loquuta sunt septem tonitrua. Sed sciendum nobis est, quia scripturam sacram Deus clausam esse vult & apertam, clausam impiis, apertam piis: vnde ait, Vobis datum est nosse mysteriū regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, Luc. 8. ergo vbi obsignari verba iubet, facit ob impios, qui alibi vetat sanctum dari canibus, proiciq; margaritas ante porcos, Matt. 7. Namque etsi tot figurarum inuolucris recta sint verba prophetia huius, tamen inexplicabilia non sunt, diligenter scrutantibus, vnde etiam obscuritates nonnunquam declarantur in ea: quatenus spes præbeatur etiam alia intelligendi. Beati namque sunt qui scrutantur testimonia eius, inque toto corde exquirunt eum: non dubium quin Deum, cuius sunt scripturæ testimonia omnia. Psal. 118. Vult enim bonus Deus suos & ex hinc mereri, quia cum labore abstrusa scripturarum loca scrutantur, vt veros scripturarum sensus inueniāt, perinde atque sæculi huius filij additos terræ meatus, graui labore penetrant, terræ viscera effodiunt, rimantur venas, vt gemmas, radiatiffique metalli massas colligant: proinde his non sunt obsignata penitusq; clausa, sed desideribus ac impiis, qui scrutari aut negligunt, aut nolunt, qui aliis atque aliis secularibus curis distracti, etiam quæ clara in luce statuuntur

minus capiunt. Obtusi enim sunt sensus eorum, & occaecati oculi, vt videntes non videant, & non intelligant, ne saluisiant. ob quod dominus creditur adstruxisse, difficile diuitem intrare posse in regnum caelorum: quod mere spirituales obtinent, eorum namque est. Carterum affirmat beatus Dionysius Alexandrinus Episcopus, quod exurgentibus quibusdam heresibus occasione voluminis huius: Ioanes errorem redarguens, eiusdem prophetiae sensum ab omni carnali intelligentia emaculauit, asseruit & liberauit. Sed vide totius libri miram compositionem ordinemque. In principio dicitur, Scribe quae vides. In medio autem, Signa quae locuta sunt septem tonitrua, id est, signis quibus vt vidisti innecte, nihil intelligentiam eorundem aperiens: vt proinde dicat, & noli ea scribere. In fine autem, Ne signaueris verba prophetiae libri huius. quasi principium & finem velit esse aperta, id quod & res habet, medium autem minime reiectum. Sed quum medium habeat rationem vtriusque extremi, ex euidencia extremorum poterit vtiq; iudicari & de medio ipso. Datur & alia ratio. Quippe spiritus sanctus praenouit primo tempore futuros esse in ecclesia, qui in gaudio & auda mente recepturi essent verbum Dei: futuros esse etiam inde spretores immundos, qui in carne potius viuerent quam in spiritu. In fine rursus verbi Dei gratiam reuerfuram, Enoch & Elia, ceterisque fortissimis praedicatoribus, secundum quod spiritus scripturam hanc digessisse magis creditur, vt principium fini conueniat in sermonis claritate, medium autem obscurius tegetur. Iam habes quibus ob signatam clausamque fore velit spiritus prophetiam hanc, quibus apertam: apertam piis, clausam impiis. item apertam diligenter scripturam sacram scrutantibus: clausam negligentibus. Illud autem observa. Si quidem, ab hinc vsque in finem quaecunq; dicuntur omnia in persona dicuntur domini Iesu, vt ex ore eius prophetia confirmetur, ne contemni possit, immo quia nefas sit omnino contemni eam, tanquam sermonem per os summae veritatis confirmatum. Sequitur. Tempus enim prope est, quo omnia haec impleantur, rerum euentibus multo amplius fide firmantibus, vt dubitari omnino nequeat. Ac si diceret, ex ipsis rerum euentibus agnosceris ve-

*Angelus
prohibet ob-
signari pro-
phetiam hanc.*

ritatem prophetiae huius, expectate duntaxat & videbitis. voluntatem tempora, & sua volubilitate mala adducunt, aut bona. Sed vos superabitis omnia in me sperantes: neque enim diutius mala tolerabitis, quam cito volubilitate pertransitura futura sint omnia, quo celerius pareat vobis aditus ad aeternitatem. Sequitur.

Qui nocet, noceat adhuc. Et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Et qui iustus est, iustificetur adhuc. Et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.

Permissius loquendi modus est, non optatius, neque imperatius. Saepe enim Deus omnipotens ex nimia ira permittit hominem ruere ob praerentam offensionem in grauiora mala. Ideo in Psalmis mysticus loquitur dicens, Et non audiuit populus vocem meam, & Israel non intendit mihi: Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in aduentionibus suis. Psal. 80. Quae sententia aperte demonstratur praecessisse culpam inobedientiae, ex qua a Deo permitti sunt pergere in voluntatibus sacrilegis eorum. Sicut medicus dimittit egrotum maioribus morbis cadere, si quem incontinenter videat, sibiq; minus ebtemperantem, vt utatur pro libito hoc & illo, nec conualescat. Dicatur ergo. Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc. Non oprando dicit, sed comminando, sed irascendo aduersus stolidos, qui nolunt ab contumeliosis Dei abstinere, seque, sordibus minus inquinare, qui latantur quum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, sese semper ad grauiora promouentes. O grauiusimum Dei iudicium, peccantes permittit in grauiora labi peccata. Peccatum namque (dicit Greg.) quod poenitentia non diluitur, suo pondere mox in aliud trahit: vnde fit, vt non solum peccatum sit, sed peccatum, & causa peccati. Ex illo quippe vicio culpa subsequens oritur, ex quo caeca mens ducitur, vt peius ex alio ligetur. Sed peccatum, quod oritur ex peccato, non iam peccatum tantummodo, sed peccatum, & poena peccati est. Quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccatis obnubilat, vt praecedens peccati merito etiam in aliis cadat. Quae enim liberare noluit deserendo percussit. Non ergo immerito poena peccati dicitur, quod iusta desuper irrogata cecitate ex praecedens peccati vltione preparatur. Quod bene Paulus in infidelibus & lubricis quasi

Deus ob praerentia peccata permittit ruere in alia.

Sordescunt sordescentes.

Peccatum causa alterius peccati.

quoddam semen erroris aspexerat, quum diceret, Qui quum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, &c. Sed quid ex eius erroris semine pululauit, illico adiungit dicens, Propter quod tradidit illos Deus in desyderia cordis eorum, in inmundiciam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Quia enim cognoscendo Deum, peccatum superbie intelligendo commiserunt, cecantur, etiam ne intelligant, quod committunt: & qui intelligunt etiam suam sequi noluerunt, aut nolunt in peccato, & causa peccati, & ipsum lumen intelligentiam perdunt in peccato, & poena peccati. prioris ergo peccati merito peccatorum sequentium fouea regitur: ut qui malum sciens perpetrat, deinceps in aliis etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur ut culpa culpis feriantur: quatenus supplicia fiant peccantium, etiam ipsa incrementa vitiorum: Nam quia omnipotens Deus ad poenitentiam tempus indulget, quod tamen humana indulgentia, ad usum suae iniquitatis intorquet: nimirum iusto Dei iudicio augeri culpa permittitur, ut ad ferendum altius quadoque cumuletur. Hinc rursus Paulus de quibusdam dicit, ut impleant peccata sua semper. Hic etiam voce angelica dicitur, Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc. Quod idem est ac si diceretur, his, qui volunt plus impij esse, nocereque pijs, ac suis semper criminibus sordescere, quibus nullus ardor coelestis desyderij inhæret: permitto eos collabi negans eis gratiam, quam nec appetunt: dumque aliud nec intendunt, nisi ut in dies fiant deteriores, abeant in suo sensu & in desyderiis cordis eorum obstinati. Neque enim mihi fas est amabilem per se, ac praeiosissimam mercem, gratiam dico, in immerentes, maxime qui nec habere commercium eius desyderant, inaniter prodigere: quam etiam si prodigerem, nihil amplius pilo proficerem. nesciunt enim estimare: & ideo tanquam rem vilem abiicerent, me simul vilipendentes, qui creator sum datorque bonorum munerum. Itaque qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc. Diximus supra, non esse verba ista, noceat, & sordescat imperatiua: ne ex voluntate creatoris, creatura, aut nocere aut sordescere deputetur, sed permissiua, ut qui plus cupiat delectari suis in inquinamento

Scilicet littera.

mentis quam vitæ candore virtutibusque, qui nec velit conuerti, agat sicut ad supremum spiritum opera carnis, postquam eiectus sit semel ab ore Dei, & contemptus. Neque autem vult bonus Deus, ut nocens sit quisquam, aut sordidus, cui virtus omnis in primis cordi est: immo ut purus, & virtutum æmulator quisque sit magis, quos etiam solos respicit, recipitque in æterna tabernacula. Quæro igitur, An omnis qui peccat derelinquitur, ut deinceps peccet adhuc? Respondeo, tribus modis peccatur. Ignorantia, infirmitate, & superbia, seu certa malicia. Si per ignorantiam quis peccat, Deus ignorantie succurrit: ut id quod verum est ignorans agnoscat: agnita veritate corrigatur. Huius rei exemplum legis. Gen. 20. de Abimelech, cui noctu dixit Deus, morte lues supplicium, quia abstulisti mulierem, quæ virum habet, cui Abimelech respondit, Domine num gentem ignorantem & iustam interficis: Ille dixit mihi, Soror mea est, & hæc ait, Frater me est: In simplicitate cordis mei & mūdicia manuum mearum feci hoc. Dixit ad eum Deus, Et ego scio quod in simplicitate cordis feceris: & ideo custodiui te, ne peccares in me, & non permisisti ut tangeres eam, &c. Apostolus quoque de se ait, Ideo misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci, & in incredulitate. r. Tim. 1. Quod si per infirmitatem quis peccat, qualis est ille, cuius in persona loquitur idem Apostolus, Rom. 7. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum ducentem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per dominum nostrum Iesum Christum: eiusmodi hominis peccatum patienter sustinet Deus, nonnunquam dissimulat etiam: quemadmodum scriptum est, Misereis omnium domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Sap. 11. Porro si cum superbia quis peccet, seu ex certa malicia, ceruice in contumeliam Dei erecta tradet illum Deus in desyderia cordis sui, & derelinquet in passionibus eius, ut faciat mala omnia quæ solent a Deo desertis facere, in seipsum, & in alterum. Nec sideria cordis est quod dicas, quia voluntatis domini fuit ut ille sit no-

*Nō vult deus
ut aliquis sordescat.*

*Peccatum tribus
modis a-*

*Ignoranter
peccanti deus
succurrit.*

Per infirmitatem peccatorem deus sustinet, quandoque etiam dissimulat.

*Per superbiam
ex certa
malicia peccantem deus
tradet in desideria cordis
sui.*

cens sordidusve, cuius sic gratiam respuit, qui talis est: super quem feruet ira Dei desuper, nec vult misereri illius, qui misericordia in peius proficeret, & in dies peior seipso euaderet. Talem utique illum intelligi oportet, de quo hic dicitur, **Qui nocet noceat adhuc**: & qui in sordibus est, sordescat adhuc, præsertim quia nõ dicit, **Qui nocuit noceat adhuc**, & qui in sordibus fuit, sordescat adhuc. Sed qui nocet, & qui in sordibus est. Hoc enim perinde est atque diceret, **Qui studium nocendi habet, & suas amat sordes, hæretq; desiderio cordis prauo, nemo postquam audierit illũ semetipsum defendentem, & eas quæ in hoc libro scriptæ sunt plagas contemnentem, quicquã boni de illo sperabit.** Dicente deo Amos. 1. Super tribus, & super quatuor non cõuertam eum, **Quia** scilicet postquam tribus sceleribus transcurtis ad quartum quis peruenit, iam non est spes cõuersionis in illo. Primum est sordes criminum in mente voluptuose tractasse: secundũ actu immundas cogitationes peregrisse: tertium in consuetudinem duxisse: quartum easdem sordes defendisse. Noceat igitur qui nocet: & sordescat adhuc, qui in sordibus est. non enim curat Deus de hoc iuste derelicto. **Quia** non tantum sordes amplectitur, sed in super defendit. Vides occulta iustãq; Dei iudicia, quibus mali in peius proficere permittuntur. Nocere autem hic non tantum aliis, sed & sibi debet intelligi, vt Primaño placet. Vnde ad hoc sequitur. Et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Noua quædam translatio habet, **Qui iniustus est, iniuste faciat adhuc: iustus autem iustiora faciat: similiter & sanctus sanctiora.** Sequitur pars altera puncti, Et qui iustus est iustificetur adhuc: & qui sanctus est sanctificetur adhuc, cuius verbi is sensus erit. Electis, & fidelibus meis, quibus sanctitas, iustitia ac iuxta innocentia cordi sunt, hoc collata gratia efficiam, ad hoc prouocabo illos inuocaboque, quatenus fiant in dies sanctiores, iustiores, & puriores, crescãtque perpetuo in gratia, & in omni emulatione boni. sicut de eis scriptum est, **Ibunt sancti de virtute in virtutem.** Electi namque semper sunt in profectu virtutum, quia quotidie inchoant, & per momenta temporum virtutibus addunt. Enimuero quum hæc vita sit via ad aliam, in ea non proficere de-

In tribus peccatis peccans cõuertitur, in quarto non.

Sanctus sanctificetur adhuc.

ficere est. Nemo ergo de suis ita confidat profectibus, nemo se ita perfectum iudicet, quo studium proficiendi ad vltiorem perfectionem deponat, vt tepescat, aut agat negligentius: imo proficiendi propositum quotidie renouet, & vigilantiori semper mente contendat, vt perfectior virtutibus euadat, Deoque seruiat fidelius. Id enim est sanctificari iustificarique adhuc, vt ad maiorem, iustitiam sanctitatemque conetur quisque accedere, semperque purior clariorque vita reddi. Obserua. Habet Ecclesia suas purificationes ad candorem fidelium: vt sunt confessiones tum communes, tum privatæ. Aqua benedicta per verbum sanctum Dei, & inuocationem spiritus sanctificantis: quæ in purificationem conscientie adducta est in fide Iesu Christi, per aquam purificare. effundam, inquit, scriptura super vos aquam immundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Habet & precationem dominicam, in qua petimus iugiter sanctificari nomen Dei patris in nobis, quod inuocatum est super nos, Ieremiæ 14. In quo & regenerati sumus per aquam, & pro filiis charis habemur. Super hæc autem memorabile illud iuge missæ sacrificium, quo & iustiores semper sumus, & sanctiores: & crescimus & confirmamur in virtute Dei, vt & voluntati diuinæ propinquius accedamus, magisque spiritui eius hæreamus: quæ nobis vocabula hæc iustus atque sanctus indicant: ex eo enim quis iustus est, quo voluntati diuinæ conformis est, ex eo sanctus, quo iuxta sanctitas, hoc est, ordinatas dei leges viuunt. Puritas nos in primis conformes deo reddit, Apostolo teste, qui ait, Hæc est voluntas dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione: & sciat vnusquisque vestrum vas suum, possidere in sanctificatione, & honore, & non in passione desiderij. 1. Thess. 4. Denique observatio legum sacrarum sanctos reddit, id est, bene ordinatos, siue enim dixeris iustum, siue sanctum, idem re sunt: vocabula diuersa. Iustus namque (vt sæpe dictum est) à iuxta dicitur, quod iuxta voluntatem dei actiones suas moderatur. Sanctus autem, qui ordinatè secundum dei leges sacrosanctas

viuit, in quibus voluntas Dei sedet. Sed vide deestissima antitheta in collatione verborum: Prius enim dixerat, Qui nocet noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Deinde ex diametro statuit his contraria, Qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc: quatenus iustus opponatur nocenti: & sanctus sordido. Docens nempe Spiritus nos vt qui volunt coram oculis domini placere, nocentiam simul & sordes malarum concupiscentiarum exuant, sintque ceterum iusti, & sancti, id est, prorsus immunes ab his pestibus: nam qui malum volunt malicia augebuntur, & pereunt: qui vero bonitatem, illius fructibus in dies magis ac magis replebuntur, & viuent. O terrendum Dei iudicium. Qui nocet, noceat adhuc: hoc enim nihil aliud velle intelligo, quam eum qui datus est in reprobū sensum semper peius ruere. Qui vero electionis Spiritu afflatus sit, studet virtutibus apprimè cumulare virtutes: vt & qui percutit suo vicio pereant, & qui salui sunt, gratia Dei frant salui. Quumque talia supplicia intendantur impiis, & tanta præmia rependantur piis, quanta significat hæc sancta Apocalypsis: non dubitet impius, quin respondentia suis comeritis supplicia rependantur, quantumcunque nocuerit: Nec iustus ambigat, suis cōdigna accipere meritis præmia: quantumcunque iustitiam fecerit, aut sanctificatus sit, in quod subsequenter dicitur. **¶ Punct. 7.**

Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

*Christus cito
veniet.*

Hæc sola ratio calcar adhibere poterit segnibus velocius currendi, operandi diligentius: quia cito venturum se promittit Christus Iesus qui facta omnium compensat, quique mercedem tribuit operantibus bonum: quem facultas mercedem retribuendi comes consequitur: qui etiam per angelum hæc orē rotundo proloquitur, tāquam magnæ potētiae vir, & inexhaustæ facultatis dominus ad puniendum fontes quantumcunque nocuerint, quantumcunque sorduerint: Contra vero ad remunerandum iustos & sanctos quantumcunque in iustitia profecerint, fuerintque sanctiores. Dicit ergo. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, quasi dicens. Quamuis enim seruo malo, & nocenti, & sordido, & temulento, & percutienti

conseruos suos (vt Lucas habet) secus longe videatur, qui putat meum aduentum in mortem, protelari longius: tamen cito venio, & sic instructus venio, vt possim ilico retribuere. Nemo me putet aliunde petere, aut alibi querere mercedem, qua satisfaciām operario malo aut bono: mecum erit: vt non proinde retributio protelatur. Merces mea mecum est, id est, digna retributio pro meritis atque demeritis (vt distinguunt) singulorū. Porro per opera, non solum externi actus, sed etiam interni capiuntur: vt sunt cogitationes, intēiones, affectiones & ipse etiam loquutiones, eo quod dominus dicat, De omni verbo otioso rationem reddendam fore in die iudicij, Matth. 12. Et sapiens dicit, In cogitationibus impij erit interrogatio. Sapient. 1. Similis locus est apud Esaiam cap. 40. Ecce, inquit, dominus Deus in fortitudine veniet, & brachiū eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Quod si intelligitur. Ecce in potestate magna adueniet dominus noster Iesus Christus, siue ad particulare iudicium, siue ad generale: & potestas eius in multa fortitudine imperium suum exercebit, ad reddendam unicuique mercedem secundum opera eius. Nam merces eius cum eo, id est, retributio bonorum, & damnatio reproborum: & opus, id est, iudicij potestas coram illo. Venturus namque est enim filius hominis in gloria patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera eius. Matth. 16. Et rursum. Pater non iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit filio. Ioan. 5. **¶ Punct. 8.**

Ego sum Alpha & Omega, primus, & nouissimus: principium & finis.

Quamuis filius Dei sit vere genitus à patre, & Spiritus sanctus ab utroque æqualiter procedat: nihilominus filius, & Spiritus sanctus sunt primus & nouissimus, immo omnes tres personæ hoc ipsum sunt, primus, & nouissimus, sicut sunt vnus æternus, & vnus immensus. Siquidē in hac sancta triade, nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, etiam si in diuinis ponatur prioritas originis: non tamen ponitur dignitatis, aut temporis: & ideo sunt vnum principium: vnus quoque finis. Dicitur autem Deus nouissimus, non quia aliquid eum præcesserit, aut omnia sint peritura ipso tantum superffite: sed quia

Deus est primus & nouissimus.

*Principium
iuxta ordinē
creaturarum
Deus.*

æternus à parte post, sicut ab ante, nec aliquid erit, quando ipse non erit. Haym. Primus ante quem nullus, & nouissimus post quem nullus. Principiū, à quo omnis creatura sumpsit initium. Finis, quia in eo omnia rediguntur. Alpha pertinet ad verbi dignitatem, Omega ad susceptā in fine temporum humanitatem. Ipse est ergo Alpha, id est, principium permansens cum patre: Ipse est Omega, id est, finis, natus temporaliter ex matre: vnde Paulus, Christus finis legis ad iustitiam omni credēti. Principiū quoque non ad ipsum est referendum: quod scilicet ipse secundum quod heretici voluerunt, ex tempore coeperit sed ad ordinem creaturarū pertinet, quæ ex illo sumpserat initium. De Alpha Ioannes dicit, In principio erat verbum. Et omnia per ipsum facta sunt. De omega vero, qui est finis elementorum apud Græcos, sicut & Alpha principium, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. In his totius salutis christianæ summa consistit, vt scilicet in vno eodēque Christo, & perfecta deitas, & vera credatur humanitas. Idem sentit Primasius: sed fecilius, ditius, copiosius, splendidiusque sententiā reddit: cuius ponam verba. Ego sum Alpha, & ω; Primus & nouissimus, initium & finis. Fidelis prædicatio veritatis: at irreprehensibilis forma virtutum, quoties repetitione firmatur, ampliore cultu spiritalis animi infotmatur: quod ad finem libri breuiter quidem, sed competēter exprimitur. In Alpha verbi diuinitatem, In Omega susceptam humanitatem assignans, principium sine termino. Quod autem in præsentī libro toties Alpha & Omega reperitum video, nō inaniter factū fuisse cognosco. Siue enim propter vnus Christi diuinitatem & humanitatem sapius in sinuādam, in qua totius christianæ fidei summam constare adstruimus: siue vt vnus naturæ tota trinitas intimeretur, qui per prophetam dicit, Ante me nō est formatus Deus, & post me non erit: Ego sum Deus, & non est absque me saluator. Esa. 45. vel cui pro perphetam dicitur, Tu es Deus, & ante te, & præter te non est alius Deus. siue aliud aliquid melioris secretiorisque mysterij lateat, non tamen dubito ad hoc sapius iterarum, vt intelligēdi gratia fidelibus maneret fructuosa. Nam & ipsa elementa Græci alphabeti Alpha & Omega eiusdem nu-

meri conficiunt summā, quam columba nocte in Græco nouimus cōprehendi. Columba enim dicitur. Peristera: A quo nomine octin (lxxx. v. c. x. cc. ccc. v. c. i.) gentesim', & vnus numerus subsumatur, quem etiam i. a. & ω. decc. adimplent. In columbæ autē specie recte nobis sc̄ti spiritus nouimus significari personam: in cuius specie descēdēs, voluit apparere: vt scilicet Arrianorū aliorūq; hæreticorū frustraretur insania, qui eū à patris & filij natura asserunt alienū, quū etiam per huius conuenientiā numeri, hic quoq; reuelatio celestis consubstantialē, & coæternū patri, & filio, sanctum spiritum manifestet. Nā & exordiū euangelij sui iisdem Ioannes sensibus, licet diuerso orsus sermone, cōposuit, dicens, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deū, & Deus erat verbū. Et post pauca, Et verbum caro factū est, vbi rotius fidei summa consistit, vt in vno eodēque christo perfecta deitas, & vera credatur humanitas. Dicat ergo Christus, seu angelus in persona Christi. Ego sum Alpha & ω. primus & nouissimus, principium ac finis, Nempe Deus. Indēque non est manus mea inuvalida ad retribuendum, quia autē me non est formatus Deus: ego enim sum ante omnes, & ante secula Deus, & post me non erit alius, vt potēs sim in procinctu vniciūque reddere secundum opera sua mercedē, bonā vel malā. Vtitur ergo vt in summa dicam Græcis literis ad exprimendam suam æternitatem, quas apuissimis postea vocibus exponit, Alpha enim (vt sæpius diximus) literarum græcarum prima est: Omega siue o magnum vltima, vt rectissimè statim subiungatur, Primus & nouissimus, principium & finis: vt si ex altera expositione minus caperetur, capiatur ex altera, quid literæ afferant insueris potissimum auribus. Principium eundem est, à quo omnis creatura cepit initium: Finis in quē terminantur omnia. Hoc idem in initio dixerat: quod idecirco renouat, ne quis aliquando ad extremum suum diem dormitet: neue quis scripturæ huius tubam, quasi rem vilem, ac nihil momenti, præ amore suarum sordidū reputer. Nam qui est principium & finis, Deus & homo, Christus, ocyus adueniet: & facta examinabit, & punit pro malis, pro bonis remunerabit.

☩ Punctus. 9.

SC iiii

Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vite: Et per portas intrent in ciuitatem.

Qui conscientias suas in fide sanguinis Christi per sacramentum poenitentiae abluerint beati, hic per adeptam gratiam, in futuro per gloriam. Graeci codices habent, Beati qui faciunt mandata eius. In sanguine autem agni: apud eos non legitur. Haymo, per stolas corpora & vitam capit. Prima, immaculatam vitam consimili celsura. Alij opera iustitiae. Dion. virtutes quibus animae vestuntur, quae tamen polluuntur in nobis donec in carne sumus, perinde atque contractu sanguinis mortui, quod cauebat in figura lex. Multa enim accidunt nobis, quibus polluantur nostra opera quamuis candida: proinde non solum illi beati in libro hoc praedicantur, qui custodiunt vestimenta sua seu holoserica baptismatis, sed etiam qui a sordibus abluunt postquam per immoderationem vitae fuerint maculata, iuxta illud, Lava à malitia cor tuum.

Et, Lauamini, & mundi estote: auferre malum cogitationum, vestrarum ab oculis meis, Esa. 1. Fiet autem in nobis ablutio adhibita confessione sacramentali: Omne enim crimen deiicitur hoc sacramento: virtute sanguinis Christi, qui operatur in eo. In cuius rei figura in veteri lege nunquam sine sanguine fiebat legalis emundatio, teste Paulo Hebr. 9. vbi legis, Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quāto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obrulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Bene autem de ablutione stolarum hic meminit, quia nuptiae agni, & sanctae ciuitatis Hierusalem, de quibus hactenus splendidae visiones demonstratae sunt, nuptiae sunt sanctitatis, & omnis candoris, & iustitiae, vt nullus impurus admittatur, vbi soli puri triumphant, & qui conscientias suas, vbi eas sordibus pollui contigerit, digna poenitentia purificant, & hoc in sanguine agni, qui est Christus, qui per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, aeterna redemptione inuenta, Hebraeo nono. Lauanda est igitur impensus conscientia nostra.

Stola.

Ablutio conscientiae per confessionem.

Nam qui lauant puri fiunt, & ingrediuntur in sancta aeterna redemptione inuenta, vbi potestas sanctorum erit in ligno vitae. Lignum vitae Christus est, iuxta illud, Sapientia lignum vitae est amplectentibus eam, Prouerb. 2. Quid potestas? nisi autoritas, honor, dignitas, & felicitas sanctorum est: est eorum potestas, & in eo quod quicquid volunt sine defectu habent: vt sit ergo potestas eorum in ligno vitae, & per portas intrent in ciuitatem. Portae istae sunt, secundum Augu. virtutes ac bona opera nostra. Alij volunt obseruantias praecceptorum Dei intelligi, iuxta quod dominus ait, Si vis ad vitam ingredi serua mandata, Matt. 19. quorum obseruatione iustus quiescat erit, & portas bipatentes habebit, de quibus forsitan portis loquitur, Psal. 117. Aperite mihi portas iustitiae: ingressus in eas confitebor domino. Quia verò iustitiae nostrae in vno iusto Christo consummatae sunt, qui se ostiū dicit. Ioan. 10. excipit propheta, colligens eas omnes in vnam dicens. Haec porta domini, iusti intrabunt in eam. Neque enim aliter ingredi ciuitas ea poterit nisi per Christum, in quo & iusti sumus: Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. 1. Corinth. 1. Quumque nihil coinquatum, nec abominationem faciens queat intrare in eam vt cap. praecedenti tractatum est: recte iustis ingressus tribuitur, id est, solis iustificatis in Christo, in quo antequam ingrederemur iusti sumus, & facultate ingrediendi habemus: quia per propriū sanguinem ipse iam pridē introiuit semel in sancta. Et vide quia nec pontifex summus veteris legis introibat in sancta, sine sanguine: & Christus per propriū sanguinē introiisse dicitur, Hebr. 9. quāto minus licebit nobis ingredi nisi sanguine agni abluamur. Nullus ergo sine sanguine intrabit: nullum ciuem suscipit, nisi hoc candidarum ciuitas ea per beatam.

✽ Punctus 10.

Foris canes, venefici, Et impudici, Et homicide, Et idolis seruientes: Et omnis qui amat, Et facit mendacium.

Qui sunt canes nisi Ethnici? de quibus Dominus loquebatur quum diceret, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, Matth. 15. Et alibi, No-

Porta ciuitatis quid sint.

Canes ethnicorum increduli.

Canes ethnici increduli. lite sanctum dare canibus. Canes sunt & qui retro eunt ad vomitum peccati. 2. Pet. 2. Canes sunt Iudæi, hæretici quoque, de quibus in psalmo legis, Circumbunt ciuitatem vt canes sunt & qui inuicem mordent, detrahentes alter alteri, Gal. 5. Si inuicem mordetis: videte, ne ab inuicem consumamini, Canes & illi, quibus infensus idem Apostolus aiebat, Phil. 3. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem, haud dubie pseudo apostolos subnotans, qui subingredientes in contrarium vertebant plebem Christi: hi sunt canes, quorum nullus ciuitatem ter quaterque beatam ingreditur, nec manducabit cornam agni Christi perpetua fame laboraturi. Increduli ergo sunt canes, Iudæi, Ethnici, Hæretici, rixosi, & diffidentes. Venefici, qui nigra morte perimunt multo crudelius veneno quam ferro: quum venenum intra viscera dilapsum vitalia exedit: ferrum externe carnem scindit. Impudici, qui sese quoquo modo per inuidiam libidinis conspurcant. Quo etiam titulo notantur omnes qui dimota verecundia peccant, nec diuini aspectus veretur præsentiam. In quos cõpetit illud. Frons mulieris meretricis facta est tibi: ideo noluiti erubescere. Ier. 3. Homicida, qui manu, imperio, consilio, consensuue hominẽ perneant, partem cum Cain habituri. Idolis seruientes, qui simulachra quædam pro deo colunt, siue etiam qui creaturam plusquam creatorem diligunt: & pro illa hunc qui solus est timendus, colendus, & diligendus, negligunt, vt etiã saepe offendant. Mendaces diximus supra potissimum eos esse, qui christianismum verbo confitentur, factis autem negant, longe peius Ethnicis viuentes: hi certe amant, & faciunt mendacium. Sunt & alij qui amant, & faciunt mendacium: qui cum quadam delectatione, & proposito, consuetudinẽque proiectant mendosa dictoria: multi denique dicunt mendaciũ, sed non amant mendacium, quia non studio aut amore mendacij mentiuntur, sed timore, vel alia fragilitate accidẽti, vt obstetrices hebræorum: hi purgant peccatum opere misericordia. Author est Haymo, Qui etiam nisi emendationis studiũ adhibeat perditione cõminata non carebunt, scriptura dicente, Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Proinde oportune respiciant oportet vt non pereant. Alij sunt

qui studio, voluntate, atque delectatione quadam mendaciis vtuntur: Quod si studio decipiendi, aut damnificandi alium, grauius est peccatum. Nec proinde iocosum, damnosumue: immo nullum omnino mendacium deberet procedere ab ore hominis Christiani, quia Christus est veritas, in quo christiani sumus, & veraces esse debemus: si non magis extra Dei electam ciuitatem, quam intra volumus permanere. Generaliter, omne peccatum est quoddam mendacium, & ideo vitandum à verbo veritatis progenitis. Porro sicut triplex est veritas, vita, doctrinæ, & iustitiæ: ita mendacium quoddam vitæ est, quod admittunt falsi christiani, seu religiosi, qui veritatem verbi in mendacio vitæ detinent, id est, in mala vita veri Christiani esse volunt. Mendacium doctrinæ, quum veritas scripturæ falsa expositione traditur, & sub prætextu, tituloque eius falsa docentur. Mendacium iustitiæ, dum peruertitur iustitia per iniquos iudices. In summa, sicut est mendacium sermonis, ita est & operis: quod vtrobiq; auersatur Deus, perdetque & loquentem, & operantem suo districto examine. Cui nihil nisi veritas placet. Nam veritas, & misericordia obuauerunt sibi, iustitia & pax osculata sunt eum. Psalmus. 84.

* Punctus II.

Ego Iesus misi angelum meum testificari hæc vobis in ecclesiis. Ego sum radix, & genus dauid: stella splendida & matutina.

Ac si dicat, Si huius libri primarium authorem queritis, Ego Iesus qui sum autor, & innouator orbis, in salutem omnium datus à patre, qui mihi Ecclesiam columbam candidam, sacro quæsiui, & mundani sanguine, pro qua mortuus sum, & resurrexi, cuius nec tum quidem, quum iam gloriosus in celo sedeo obliuisci possum: cuius etiam omnes fortunas & euentus vsque in finem sæculi revelare volui, cruces & victoriam, in consolationem fidelium, vt non in tentationibus eorum deficiant, considerantes omni momento temporis curam mihi de eis fore. Non igitur ab homine est: neque ipse Ioannes ab homine hanc sacram Apo-

Veritas triplex, & mendacium similiter.

Apocalypsis à Christo per angelum.

calypsum accepit, aut didicit, sed me reuelare per angelum meum fidelem: vt sicut omnes scripturæ sacræ diuinitus reuelatæ datæque sunt, ita & hæc: proinde firmissima reuificatione prædicanda, interque canonica scripta recipienda. Ego enim sum ille Iesus radix Dauid, qui secundum carnem originem duxi ex Dauid, qui fuit filius Abraham, quibus dictæ sunt promissiones. Abraham quidem, quod in semine eius benedicendæ essent omnes gentes: Dauid autem, quia de fructu ventris eius poneretur in sedem eius, qui regnaturus foret in æternum: quæ sedes ecclesia est, & regalis dignitas eius. Thronus enim dei est ecclesia. Obserua, Duo de se dicit. Primo quia radix sit, secundo, quia genus Dauid: quibus verbis duplicem sane naturam in Christo accipimus, diuinam scilicet & humanam: nam secundum quod deus radix est, secundum quod homo genus dauid: non enim arbor portat radicem, sed radix arborem:

Christus radix & genus Dauid.

sic non Dauid deus, sed deus Dauid. Secundum ergo quod deus, origo & causa Dauidis est: secundum quod homo, filius ex eo proditus, Apostolo Paulo testate, qui ait, Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, Ro. I. atque in hunc modum, qui filius dei, filius est & Dauidis: vnde per semetipsam veritas interrogans Iudæos quid ipsis videatur de Christo, cuius filius sit, hoc ab eis responsum accepit, Dauid. Quibus dominus. Quomodo ergo, inquit, Dauid vocat eum dominum dicens, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: vt recte iuxta deitatem sit dominus Dauid, secundum humanitatem genus. Ergo, Ego sum radix Dauid, vera est propositio, quia Dauid ex eo cœpit initium. Et hæc nihilominus vera, Ego sum genus Dauid, quia ex illo in fine temporum carnis materiam assumpsit. Idem etiam stella est splendida matutina. Quantum ad literam pertinet, stellam splendidam, & matutinam, appellat stellam yeneris, qui & lucifer appellatur: quæ dum extremas noctium partes illustrat, mane diem citius affuturum declarat. Bene ergo Christus stella matutina splendida est, quia ipse est lux vera illuminans omnem hominem Ioann. I. Matutina autem, quia mane surrexit, & tenebras mundi diduxit, nobisque claritatem æternæ dici

Christus stella matutina.

inuenit, iuxta illud apostoli, Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Rom. 13. Quia scilicet noui testamenti gratia refulgente, æternæ dici claritas amabilis propinquior nobis facta est, vt non ab re lucem se Christus in euangelio subinde appellaret, quia cuncto fidei gratia illustrauit, & illustrat adhuc vsque ad noctem mortis: vt recte propheta à matutino vsque ad noctem quemque fidelem sperare in domino horretur, dicens: A custodia matutina vsque ad noctem speret israel in domino, Psal. 129. Vbi aduerte, quia nox & culpæ, & mortis est: non quod vere fidelis in fide vsque ad mortem perseuerans fortiter sit vilo vnquâ tempore, vel etiam post mortem noctem habiturus, quia de gratia transet in gloriam inenarrabilis luminis: natura tamen ipsa noctem suam habebit, quando priuabitur luce hac vitali. Vel iccirco est stella matutina Christus, quia in resurrectione sua præclarissima post turbidam passionis noctem, velut stella matutina, gratus omnium aspectibus mane splendens refulsit: cui adscriptum supra diximus titulum Psal. 21. qui sic inscribitur: In finem, Psalmus Dauid pro susceptione matutina. Sed quis iste finis est, in quem Psalmus compositus perhibetur, proculdubio Christus qui se finem & in hac scriptura litera Græcica Omega appellauit. Susceptio matutina, corporis gloriosi, de sepulchro excitati assumptio est. Alij ceruam matutinam legunt, quæ & ipsa mysterio congruit. significat sane domini lætitudinem resurrectionem, quæ præluſit æternæ claritatem dici, ad quam cum susceptione gloriosi corporis resurgemus omnes qui immutabimur. Cerua enim matutinali hora tota exhilarata saltat hincinde, quæ noctis tenebras in expectatione exegit: gessit igitur saltibus cerua donec purpureus sol suo splendore exoritur: ita & Christus præluſit diem nostram æternam, in cuius mane nunc sumus, & iam lucemus spiritu, & vita cœlesti, veritate asseuerante, Vos estis lux mundi, Matthæ. 5. Et Paulus Eph. 5. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Huic hora gauisi sunt omnes prophætæ (vt diximus supra) qui domini aduentum præcinebant. ideo Dauid orans dicit, Mane exaudies vocem meam. Erite-

rum, Mane astabo tibi, & videbo. Psal. 5. Tunc certe maior suauitas mentem imbuit: in qua deus contemplatur dulcius: & guttur spiritus eius verius fugitur. Dicit ergo Christus. Ego sum stella splendida & matutina, qui in mane resurrectionis meae plena claritate gloriae fulsi praeludens aeternae illius diei claritatem, quae vos excipiet resuscitados similiter a mortuis. Vel ob fidei lucem stella splendida, & matutina, quam vobis inuexi radiis coruscis, quae diem magnum gloriae praecedit. In summa Christus nunc quidem stella est nobis fidei delectabiliter oriens in cordibus nostris: tunc autem fiet sol, quando videbimus eum, & cognoscemus sicuti est, in gloriam translatus: sol inquam nunquam occubiturus, qui illuminat omne coelum, communicans suam claritatem qua beatus est omnibus, qui cum eo erunt, perenniter beati.

* Punc. 12.

Et spiritus & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit dicat, Veni. Et qui sitit, veniat. Et qui vult, accipiat aquam vitae gratis.

Mira est verborum redundantia, mira sensus foelicitas, mira etiam ac suavis consolatio, vbi spiritus, & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit dicat, Veni. Et qui sitit veniat, Et qui vult accipiat aquam vitae gratis. Quid hae sententiarum diues, ac varia suppellex sibi vult? Quid efflagitat? Quid intendit? Video concitatissimam fauoris diuini inuitationem. Spiritus alacritatem amplector. Mercem caelestem gratis venum expositam admiro. Sed quis is spiritus est? nempe de quo dicitur Ioann. 4. Spiritus est deus. Tota ergo superbenedicta trinitas est hic spiritus, pater, filius, & spiritus sanctus. Quamuis per spiritum illum quoque speciatim intelligimus, qui testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij dei, in quo clamamus, Abba pater, Rom. 1. Sponsa est Ecclesia columbae nomine, & amicae in Salomonis Cantico designata. Sponsa autem: habet namque fidem sponsi sui Christi & thesauros inenarrabiles pro arrha: & spiritum, in quo signati sumus credentes, Ephe. 1. Potest ergo tali sensu intelligi, vt spiritus & sponsa vnumquemque vocent ad deum, & ad munera foelici-

*Spiritus deus
trinitas.*

*Sponsa eccle-
sia.*

ratis aeternae capienda. Obserua. sancti verbi dei ministri penes se debent assumere verba haec admirabilis inuitationis, qui propinquius audiunt vocem & spiritus, & sponsae: quorum vox vna est vocatio ad vitam. Nam verbum inuitationis spiritus & sponsae ipsi resonant in ecclesia dicentes. Veni, Veni. Qui sitit veniat. Id quod legunt apud Ioannem domini verba referentem. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, &c. Quae verba idem sanctus euangelista exponere curauit, dicens. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum, Ioann. 7. Quo non aliud est aqua vitae, quam gratis elargiri pollicentur spiritus, & sponsa. vt dicant. Qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitae gratis. Audit fidelis vocem spiritus, & sponsae, per ora facti verbi dei ministrorum: cui si obtemperet, charitas Christi illum protinus, immo spiritus eius ad cohortationem excitat, vt dicat. Veni. Solent namque pij Christiani accepta gratia fidei sese mutuo cohortari ad grassandum viam domini. Sic Andreas Petrum. Nathanael & Philippus ad domini agnitionem hortatus est, & hortatione sua vocantur dicens. Veni & vide. Ioann. 1. Sed quos cohortantur? Quem vocant? Respondeo. Praedestinos, qui hereditatem capiunt salutis. Potest & aliter enarrari locus, vt spiritus clamans in cordibus fidelium ad saluatorem Christum, qui est scopus salutis omnium, dicat, O Christe saluator: veni ad saluandum nos, libera ab his malis, quibus vallamur & premimur gementes in necessitatibus nostris. Salua nos in gemitibus nostris, in tempore malo: sicque non aliud hoc loci docemur, nisi vt in angustiis nostris recursum habeamus ad Christum, tanquam spem viam & vnicam salutis nostrae, qui vnus possit saluare nos. Veni ad iudicium quoque reproborum, ad exterminium omnium iniquitatum, ad reuelationem gloriae filiorum dei. Videtur autem hoc sensu idem dominus Christus praecipere, vt qui praescripta audit, magno animo synceraeque & magna fide dicat cum spiritu & sponsa, Veni. Postremo autem vt aliquis ex fide possit domino dicere recte, veni: aquis viuentes praegustiter necesse est. Quocirca vltro Christus prouocat tis emitur.

Gratia gra-

cunctos sitientes, & cupientes vt veniant, & bibant, spiritalem hunc potum aquæ vitæ gratis: vt nemo prætenderet proinde nequiuisse salutem assequi, quod negata sit ei vitæ aqua, & salutis spiritus. Enimvero ipsa viuifica gratia non appenditur argento, nullo precio gratis erogatur, & non est nisi in solo accessu labor. Accede & apprehendes. Fides acceditur, deuotione emittur, erogatione possidetur: vt quod assequens in hac celesti merce libenter eroges oportet: & vsuram ad sortem facias. alioqui vt seruus malus & piger sorte collata priuatus, ligatis manibus pedibusque in tenebras mitteris exteriores. Similis locus est apud Esaiam capitul. 55. Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite, Venite emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Lac ob dulcedinem, & infantia, teneritudinisque nostræ sustentationem: vinum ob cordis lactificationem, spiritusque inebriationem. Aqua ob sitis extinctionem, & immundiciæ ablutionem. De dulcedine spiritus scriptura sapientia loquitur, O quam bonus & suauis est domine spiritus tuus in omnibus, cap. 12. De lactificatione alibi legis, Et vinum laticat cor hominis. Porro proprium est aquæ sitim extinguere, mundarique immunda, magis quam cuiuspiam liquori. Scriptum est, Sitierunt, & inuocauerunt eum, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro: per quod enim penas passi sunt inimici illorum à defectu potus sui, in eo quum abundarent filij Israel lærati sunt. Sap. 11. Item Esa. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. & alibi in ablutionem menstruatae aquam promittit deus. In qua omne immundum intelligitur. quod purificatoria aqua emundat. Est ergo spiritus dei, & lac, & vinum, & aqua: quo in loco sciendum est quia spiritus dei, quibusdam cibis est, quibusdam potus. his qui cum difficultate capiunt cibis: qui facile potus, iuxta mensuram donationis Christi. Ergo si quis sitit veniat, & bibat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Primum. Quomodo qui vult accipiat? quum dixerit Ioan. 6. Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. nisi quia ex nolente pater fieri nominans diuina inspiratione volentem. Nam & hic sic libe

*Spiritus dei
cibus, & potus.*

lic liberum conuenitur arbitrium dicendo, Qui vult accipiat, vt confestim gratia prædicetur in eo, quo dicit, Aquam vitæ gratis. Nullus itaque bonis præcedentibus accipit aquam vitæ, quæ datur gratis. Quid enim, inquit Apollolus. 1. Cor. 4. habes, quod non accepisti? Ergo & voluntatem veniendi à deo gratis accepimus: cui nihil præmij contrulimus vt essemus, quanto magis vt iusti ex peccatoribus redderemur, vt qui gloriatur, in domino gloriatur, Iere. 9. Et 1. Cor. 1. Item 2. Cor. 10. quatenus intelligeres omnino liberum arbitrium minus in salutem sufficere absque dei gratia. Non enim valet fructum salutis producere, nisi fortis ac fecunda nimis adsit illi gratia. Sed neque equus quoque vertitur, neque recta procedit, nisi sellor assideat, capistro moderetur, virgeat calcariibus: calcaria nostra sunt timor & amor: timeamus deum, qui potest perdere corpus & animam in gehennam, Matt. 10. Luc 12. Amor sit in nobis, qualis solet esse in filiis erga patrem, reuerentialis. Capistrum lex moderatrix est, ne pro libito feramur in vicia: eo quod præsentia plus mouent illectamenta, quibus captus animus facile in diuersum abit & peccat, nisi insidente gratia fortiter regatur. & hoc est tractio patris ad Christum, id est ad omne bonum, ad omnem virtutem, pacem, iustitiam, integritatem, pudiciam, temperantiam, charitatem: breuiter ad omnia, quæcumque in parte laudis ponuntur. Hæc enim omnia sunt ipse Christus, qui est omne bonum nostrum, vt necessario studiosus sit, qui vere Christianus esse vult.

✽ Punc. 13.

Contestor enim omni audienti verba prophetia libri huius, Si quis apposuerit ad hæc, apponet deus super illum plagas scriptas in libro isto, Et si quis diminuerit de verbis libri prophetia huius, auferet deus partem eius de libro vite: & de ciuitate sancta: & de his, que scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimonium perhibet istorum.

Præclare sciebat dominus Iesus, quem nihil latere potest, etiam futurorum, minime defuturos, qui scripturam hanc prophetia ob difficultatem eius non intelligentes deprauarent iniquis eorum additionibus, addentes sicubi huius oratio videretur: diminuentes in superfluis: pro-

T t

*Non ad den-
dum: nec di-
minuendum.*

inde vt integra maneret scriptura iuxta reuelationem spiritus, pœnas deprauatoribus comminatur damnationis aeternæ. Sic & ipse Salomon deprauatorem verbi diuini prudenter depellit dicens, Ne addas quicquam verbis illius, & arguatis inueniarisque mendax. Proverb. 30. Et in Deuteronomio legis, Non addetis ad verbum quod vobis loquor: nec auferetis ex eo, capit. 4. & capit. 12. Nec addas quicquã, nec minuas. Quod nequaquam ita cauillator accipe, quasi malum sit copiosius interdum scripturam sacram reddere: alioqui quomodo per spiritum sanctum propheta dicit, Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, Psal. 118. Sed peccatum est scripturam sacram interpretari non sicut flagitat spiritus sanctus. Non est ergo hoc contra christos, qui spiritum dei habentes sacros dei sermones secundum cor dei sicut acceperunt interpretantur, nihil contrarij ex se temere adicientes, neque dementes, sed veritatem dilucidius reddentes, sæpe copiosiori documento petitis hinc atque inde consentientibus scripturarum locis. Est autem contra eos, qui sensum dei deprauant, ad libitum in diuersa trahentes: Inuertunt, extendunt, succidunt, statuunt hæreses: quorum de grege nos non sumus, qui post messem aliorum spicas collegimus. Sentiant alij vt volunt, nos intra limites orthodoxorum expositionem nostram coercuimus. Iuxta quod scriptum est, Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, Proverb. 22. iuxta spiritus flagitationem. Ad quã velut ad lidium lapidem omnia expendimus, quantumuis fusius aliquem locum tractauerimus: hoc fecimus, quo rigentem figuris sermonem vtiliori sanore omni studiosorum, insereremus, lucemque tenebris illustriorem inueheremus. Alias quoque libuit in hoc opere reponere, velut in archiuo quodam, quicquid erat nobis supplicetiliũ longo studio conquestum: nec pecuniam domini in sudario ligatam defodere, aut lucernam abscondere sub modio, quatenus holocaustum studij nostri pingue fiat, Christo & patri eius per spiritum sanctum oblatum, quem etiam principem in hoc opere velut Theseum solum sequuti sumus, quã si quando minus demerimus, vt à scopo forsitan abdu-

ceremur, parati sumus emendari, per eum, qui spiritum dei habeat, & vberius habeat. Nos fecimus quod potuimus in virtute dei, & directione spiritus eius, optimam operam (ni fallimur) nauantes. Sed vt ad institutum redeat oratio. Postquam durissimam in deprauatores sensus spiritus dei sententiam protulisset, asserit se illum esse testificatorem, qui reuelauit hæc, vt nemo ambigeret Christum esse libri totius authorem, ne eiusdem tam salubris contemnenda putaretur vtilitas. Haymo. Tempore quo beatus Ioãnes scripsit hæc, surrexerant hæretici in Ecclesia, Valentinus scilicet, & Ebion, & Cherintus, quos & in Epistola sua antichristos vocat: idcirco hanc contestationem eis obiecit, ne per prauitatem erroris aliquid huic libro superaddere auderent, sicut verbi gratia, Arrius auferre connixus est ex Euangelio, Ego & pater vnum sumus. Photinus quoque dixit, Ego principium tribuo Iesu ex Maria. Iam vero candidus lector ex præmemoratis intelligit sane, quid sit auferri partem eius de libro vitæ: quoniam eius rationem tolli de prædestinatione Dei. Et de ciuitate sancta, quicumque deprauator extiterit & non computari cum iustis, nec vllam cum eis portionem habere. Quo certe damno nihil damnosius est, nec ignominia quippiam ignominiosius. Sint ergo boni viri in speciem, dicant multa splendide: sed nisi scripturæ sensum æquilibrio expendant, nisi sinceri sint intelligentia, participes regni Dei esse non possunt. vt recte vtilius fuerit nonnunquam his bene tacere, quã inutiliter multa profundere: & timere magis quã præsumere: candida fide simpliciter in Christum credere, quã temere abstrusissima eius iudicia intrare. sensu in sublime euadere, & sui interim obliuisci.

¶ Punct. 14.

Etiã, venio cito, Amen.

Etiã confirmantis vox est: confirmat namque dominus Iesus cito se venturum aduersum eos, qui scripturam hanc sacrilega manu orẽque temerare tentarent, & omnes qui participes iniquitatis horum sunt maligni impatientes, vt compleat in ipsis omnia quæcunque scri-

T t ij

pta sunt in libro prophetie huius: & omnem iracundiam effundat in eos qui veritatem non sequuntur, sed abeunt post sua mendacia. Dicit ergo. Etiam, Venio cito. Quod oraculum dulce nimium est animæ diligenti, & Christum aspiranti. Nec est quod magis pij appetant, quam videre faciem desiderabilem domini, in quem desiderant angeli prospicere. Et quia sic desiderant pii Christum videre: beatus Ioannes in persona omnium subiunxit, Amē. Quod est desiderantis animi consensus. fiat enim significat: quo verbo indicant sancti optare primo quoque tempore hanc impleri promissionem. ardent enim summe Christi aduentum, in cuius spe nihil non efficiunt. propterea subiunctive dicunt inuitantes.

☩ Punct. 15.

Veni Domine Iesu.

Ex eodem desiderio prodiit vox ista, quo cupit vir sanctus quamprimum venire Christum. Et bene, Salus enim est, saluator omnium credentium. Nec est quod vitilius inuocet christianus quam Iesum, qui nouit ab omnibus tribulationibus saluare suos: pro quibus mortem oppetiit, & fecit omnia ut saluos eos faceret. Veni ergo domine Iesu, & ocyus veni, salua hominem, quem proprio sanguine redemisti, cui beatitudinem in celo promissisti, ne diutius malis vexatus desperatione pereat. sed per te seruetur, qui per te creatus est. Veni, & ne tarda ueris, eripe de medijs atrocissimorum leonum dentibus, quorum nequissima phalanx contra pios stetit, cogit aduersarias acies, ut profliget, ut perdat, ut deleat, nec memoretur nomen eius ultra: sed tu solus es domine auxiliator in tempore opportuno, in quo confidit anima mea. Veni ergo quia incolatus meus prolongatus est, Et desiderat ad te anima mea, sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum sitis ardoribus estuans. Enimvero fatiabor, quum apparuerit gloria tua. Veni domine Iesu: o verbum semper recolendum, semper memori pectore tenendum, recitandum semper. Iesum accersit, in cuius occursum præparari nos conuenit, ne quum venerit imparatos offendat nos. Ad hoc opporune alibi præmonet dicens. Et vos similes estote hominibus expectantibus dominum.

suum, quando reuertatur à nuptiis: ut quum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Suspirans ergo, & filiorum Dei gloriam quantocyus reuelari, & quicquid mali est aboleri quamprimum desiderans, beatus Ioannes dicit. Amen, id est, sit ita, vel fideliter. Etiam veni domine Iesu. Et ego peccator, qui hæc scripsi id ipsum desidero, suspiro, peto, ut palam fiat summa illa redemptio gloriæ futuri sæculi. Sit ita domine Iesu Christe: Veni, & cito veni, reuelare omnibus, & his qui tibi aduersantur, & contemnunt te: quis es sanctorum sanctus, saluator noster, & rex cæli terræque, iudex viuorum & mortuorum, princeps pacis, pater futuri sæculi: qui in admirabile lumen tuum vocare dignatus es nos omnes, qui tui amore tenemur fideles per te metipsum summæ gloriæ autorem; cui id quicquid est operis humili corde commendo, & dedico: tuo feratur auspicio quocūque fertur: tua gratia foelix prodeat, eat, circumambulet orbem, qui mihi es vnica salus, & decus, & honor, & gloria in omne ornamentum. Amen.

☩ Punct. 16.

Gratia domini nostri Iesu Christi, cū omnibus vobis. Amen.

In hac vltima salutatione beatus Ioannes typum gerit constantissimorum verbi Dei ministrorum, qui scientes hominem non posse saluari, nec iustificari per legem, magis autem per gratiam: hanc optant, ut maneat in Dei Ecclesia. Obserua. Liber iste à gratia accepit initium, & in gratiam desuit: quia videlicet, & præueniente gratia saluamur, & subsequente iustificamur, ut prodidit Haymo. Vnde & Paulus Apostolus hoc loquutionis modo suas omnes epistolas ecclesiis direxit, ut à gratia auspiceretur, & in gratiam absolueret. Gratia hæc, quam optat, quaque consolatur, gratum faciens est: quam Christus, secundum quod Deus, dat autoritatiue, & efficienter: secundum autem quod homo, Dei hominumque mediator: dat eam, ut causa instrumentalis ac meritoria: sua enim hanc passione omnibus nobis promeruit, quæ eius passionis merito datur quibus datur, sine qua nemo meretur. Est denique gratia omne spirituale donum pertinens ad salutem. Sed illa preciosissima, & efficitax, qua nisi adiuenimur in omnibus præcipites in contrarium vertimur, immo omnia christi beneficia, quamuis magna sint

Tr iiij

& salutaria in primis, erūt nobis occasio grauioris damnationis. Semper ergo pro gratia hac impetranda, & eius in nobis incremento, viscera misericordie Dei nostri intentis precordiis sunt nobis requirenda. Quo enim plus in nobis augmentabitur, eo gratiores Deo sumus: & eo ampliora bonorum operum merita apud illum cumulamur: quo constantius recta ad regnum Christi sanguine nobis paratum proficiscamur, adiuuante nos ipso Iesu Christo, qui est benedictus in secula æterna. Amen.

Deo Gratias.

F. Gregorius Cœlius Pannonius ordinis. S. Pauli primi Eremitæ faciebat.



In Granada a 15 de maio los s^{es} inquisidores
auiendo visto la diligencia hecha en este libro q^e
conforme al catalogo expurgatorio del Ill^{mo} S^{or} carde
nal inquisidor general se mandó volver a quien
lo auia

Edi. W. J.
S. M. de...

Asistero a lo q^e
se ofice sⁱⁿ q^o

Interm. *Quedra...*